THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM
COMPLECTENS
SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,
IN QUIBUS
VETERUM HEBRÆORUM MORES
LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:
OPUS
Ad illuſtrationem utriuſque Teſtamenti, & ad Philologiam ſacram, & profanam utiliſſimum, maximeque neceſſarium.
AUTORE
BLASIO UGOLINO.
VOLUMEN TRIGESIMUMSECUNDUM
Complectens PARTEM ALTERAM Voluminis XXXI.



VENETIIS
MDCCLXVII.
APUD JOANNEM GABRIELEM HERTZ, ET SEBASTIANUM COLETTI.
SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.



ARNALDO SPERONI
EPISCOPO ADRIENSI

BLASIUS UGOLINUS
FELICITATEM.

TIBI, PRÆSTANTISSIME PRÆSUL, *eo consilio* ANTIQUITATES SACRAS *dicandas, addicendasque putavi, quod probe nossem, quantum ex tuis Auspiciis comparari illis posset præsidii & dignitatis, eo quod cum tua tum Majorum virtute & gloria singulari floreas gratia, atque autoritate. Genus Tarvisium primum, deinde Patavium ab antiquissimis temporibus a Pan-*

nonia

nonia derivatum, vetustate, nobilitate, doctrina, imperiis, præturis, præfecturis, feudis, consulatu, legationibus, sacra, civili, ac militari gloria maximam & singularem in tota ferme Italia famam & celebritatem sibi comparavit. Majores tuos, qui rerum gestarum magnitudine celebrati sunt (cum plurimi sint) recensere omnes cum neque tua modestia, neque hujus epistolæ brevitas patiatur, nonnulli, qui præ ceteris claruere, nullo modo prætereundi mihi sunt. FRANCISCUS *bello Insubrico adversus Philippum Mediolanensium Ducem Legatus singularem prudentiæ & virtutis famam sibi acquisivit.* ALVAROTTUS *Romæ maximis muneribus & dignitatibus pari integritate & laude partis & gestis, honorificentissimis Pontificum, & bonorum omnium judiciis & testimoniis celebratus est: Prætereo consulto reliquos, quos aut Medicina, aut Jurisprudentia, aut Militia celebravit.* JACOBUS *vero &* SPERONUS *nullo modo prætereundi mihi sunt, quorum alter Prætura Mutinensi, Præfectura Florentina, & plurimis pro Alfonso Ferrariensium Duce ad potentissimos Reges Legationibus summa cum gloria & felicitate perfunctus est; alter adhuc fuit, & omnium hominum, atque omnium seculorum memoria pro suæ doctrinæ immortalibus monumentis, immortale erit Italiæ nostræ decus & ornamentum. Cum tua tum majorum tuorum virtute, & commendatione tuta & munitissima ad honores, & dignitates Tibi pateret via, divino quodam consilio maluisti Adolescens S. Benedicti institutum profiteri, nobilitate, vetustate, sanctitate, Pontificatu, Apostolatu, martyriis, immortalibus in Eccle-*

siam


ſiam promeritis præ ceteris omnibus, quæ in Oriente & Occidente floruere, celebratum. Venetiis, Patavii, Romæ in celeberrimis S. Juſtinæ, S. Georgii, S. Caliſti, S. Pauli monaſteriis ſingulari doctrinæ & pietatis fama vel adoleſcens claruiſti. Plurima doctrinæ tuæ, eaque clariſſima extant monumenta. Celebratur inprimis Antonii Godæi Epiſcopi Vencenſis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Homiliarum editio, tua interpretatione Italica, tabulis chronologicis, notis eruditiſſimis, & Autoris vita illuſtrata. Utinam reliqua (cum novem jam prodierint) volumina, quæ omnium votis exſpectantur, aliquando prodeant! Cum tanta pietatis, & doctrinæ fama floreres, Romam juſſu atque autoritate CLEMENTIS XIII. *Pontificis optimi maximique accitus es, ut in novo Collegio Monaſterii S. Pauli adoleſcentibus ad monaſticam diſciplinam initiandis imbuendiſque præficerere, quo munere tanta cum laude perfunctus es, ut a Pontifice, facta tuorum promeritorum ampliſſima, honorificentiſſimaque commemoratione, præteritis iis, qui ætate, gratia, officiis, atque autoritate præſtabant, incredibili omnium bonorum, & ſingulari tui gregis lætitia & gratulatione Epiſcopatu Adrienſi inſignirere. Recordare diem illum, qui Tibi in omni vita lætiſſimus, & pulcherrimus illuxit, quo die univerſæ regionis incolæ cum liberis & conjugibus Te ad Diæceſim tuam advenantem ex agris & oppidis exciti in urbem ſumma cum lætitia tibi beneprecantes deduxere. Quæ ſpecies, quæ ſtudia, qui ſplendor, quæ celebritas omnis generis hominum, ætatum, ordinum, quæ animorum conſenſio, extinctis, quæ inter utramque urbem*

jam-

jamdiu exarſerant, tua opera, conſilio, atque autoritate diſſidiis & ſimultatibus, illo die fuit? Tibi adventanti ab univerſo populo, quem adventus tui fama, atque expectatio frequentaverat, honorificentiſſime obviam itum eſt, habitæque ſunt ad omnia templa ſupplicationes, actæque pro tanto beneficio Deo immortali immortales gratiæ. Cum ea ſint univerſi populi obſervantiæ in Te & pietatis argumenta, nulla abs te prætermittur cura, quo ejus ſaluti, atque incolumitati abs Te conſulatur. Diu noctuque vigilandum excubandumque Tibi cenſes, quo tuis vigiliis atque excubiis Chriſto ſummo paſtori gregem integrum ſiſtere & præſtare poſſis. Celebratur cura, vigilantia, caritas, humanitas, pietas, virtuteſque omnes, quæ Epiſcopum quammaxime decent, & quæ ab Apoſtolo ad Timotheum epiſtola in Epiſcopo præcipue deſiderantur.



B L A-



BLASIUS UGOLINUS

LECTORI.

MUSICAM Veterum Hebræorum, quam ſuperiori volumine polliciti eramus, in hoc ex antiquiſſimis *monumentis*, quantum fieri potuit in tantis tenebris & in tanta vetuſtate, illuſtratam Tibi exhibemus. In calce hujus Voluminis edendas curavimus *Ludovici Capelli* animadverſiones excerptæ ex ejus Critica Sacra in novam Lyram Davidicam *Franciſci Gomari*, quam in ſuperiori Tomo edidiſſemus, ſi nobis tum parata fuiſſet.

IN-

INDEX OPUSCULORUM

Quæ in hoc Volumine continentur.

TRA-



TRACTATUS
DE MUSICA
VETERUM HEBRÆORUM
EXCERPTUS EX SCHILTE HAGGIBBORIM
NUNC PRIMUM
A BLASIO UGOLINO
Ex Hebraico Latine redditus.

פרק ראשון:

הלא ידעתם בני היקרים כי היו מבני עמנו הסכלים אשר האמינו שהיתה שירת בית עולמים בפה ובכנינת הכלים הנזכרים במשנה במסכת ערכין כשירת אנשי השדה והרועים עם הכלי ההוא הנקרא משרוקיתא המשמיע שריקות עדרים או הסמפונייא והרומה לה מהכלי' אשר אין להם שחר במלאכת הזמרה ההיא שידועה היום המשוררים בשלמות והפלינו לדבר על כלי השיר שהיו במקדש בשהמעם בפרט בעל המשנה שאמר בתמיד הקיש בן ארזא בצלצל או הכה זה בחליל כמו שיהיה הננון הזה כהקשת והכאת עצי ברושים גם יחד שמוציאין קול של שחוק המוני בזוי ושסוי

CAPUT PRIMUM.

NOSTIS filii mei charissimi fuisse nonnullos de filiis nostri populi insipientes, qui putarunt fuisse cantum domus seculorum ore, & per sonitum instrumentorum, quæ memorantur in Misna *Erachin* ad similitudinem cantuum hominum agrestium & pastorum cum instrumentis, quæ vocantur sibilus, quo faciunt audire sibilationem a grege, aut *samphonia* sc. fistula, aut hujusmodi instrumentis, quæ non habent locum in arte Musica, quæ nostris diebus nota est illis, qui eam perfecte callent, & contendunt de instrumentis cantus, quæ erant in Sanctuario, & præcipue in Misna *Tamid. Pulsabat ben Arsa in Zilzal.* Sive pulsaret in tibia, esset hic sonitus, quasi qui perficitur lignis abietis, quando simul pulsantur, & percutiuntur, quæ emittunt sonitum vul-

לא זולת והם לא ידעו ולא הבינו כי לשוננו
הקדוש וגם הלאטינו יאמרו לתקיעה הנעשית
בדעת ובלמוד פרטי פעמים הקשה או הכאה
ופעמי' תקיעה כפי טבע כל הנגון ההוא
שינגנו בו ולמען לא תהיה דעתם זאת
המשובשת לכם לפוקה דעו כי כמו שיש אצל
המשוררין מינין הרבה מהזמרה המלאכותית
עומדת על עמודי כמה תורות ותנאים
לעורר תכונות הנפש פעם לשמחה פעם
לדאגה פעם לכעס ופעם לרצון ולהשקט
וכדומה כידוע לחכמים בשירי היונים ההם
ופריגיאי דוריאי ויוניקי וזולת' וכאשר הכירו
הבקיאי' שלהם בשלשה חלקי הזמרה הכללית
אשר כתב המחבר פלוטארקו בספר אשר כתב
על המוסיקא והם הריאטינון הקרומא
והמרמוניאון כן לדוד המלך בחיר ה' היה
הרבה מינים מהשבח והשיר האלהי הנאמר
בפה נבנה ונשלם ברוח הקדש עם כל
יתידו' התבונה המעוררת הנפש החכמ' לשיר
תהלו' ה' ועדותיו ונפלאותיו אשר עשה ועם
כי אמרו רבותינו בפסחי' פרק ערבי פסחים
בעשרה מיני זמר נאמר זה הספר בנגון בנצוח
במזמור בשיר בהלל בתפילה בברכ' בהודא'
באשרי ובהללויה אולי ברשותם נוכל לומר כי
ימצאו שם גם כן מינים אחרים על אלה כמו
רינה זכירה משכיל אל תשחת שיר ידידות
עלמות מכתם שגיון נחילות עדות יונת אלם
רחוקים שהיא שירה כמו גמגום וצפצוף
כמעט בלי דבור כדרך האלמים והיונה
ההוגה ומיללת בכאב אנוש מבלו שיצאו
דברים מפורשים היטב מפיה על רחוק בן
זוגה ממנה תרמה בצד מה נועם זמרת
הקולות האלה שזכרנו אחרי כל האמורים
לקולות מכתם ושיר מעלות הנאמר בתגבורת
הקול מפי רבינו סעדיה ז"ל שהם בין כלם
כ"ב וסימניך ב"ך יברך ישראל עתה תה אל נא
ידמו הסכלים ההם אשר הוציאו דבת על
עם ה' כי מיני השיר האמורים ידעום צעירי
הלוים מעצמם בנקלת ולא יצטרכו לרב
שילמד איתם לשורר ולזמר ברוב הטורח

vulgarem, & vilem, & exilem, & ipsi ignorarunt, & non intellexerunt, quod tam lingua sancta quam latina dixerint sonitum fieri cum scientia, & regulis particularibus, aliquando tinnitu, & aliquando clangore, juxta naturam instrumentorum musicorum, quæ pulsantur; Ne sit hæc opinio confusa vobis in offendiculum, scitote, sicut deprehenduntur apud cantores plurimæ species cantus artificialis, quæ innituntur basibus multarum legum, & regularum; ad excitandos affectus & perturbationes animi, aliquando ad excitandam lætitiam, aliquando dolorem, aliquando iram, aliquando tranquillitatem & quietem, & his similes, uti manifestum est sapientibus in canticis Græcorum, quæ vocantur Lydia, Phrygia, Dorica, & Jonica, & his similia, sicut norunt eorum periti in tribus speciebus Musicæ generalis. Scribit autor *Plutarchus* in libro, quem scripsit de Musica; & illæ sunt *Diatumon*, *Croma*, & *Armonion*; Ita pariter David rex electus a Deo habebat multas species laudis, & cantus divini, qui recitabatur oretenus, & ædificatus & perfectus fuit in Spiritu Sancto cum omnibus clavibus prudentiæ, qui excitat animam sapientem ad canendum laudes Domini, & miracula, & prodigia, quæ fecit. Quamvis dicunt nostri Rabini in *Pesachim cap.* x. decem speciebus cantus recitatum fuisse hunc Librum, sc. נגון, נצוח, מזמור, שיר, הלל, תפילה, ברכה, הודאה, אשרי, הללויה, possumus tamen cum eorum venia dicere, deprehendi alias species præter memoratas, e.g. רינה, זכירה, משכיל, אל, תשחת, שיר, ידידות, עלמות, מכתם, שגיון, נחילות, עדות, יונת, אלם רחקים: columba muta remota, eo quod sit cantus similis gemitui, & mussitationi, & quasi loquela juxta consuetudinem mutorum, & Columbæ, quæ gemit, & queritur, & verba non recte distincta ex ejus ore exprimuntur, quando ejus socius ab eo remotus sit, ut quodam modo similis sit suavitas cantus his vocibus, quas commemoravimus. Post omnes dictos sonitus, qui pulsabantur; & שיר מעלות, & recitabatur robusta voce ex ore Rabini nostri *Saadia* cujus memoria sit in benedictionem, ut sint omnes duæ & viginti *species*, & signum tibi est ב"ך יברך ישראל. *Tecum benedicet Israel*. Et nunc ne putent isti insipientes, qui pronuntiarunt hanc infamiam contra populum Dei, species cantuum, quæ memoratæ sunt, minimis Levitarum per se, & facile nota fuisse, neque requireretur præceptor, qui eos doceret cantum, & psalmodiam sine ullo labore. Etenim eo-

והעמל כי הנה עבודתם במקדש לא היתה אלא שמירת בית ה' ופתיחת והגפת דלתותיו והשירה והנגון על הקרבנות וכבר ידענו ששמירת הבית והגפת הדלתות ידועה לעשות הלוים חנם בלי מלמד גם אם יהיו חסרי הדעת והתבונה ועם כל זה לא הוכשרו לשיר טרם ששמשו זקני הלוים חמש שנים כי לא יובנו חלקי המלאכה הזאת כי אם בקושי ובזמן רב צאו נא וראו כי בכל הלוים אשר היו בימי דוד עד סך שלשי' ושמונה אלף מבן שלשים שנה ומעלה לא נמצאו בסכום הארבעה אלפים שנבחרו להלל לה' כי אם מאתים שמנים ושמנה מבין עם ת' מיד מלומדי שיר לה' ואם שירם הריקני הזה אשר אמרו הטפשים האלה היה כל כך נקל להתלמד מדוע בכל הלוים לא נמצאו אז כי אם מעט מזער מהם שידעו בשיר להלל לה' ומנה להסיר הדעת המשובש הזה מכם אשר לימים חלפו למו חזרו והכניסו הסכלים האלה אזני האנשי' שלמים הם אתנו כיראת ה' אהרתי לכתוב לכם בקצור משפטי השיר המלאכותי ומהותו ולהראות לכם בפרק זה שאבותינו הקדושים ז"ל ידעו כל תנאיו ושמרו כל פרטיו עד חוט השערה ולא חטאו:

ואען ואומר כי השיר המחשבי הוא חכמה המלמדת לאדם בן דעת ערך והסכמת קולות רבים ומשונים שישתרגו ויעלו ברדיפה זה אחר זה בהדרגה נכונה ובחבור אפשרי גם יחד להשמיע לאזנים זמרה נאה וברה בנעימה טובה וערבה:

ועתה לפי דעת אפלטון בדי"אלונו שלו המכונה די יוהשטו חלקי הזמרה המלא כותית הם שלשה היינו הספור דברים שקראו הפלוסוף הזה אוראציאוני הסדר או משפט מדת הזמן בהשקט ובמנוחה או ברדיפה מהירה ותכופה בקולי הזמרה שקראו ריטמו ותקון הקולות הנאותים לשיר שקראו ארמוניאה:

אמנם האוראציאוני היא של שני מינים היינו הפשוטה הנקראת פרוסה ובעלת השיר הנקראת וירסו הפשוטה הוא הדבור המחוקק

eorum ministerium in sanctuario non erat, nisi in custodia domus Dei, & in aperiendis, & claudendis portis, & in cantu, & sonitu in sacrificiis, & jam scimus custodiam templi, & clausuram portarum, statim notam fuisse Levitis, ut non opus haberent præceptore, vel si defecissent mente & intellectu, tamen idonei non reputabantur ad canendum, nisi quinquennio senioribus Levitarum ministrassent, quia non poterant intelligere partes hujus artis, nisi difficulter, & diuturno tempore: Egredimini, & videte ex omnibus Levitis, qui erant in diebus David usque ad numerum octo & triginta millium a trigesimo anno, & ultra, ex numero 4000. qui electi fuerunt ad laudandum Dominum non fuisa deprehensos, nisi ducentos & octoginta, magistrum cum discipulo peritos in cantu Domini. Si eorum cantus fuisset insulsus, sicut isti stulti dixerunt, quod facile percipi posset, qua de causa ex omnibus Levitis inventi sunt tam pauci, qui callerent cantum ad laudandum Dominum? Et ecce, ut removeatur a vobis hæc opinio confusii, quam jamdiu insipientes isti iterum introduxerunt in aures virorum, qui perfecti sunt in timore Domini, dixi scribendum mihi esse vobis breviter regulas cantus artificialis, & ejus qualitates, & vobis ostendere in hoc capite, patres nostros sanctos, quorum memoria sit *in benedictionem*, calluisse omnes ejus regulas, & observasse omnes ejus partes particulares, sine errore usque ad pilum capilli.

Et incipiens dico cantum excellentem esse scientiam, quæ docet hominem, qui sit mente præditus, dispositionem, & concordantiam multarum & variarum vocum, de quibus dicendum erit, & adscendunt succcessive altera post alteram, gradatione convenienti, & quantum fieri potest, conjunctione una simul concinnatæ, ut audiatur ab auribus cantus amœnus, jucundus, & suavis.

Nunc juxta sententiam *Platonis* in dialogo qui inscribitur *Justus*, partes cantus artificialis sunt tres, sc. narratio rerum, quæ appellatur ab hoc philosopho oratio, ordo & regula metiendi tempus quiete & tranquille, aut successiva velocitate & celeritate in vocibus cantus, qui vocatur Rythmus, & dispositio vocum convenientium cantui, quæ vocatur Harmonia.

Verum oratio constat duabus speciebus, producta vocatur Prosa, quæ spectat cantum vocatur versus. Oratio producta est discursus ordinatus & directus a sapientia, & prudentia ad notificandum

ומיושר בחכמ׳ ובתבונ׳ להוריע במבטא מבלי שום הנאי ממשפטי המליצה מה שהוא סגור ונשמר בקירות הלב בלבד לא זולת אך בעלת השיר היא מאמר מתיחס נקשר קצתו בקצתו מוריע כונ׳ המרבר במלות קצרות ערובות ושקולות והגדר הזה יאות בלבד לספור שיריי שהוא כמשפט השירים אשר מצאו חכמינו האחר ונם כי השירים אשר באו בתורה בנביאים ובכתובים לא באתי עד תכלית משקלם ותנאיהם ההכרחיים כי בהם לא מצאתי תנועות או יתדות מחוייבים או שוים בשנין האחר למה שהוא במנין השני מחבתים ולא ידעתי למה זה ועל מה זה קצת בהם הם כתובים או אריח על גבי לבינה ולבינה על גבי אריח כמו שהם שירת הים ושירת דוד ביום הציל ה׳ אותו ושירת דבורה או אריח על גבי אריח ולבינה על גבי לבינה כמו שהיא שירת האזינו ושירת בני המן וקצת מהם הם כתובים בשיטות ישרות הנהוגות גם כן בספורים הפשוטים כמו שהיא שירת הבאר ותהלים כלו ושיר השירים וזולתן עם כי לשמע אזן יוכרו השירים הקרמונים לנועם הקריאה בלבד גם כי לא נמצא שנוי בכתיבת השטה כאשר אמרתי ואולם לא אוכל להתעלם כי באי זה משלים קרמונים הרומי׳ לשירי׳ מצאתי בסוף חבתים חרוזים אבל מנין תנועותיהם על הרוב אינם שוים כמו שהוא זה באו חשהון שהם ארבעה תנועות עם חרוז תבנה ותבונן עיר סיחון שהם עשר׳ תנוע׳ עם חרוז כמעט דומה לחרוז הראשון כי אש יצאה מחשבון הם שמנה תנועות עם חרוז אמתי דומה לחרוז הבית הראשון של ארבע׳ תנועות להבה מקרית סיחון הם גם כן שמנה תנוע׳ עם חרוז אמתי דומה לחרוז הבית של עשרה תנועות אכלה ער מואב הם ששה תנועות בלי חרוז בעלי במות ארנון הם ששה תנועות גם כן אם תמשכו העין של בעלי והבית הזה הוא עם חרוז מתדמה כי גם אני ידעתי שארנון אינו אמתי עם חרוז סיחון אבל הוא כמעט דומה לו ויקרא בעבור זה שיר עובר וכן מצאתי שיר בלי חרוז עם מנין תנועות שוות בבתים כמו זה עלי באר ענו לה שהם שמנה תנועות אם תקראו ההא סמלת לה באר הפרוה שרים הם גם כן שמנה תנועות כרוה נדיבי העם הם גם כן שמנה במחוקק

propter pronunciationem ſine ulla alia conditione legum elegantiæ, quod incluſum & reconditum eſt in intimo corde dumtaxat, & non aliter; at cantus & oratio relativa colligatur parte cum alia parte, quæ notificat mentem loquentis, verbis brevibus, recte ordinatis, & ponderatis; & hæc definitio convenit ſolummodo orationi ligatæ, *ſc. verſui*; quod eſt juxta ordinem canticorum, quem invenerunt noſtri noviſſimi ſapientes; Etenim in canticis, quæ ſunt in lege in prophetis, & in hagiographis, non potui hactenus deprehendere eorum artem metricam, & eorum leges neceſſarias, eo quod in ipſis non invenerim puncta mobilia, & ſtabilia, neceſſaria, & æqualia numero in uno cum altero verſu; & ignoro qua de cauſa in eorum parte ſcriptum ſit nigrum ſuper albo, aut album ſuper nigro, juxta canticum Erithræi, & canticum David, die, quo Deus eum liberavit, aut nigrum ſuper nigro, aut album ſuper albo, juxta canticum quod incipit: *Audite cœli & loquar* (*Deut.* XXXII.) Et canticum filiorum Aman (*Eſth.* IX.) & aliqua ſcripta ſint lineis rectis, quæ etiam uſitatæ ſunt in oratione producta, ſicut eſt canticum pro puteo (*Num.* XXI.) & totus liber Pſalmorum, & totum canticum Salomonis, & præter hæc alia; quamvis ad aurium auditum innoteſcant cantica antiqua propter ſuavitatem lectionis dumtaxat, licet nulla deprehendatur immutatio in ſcriptura lineæ; ſicut dixi, tamen facere non poſſum, quominus dicam, quod in nonnullis proverbiis antiquis invenerim in fine verſuum rythmos, at in numero ſyllabarum plerumque non ſunt æquales, ſicut iſtud באו חשבון, quod eſt quatuor ſyllabarum cum rythmo תבנה ותכנן עיר סיחון; quod conſtat decem ſyllabis, & fere eſt ſimile priori rythmo: כי אש יצאה מחשבון; ſunt octo ſyllabæ cum rythmo omnino ſimili priori verſiculo quatuor ſyllabarum; & deinde להבה מקרית סיחון: Sunt pariter octo ſyllabæ cum rythmo ſimili verſui decem ſyllabarum: אכלה ער מואב ſunt ſex ſyllabæ ſine rythmo בעלי במות ארנון Sunt pariter ſex ſyllabæ ſi elidatur ע בעלי; & hic verſiculus reſpondet rythmo conſimili; etenim quamvis ego ſciam ארנון non reſpondere rythmo סיחון, tamen eſt illi quaſi ſimilis, & hac de cauſa vocatur canticum diſcurrens. Et ſimiliter inveni canticum ſine rythmo cum numero ſyllabarum æqualium in verſibus; ut iſtud: עלי באר ענו לה Sunt octo ſyllabæ, ſi legatur ה vocis לה: באר חפרות שרים. Sunt pariter octo ſyllabæ כרוה נריבי העם. Similiter ſunt

octo

במשענותם הם כמותן שמנה וממדבר מתנה
הם שמנה אם תקראו הדלת דוממדבר ולא
תמשכוה כאשר הוא מן הדין וכן אם תקראו
וממתנה נחלי אל שתלראו נחלאל בהבלעה
כמו אם היה נכתב בלי יוד יהיו שמנה
תנועות ומנחליאל במות אם תקראו נחליאל
ככתבו יהיה שמנה ומבמות הגיא הוא של
ששת תנועות אשר בשדה מואב גם הוא
ששה תנועות ראש הפסגה ונשק׳ הוא של
שבעה תנועות פה על פני הישימון הוא של
שבעה תנועות:

הוסיף אפלטון כי האורציאוני הנאותה
לזמרה היא הנעשית בערך מליצה ומשקל
ולא כאוראציאוני הפשוטה שהיא הנקראת
פרוסה ומארסיליאו פיצינו בהקדמתו לדיאלוגו
השלישי די יוסטו אמר כי הריטמו הוא
למוד אשר בגללו נכיר ונדע מדת הזמן
ומשפט תנועות הקולות שנקראו בלשונם
אקוטי אי גראוי והמשותפים להם׳ כמו
שהמיטרו כאשר כתב קוינטיליאנו בספר
הראשון פרק חמישי שלו היא המדה הנכונה
והמניז המיוחד לתנועות כלשונם רגלים
באוראציאוני הנעשית במשפטי השירים
הנקראים וירסי ודעו מדברי אפלאטון
בדיאלוגו הנזכ׳ כי הריטמו והמיטרו הם מכריחי׳
הארמוניאה לרדוף אחרי האוראציאוני והיא
בעדם לא תוכרח לרדוף אחרי הארמוניאה:

סוף דבר הארמוניאה היא נעשית בקולות
פשוטים ובקולות מורכבים הקולות הפשוטים
נקראו כן בערך המורכבים כי בפשוטי׳ יש ג״כ
צד מה מההרכבה חוץ מהקול הראשון שהוא
כמה שהוא קול קול פשוט בהחלט והקולו׳
הפשוטי׳ הם שמנ׳ הראשון הוא הקול הנקרא
אוניסונו והוא קול פשוט בתכלית הפשיטות
נכון לזמרה ונעים לחוש השמע שהוא כמו
יסוד וערך לשאר הקולות ומפני שהוא
פשוט בתכלית לא יקרא קונסונאנצה הואיל
כי הקונסונאנצה היא כמו מדה מהטונו ההוא
הנקרא בלשונם גראוי איט אקוטו הטונו הוא
הקול השני בלשון לועז סיקונדה שהוא מרחק
אחד אשר בעבורו הקונסונאנצה דיאפינטי
הנקראת בלעז קוינטה תעלה על הדיאטיסארון
הנקרא קוארטה הקול השלישי הפשוט הוא
הקול הנקרא אצלם דיטונו בלשון לועז טירצה
הרביעי הוא הנקרא דיאטיסארון בלשון לועז
קוארטה והקול הזה ישקיט חוש השמע
בפשיטות אך לא עם תענוג או עדון הקול
החמשי הוא הדיאפינטי בלעז קוינטה והקול
הזה ישקיט באמת חוש השמע עם תענוג
ועדון מה הקול הששי הוא האיגסאקורדו
בלעז סיסטה הקול השביעי הוא האיפטאקורדו

octo syllabæ וממדבר מתנה: Erunt octo syllabæ quando exprimatur *Daleth Umimidbar*; & non elidatur, sicut ratio postulat; & similiter si legatur וממתנה נחלי אל; si legatur נחלאל cum elisione, quasi scriptum esset sine Jod, erunt octo syllabæ ומנחליאל במות. Si legatur *Uminabaliel* sicut scriptum est, erunt octo syllabæ ומבמות הגיא est sex syllabarum, אשר בשדה מואב: Est pariter sex syllabarum, ראש הפסגה ונשק est sex syllabam פה על פני הישימון: Est septem syllabarum.

Addit *Plato*, quod oratio quæ apta sit ad cantum, sit illa quæ facta sit ordine, & metro versus; & non est similis orationi productæ, quæ dicitur Prosa. Et *Marsilius Ficinus* in exordio ad tertium dialogum, qui inscribitur *Justus*, scribit rythmum esse scientiam, qua cognoscimus mensuram temporis, & legem motionum vocum, quæ eorum lingua vocantur acutæ & graves, & aliæ cum his conjunctæ, sicut est metrum; sicut scribit *Quintilianus lib. 1. cap. 5.* Est vera mensura, & numerus peculiaris pro motionibus, quæ eorum lingua appellantur *pedes* in oratione, quæ facta sit juxta legem canticorum, quæ vocantur versus. Et scitote ex verbis Platonis in memorato dialogo, rythmum & metrum obligare harmoniam, ut sequatur orationem; & illa non obligatur ut sequatur harmoniam.

Tandem Harmonia constat vocibus simplicibus & compositis; voces simplices vocantur causa compositarum; & quod etiam in simplicibus sit aliqua pars compositarum, excepta prima voce; eo quod cum sit vox, est omnino simplex, & voces simplices sunt octo; prima est illa, quæ dicitur unisona, & est vox ex omnimoda simplicitate, & apta cantui, & suavis sensui auditus; & est quasi basis & ordinatio pro ceteris vocibus; & eo quod sit omnino simplex, non vocatur consonantia, cum consonantia sit qualitas illius toni, qui vocatur gravis, & acutus; tonus est vox secunda, quæ Italice dicitur *seconda*, quæ est distantia propter quam consonantia *diapente*, quæ Italice *Quinta* appellatur, adscendit ad diatesaron, quæ Italice vocatur *Quarta*. Tertia vox simplex, est illa vox, quæ Grece dicitur *Ditono*, & Italice *Tertia*. *Quarta* appellatur Diatesaron, Italice *Quarta*; & hæc vox quietem præstat sensui auditus in simplicibus, at non delectat. *Quinta* vox est Diapente, quæ Italice dicitur *Quinta*, & hæc vox quietem præstat sensui auditus cum aliqua voluptate & delectatione. Sexta vox est excordon, quæ Italice dicitur *Sesta*. Septima vox est

הנקרא בלעז סיטימה הקול השמיני הוא הדיאפאסון הנקר׳ בלעז אוטאבה הבאה מהרכאת או ערוב הדיאפינטי עם הדיאטיסארון והיא יותר מורכבת ממה שהן שאר הקולות הפשוטים דיאפינסים בלשון יון ר״ל השקט על כן הקול הזה נקרא דיאפאסון מפני שבו ינוחו מספרי השמנה קולות או מפני שהקול הזה ישקיט בתענוג גדול חוש השמע ובשלם שכפנים שאין למעלה ממנו ולכן בעלי הזמרה קראו הקול הזה מלך על כל שאר הקונסונאציאי:

והנה לכל השמנה קולות האמורי׳ חוץ מהקול הראשון שהוא האוניסונו והשמיני שהוא הדיאפאסון ייוחס ההבדל הנמצא בגודל הקולות וקטנותן על כן חכמי המשוררים חלקו הקולות האלו הפשוטים לחלקי׳ אחרים היינו לשלש עשרה קולות משונים בנועם זה מזה שהם בערך הראשונים כמו קולות מורכבים ולא בא בכלם האוניסונו מפני שהוא אינו קונסונאנצה כאשר כתבנו:

ועתה הקול הראשון מהמורכבי׳ הוא הנקרא בלשונ׳ סימיטונו והוא מרחק אחד משני קולות מורכב מקול אחד נקרא שנית קטנה בלשונם סיקונדה מינורי הקול השני הוה הטונו והוא מרחק משני קולו׳ מורכב משנית גדולה בלשונ׳ סיקונדה מאנייורי הקול השלישי הוא הסידיטונו קטן והוא מרחק משלשה קולות מורכב משנית אחרת קטנה ושנית אחרת גדולה הקול׳ הרביעי הוא הדיטונו גדול הוא מרחק משלשה קולות מורכב משני סיקונדי גדולים הקול החמשי הוא הדיאטיסאריז קטן והוא מרחק אחד מארבעה קולות מורכב משנית אחת קטנה ומשני סיקונדי גדולים הקול הששי הוא הדיאטיסארוז גדול הנקרא גם כן בלשונם טריטונו והוא מרחק אחד של ארבעה קולות מורכב משלשה סיקונדי גדולים הקול השביעי הוא הדיאפינטי קטן שהוא מרחק אחד מחמשה קולות מורכב משני סיקונדי קטנים ומשני סיקונדי גדולי׳ הקול השמיני הוא הדיאפינטי גדול והוא מרחק אחד מחמשה קולות מורכב משלשה סיקונדי גדולים וסיקונדה אחת קטנה הקול התשיעי הוא האינגסאקורדו קטן שהוא מרחק של ששה קולות מורכב משני סיקונדי קטנות ומשלשה סיקונדי גדולות הקול העשירי הוא האינגסאקורדו גדול שהוא מרחק אחד של ששה קולות מורכב מסיקונדה אחת קטנה ומארבעה סיקונדי גדולות הקול האחד עשרה הוא האיפטאקורדו הקטן שהוא מרחק אחד משבעה קולות מורכב משני סיקונדי קטנות

est eptacordon, & Italice dicitur septima. Octava vox est Diapason, quæ Italice dicitur *Ottava*, quæ constat ex compositione & commixtione Diapente cum Diataseron, est magis composita reliquis vocibus simplicibus. Diapensis Græce significat quinta; Idcirco dicitur Diapason, quia in ea quiescunt numeri octo vocum simplicium, aut ea de causa quiescit cum magna delectatione sensus auditus, tam perfecta ratione, ut nulla sit ea præstantior; & hac de causa Musici appellant hanc vocem *regem* præ cæteris omnibus consonantiis.

Et ecce in omnibus octo vocibus supra memoratis, excepta prima, quæ est unisona, & octava, quæ est diapason, tribuetur differentia, quæ in illis deprehenditur, magnitudini, & exilitati vocum. Hac de causa sapientes cantores diviserunt has voces simplices in alias partes, sc. tredecim voces differentes in suavitate alteram ab altera, quæ sunt ratione priorum quasi voces compositæ, & in iis non recensetur unisona, quia non est consonantia, sicut scripsimus.

Nunc prima vox ex compositis est illa, quæ eorum lingua dicitur *Semitonos*, & est distantia duarum vocum, constans una voce, quæ dicitur secunda minor; secunda vox est tonus & est distantia duarum vocum constans secunda majori; Secunda vox est *Semiditonos* minor, & est distantia trium vocum constans secunda minori, & alia secunda majori. Quarta vox est *Ditonos* magnus, & est distantia trium vocum constans duabus secundis majoribus. Quinta vox est *Diatesaron* minor, & est distantia quatuor vocum, constans secunda minori, & duabus secundis majoribus. Sexta vox est *Diatesaron* major, quæ etiam eorum lingua dicitur *Ttitonos*, & est distantia quatuor vocum, constans tribus secundis majoribus. Vox septima est *Diapente* minor, quæ est distantia quinque vocum, constans duabus secundis minoribus, & duabus secundis majoribus. Octava vox est *Diapente* major; & est distantia quinque vocum, constans tribus secundis majoribus, & secunda minori. Nona vox est *Exacordo* minor, & est distantia sex vocum, constans duabus secundis minoribus, & tribus secundis majoribus. Decima vox est *Eptacordo* major, & est distantia sex vocum, constans secunda minori, & quatuor secundis majoribus. Undecima vox est *Eptacordo* minor, & est distantia septem vocum, constans duabus secundis minoribus, & quatuor secundis majoribus. Vox duodecima est *Eptacordo* major, & est distantia septem vo-

וארבעה סיקונדי גדולות הקול השנים עשר הוא איפטאקורדו גדול והוא מרחק אחד של שבע׳ קולות מורכב מסיקונדה אחת קטנה וחמשה סיקונדי גדולות הקול השלשה עשר הוא הדיאפסון והוא מרחק משמנה קולות מורכב משני סיקונדי קטנות וחמשה סיקונדי גדולות הקול הארבעה עשר שהוא הקול התשיעי קטן ישוב לטבע הסימיטונו והתשיעי גדול ישוב בם הוא לטבע הטונו:

ודעו בני כי במחשבה בלבד נוכל לחבר כפי המשפט הזה קולות אחרים עד בלי תכלית אמנם בהמצאת הקולות בפועל לא יעלה בידינו קול חדש אפשרי אלא עד מקו׳ שיגיע קול האדם לעלות או לירד כפי טבעו ויכלתו:

ועתה הקולות האלו אשר אמרתי אם יחוברו יחד קצתנמהם נקרא קונסונאנציאי שלמות בלשונם פירפיטי וקצת בהם נקראו קונסונאנציאי בלתי שלמות בלשונם אימפירפרו וקצת מהם נקראו קולות בלשונם דיסונאנטי:

והנה מהשלשה עשר קולות האמורים שלשה מהם נקראו קונסונאנציאי פירפיטי והם הדיאטיסארון קטן הדיאפינטי גדול והדיאפאסון וארבעה מהם יקראו קונסונאנציאי אימפירפיטי והם הדיטונו גדול וקטן והאינסאקורדו גדול וקטן והששה קולות הנותרים הם קולות דיסונאנטי והם הטונו הסימיטונו הדיאטיסארון גדול הנקרא טריטונו הדיאפינטי קטן והאיפטאקורדו גדול וקטן:

ודעו כי עם השמנה קולות הפשוטים אשר אמרתי יוכלו לשורר ארבעה משוררים יחד אם ירצו ואז יעשו זמרה שלמה בלשונם ארמוניאה פירפיאה אם האחד יזמר עם הקול אוניסונו השני עם הדיטונו השלישי עם הדיאפינטי זהרביעי עם הדיאפאסון ואם ירצו לזמר ששה משוררים יחד הראשון יזמר באוניסונו השני בדיטונו או סימידיטונו השלישי בקול הדיאפינטי שלם בלשונם פירפיטו הרביעי בדיאפאסין החמישי בכפולה מהדיטונו או סימידיטונו והוא הדיאפאסון עם הדיטונו או סימורוטונו הששי בכפולה מהדיאפינטי והוא הדיאפאסון עם הדיאפינטי שלם בלשונם פירפיטו:

סוף דבר המניז יותר גדול מהמשוררים שיוכלו לזמר יחד בקולות משונים זה מזה כפי משפטי ותנאי הזמרה יהיו שנים עשר ולא יותר ויהיו הקולות האלה בין כלם גם את יחזרו הדיאפאסון שלשה פעמים עם הדיאפינטי נוסף עליו׳ ומפני שכבר פירשתי הארבעה קולות לארבעה משוררים ופרשתי גם כן הששה קולות לששה משוררים אמרתי כי טוב הוא ללמד אתכם שמות הי״ב קולות בשלם שכפנים שישוררו בם הי״ב משוררים יחד כדי שלא יגרע לכם דבר ממשפטי הזמרה:

vocum, conſtans ſecunda minori, & quinque ſecundis majoribus. Vox decima tertia eſt *Diapaſon*, & eſt diſtantia octo vocum conſtans duabus ſecundis minoribus, & quinque ſecundis majoribus. Vox decima quarta, quæ eſt vox nona minor, revertitur ad naturam ſemitoni, & nona major pariter revertitur ad naturam toni.

Scitote mei filii, quod mente ſolum poſſimus componere juxta hanc regulam alias voces uſque ad infinitum; verum ut actu voces deprehendantur, non poſſumus habere vocem novam, niſi quo poſſit adſcendere & deſcendere vox hominis juxta ejus naturam & poteſtatem.

Nunc vero iſtæ voces, de quibus dixi, ſi una fuerint compoſitæ, earum partem vocabimus conſonantiam perfectam, & earum pars vocabitur conſonantia imperfecta, & aliæ eorum lingua vocantur diſſonantia.

Ex tredecim ſupra memoratis vocibus, tres vocantur conſonantiæ perfectæ, & ſunt Diateſaron minor, & Diapente major, & Diapaſon, & quatuor vocantur conſonantia imperfecta, & ſunt Ditonos major & minor, & *Exacordo* major, & minor, & ſex reliquæ voces ſunt voces diſſonantes, ſc. Tonus, ſemitonus, Diataſeron major, qui appellatur Tritonos, *Diapente* minor, & Eptacordo major, & minor.

Et ſcitote, quod *octo vocibus* ſimplicibus, de quibus dixi, poſſint canere una ſimul quatuor Muſici, ſi velint, & tunc efficient cantum perfectum, qui eorum lingua dicitur *Harmonia perfetta*, ſi primus canat voce uniſona, ſecundus *Ditono*, tertius *Diapente*, & quartus *Diapaſon*. Si velint ſex cantores ſimul canere, primus canet voce uniſona, ſecundus *Ditono*, tertius voce *Diapente* perfecta, quartus *Diapaſon*, quintus duplici *Ditono*, & ſemiditono, & eſt *Diapaſon* cum *Ditono*, aut *Semiditono*; ſextus cum duplici *Diapente*, & eſt *Diapaſon*, cum Diapente perfecto.

Tandem numerus maximus cantorum, qui ſimul canere poſſint, vocibus altera ab altera differentibus, juxta leges & regulas cantus, conſtabit tantummodo duodecim; atque ita inter omnes erunt iſtæ voces, ſi repetant *Diapaſon* tribus vicibus, illi addendo Diapente; Cum expoſuerim quatuor voces pro quatuor cantoribus, pariterque expoſuerim ſex voces pro ſex cantoribus, putavi vos docere nomina duodecim vocum perfectiori ratione, qua his debeant ſimul canere duodecim cantores, ne vobis aliquid deſit de regulis cantus.

Nunc

ועתה דעו כי הקול הראשון נקרא אוניסונו השני דיטונו או סימידיטונו השלישי דיאפינטי שלם או פירפיטו הרביעי דיאפאסון החמישי דיאפאסון עם הדיטונו או סימידיטונו' הששי דיאפאסון עם הדיאפינטי שלם בלשונ' פירפיטו השביעי דיסדיאפאסון השמיני דיסדיאפסון עם הדיטונו או בימידיטונו התשיעי דיסדיאפהסון עם הדיאפינטי פירפיטו העשירי הדיאפאסון המשולם בלשונם טריפליקאטו האחד עשר הדיאפאסון טריפליקאטו עם הדיטונו או סימידיטונו · והשנים עשר הדיאפאסון טריפליקאטו עם הדיאפינטי פירפיטו ועל הקולות האלה לא יוכל עוד לעלות ולרדת קול האדם כטבעו לכן אם ירצו לשורר יחד יותר משני' עשר משוררים המשוררים הנוספי' ישוררו עם הקולות ההם בעצמם שישוררו הראשוני' ולא באופן אחר על כן טוב הוא שיחלקו עצמם לחבורות של שנים עשר שנים עשר משוררים ואז יתענגו בהם כל שומעיהם כי ישמעו הקולות ביחוד ולא בערבוביא ובגלל הדבר הזה דוד בחיר ה' כנראה (בדברי הימים א' כ"ה) כשחלק המאתים ושמנים ושמנה משוררי' לחבורו' בחכמתו הרבה והנפלאה לא הוסיף ולא הותיר החבורות ממנין כ"ד והמזמרים ממנין י"ב לכ' חבורה כי באופן הזה בלבד ידע נאמנה שימצאו בכל חבורה הקולות האפשריים מהשיר האמורים בשוה ולא בסדור אחר נבדל מזה:

ודעו בני כי יואן ואלינסיאו המחבר לאטינו בקש למצוא דברי חפץ בטעמי הנגינה זרקא שרי וכו' הכתובים בספרינו הקדושים ואחרי הלהג והיגיעה הרבה לא מצא אלא זה בלבד היינו שהטעמים ישמשו אצלנו כמשפט הזמרה המלאכותית יותר כמה שישמשו אצלם הציוני' ההם תקוראי' אותם בלעז נוטי מפני שהנוטה האחת מהששה נוטי הנהוגי' שהם אוט רי מי פא סול לא וכן כלם היא מלמדת למזמרי' קול אחד בלבד בפרוד מהקולות הנכונים לשיר לא זולת וציון הטעם האחד (יהיה הטעם ההוא מהטעמים ההם הנקראי' אצלו מלכים כמו שהם דרך משל הזרקא האתנחתא הרביע וזולתם או מה נקראים אצלו משרתים כמו שהם הדרגא התרסא והירח בן יומו ודומיהן) הוא מלמד אותנו תמיד קולות רבים גם יחד שבצרופן בתכיפה זה אחר זה יתהוו כמעט לחלק מה מחלקי הזמרה הנאותה לפי סגנון הדברים או האוראציאוני בעלת השיר או המזמור בעצמו שאנו מזמרים עליו ועל כי לא מצא כל מה שיספיק להשקיט שכל התלמידים בטעמים ולא כתב מה שצריכים אני ללמוד משפטי השירה המלאכותית חסיוסרת על

Nunc ſcitote, quod prima vox dicatur uniſona, ſecunda *Ditonos* aut *Semiditonos*, tertia *Diapente* perfecta, quarta *Diapaſon*, quinta *Diapaſon* cum *Ditono*, aut *Semiditono*, ſexta *Diapaſon* cum *Diapente* perfecta, ſeptima *Diſdiapaſon*, octava *Diſdiapaſon* cum *Ditono*, aut *Semiditono*, nona Diſdiapaſon cum *Diapente* perfecta; Decima *Diapaſon* triplicata, undecima *Diapaſon* triplicata cum *Ditono*, aut *Semiditono*; Duodecima *Diapaſon* triplicata cum *Diapente* perfecta; & ſuper has voces non poteſt adſcendere, & deſcendere vox humana naturalis. Idcirco ſi velint ſimul canere plures quam duodecim cantores, cantores, qui adduntur, canent his ipſis vocibus, quibus canebant priores; & hac de cauſa præſtabit, ut dividantur duodecim cantores in ſocietates duodecim, & tunc auditores delectatione afficientur, audientes voces diſtinctas & non confuſas, & hac de cauſa David electus Domini, ſicut videtur *Paralip.* 1. *cap.* XXV. quando diviſit ducentos, & octoginta octo Levitas cantores in ſocietates ejus ſapientia maxima & admirabili, non auxit ſocietates ultra quatuor & viginti, & cantores ultra numerum duodecim pro ſingulis ſocietatibus; eo quod hac ratione duntaxat certe noverit deprehendi poſſe in ſingulis ſocietatibus voces poſſibiles, quibus ipſi æqualiter canerent, non autem alio ordine ab hoc diverſo.

Scitote mei filii, quod *Johannes Valentius* autor Latinus operam dederit, ut inveniret rationes æquivalentes accentibus Muſicis זרקא שרי &c. ſcriptis in libris ſanctis; & poſt multas meditationes & labores hoc tantum invenit, ſc. quod accentus apud nos magis inſerviant ad regulam cantus artificialis, quam apud ipſos inſerviant illa ſigna, quæ Italice notæ appellantur, eo quod *nota* una ex ſex uſitatis, quæ ſunt *uti Re mi fa ſola*, & ſimiliter reliquæ omnes non docent Muſicos, niſi vocem unam duntaxat disjunctim a vocibus convenientibus cantui; & ſignum unius accentus (ſive ſit ex iis accentibus, qui vocantur reges, v. g. *Zarcha atnachta*, *Rabiang*, & reliqui ex iis, qui vocantur ſervi, v. g. *Darga*, *Tarſa*, aut *Jerah ben Jomo*, & ſimiles) Ipſe nos docet aſſidue multas voces conjunctas, quæ ſi copulentur altera poſt alteram ſucceſſive, erunt quaſi pars ex partibus cantus convenientis ordini rerum, aut orationi verſus, aut ipſius pſalmi, quem cum eo canimus. Cum non invenerim ea omnia, quæ ſatis ſint, quibus acquieſcat intellectus diſcipulorum in accentibus, neque ſcribit, quod nobis opus

הטעמים האלה כלם בשלם ושבפנים וגם
הוא לא ידע שמץ דבר מההבדל שיש בין
טעמי התורה והנביאים לטעמי הכתובים
ביחוד לא רציתי להעתיק דבריו כאן ואם
תחפצו לראות מה שכתב הוא בזה דרשו
בספרו אשר קרא לו שם ספר טוב טעם
בלשונם אופוס די פרוסודיאה איבריאורום
הנדפס בפא"רישו העיר המהוללה שנת אלף
תקמת' למנינם וראו בסוף הספר השני שלו
האמור במקום ההוא אשר דבר על נגינת
הטעמי' בלשונם די מוסיקו אקצינטו ואז
תבירו שיפה עשיתי להשמיט דבריו שהם
תפלים מבלי מלה מפרקי זה הואיל כי לא
יועילו לכם כלל במשפטי הזמרה המלאכותית
אשר דברנו בה:

ואלה הם דברי הברית אשר כרתנו במשפטי
השיר המלאכותי הנאות והנעים והוא הוא
שלמדו המשוררי' מדוד המלך ע"ה ומתלמידיו
כי בחשכה התהלכו חכמי האומו' בתנאי הזמרה
עד שממנו בחיר ה' יצאת להם תורת השקט
ובטח השיר הנקר' בשם מעלה וכבוד שיר
ה' ושיר ציון: ולמען תדעו כי דברי אלה הם
נכוחים למבין וישרי' למוצאי דעת דרשו מעל
ספר ה ברברי הימים א' ט"ו כי שם בפסוק
אחד קצר (והוא פלאי) תראו כי נמסרו לכם
בו כל ראשי פרקי הזמרה אשר כתבתי ולא
נפל דבר אחד מכל דברי הפרק הזה הטובים
ארצה והנה תמצאו כתוב שם וכנניהו שר
הלוים במשא יסור במשא כי מבין הוא אמר
כי כנניהו היה שר הלוים במשא היינו היה
הרב המובהק ללוים המשוררים כלם ולו
תעלומות חכמת השיר כדין וכשורה ויהיה
שר הלוים במשא הודעת מדרגת כנניהו שהיה
ממונה על המשוררים כמו שהוא האיש
המדריך אותם בחקי הזמרם הנאותה
המלאכותית אצל חכמי האומות שבזמננו
ויהוה במשא מלשון ולמה לא מצאתי חן
בעיניך לשום את משא כל העם הזה עלי
היינו להיות ממונה עליה' וללמדם הדרך
הטובת אשר ילכו במשפטי התורה במצות
ה' עליהם וכנניהו זה יסור הוא כמו ישיר
כי אותיות ז"ס ש"רץ מתחלפות ואם ישיר אין
ספק שישיר במשפטי הזמרה להיותו כמו
שאמר מבין הוא ולא ישורר אלא עם
הקולות הפשוטים והמורכבי' הנאותי' לזמרת
באיכותם ומנינם וצרופם הנאותי' כפי האפשר
כאשר אמרתי ולא עם הקולות הנקראי'

opus sit, ut doceamur in regulis cantus artificialis, qui his accentibus innititur juxta præstantiorem rationem. Præterea cum præcipue ignoret discrimen quod intercedit inter accentus Pentateuchi, prophetarum, & hagiographorum, nolui hoc loco describere ejus verba, si velitis videre, quid ipse de his rebus scribat, quærite ejus librum, qui ab ipso inscribitur *Hebræorum Prosodia*, impressus Parisiis urbe celeberrima anno 1544. juxta eorum æram, & inspicite in secundo libro hujus operis, ubi agitur de cantu accentuum, ejus lingua de *Musico accentu*; tum scietis, quod recte fecerim negligens ejus verba insulsa & sine sale in hoc capite, quoniam nullo modo prosunt pro regulis cantus artificialis, de quo agimus.

Et hæc sunt verba pacti, quod pacti sumus pro regulis cantus artificialis utilibus & jucundis, & illud est, quod perceperunt cantores a David rege, & ab ejus discipulis; Etenim in tenebris incedebant sapientes gentium in conditionibus cantus, donec ab ipso electo Dei egressa est illis lex quietis & confidentiæ, sc. cantus appellati propter excellentiam & honorem *cantus Domini*, *cantus Sion*; Atque ut sciatis hæc mea verba esse recta intelligenti, & optima eruditis, quærite ex libro *Paral.* I. *cap.* XV. 19. Ibi in versu brevi, sed admirabili, videbitis eo loco vobis memorata esse omnia principia capitum cantus, quem descripsi, & nihil deest ex his omnibus, quæ recte dicta sunt in hoc capite, & ecce ibi invenietis scriptum. *Et Chananjah Princeps Levitarum in Musica canebat cum* במשא *intelligens ipse:* dicitur, quod Chananjah esset princeps Levitarum cum במשא; sc. quod esset magister actualis omnibus Levitis Cantoribus; & ipsi manifesta fuerunt mysteria scientiæ cantus juxta regulas & institutum; Et erat *Princeps Levitarum cum* במשא. Hinc intelliges gradum Chananjah, qui præfectus erat cantoribus, quasi vir, qui eos dirigat in statutis cantus convenientibus, juxta ejus artem apud sapientes gentium, qui florent nostris temporibus, & במשא significabit id ipsum quod legitur *Num.* XI. 11. *Et cur non inveni gratiam in oculis tuis, ut ponam onus universi hujus populi super me &c.* sc. illis præfectus, ut eos doceam viam rectam, qua incedant in judiciis legis, in præceptis Domini super ipsis. Et iste Chananjah canebat, uti constat ex voce יסור, quasi dicat ישור; eo quod literæ ש & ס invicem immutentur, cum ambæ literæ sint ejusdem derivationis; & si canebat, non est

דיסונאנטי שהם כמו חברה משובשת ולא
יאותו לזמרה הטובה ביחוד וזה הוא החלק
האחר משלשה חלקי השיר אשר כתבנו על
פי אפלטון וכן כנניהו זה יסור במשא לא
על הציונים בלבד כמו שעושים התלמידי׳
המזמרי׳ על דברת אוט-רי-מי-פא סול-לא-שאין
להם שום משמעות אלא יסור במשא שהיא
הספור דברים הנקר׳ בלשונם אורציאוני
המתוקנת לשיר וזה הוא החלק השני מהזמרה
אשר אמר אפלאטון שהמשא גם בלשוננו
הקדוש היא הדבור המודיע בשמבטא מה
שהוא סגור בלב מלשון משא נינוה ספר חזון
נחום שהו׳ דבור נבואיי המודיע בדברים מה
שהוא מסור בלבו היינו שאל קנוא ונוקם ה׳
לצריו וארך אפים לאוהביו עם כי נקה לא
ינקה ומלשון גם כן המשא אשר חזה חבקוק
כי הם דברים שעמהם מתרעם הנביא על
דברי ה׳ עד שישיב לו על תוכחתו וכן כנניהו
זה יסור במשא היינו ישיר כמו שמכרחת
המשא לשורר עליה כי ידע שהשיר לא יכריח
המשא לרדוף אחריו אמנם המשא תכריח
השיר להדמות למשמעות דבריה בטבע הקולות
אם דרך משל לשמחה בשמחה ואם לתפלה
בתפלה ועל כי כנניהו זה ידע שרבוי הקולות
בשיר יקלקל משפטו ילא יכון אם לא יחולקו
לחלקים עד שיבחנו הקולות משונות זו מזו
שלא בערבוביא אמר כמשא יסור שהיה מחלק
הלוי׳ לחבורו׳ עד שאם היה ברעתו לשורר
בקולות הפשוטים היה מחלק י״ב לוים דרך
משל לשלשה חלקים כדי שיזכו כלם במצות
והיה מצוה להם שישוררו ארבעה ארבעה
לוים לכל פרק מפרקי השיר שמזמרים עלין
בקולות הארבעה אשר כתבתי למעלה בפרק
זה או אם היה רוצה לשורר בקולות המורכבי׳
ובלוים רבים מהם היה מצוה ללוים שישוררו
ששה ששה לכל פרק מפרקי השיר בכתוב
למעלה או אם יחפוץ לחרבות הלוים היה
מרבה כל חבורה מהם לי״ב י״ב ולא היה עובר
הסכום הזה כי אין בזמרה קולות יותר מאלו
המשוררים על קולות בני אדם האפשריים
והיה מחלק הלוים להלקים כדי שיעמדו על
משפטי השיר המלאכותי ולא יערבבו הקולות

dubium, quin caneret regulis cantus, ex eo quod dictum est: *intelligens ipse*. Non canebat nisi vocibus simplicibus & compositis convenientibus cantui, juxta earum qualitatem, & numerum & unionem quantum fieri poterat, uti dixi; non vero vocibus, quæ dicuntur dissonantes, quæ sunt quasi tonitru confusum, nec optimo cantui conveniunt: Et hæc est prima ex tribus partibus, quas descripsimus juxta sententiam *Platonis*. Pariter iste Chananjah canebat Musica non super signis duntaxat, sicuti canunt discipuli, qui psallunt super notis *Do re mi fa sol la*, quæ nullum habent sensum, sed canebat cum משא, sc. narratione verborum, quæ eorum lingua dicitur oratio, apta cantui: & hæc est secunda pars cantus, de qua loquitur *Plato*. Etenim vox משא in nostra lingua sancta designat sermonem, quo significatur pronunciatione, quod in corde reconditur, juxta sensum, qui legitur *Nahum* I. 1. *Prophetia Ninive, liber prophetiæ Nahum*; Qui est oratio prophetica, quo verbis significabatur, quod in corde erat reconditum: sc. *Deus erat Zelotypus, & vindex cum suis hostibus, & patiens amicis suis, quamvis absolvendo non absolvat*: Et similiter hoc sensu legitur Habac. I. 1. *Prophetia quam prophetavit Hebachuc*. Etenim sunt verba, quibus querebatur Propheta propter verba Domini, donec sua oratione ei respondit. Et similiter Chananjah canebat cum משא sc. canebat, sicut requirit oratio; etenim sciebat, quod cantus non obligat, ut oratio post illum sequatur, sed oratio obligat cantum, ut post illam sequatur, ut compararet sensum suorum verborum cum natura vocum, v. g. si propter lætitiam ad lætitiam disponebat, si propter preces ad preces. Cum sciret iste Chananjah multiplicitatem vocum in cantu potuisse perturbare ejus regulam, neque conveniens est si non distribuantur in partes, ita ut distinctæ sint voces differentes altera ab altera, & non confundantur; hac de causa dicitur, quod cum משא caneret, sc. dividebat Levitas in societates, ita ut si vellet canere vocibus simplicibus, ipse distribuebat duodecim Levitas e. g. in tres partes, ut omnes agere possent in cantu, & ipse imperabat ut quaterni canerent singulos ex singulis versiculis cantus, quem canebant quatuor vocibus, de quibus supra scripsi in hoc capite; & si vellet canere majori numero Levitarum, augebat singulas ipsorum societates usque ad duodecim, & non ultra, eo quod non sint plures voces horum cantorum, in vocibus possibilibus

כי כן עושים גם כן היום המשוררים כשיזמרו
בחבורות שונות וזה הוא שאמר במשא יסור
כי המשא היא האוראציאוני הנחלקת
לחלקים כדמות דיאלוגו שהאחד ידבר והאחד
ישיב כמו משא דבר ה' אל ישראל ביד
מלאכי שהנביא אומר להם לישראל בשם
ה' הבתי אתכם וישראל משיבים במה
אהבתנו ה'? והנביא חוזר ומשיב הלא אח
עשו ליעקב וכן יעשו המשוררים בחבור'
שונות כי חבורה אחת מזמרת בראשונה
וחבורה אחרת מזמרת באחרונ' ובאופן הזה
ישמיעו הקולות שלא בערביביא וגם כנניהו
זה יסור במשא היינו בריטמו שהוא החלק
השלישי מחלקי הזמרה בהישרת הקולו' עד
הזמן הראוי שישקוטו בו ויהיה במשא היינו
בהרמת היד מלשון וישא אהרן את ידיו אל
העם כי כן המשוררים עושי' גם הם שירימו
את ידם ויקישו על הטבלא להעמיד המשוררים
על נכון זמני השיר או ירצה במשא יסור
עם האוראציאוני המשמרת המיטרו שהוא
מנין מצטרך לתנועות הספור השיריי הנקרא
וירסו אשר הוא יותר טוב עם הזמרה מסה
שהיא האוראציאוני הפשוט' הנקרא' בלשונם
פרוסה ויהיה במשא יסור מלשון שאו את
ראש בני ישראל שרוצה לומר תפקדו ותמנו:

והואיל כי כן תבונת וחכמת כנניהו שהיה
השר על הלוים והמלמד' מלאכת השיר באמונ'
נאמין כי לא על זמרה אחת וסגנון קולות
אחדים ישוררו הלוים תמיד בכל יום כל
המזמורים על הקרבנות אמנם יום אחד
ישירו במין אחד ונועם אחד מהשיר ויום אחד
ישוררו באחר לפעמים בלוים מועטים שהם
י"ב ובקולות הפשוטים ולפעמים בלוים רבי'
היינו משמנה עשר עד ששה ושלשים ובקולות
המורכבים כאשר בעזרת האומר בדברי על
התמידין והמוספין ועל כי רבו המנגנים וכלי
הנגון והמשוררים גם יחד ראוי הוא להאמין
שיהיו ללוים ספרים רבים המלמדי' כל מיני
הנגונים בכלים וגם כל מיני השיר
על תהלות דוד בן ישי ועם הספר ישירו ביום
הזה ועל כן הספרים האלה עם כלי מנגון

bilibus hominis, & distribuebat Levitas in classes, ut consisterent in regulis cantus artificialis, ne confunderentur voces: Quæ consuetudo etiam obtinet nostris diebus in cantoribus, quando variæ societates canunt. Et hinc dictum est *cum* משא *canebat*, quia משא erat oratio divisa in partes ad formam dialogi, sc. quod alter loquatur, & alter respondeat; sicut dictum est *Malach.* I. 1. משא *verbi Domini in manu Malachiæ: Ego dilexi vos:* Etenim Propheta dicebat τῷ Israel in nomine Domini: *Dilexi vos:* Et Israelitæ respondebant: *In quo dilexisti nos?* Et Propheta iterum respondebat: *Nonne est Esau frater Jacob?* Hoc modo facere consueverunt Cantores in variis societatibus; etenim altera societas prima canit, & deinde altera; & hoc modo audiuntur voces distinctæ & non confusæ. Præterea istæ Chananjah canebat cum משא sc. rythmo, quæ est tertia ex tribus partibus Musicæ, ut dirigantur voces usque ad tempus conveniens, in quo quiescerent, & desinerent. Præterea cum משא significat elationem manus, sicut dictum est *Levit.* IX. 22. *Et extulit Aharon manus ad populum*. Etenim hoc modo facere consueverunt cantores hoc tempore, extollentes manus suas, & percutientes in tabula, ut statuantur cantores in tempore convenienti cantus. Aut significat *cum* משא *canebat* sc. oratione, quæ servat metrum, quod est numerus necessarius pro syllabis orationis, quæ canitur, quæ dicitur versus, qui aptior est cantui, quam Prosa. Juxta hunc sensum vox משא derivabitur a radice שאו, sicut dictum est *Num.* I. 2. *Recensete & numerate capita filiorum Israel*.

Cum ea esset intelligentia & scientia, ut esset princeps Levitarum, & magister fidelis artis Musicæ, credendum nobis est non unico cantu, & æqualibus vocibus cecinisse quotidie Levitas psalmos super sacrificiis; verum altero die canebant altero modo, & altero die altero modo, aliquando cum paucis Levitis, qui erant duodecim, & vocibus simplicibus, & aliquando cum pluribus Levitis ab octodecim usque ad sex & triginta, & vocibus compositis, sicut opitulante Deo dicam in tractatu de sacrificiis jugibus & addititiis. Et cum multiplicarentur pulsatores, & instrumenta musica, & simul cantores, credendum est Levitas habuisse multos libros, quibus docerentur varia genera sonorum cum instrumentis musicis, & præterea omnes qualitates cantus in laudes David filii Isai, & cecinisse ex libro, sicut hodie fieri consuevit; Et idcirco omnes hi libri cum instrumentis mu-

כלם היו מונחים בלשכות שהן פתוחות לעזרת הנשים וזה כדי שיהוו להם הספרי׳ מן המוכן לדבר בם בעת המצטרך:

כה היו דברי על הזמרה המלאכותיה ומשפטיה והנה צר לי מאד עד מות שלא יכלתי להזכיר לשבח שם אלופי ומלכי בשלטי הגבורים לי כאשר היה עם לבבי ולהעתיק כאן דבר מספירי ספורי הדרוש הראשון מספר נפוצו׳ יהודה אשר בו דבר ברוח ה׳ בחכמה ובתבונ׳ נמרצת הגאון המופלא וראש לכל חכמי ישראל שבדורו כמר״ר יהודה מוסקאטו זצוקל על משפטי הזמרה הזאת להיותי חייב בכבודו כתלמיד החולק כבוד לרבו הואיל כי בחייו הייתי מקביל פני מעכ״ת תמיד בדברי תורה ובחכמות רבות שהיו במו פרפראות לתעודה הנתונה לנו למורשה מסיני אבל מה אעשה אם מעלתו דבר על הזמרה על דרך בחינה אחל ואני הרביתי בה שיחה בבחינה אחרת על כן אתם בני לתקון עותתי קראו במקומי בצמא את דבריו שם והיתה מנוחתכ׳ בספרו לכבוד נפשו תהא נשמתו צרורה צרור החיים תחת כסא הכבוד אדון ה׳ אלהינו אמן:

פרק ב׳

אחרי הדברים והאמרת האלה דעו בני כי רבים הם כלי הנגון שהכירו בם דוד ושלמה בנו ורבותינו הקדושי׳ עמם כי הנה נוסף על השני כלים אלה המשמיעים קול פשוט בלבד מבלי נגון מתוקן יוצא מהם כמו שהם הפעמונים שהיו בשולי מעיל הכהן משיח והמגרפה דתמיד מצאנו ראינו שידעו עוד עליהם בארבעה ושלשים כלים אחרים שהם העצי ברושים המנענעים התוף המחול השלישים השופר שהוא גם כן הקרנא הכתוב בדניאל החצוצרות המצלתים שהוא הצלצל הגדול הנקרא צלצל של שמע הצלצלי תרועה הקרנים החלילים הנקראי׳ אבובים במסכת ערכין פריפירין שזכרו בבבא מציעא השרים והשרות (שמואל ב׳ יט) שאמר ר״שי זל פירו׳ קהלת ב׳ שהם כלי נגון השרה ושרות שאמ׳

musicis collocati erant in illis conclavibus, quæ aperta erat in atrium mulierum, ut in eorum potestate essent libri, quibus tempore necessario uterentur.

Hæc sunt mea verba de cantu artificiali, & ejus regulæ; Et ecce mihi maxime molestum est, quod non potuerim memorare in laudem meum doctorem & Dominum in *Schilte Huggiborin*, sicut in animo habui, & describere ejus verba in aliqua parte ex iis quæ scripsit in suo primo tractatu libri, qui inscribitur, *Dispersi Jehuda*; ubi loquitur in spiritu divino, sapientia, & maxima doctrina magnificus & admirabilis, & caput cunctis sapientibus Israel sui seculi dominus R. *Jehuda Moscato* (memoria sit in benedictionem hujus justi) de regulis cantus; cum debeam quasi ejus discipulus illum honore prosequi: etenim cum viveret, sæpius illum invisebam, & me docebat studium sanctum, & multas alias scientias, quæ erant quasi condimentum scientiæ legis, quæ nobis data fuit a Deo in Sinai. Verum quid facere poteram, cum ipse altera ratione, & ego altera de cantu scripserimus? Qua de causa mei filii dirigite perversitates meas, & cupide legite in locis ejus verba, & sint vestra studia in ejus libro ad honorem animæ suæ; & anima sua sit colligata fasciculo æterno sub throno gloriæ Domini Dei nostri, Amen.

CAPUT II.

POST res & veritates istas; scitote mei filii multa fuisse instrumenta Musica, quæ nota fuerint David, & Salomoni ejus filio, & sapientibus nostris, sanctis cum illis: Etenim præter illa duo instrumenta, qui emittebant sonum simplicem, ex quibus non egrediebatur sonus ordinatus, sicut erant tintinnabula, quæ erant in fimbriis pallii sacerdotis uncti, & Magrepha, quæ memoratur in tractatu sacrificii jugis, invenimus, & videmus præter hæc illis innotuisse quatuor & triginta alia instrumenta musica, quæ sunt ligna abietis, & מנענעים, & תוף, & מחול, & שלשים, & שופר, quod idem est ac הקרנא memoratum in Daniele; חצוצרות, & מצלתים, & צלצל majus, quod dicitur צלצל שמע & צלצלי תרועה, & קרנים, & חלילים, qui pariter appellantur אבובים in tractatu *Erakin* פריפרים, qui appellantur in *Bava Metzia* השירים, & השרות 2. Sam. XIX. 36. Etenim dicit *Rasci* in commentario ad *Cohelet*, quod essent instrumenta musica; שרה & שרות. Dicit *R. Kimchi* ex sua sententia & sapientum in libro radicum in radice שדר, fuisse

רד"ק על דעת רבותינו והבאוני' ודעתו בשרשים
בשורש שדד שהם כלים לנגון המוסיקא
הכנור המנים העוגב חנבל השמנית הגתית
האילת השחר נקרא הכלי הזה הם בלשון
רבותינו אליית במסכת כלים פ' כל כלי עץ
משנה ז' אך בגמרה סוטה קראו לו שם אחר
היינו ארום ואמרו מאי ארום ? טבלא דחד
פומא אביי אמר כוכא והוא כלי חרם עגול
וארוך אמה וחלול שבפתחו האחד בלבד שיש
לו משימין מתרים של גידי או מעי בהמה
כמו שעושי' בכנורות ובנבלים ועל גבם מכסין
עור ומכין עליו ומשתמשין בו לחופה ולמם
כמו שעושין בחלילים ופירוש אילת השחר
הוא מלשון אלי כבתולה חגורת שק (יואל א')
שפירושו קונני וכן תרגום שא קינה הוא טול
אליא והנה בכלו זה היא מקוננת בו האשה
העושה בכי עם חבדותיה על צרה או מיתה
פתאומית שלא ידעו בה אלא בעת בואה כמו
השחר שלא ירגיש האדם בו עד שיראנו ויהיה
פתרון מלת השחר במקום זה מלשון לא תדעי
שחרה וגו' (ישעיה מז) או כמו בשחר נדמה
נדמה מלך ישראל (הושע י') נקראו המזמרים
על המתים כמו שאמר גיליאו המחבר
סיטיצינים וגם ידעו השושנים המחלת השושן
ערות הנגינת המשרוקית' הקתרוס השבכא'
חפסנתרין הסמפונייא המגרפה דערכין
והאורדאבלוס או הטבלא נודננא ולי נרא
שהאורדאבלוס הכתוב כן בספרי' שלנו הוא
נכתב בשבוש ושטוב הוא לקרות אותו עם
היונים אירדאבלוס כתוב באיפסילון עם
ההירק בדילתא ברו באלפא באיפסילון עם
החירק בלאמדה באומיקרון ובסיגמא קראוהו
בלשון זה היונים על כי בנגונו ידמה למרוצת
קול המים בנחלים כשישאו נהרות דכים
וכאדירים משברי ים ועל כי בנגינת האורגאנו
ישמע קול דומה לזה בפרט כשיפיחו במפוחים
ולא ימעכו בחכמה תכף אחרי הנפיחה הירתות
שלו המשמיעים אז קולות הזמרה על נכון
אולי האירדאבלו יהיה האורגאנו שלנו כמו
שהאמין בעל הערוך ז"ל והאיש קיטיסיפו
כמו שכתב פליניאו בספר השביעי שלו פרק
כ"ז הוא מצא הכלים שמנגנים בם עם המים
וגם מצא מיני החלילים כלם שתוקעי' בם
בנפיחה ובכל הכלים האלה יש מהם שהם

fuisse instrumenta musica; & כינור, & מנים, & עוגב, & נבל, & שמנות, & הנתית, & אילת השחר, appellatur hoc instrumentum Rabinice אליותא in tractatu *Celim* cap. xv. 7. At in *Gemara Sotah* alio nomine appellatur, id est ארום: Ubi dicunt: *Quid erat* ארום? Tabula unius oris. Abaje dicit fuisse כוכא, quod erat vas testaceum rotundum, & longum cubito, & vacuum in ostiolo, per quod introducebantur chordæ nervorum, aut intestinorum animantis, uti fieri consuevit in cytharis, & nabliis, & operiebatur pelle, & super illud pulsabant atque eo utebantur in nuptiis, & in funeribus, sicut facere consueverant in tibiis; & interpretatio אילת השחר derivatur ex phrasi אלי; sc. *Lamentare* (sicut dicitur *Joel.* I.) *Lamentare ut virgo præcincta sacco*; atque ita se habet Targum שא קינה *sume lamentationem Ezech.* XXVII. 2. *Sume lamentationem*. Et hoc instrumentum est, quo lamentatur mulier, quæ luget suas socias propter aliquam calamitatem, aut mortem subitaneam, quam nec norunt, nec præviderunt, nisi quando contigerit, sicut שוחר sc. aurora, quam homo non prævidet, nisi quando adveniat; & interpretatio hujus vocis in hoc loco: *Non cognosces auroram &c. Esai.* XLVII. Aut juxta illud quod legitur. *Ose.* X. *In aurora excidendo excisus fuit rex Israel*: Vocantur illi, qui plangunt mortuum juxta *Gellium* scriptorem *siticines*. Præterea scitote illis fuisse: *Sciosсinim*, *Machalat*, *Scioscian*, *Ngedut*, *Neghinat*, *Masrakita*, *Katros*, *Scinbecha*, *Pesanterim*, *Samponiu*, *Magrepha*, in tractatu *Erakin*, & *Ordabalos* sive sit *Tabla gudgana*. Ego puto האורדאבלוס ita scriptum in nostris libris non recte scriptum esse, & quod melius sit legendum juxta Græcos אירדבלוס scriptum cum epsilon cum Chirech, Delta, Ro, Alpha, epsilon cum Chirech, Lamda, Omicron, & Sigma; Hoc nomine illud appellant Græci; quia ejus sonitus similis est cursui sonitus aquarum in torrentibus: Quando extollunt torrentes suas aquas, & sunt sicut maximi fluctus maris; Et quoniam in sonitu organi auditur vox huic similis cum inflatur follibus, neque calcant statim post inflationem suos *clavos*, tum emittunt voces convenientes musicæ. Fortasse *Ordobalos* erit nostrum organum, uti putat autor *Aruch*: Et Chitesippus, uti scribit *Plinius* in lib. VII. cap. 27. fuit qui invenit instrumenta, quæ aqua sonitum edunt, atque etiam invenit instrumenta vacua, quæ flatu sonitum edunt. In his omnibus instrumentis alia sunt præ-

טובים ונאותים לשיר המלאכותי ועמה׳ בלי ספק ימצאו כל תנאי ומשפטי הזמרה הנבחרי כלם ויש מהם שלא יוכשרו לה׳ או מצד הגריעותא של כלי ופחתותו או מצד רוממות תוקף וחזקת קולו או מצד רוע תכונת ההברה הפחותה והמקולקלת שהיא בהטית וקשה מפרקת האזנים ומשברת חושי השמע מצד טבעה עד כי לא יוכלו המשוררים לשורר על כלים באלו לעולם:

והנה הכלי׳ הפחותים והגרועים אשר אין להם חלק בשיר הם השופר התוק המחול העצי ברושים המנענעי׳ המגרפ׳ דתמיד השלישים המשרוקיתא הסמפונייא ודומיהן כי לא יתקע בשופר לנגן בשיר אלא לחובה בשביעי בא׳ לחדש והוא להרדה הלב לא לבעימת הנגון כאומרו אם יתקע שופר בעיר ועם לא יחרדו וזה כדי שנשוב אל ה׳ בכל לבבנו ובכל נפשנו ונתרחק מהחטאות ומהפשעי׳ והוא ית׳ בחסדו הגדיל וזכור לנו עקדת יצחק וברחום יכפר עון וגם קול התוף לא ישמע על הדוכן משום גריעות קולו שאינו מתוקן לשורר על שיר נחמד ונעים כמצטרך:

ועתה אין להקשות עלי ממה שאמר נעים זמירות ישראל שאו זמר׳ ותנו תוף כי המשורר לא אמר שיקחו התוף לזמר לאלהי יעקב אך ביאר דבריו כמה שאמ׳ לפנים הרנינו לאלהי׳ עזנו שאם ירצו להודו׳ לו ולברכו צרי׳ שיעשו זה בשיר בפה ובנגון בכלי ולכן אמר שאו זמרה בפה וגם תנו תוף היינו תקיש בבלי׳ הנבחרים בנגון שהם כנור נעים עם נבל ויהיה תוף פועל ההקש׳ לא בחירת והזמנת הכלי שמקישין בו או ירצ׳ שאו זמר ואז תנו תוף ותקישו ביד על הטבלא או דבר הדומ׳ לה כדי שתכוונו היטב קולות השיר הנאמר בפה עם נגינת הכלים האלה שהם

præstantia, & apta cantui artificiali, & in ipsis sine dubio deprehenduntur omnes regulæ & leges cantus, & omnes excellentes; alia non sunt cantui apta, alia propter diminutionem & depressionem vocis instrumenti, alia propter elationem vocis, propterea quod non auditur cantus, qui editur voce, propter magnitudinem & robur sonitus; alia propter pessimam conditionem sonitus infimi & perturbati, eo quod molesto tumultu perrumpat aures, & sensum auditus propter ejus naturam; ita ut cantores hujusmodi instrumentis ullo tempore canere non possint.

Et ecce quod instrumenta infima, & inferiora, quæ locum non habent in cantu, sunt שופר sc. *cornu*, Tof, Machol, ligna abietis, Menanganghim, Magrepha memorata in sacrificio jugi, Scialiscin, Masrachita, Samponia, & his similia; etenim non clangebatur cornu in cantu, sed solum propter debitum in mense septimo, prima die mensis, ad perterrefaciendum corda propter suavitatem sonitus, sicut scriptum est *Amos* III. 6. *Si clangatur cornu in civitate, & populus non expavescat*. Hoc factum erat, ut reverteremur ad Dominum toto corde nostro, & tota anima nostra, atque ut nos removeremur a peccatis, & delictis; & ipse benedictus esset cum sua magna misericordia, & pro nobis memoraret ligationem Isaach, & misericors expiaret iniquitatem. Præterea sonitus *Tof* non audiebatur in suggestu propter depressionem sui sonitus, quia non erat aptum ut clangeretur in cantu admirabili & suavi, sicut opus erat.

Neque argumentandum est contra me ex eo quod dixit dilectus Psalmorum Israel *Psal.* LXXXI. 3. *Israel extollite cantum, & pulsate Tof*. Etenim non dixit, quod cantor sumeret *Tof* ad psallendum Deo Jacob; verum explicat sua verba, sicut supra dixit: *Canite Deo roboris nostri*. Etenim si velint eum laudare & benedicere, necesse est ut hoc faciant cantu orali, sonitu instrumenti; & hac de causa dictum est. *Extollite cantum* ore, atque etiam *pulsate Tof*; sc. pulsate instrumentis electis, quæ sunt *cythara suavis, & nablium*; & Tof hoc loco designabit actionem pulsationis, non autem electionem, & præparationem illius instrumenti, quo pulsatur; aut hic erit sensus, *exollite cantum*; & tum; *pulsate Tof*; & pulsate manu super tabula, aut alia re simili, ut recte dirigantur voces cantus qui ore editur, cum sonitu horum instrumentorum, quæ sunt *cythara suavis, & nablium*. Et erit Tof ex significatu טפוף, sicut legitur *Esai.* III. 16. *Eundo & pulsando in-*

כנור נעים עם נבל ויהיה חוף מלשון הלוך
וטפוף תלכנה כי אותיות דט״לנת מתחלפות:

ואם תרנצו לדעת אם האמת אתי אם לאו
היינו שכלי הננון הנרועים לא יוכשרו בשיר
על הדוכן דרשו בכל ספר א׳ אל ד״ה ותראו
שהמלך דוד בכלי׳ אשר בחר לננן בשיר לא
הזכיר התוף בשום פנים אמר ויספרו הלוי׳
ונו׳ מאלה לנצח ונו׳ וד׳ אלפי׳ מהללי׳ בכלה
אשר עשיתי להלל ונו׳. ויבדל דוד ושרי
הצבא לעבוד׳ לבני אסף והימן וידותון הנביאי׳
בכנרות בנבלי׳ בכמצלתי׳ ונו׳ ידותון בכנור
הנבא על הודות והלל לה׳ ונו׳ כל אלה בני׳
להימן חוזה המלך בדברי האלהי׳ להרים קרן
ונו׳ כל אלה ע״י אביהם בשיר בית ה׳ במצלתים
נבלי׳ וכנרות לעבוד׳ בית האלהי׳ ע״י המלך
ונו׳ הרי שלא זכר לא שופר (כי הקרן הוא
מין ממיני החלילי׳ כאשר אומר) ולא תוף
לעולם ואם אין לתוף עסק בכלי הזמר׳ כאשר
אין לו מי לא ידע כי המחול העצי ברושי׳
המגרפ׳ רתמיד המנענעי׳ השלושי׳ המשרוקיהא
הספונייא ודומיהן יגורשו גם הם מהסתפח׳
בנהלת השיר:

והנה התוף נקרא בלשון יון כימבאלון כתוב
בכאפא ואיפסילין בחירק תחרת האלף במי
כביטא באלפא בלמדא באומיקרון ובניי
שבצירופן יחד תקראו כימבאלון וכן הלאטיני
קוראי׳ אותו צימבאלום והלועזים צימבאלו:
דעו בני כי אין לנו אות באותיות הקדש
שתשמיע במבטא מוצא הכאפה יונירת כמו
שהיונים קוראים כאשר היא כתוב׳ אצל
האיפסילון בצירי או באפסילון בחירק או
כשהיא אצל היוטא או האיטא עם כי אצל
שאר האותיות נקראת ככאף דגושה לכן אל
תקראו כימבאלון במקום הזה בכאף רפה או
דגושה כי מוצאה בשבטאהיא דומה למוצא
האות השלישית של האלפא ביתא לאטינא
ולועזית הנקרא׳ צי כמשפט ההוא בעצמו
אשר קוראי׳ בלב׳ הפיורינטיני הצי אחרי האי
והאי כי לועזי׳ אחרי׳ לא יקראו כמותם וכן
הקי יונית שהיא האו׳ הכ״ב שלהם אינה נקראת
כמו שקוראי׳ אנחנו הקוף או במו שקוראי
הפיורינטיני הצי כאמור אך היא נקראת כמעט
כמו שקוראים אנהגו החית שלנו או הכאף

incedunt; commutando ט in ח cum sint ejusdem derivationis.

Si velitis cognoscere, utrum veritas mecum sit necne, sc. minima instrumenta musica non fuisse apta cantui, qui perficiebatur in suggestu; inquirite in toto primo libro *Paral.* & observabitis, quod rex David inter instrumenta, quæ elegit ad pulsandum cum cantu, nullam ullo modo fecerit mentionem de *Tof*. Dictum est *Paral.* XXIII. 3. *Et memorati sunt Levitæ &c. Ex iis ut præficerentur &c. Et quatuor millia, ut laudent Dominum, cum instrumentis, quæ feci ad laudandum &c. Et separavit David, & principes exercitus propter ministerium filios Asaf & Heman & Jedutun, qui prophetabant cytharis, & nabliis & mazalithain ad laudandum & celebrandum Deum &c. Isti omnes erant filii Heman prophetæ regis in verbis Dei, ut exaltarent cornu &c. Omnes isti sub manu patris sui cum cantu in domo Domini cum Mezilitain, nabliis, & cytharis propter ministerium Domus Domini juxta regem &c.* Ecce nullam facit mentionem cornu (ceterum cornu est instrumentum ex instrumentis vacuis flatilibus, uti dicam) neque *Tof* in ullo loco. Si Tof nullum habebat locum inter instrumenta cantus, sicut non habebat, quis ignorat, quod Machol, ligna abietis, Magrefa Tamid, Menanganghim, Sciclisciim, Masrokita, & Samponia, & his similia expulsa fuerint, ut locum haberent in cantu.

Tof Græce dicitur *Cymbalon*, scriptum Cappa, epsilon cum Chirech, mi, beta, alpha, lamda, omicron, ni, quæ si una componantur formant cymbalon; Latini pariter illud appellant *cymbalum*, & Itali *cembalo*. Scitote mei filii nobis non esse literam ex literis sanctis, quæ in pronunciando æquivaleat Cappa Græcorum, sicuti Græci legunt, quando scripta sit post epsilon cum Tzere, aut cum epsilon cum Chirech, aut quando sita fuerit prope Jota, aut Ita. Verum cum sita fuerit prope alias literas, legitur ut nostra *Caf*, cum puncto daghessato; idcirco non legetis Chimbalon in hoc loco cum Caf sine, aut cum puncto daghassato, quia ejus pronunciatio similis est pronunciationi tertiæ literæ Alphabeti Latini, & Italici, quæ dicitur *ce* ea ipsa ratione, qua legunt Florentini ipsum *ce* post *i*, & post *e*; etenim alii Itali sicut ipsi non legunt, similiter Chi Græca, quæ est eorum litera vigesima secunda, non legitur, sicut nos legimus *Kaf*, & sicut legunt Florentini *c*, sicut dictum est, sed ea quasi legitur, sicut nos legimus He, & Caf, sine puncto Daghessato, suffi-

רפה ודי לכם ההערה הזאת כמו שכתבתי
כאן כי לא חזור עוד עליה:

אמנם נקרא התוף כימבאלון מפני צורתו
שהיא רומ׳ לספינ׳ קטנה הנקראת בלשון יון
כימבא כתוב בכאפא ואיפסילון בחירק במי
בביטא ואלפא או נקראת הספינ׳ קטנה אצל
היונים גם כן אפרבתא כתוב באלפא ב״פי
רפה שהיא האות ה״כא שלהם ברו
באלפה דגושה בתיו ובאלפא ובלשון רז״ל
נקרא׳ הספינה הזאת ארבא ובלאטינו לינטיר
ובלעז בורקיו עד כי התוף נקר׳ צימבאלו
מפני שהוא דומה לספינה קטנה כלי מכסה
של׳ מתכת כמו של נחשת או של מתכת
ארוכ׳ וצרה חדה בראשה ובסופה ורחבה
וחלולה מעט באמצעיתה והכהני׳ המצריי׳
בפרט היו משתמשי׳ בכלי הזה בבית האלילה
שלהם הנקראת אם כל האלילים והיא היא
המכונת אצלם דיאה ויסטה שהיא יסוד הארץ
בעצמו שרמו להם לאלה וגם אנשי׳ אחרי׳
בשמחותיהם היו תוקעי׳ בתופי׳ כי נהגו להכו׳
או להקיש בכלי הזה החלול של מתכת כאמור
עם שרביט של ברזל או של נחשת פעם
בחזקה ופע׳ ברפיון פעם בתכיפו׳ רבו׳ מורדפו׳
זו אחר זו ופעם בהשקט ובמתון באופן שהיו
נשמעי׳ בהקשו׳ ההן קולו׳ משונו׳ זו מזו וזה
הוא פי׳ התוף כפי דעת חכמיהם אך רז״ל
בסוף מסכ׳ קינים פרק במה דברים אמורים
משנה משית האמינו שהוא עור מתוח על
כלי עץ או דומה לו באמרם אמר רבי יהושע
זהו שאמרו כשהוא חי קולו אחד וכשהוא מת
קולו׳ שבעה כיצד קולו שבעה? שתי קרניו
שתי חצוצרות שני שוקיו שני חלילין עורו
לתוף כ׳. עם כל זה יהיה התוף כמו שאמרו
ר״ל או כמו שאמרו החכמי׳ שלא מבני עמנו
הוא בלי ספק כלי גרוע שלא יוכשר לזמרה
המלאכותית בשום פנים:

והנה המחול נקרא בלשון יון סיסטרום או
כרוסמא כתוב בכאפא ברו באומיקרון
ובאיפסילון בחירק בסיגמא במי ובאלפא
ובלשון לאטינו טינטינאבולום ובלעז צירקולו
קאמפאנילאטו והוא כלי של נחשת או של
כסף או זהב שהוא עגול ודומה לטבעת גדול
פתוח מכל צדדיו שבזר שלו סביב סביב שהוא
רחב כמו שלש׳ אצבעו׳ היו קבועי׳ פעמוני׳ קטנים
ובהקשת הענבלין כזוגין היו משמיעין קולות

sufficiat vobis hoc loco hoc consilium, sicut scripsi; præterea hoc non repetam.

Verum Tof vocatur cymbalon propter ejus formam, eo quod sit simile naviculæ, quæ vocatur Græce *Cymba*, scripta Cappa, epsilon cum Chirech, mi, beta, & alpha, & Navicula similiter Græce dicitur aphrachta, scripta alpha, phi, quæ est eorum litera vigesima prima Ro, Alpha, Cappa, Thau, & Alpha; & ex phrasi Rabbina appellatur hæc navis *Arba*, Latine *Linter*, Italice *Burchio*; ita ut Tof vocetur cymbalon, eo quod sit simile huic naviculæ; & tectum est metallo, v. g. ære, aut alio metallo, est longum, & angustum in principio, & in fine est latum, & in medio paulo vacuum. Et sacerdotes Ægyptii præcipue hoc instrumento utebantur in domo Deæ, quæ ab ipsis vocabatur mater omnium Deorum, ac eadem est, ac Dea Vesta, quod est elementum ipsius terræ, quod sibi finxerunt Deum; Præterea aliæ gentes in suis lætitiis his cymbalis personabant, quæ solebant percutere & pulsare in hoc vase, quod erat vacuum & tectum metallo, ut dictum est, virga ferrea aut ænea, aliquando robuste, aliquando remisse, aliquando levibus percussionibus successivis altera post alteram, & aliquando cum quiete & intervallis; ita ut his percussionibus exaudirentur sonitus differentes alter ab altero. Et hæc est explicatio Tof juxta sententiam eorum autorum & sapientum. Verum nostri sapientes, quorum memoria sit in benedictionem in tractatu *Chinim* cap. ult. 6. existimant fuisse pellem extensam super instrumento ligneo, aut huic simili, dicentes. *Dixit R. Jehosua; hoc est quod dixerunt; quando vivit, habet unicam vocem, quando mortuus est, septem habet, quomodo hoc intelligitur? Duo cornua, duæ tubæ, duo pedes, duæ tibiæ, pellis pro Tof &c.* Verum si sit Tof eo modo, quo dixerunt nostri sapientes, aut sicut dixerunt sapientes, qui non sunt de nostro populo, sine dubio est instrumentum vile, & nullo modo aptum cantui artificiali.

Et ecce Machol vocatur *sistrum*, aut *crosma*, scriptum cappa, ro, omicron, epsilon cum chirech, sigma, mi, & alpha, & Latine *tintinnabulum*, & Italice *circolo campanellato*; & est instrumentum æneum, aut argenteum, aut aureum, & est rotundum, & simile annulo magno, ab omni latere aperto; in ejus circulo in circuitu, qui est latus tres circiter digitos, statuuntur parva tintinnabula; quæ cum percutiuntur, emittunt sonitus lætitiæ; & his instrumentis utebantur Sacerdotes Ægyptii in festivitatibus Deæ, quæ

של שמחה ובכלי הזה היו משתמשים הכהנים המצרים כהני האלילה הנקבה שלהם הנקראת אצלם איסיס בת אינאקו ששמה מלפנים היה איאו וכל הנשים בפרט הן סבנות עמנו הן משאר האומות היו מתענגות מאד בו בכל שמחה ועמו היו מנגנות ומזמרות יחד בקול טבעי ולא מלאכותי היינו עם משפטי הזמרה השלמה והנבחרת כדכתיב ותצאנה כל הנשים אחריה בתופים ובמחולות ותען להם מרים שירו לה׳ וגו׳. וגם לקולו היו מרקדות הנשים או בעגול או בשורות שוות כי נקראת הרקידה בפסו׳ גם כן מחול כדכתי׳ (שופטים כא) אם יצאו בנות שלו לחול במחולות וגו׳ ובירמיהו סי׳ ל״א אז תשמח בתולה במחול ובחורים וזקנים יחדו וגו׳:

אך העצי ברושים הם לפי דעתי כלי׳ מיוחדי׳ משמיעים קול הברה בלתי נכונה אל הזמרה המלאכותית שכל גופם ועצמות חלקיהם הוא של עצי ברושי׳ בלבד מבלי לווי דבר מהדברי׳ שיסייע בהם השמעת קולם כמו שנמצא בכנורות ובנבלים שעליהם יש מתרי׳ שיטיבו לנגן עמם כשיקישו בהם והם שני כלי עץ של ברוש שהאחד מהם הוא דומה למכתש או למדוכה קטנה נקראת בלשון יון טיאידיאון כתוב בטיטה באיפילון עם חירק תחת האלף באיטה בדילתא ביוטא באלפא באומיקרון ובניי שבצירופן יחד תקראו טיאידיאון ובלאטינו מורטאריאולום ובלעז מורטארו אמנם הכלי עץ האחר הוא דומה לעלי קטן בזרת ארכו בלבד ארוך ועגול ובאמצעיתו הוא דק מעט ובשני ראשיו הוא יותר גס ודומה לכפתור או לתפוח הברדים נקרא בלשון יון איפירוס כתוב באיפסילון עם החירק תחת האלף בפי באפסילון בצירי תחת האלף ברו באומיקרון ובסיגמא שבצרופם תקראו איפירוס ובלשון לאטינו פיסטילום בלמד כפולה ובלעז מאליו והשני כלים האלה יחד נקראו בלשון יון כרותאלון כתוב בכאפה ברו באומיקרון בתיו באלפא בלמדא באומיקרון ובניי שבצרופם תקראו כרותאון ובלשון לאטינו גם כן נקרא כרוטאלום ובלעז נקראו נאקארי:

והנה׳ התוקעים בם הם אוחזים המכתש הקטן הזה בפס יד שמאל ועם העלי שהוא ביד ימין יכו פעם על שולי המכתש או המדוכה ופעם על פיה עם שני ראשי העלי פעם בראשו

quæ ab ipsis vocabatur Isis, filia Enaci, quæ prius dicebatur Jo; & omnes mulieres præcipue, sive fuerint de nostro populo, sive de reliquis gentibus, hoc instrumento maxime delectabantur ad excitandam lætitiam; & cum hoc simul canebant & personabant voce naturali at non artificiali, i. e. regulis cantus perfecti, atque electi, juxta eo quod scriptum est, *Exod.* xv. 20. *Et exierunt omnes mulieres post eam cum cymbalis, & Macholot; & incepit ipsis Marjam; canite Domino &c.* Et similiter ad ejus sonitum saltabant mulieres aut in gyro, aut in lineis rectis æqualibus; eaque de causa saltatio, & choræa appellatur in textu, sicut scriptum est in libro Judic. XXI. *Quomodo exibunt filiæ Scilo ad saltandum cum Macholot &c.* & in *Jeram.* XXI. dictum est. *Tum lætabitur virgo cum Machol, & juvenes & senes simul &c.*

Verum ligna abietis sicut ego puto, sunt quædam instrumenta præcipua, quæ emittebant sonitum tonantem ineptum cantui artificiali; Totum eorum corpus, & membra quibus constabant, erant duntaxat abjetina, quibus nihil addebatur ex iis, quæ maxime adjuvant sonitum, quemadmodum deprehenditur in cytharis, & nabliis, in quibus sunt chordæ, quæ prosunt sonitui, quando percutiuntur. Ipsa erant duo vasa lignea abietis, quorum alterum erat simile mortariolo, quod dicitur Græce *Tibidion* scriptum tita, epsilon cum Chirech sub alpha, jota, delta, jota, alpha, omicron, & ni, quæ conjuncta efficiunt *Tibidion*, Latine *mortariolum*, Italice *Mortaro*. Alterum instrumentum erat pistillo parvo simile, longum medium circiter cubitum dumtaxat, & rotundum, & in medio maxime tenue, & in duabus extremitatibus crassius, & simile parvo malo, & Græce dicitur *Iperos* scriptum epsilon cum Chirech sub alpha, phi cum epsilon cum tezere, ro, omicron, & sigma, quæ si conjungantur efficiunt *Iperos*, & Latine dicitur *pistillum*, & Italica *maglio;* Et hæc duo instrumenta simul appellantur Græce *crotalon*, scriptum cappa, ro, omicron, thau, alpha, lamda, omicron, ni, quæ conjuncta efficiunt *crotalon*, & Latine similiter dicitur *crotalum* & Italice *naccare*.

Qui personant, sumunt mortariolum palma manus sinistræ, & pistillo, quod est in manu dextra, percutiunt aliquando in fundo mortarioli, & aliquando in ejus ore cum duabus extremitatibus pistilli, aliquando altera extremitate, & aliquando altera separatim, aut conjunctim,

אחר ופעם בראשו השני בפרוד או בשתוף תכוף בהכאו׳ שונות במרוצה או במתון וישמיעו קול של פצעים עם אנשי השרה בריתו:

אמנם המנענעים אין להם שם עצמי בלשון יון אם לא נרצ׳ אנחנו לחדש אותו מדעתנו ולעשות לו מוצא מהפועל הזה דיאסיאו כתוב בדילתא ביוטא באלפא בסיגמא באיפסילון בצירי תחת האלף וביוטא ששתי האותיו׳ האלה הכתובות יחד היינו באיפסילון בצירי והיוטא הבאה אחריו ישמשו ליונים במקום חירק והאות האחרונ׳ של הפועל הזה הוא האומיגא שבצרופן יחד תקראו דיאסיאו שרצו לומר בו היוני׳ הטלטול הנדנוד והנענוע עד שיקרא הכלי הזה אצלנו בהשאלה דאסיאירגליאון וכן הלאטיני הואיל כי אין להם גם כן שם עצמי למנענעים כי המתרגם שלהם קרא הכלי הזה סיסטרום וכבר אמרנו בפרק זה שהמחול כאשר דמינו הוא הוא הנקרא סיסטרום אולי במלות רבו׳ יודיעו לנו מהותם מצד המקרים שלהם כי יאמרו דרך משל המנענעים סונט ליניי קויוסדאם אינסטר ומינטא קוי פיר ויאמינטיס איאורום קומוציאוניס ספירולאס אפינסאס אין סי איפסא קונקוציאונט איט ואריאוס אוב איר קריפיטוס פוראס אימיטוט אך קצת מהלאטיני האחרונים ברו מלבם שם חדש וקראו הכלי הזה בלשונם קריפיטאקולום וקצת מהם קראו אותו פלאטאגין ואמרו כי ארקיטה טארינטינו הפלוסו׳ פיטאגוריקו היה הממציא הראשון שעשה דמות תבניתו כדי שהנערים יצחקו עמו ויניחו מן הצד בעבורו הכלי׳ המסוכני׳ שהיו בראשונה מצחקים עמם ואלה טעו בדבורם כי בני עמנו הכירו בו קודם שנולד הפלוסוף הזה כמה שנים ופלאוטו המחבר קרא אותו בשם זה טאקס והיא אינה מלה העצמית אך היא דמיונית על שם ההקשה ואולם הלועזים קוראים אותם גם כן באטיסטיריאי על שם ההקשה האמורה והכלי הזה הוא של דף אחד של עץ מרובע וחלק שבראשו יש לו בית יד לאחוז אותו בו ועל הדף מזה ומזה יש חתיכות עץ עגולות כדוריות תחובות בשלשלת ברזל או במתר קנבוס בתוך הדף וכשמנענעים הדף ויקישו בו בכדורים האמורים ישמיעו קול של הכרה עד למרחוק עד כי הכלים האלה לא באו בכלל כלי הזמרה אלא כדי להשמיע קול הברת העם השמחים אלי גיל כמו שהיה בהעלות דוד את ארון האלהים מבעלי יהודה אמר הכתוב

ctim, variis percussionibus, aliquando celeribus, & raris; atque hoc modo emittunt sonitus percussionum. Hoc instrumento utuntur homines agrestes.

Menanganghim proprium non habent nomen in Lingua Græca, nisi quando effingere velimus ad arbitrium, & construere ab hoc voce *Diasis* scriptum delta, jota, alpha, sigma, epsilon cum tzere sub alpha, & jota; & istæ duæ literæ simul scriptæ, sc. epsilon cum tzere, & jota post ipsum inserviunt Græcis pro Chirech, & ultima litera hujus vocis est Omega, quæ si componantur, vocabitis *diaseo*, quo Græci exprimunt motum, & motionem; ita ut hoc instrumentum apud nos vocabimus *Diaseirgalim*. Et similiter Latini non habent nomen proprium pro hoc instrumento, cum eorum interpres hoc instrumentum sistrum interpretetur: Nos vero diximus in hoc capite, uti existimavimus, Machol appellari sistrum; ita ut multis circumlocutionibus nobis significarint eorum qualitates propter eorum accidentia, quando dicant e. g. Menanganaghim sunt cujusdam ligni instrumenta, qui per vehementes eorum commistiones sphærulas appensas in se ipsas concutiunt, & varios ob aerem crepitus foras emittunt. At recentiores Latini excogitarunt ad arbitrium novum nomen, & eorum lingua vocarunt hoc instrumentum *crepitaculum*, & alii appellarunt *Flatagin*, & narrant, quod Archita Tarentinus philosophus fuerit primus inventor, & ejus typum efformaverit, ut eo luderent pueri, & deserent instrumenta periculosa, quibus in suis ludis utebantur. Verum isti errant in verbis suis; eo quod genti nostri populi multos annos antequam natus est hic Philosophus, innotuerit; & *Plautus* scriptor illud appellat *Tacas*; at hæc vox non est propria, sed figurata, causa percussionis; eaque de causa Italis vocantur *Battisterii*, propter ipsam percussionem; Et hoc instrumentum constat tabula lignea quadrata, & parti superiori inest manubrium, quo apprehendi possit; Et in hac tabula hinc inde sunt segmenta lignea rotunda pilarum fixarum catenis ferreis, aut chorda cannabina intra tabulam; & quando movent tabulam, & in ipsa percutiunt pilæ commemoratæ emittunt sonitum maximi strepitus usque ad loca remota; ita ut hæc instrumenta non fuerint comprehensa in numero instrumentorum musicorum sed tantum, ut audiretur a populo sonitus strepitus in lætitiis propter aliquam festivitatem; e. g. quando David fecit adscendere arcam Dei a viris Jehuda, uti legitur 2. *Sam.* VI. *Et*

Da-

(שמואל ב׳ו׳) ודוד וכל ישראל משחקים לפני ה׳ בכל עצי ברושים בתופים ובמנענעי׳ וגו׳:

אמנם המגרפה דתמיד לא ידעתי צורתה ואולי מפני שהיה לה דמות מגרפת התנורים שהיא כמעט כחצי עגול קראוה כן והיא לעניות דעתי כלי של מתכת מזוקקת במאד מאד וכשמיו זורקים אותה על רצפת מקום המזבח היתה משמעת קול גדול בירושלם המגיע עד יריחו ועשאוה לקרות בה הכהנים והלוים ולהעמיד את הטמאים בשערי המזרח ולא לשורר והנה האמנתי שעשו המגרפה הזאת מעט עקומה ולא ישרה כדי שלא יתפזר ויסוף ממנה בפתע קול ההברה שלה כמו שהיתה עושה אם שהוה ישרה בהחלט אך מתוך עקמותה בנקישת צדדיה הנעשית על קרקע המקדש הרצוף באבני שישא ומרמירא הכניס סביב סביב כמו בעגול ההברה אלהוכה בדריפ׳ עד שיתהוה בעבור זה קול מתהפך וחוזר במגרפה למקו׳ אשר יצא משם בראשונ כמו מיעשה הר הרים (יחזקאל ז׳) שנקרא בלשון יון איקו כתוב באיטא ובגיי אות כ״ב שלהם ובאומיגא שבצרופן יחד תקראו איקו ובלאטינו ובלעז איקו ובגלל הדבר הזה ישאר שם המיית הכלי זמן רב וישמיע קולו עד למרחוק כמו שאמ׳ רז״ל בפ׳ אמר להם הממונה דתמיד משנ׳ ח׳:

אך השלישי׳ הם כלי עץ ארוכי׳ עגולי׳ וחלולי׳ מתחתיתם שהיו להם ג׳ מתרי׳ של גידי או מעי בהמ׳ ואולי כשהיו הנגבי׳ בהם היו גוררי׳ המתרי׳ עם קשת מתוקן בשערו׳ זנבי הסוסי׳ משוכי׳ בחזק׳ כמן שעושי׳ בעוגב והיו מקישין בהם בפרטות בחברת התוף נקרא הכלי הזה בלשון יון תריקורדון כתוב בתיו ברו ביוטא בקי באומיקרון ברו בדילתא באומיקרון ובניי ובלאטינו טריפידיאום ובלעז אינסטרומינטו דא טרי קורדי:

אמנם המשרוקיתא נקראת בלשון יון סירינקס כתו׳ בסיגמא באיפסילון בחירק תחת האלף ברו ביוטא בגאמא שהיא קודם הנסי במקום ניי והאות האחרונה של שם זה היא הנסי ובצרופם תקראו סירינקס וגם נקראת בלשון יון כאלאמון ובלשון לאטינו פיסטולה והלועזים קוראי׳ אותם סירינגה והוא כלי או של קנה אחד או של קנים רבי׳ וקטנים מתוקנים בשורה שוה זה אחר זה ואם הוא של קנה אחד היוני׳ קוראי׳ אותו מונוכאלאמון כתוב במי באומיקרון בניי באומיקרון בכאפא באלפא

David & omnis Israel lætabantur coram Domino omni genere lignorum abietis, cymbalis, & Menangangin &c.

Verum Magrepha *Tamid* ignoramus ejus figuram, & fortasse hoc nomine vocabatur, eo quod esset similis scopæ furnorum, quæ erat quasi dimidius circulus, ea de causa ita appellaretur. Et ipsa juxta meam sententiam erat instrumentum constans metallo defæcatissimo; & quando projiciebant super pavimentum loci altaris, emittebat maximum sonitum Hierosolymis, ut perveniret usque ad Jericho; & hoc agebant, ut convocarentur Sacerdotes & Levitæ, atque ut statuerent immundos in portis Orientis, at non ad canendum; & puto factum esse hanc Magrefa paulo curvam, at non rectam, ne quid ex ea dispergeretur, & absumeretur in puncto sonitus tonitru, quem emittebat; sicut contigisset, si recta omnino fuisset; sed cum esset curva, cum percuterent suas partes super pavimento sanctuarii, quod erat stratum lapidibus marmoreis, introducit per gyrum tonitru in ipsam successive, ut sit hoc modo sonitus, qui repercutiat, & revocetur in Magrepha, unde prius prodiit, sicut *murmur montium*, (*Ezech.* VII.) quod Græce dicitur *Ico*, scriptum Ita, & chi, quæ est eorum litera vigesima tertia appellatur *Ico*, & *Latine atque Italice Echo*; & hac de causa ibi remanet diuturno tempore sonitus instrumenti; & emittit suum sonitum usque ad loca remota, uti dicunt nostri sapientes cap. III. 8. *Tamid*.

Verum Scialascim sunt instrumentu lignea longa, rotunda, & sub ipsis vacua, habentia tres chordas nervorum, aut intestinorum animantis; & forsitan extendebant super eas chordas arcus ex pilis caudæ equinæ, magna vi attractis, & præcipue illud personabant cum cymbalo. Græce hoc instrumentum vocatur *Tricordon* scriptum Thau, ro, jota, chi, omicron, ni, & Latine *Tripedium*, & Italice *Istrumento di tre corde*.

Verum Mastrachita Græce dicitur *Syrincas* scriptum sigma, epsilon cum Chirech sub alpha, ro, jota, gamma, quæ est ante gase pro ni, & litera ultima hujus nominis, & gase, quæ si una componantur, legetis syriacas; & similiter Græce dicitur *calamon*, & Latine *fistula*, & Italice *Siringa*; & est instrumentum constans vel uno, vel pluribus calamis, parvis, dispositis altero post alterum in linea æquali; si constat uno calamo, Græce dicitur *monocalamon* scriptum mi, omicron, ni, omicron cappa, alpha, lamda, alpha, mi, omicron, ni; eo quod

בלאמרא באלפא במי באומיקרון ובניי כי מונוס ר"ל יחיד ואם של קני' רבים יקראו אותו פוליכאלאמון כי פולים כתו' בפי באומיקרון בלמרא ובאיפסילון בחירק ר"ל רבים היינו של קנים רבים והקנים הרבים האלה הם הולכים ומקצרים עצמם למטה בהדרגה והם פתוחים למעלה וסתומים למטה בעץ אחד עם כסוי עור בהמה עליו שהם תחוכים בו והוא להם כמו תיק ובית יד שבראשו במקום נטיעת הקנים הוא רחב ובסופו הוא חד ומפני שצורתו הוא כמסרק שסורקים בו האנשים והנשי' ראשם נקרא הכלי הזה משרוקיתא או הוא מלשון שריקות עדרים מפני שכשמעבירין אותו התוקעים בו על שפת פיהם התחתונה ונופחים בקנים הם משמיעי' שריקות שונו' לפי אורך הקנים וקצרותן או לפי חוזק הנפיחה בהן וחלשתה:

אמנם הסמפוניא הוא כלי דומה לחליל הנחלק לשני חלקי' שבין חלק וחלק הנפרד זה מזה יש נוד כדורי של עור המאסף שני החלקים בו עד שהיה קצתו של חליל למעלה וקצתו למטה ובנפיחה בפה בחלק החליל שהוא למעלה יתמלא הנוד כדורי האמור כלו רוח מפני שהוא סתום בכל צדדיו חוץ ממקום תיכנסו בו השני חלקי החליל הנזכרי' נקרא סמפונייא דוגמא דבית הסמפונות כמו שכתב רבינו סעדיה גאון ז"ל בפירושו על דניאל והחליל הזה מלמעלה במקום הפה הוא עגול וארוך ושוה וחלול מתוכו עד המקום שהוא נכנס בנוד וחוצה לו הוא סתום ושלם אך על מקום הפה יש שריקה ההולכת לרוחב קנה החליל ומשם ומקנה אחר נבדל בנוד החליל שהוא קרוב לו יכנס בנפיח' הרוח בנוד ומלמטה מהנוד הזה הוא יוצא שארית החליל שהוא הולך ומתרחב מעט מעט בהדרגה עד סופו ועליו באורך יש נקבי' שוני' זה אחר זה בשורה שוה כמו שהם בשאר' החלילים ומצד האחר שכנגדם יש בקנה החליל הזה התחתון נקב אחד בלבד וכשמקישין הנקבי' העליוני' הם סותמים הנקב האמור שהוא בצדו האחר מהחליל:

והתוקע הוא מפיח בפה בקנה הנבדל כאמור שהוא בצד העליון עד שיתמלא כל הנוד מרוח הנפיחה שיוצ' כל הרוח אחרי כן בהדרגה מהעלק האחר מהחליל שיש בו

monos Græce significet unum; si constet pluribus calamis, ab ipsis vocatur policalamon, quia poli significat multos, sc. multos calamos; & isti multi calami gradatim diminuuntur, & in superiori parte sunt aperti, & in inferiori clausi uno ligno, aut operculo pelliceo animantis, cui infixi sunt, eique erat, quasi theca, & manubrium, quod est in ejus sumitate, ubi infixi sunt calami, est latum, & in parte inferiori acutum; cum ejus forma sit similis pectini, quo se pectunt viri & mulieres, ea de causa hoc instrumentum appellatur *Mastrokita;* aut juxta significationem sibili gregis; Etenim quando illi, qui personant, illud traducunt super labium inferius oris, & inflant calamos, varia sibila edunt, juxta longitudinem aut brevitatem calamorum, aut juxta vim, aut diminutionem flatus, quo inflantur.

Verum *Samponia* est instrumentum simile tibiæ, & dividitur in duas partes; & inter duas partes alteram ab altera separatas, est quasi uter, sphæricus, pelliceus, qui in se conjungit duas partes, ita ut dimidium tibiæ sit in parte superiori, & dimidium in inferiori; Cum ore inflatur pars tibiæ superior, totus uter sphericus aere, quia clausus est ex omnibus partibus, excepta illa, in qua introducuntur duæ partes tibiæ, de quibus facta est mentio, quod sit similis הסמפונית (sc. *canalibus, qui immittunt aerem in pulmones*) sicut scribit *Rabenu Sahadia Gaon* in suo commentario ad *Danielem*. Et hæc tibia ad partem superiorem in situ oris, est sphærica, longa, & æqualis, intus vacua usque ad locum, qui introducitur in utrem, & extrinsecus est clausa, & integra, sed in situ oris inest incisura, quæ protrahitur ad latitudinem calami tibiæ. Et hinc & ab altero calamo separato a calamo tibiæ, cui tamen est proximus, per flatum ingreditur aer in utrem, & infra utrem educitur reliqua pars tibiæ, quæ paulatim & gradatim augescit usque ad finem; & in ea ad longitudinem deprehenduntur varia foramina, alterum post alterum in linea recta, sicut videtur in cæteris tibiis; & ab altera parte e regione ipsorum, deprehenditur in calamo inferiori hujus tibiæ unum tantum foramen; & cum pulsant in superioribus foraminibus, claudunt hoc foramen, quod ab altera parte tibiæ deprehenditur.

Et qui clangit, ore inflat calamum separatum, sicut dictum est, qui deprehenditur in parte superiori, donec aere flatus totus uter impleatur; qui aer deinde egreditur gradatim ab altera parte tibiæ, ubi sunt forami-

הנקבם בזמן ההקשה וכן חוזרים חלילה להפיח בבלו עד שירצו לנגן בו נקרא חבלי הזה בלשון לעז פיוה סורדינה מפני שבעבור חדוד הקול כמעט האזני׳ של שומע קולו הם כאוני חרשים שלא יובלו לשמוע קול אחר בלתו ואולי הכלי הזה נקרא בלשון רבותינו חמת חלילין במסכת כלים פרק הכרים והכסרית משנ׳ שנירה ובלשון לאטינו אוטריקולאריס טיביאה עד כי מרברי פרקי זה תבירו ותדעו שהכלים אשר כתבתי צורתם ומהותם אין להם חלק ונחלה בחצרות בית ה׳ לנגן עמהם לכבוד אל אלהי ישראל מלך מלכי המלכים הק״בה יתברך שמו ויתרומם ויתנשא ויתעלה זכרו לעד ולעולמי עד אמן ואמן:

פרק נ׳

עד כאן ראינו טבע הכלי׳ שמצד רוע תכונתם לא יבואו בקהל כלי שיר על הדוכן לעולם אך כלי הקדש הטובי׳ מצד עצמם ורעים מצד רוממות קולם הם החצוצרות והצלצל והמגרפה דערכין פ׳ אין בערכין והאורדאבליס והנה החצוצרות יש להם נעימות מצד עצמן והן בהן ישירו בקול השיר המלאבותי לבדו במשפט חקולו׳ הנאותי׳ לזמרה אך אם יראו הלוים לשורר עמהן בפה לא ישמע מעולם קול המשוררי׳ כהוגן וכשורה כי לא יכלו המשוררי׳ לדבר ולענו׳ בקול דומה לקול החצוצרות כי גדלה צעקתם השמימה וגם כי החצוצרות נמצאו לעולם בעין על הדוכן אצל הלוים וגם הצלצל בשעת השור ע״כז לא היו תוקעי׳ בזמן חשיר עם המשוררי׳ יחד לא החצוצרות ולא הצלצל לא היו משמיעים קולם בין פרק לפרק מהזמר׳ בלבד לשמור את מצות ה׳ אשר צוה ותקעתם בחצוצורת על עולותיכ׳ ועל זבחי שלמיכם וגו׳:

הצד השוה שבהם הוא ג״כ כמגרפה דנסרת ערכין פ״ב שרברו בה רז״ל ואמרו מגרפה היתה במקרש ועשרה נקבים היו בה וכשמננגים בה יוצאי׳ ממנה מאה נעימו׳ שאינ׳ דומות זו לזו א״כ לגודל קול המגרפ׳ אולי לא יבלו הלוי׳ לשורר עמה כאשר לא היו יכולים עם החצוצרו׳ והנה יש מאחכמים שכתבו כי המגרפה הזאת דערכין היתה בגובהה אמה

ramina, dum clangitur; & similiter iterum inflant instrumentum, donec clangere velint. Italice hoc instrumentum dicitur *Piva sordina*, propter acumen sonitus, quasi ut aures illius, qui audit ejus sonitum, sint quasi aures surdorum, ut præter hunc alterum sonitum audire non possint. Fortasse erit hoc instrumentum, quod vocatur juxta sententiam Rabbinorum nostrorum in tractatu *Colim* xx. 2. *uter tibiarum*, & Latine *utricularis tibia*. Ex hoc capite intelligetis, & scietis instrumenta, quorum formam descripsi, non habuisse locum in atriis domus Domini ad cantum Dei Deorum Israel, regis regum, sancti & benedicti Domini; sit benedictum nomen ejus atque exaltatum, & celebrata sit ejus memoria in perpetuum, atque in æternum; Amen, Amen.

CAPUT III.

HActenus vidimus naturam instrumentorum, quæ propter eorum pessimam conditionem, non possunt recenseri inter instrumenta cantus, quæ in suggestu canebantur. At instrumenta sancta, per se optima, at mala propter elationem sonitus, sunt *chazozerot*, sc. tubæ, *Zilzal*, & *Magrefa Erakin* cap. II. & *Ordabalos*. Tubis per se inest suavitas, & cum ipsis potuissent canere cantum artificialem duntaxat, regulis cantui convenientibus, at si cum ipsis Levitæ ore canere voluissent, non potuisset eorum vox recte & convenienter exaudiri. Etenim cantores non potuissent canere, & respondere voce simili sonitui tubarum, quarum clangor pervenit ad cœlos; & quamvis tubæ continuo deprehenderentur super suggestu prope Levitas simul cum Zilzal tempore cantus, tamen non clangebantur tempore cantus, simul cum cantoribus, neque tubæ neque Zilzal, sed clangebantur inter periodum & periodum cantus duntaxat, ut observaretur præceptum Domini, qui præcepit: *Et clangetis tubis in holocaustis vestris, & sacrificiis pacificis vestris &c.* Num. x. 9.

Quæ ipsis erat æqualis & similis, erat *Magrefa* memorata in *Erakin*. cap. II. ubi dicunt nostri Rabbini, quorum memoria memoretur in benedictionem: Erat Magrepha in Sanctuario, & in ea erant decem foramina, & quando pulsabant, ex ea prodibant centum sonitus, alter ab altero differens, ea de causa propter magnitudinem sonitus non poterant cum ea canere Levitæ, sicut cum tubis canere non poterant. Inter sapientes sunt, qui scribunt Magrepham, quæ me-

והשמיטו מלהודיע לנו אם היתה של עץ או
דבר אחר דומה לו כלו מקשה חוץ ממקום
בטיעת הקני׳ או אם הית׳ בתוכה חלולה עד
שיהיה בגגה בלבד נסר נקוב בעשר׳ נקבים
לתת בתוכם הקני׳ או בקרוב או ברחוק מקום
כדי שיקבלו משם הרוח העולה בהם מן
מפוחי׳ התחתונים שם למטה או מדבר אחר
דומה להם גם שכחו לפרט שדת ארכה ורחבה
של מגרפה זאת כי אם היתה כמו שיורה לנו
השם שנקראת בו מגריפ׳ היינו רצורת מגרפת
הנחתומי׳ הגורפי׳ עמה האפר או הגחלים
העמומי׳ שנשארו בתנור אחר שריפת העצי׳
אין ספק שתהי׳ צרה ובאולי לא תגיע אל
שני שלישי אמה ברחבה אך במדת ארכה
לא נוכל לומ׳ בברור אם היתה מגעת דרך
משל לב׳ אמו׳ בלבד או אם עברה המדה
הזאת הרבה מאד כאשר נאמ׳ בסמוך סבת
הדבר הזה דרך העברה ובצרה גם במה
שיוחס עוד לארכה לא דברו דבר אם היה
נמשך האורך בקו ישר או בעו שוטה והנכון
הוא שיהיה מוטה ונוטה במעט לצורת קשת
החצי׳ שמצד המתר הוא מוכנס מלפניו וחוצה
לו שדרתו היא גבנונת כפופה ועקומה: גם
מצאתי כתוב בשם ר״שי ז״ל שבמגרפ׳ הזאת
היו י׳ נקבי׳ ושבכל נקב היה קנה אחד ובכל
קנה וקנה היו בו י׳ נקבי׳ ושבל נקב של קנה
היה מוציא מין זמר נבדל עד כי נמצא
שבולה הית׳ מוציאה מאה מיני זמרה ואני
באמת ובתמים לא ירדתי לסוף דעתו שלרש״י
זאת כי לא ידעתי אם הקנים האלה היו
נטועים בעשרה נקבי המגרפה זקופים או
מוטים ואם בסח שנרצה מהשנו פנים לא
ידעהי אם היו תקועי׳ בקני׳ בנפיחה בהם
בפה או אם הרוח היה נכנס בם מלשטה
מבלי נפיחת האדם בראשם של קנים גם
נפלא הוא ממני אם לדעתו היו העשרה
נקבים של קנים מכוסים ונסגרים במגרפה
או אם היו יוצאים חוץ ממנה עד שימצאו
כלם מגולים ואם היו כלם מגולים וצריכים
לנפיחת האדם בפה לא ידעתי איך יוציא
כל קנה מהם עשרה מיני זמרה מבלי נקישת
האצבעו׳ על הנקבי׳ כי אם לא יסוגרו באצבעו׳
הנקבי׳ ברדיפה זה אחר זה לא ישמיעו הקני׳
אלא קול א׳ פשוט בלתי נאה אל הזמרה
שישבר ויפרק חוש האזנים כל עוד פיפיתו
בם וישארו הנקבים שבקנים פתוחים גם

memoratur in *Erakim* in altitudine fuisse cubitalem; At nobis non significant, utrum essent lignea, an constarent alia simili materia, utrum tota esset dura & compacta, excepto situ, ubi infigebantur calami, an intus esset vacua, an esset in ejus tecto duntaxat tabula perforata decem foraminibus, in quibus statuerentur calami, aut proximi, aut distantes alter ab altero, quibus aer exciperetur, qui in ea adscendebat ex follibus, qui in parte inferiori siti erant; an re alia illi simili constaret. Præterea non memorarunt ejus longitudinem & latitudinem, quæ si erat ut ostendit nomen, quo appellatur Magrepha, ad similitudinem scopæ pistorum, qua everrunt furnum ex cinere, & ex prunis extinctis, quæ posteriori die relictæ sunt, post combustionem lignorum, sine dubio erat angusta; & fortasse non erat lata, nisi duas tertias partes cubiti. At in mensura longitudinis nihil certi possumus dicere, utrum esset e. g. duorum cubitorum, an amplior esset hæc mensura uti dicam posterius causam per transitum & breviter. Præterea quod spectat ejus longitudinem nihil dixerunt, utrum esset longitudo in linea recta, an curva; at verosimile est fuisse curvam, & quasi inclinasse ad formam arcus sagittarum, qui in latere chordæ est concavus, & extrinsecus ejus dorsum est contortum, gibbosum, & concavum. Præterea deprehendi scriptum nomine *Raschi* cujus memoria sit in benedictionem, Magrephæ fuisse decem foramina, & in singulis foraminibus fuisse calamum, & in singulis calamis fuisse decem foramina, & ex singulis foraminibus prodiisse sonitus cantus alterum ab altero differentes; ita ut ex his prodirent centum species sonituum differentium. At ego ignoro sententiam *Raschi*. Etenim ignoro, utrum decem calami infixi essent in decem foraminibus Magrephæ recti an obliqui; aut si fuerint, uti velimus, utriusque figuræ, præterea ignoro, utrum clangentur calamis, ore inflatis, an aeris introductione in parte inferiori, ut homo non flaret in summitatem calamorum. Præterea ignoro juxta ejus sententiam, utrum decem foramina calamorum essent tecta, & clausa, an ex ea prodirent, ut omnia essent aperta; si vero omnia essent aperta, & opus haberent flatu hamano ex ore, ignoro, quo pacto singuli calami emitterent decem species sonitus sine pulsatione digitorum super foramina, si vero clausa non essent digitis foramina successive alterum post alterum non poterant emittere calami, nisi cantum simpli-

יחד יעל כן אם היו צריכים לנקישה אצבעות
על הנקבים האמנתי תהיו עשרה אנשים
בשורה שוה מכים בעשרה הקנים הזקופים
בחבורה אחת ובגלל הדבר הזה תהי' המגרפה
הזאת ארוכה מאד כדי שתוכל להעמיד מלפניה
העשרה אנשים באגודה האמורים ואם הדבר
כן לא ידעתי מה תוסיף בזמרה או מה
תתן המגרפה בקניה המחוברי' ותקועים בה
יותר ממה שיתנו עשרה חלילים תלושים
ונפרדים זה מזה נתוני' ביד עשרה אנשים
התוקעים בם בזמן אחד גם לא הודיע לנו
רש"י ז"ל אם המאה קולות אלו היו כן במספר
נבדל זה מזה (עם כי קול האדם כאשר
כתבנו לא יעלה על הי"ב קולות שביארנו)
ויהיו באמת במגרפה השמנה קולות הפשוטים
וגם תשעים ושנים קולות אחרים מורכבים
נבדלים זה מזה או היו בם י"ב קולות בלבד
במספר אך בהשמעת קולם ברדיפה כמו
שעושים המזמרים בקונטראפונטי היה דומה
לו שומע שיהיו קולות נבדלים כמו מאה גם
כי לא יהיו אלא י"ב בעצם וראשונה ואם היו
י"ב קולות בלבד נבדלים או גם כן יותר מהם
כאמור איך לא יזדמן שבהקשת עשרה קנים
יחד עם עשרה נקבים לכל אחד מהם לא
יקישו לפעמים בם בשנים או בשלשה מהם
ברגע אחד בקול אחד דומה לאחר עד שלא
יהיו אז מאה קולות נבדלים של זמרה כאשר
אמר גם לא פירש רש"י ז"ל איך הקנה האחד
ישמיע לבדו השמנה קולות הפשוטים ושני
קולות מורכבים מצד עצמו' ושאר הקנים
כלם ישמיעו בפירוד עשרה קולות מורכבים
בכל קנה וקנה נבדלים זה מזה אם הנפיחה
היא אחת ודומה מצד עצמה בכל הקנים
וגם איך יובדלו הקולו' ביניהם אם החלל
שבקנים הוא שוה ודומה בכל הקנים במשפט
אחד ברחבו מצורף שאין שם הפרש באורך
הקנים וקצרותם:

ועד כאן ראינו שהוא מן הנמנע שיושמו
הקני' זקופי' במגרפה עם העשרה נקבים
שבם גלויים ובלתי מכוסים ועם כי בנטיית
וכסוי הקני' בה יפלו גם כן ספקות רבות
במגרפה עם כל זה לא אסוג אחור מלהודיע
לכם מה שלבי אמר לי על מהות המגרפה

plicem non convenientem muſicæ, qui frangit & abrumpit ſenſum aurium, quando inflarentur, & fuiſſent ſimul aperta foramina calamorum; ſi vero requireretur pulſatio digitorum in foraminibus, puto conſtitutos fuiſſe decem homines in linea recta, qui ſociatim pulſarent decem calamos erectos, & hac de cauſa Magrepha eſſe debebat valde longa, ita, ut in ea conſiſtere poſſent ſimul decem homines, ſicuti dictum eſt, ſi ita ſe res habet, neſcio quid addere potuiſſet cantui Magrepha, quod in ea eſſent calami conjuncti, & infixi magis quam decem tibiæ ſeparatæ, & diſtinctæ altera ab altera, poſitæ in manu decem hominum, qui eodem tempore his clangerent. Præterea ne nobis quidem ſignificat *Raſchi*, utrum centum ſonitus memorati eſſent in numero diſtincto altero ab altero (quamvis vox humana, uti ſcripſimus, non adſcendat ſuper duodecim voces, quas declaravimus). Atque ut eſſent in hac Magrepha octo ſonitus ſimplices, atque etiam duo & nonaginta compoſiti, alter ab altero diſtincti; aut quod eſſent duntaxat numero duodecim, & ſucceſſive eorum ſonitum emitterent, uti facere ſolent pſallentes *in contrapuncto*, ut videantur illi, qui audit, eſſe ſonitus diſtincti, quaſi ſint centum, quamvis non ſint actu, niſi duodecim duntaxat, aut his plures, uti dictum eſt, quo pacto non contingebat, ut in pulſandis decem calamis ſimul cum decem foraminibus, quibus ſinguli conſtabant, non pulſarent duos aut tres ipſorum eodem momento cum ſonitu alteri ſimili, ita ut tum non eſſent centum ſonitus diſtincti cantus, alter ab altero, ſicut dixit. Præterea non explicat *Raſchi* cujus memoria ſit in benedictionem, quomodo calamus unus diſtinctim emitteret octo ſonitus ſimplices, & duos compoſitos, & reliqui calami omnes diſtinctim emitterent decem ſonitus compoſitos, in ſingulis calamis alterum ab altero diſtinctos; ſi flatus erat unus, & per ſe ſimilis in omnibus calamis, præterea quo pacto diſtincti erant, ſi vacuitas, quæ erat in calamis, erat æqualis, & ſimilis in ſingulis calamis reſpectu latitudinis conjunctæ, cum nullum eſſet diſcrimen in longitudine & brevitate calamorum.

Hactenus vidimus fieri non potuiſſe, ut collocati eſſent calami recti in Magrepha in decem foraminibus apertis; & quamvis in ſtatuendis calamis obliquis & tectis, poſſit eſſe difficultas & oppoſitio; tamen non deſinam, ut vobis ſignificem, quid ego putem de qualitate hujus Magrephæ, & ejus forma, ut confirmem

verba

הזאת וצורתה לקיי׳ דברי רבותינו הקדושי
ור״שי ז״ל שאענדם תמיד עטרה לראשי
כאשר הוא מוטל עלינו וחייבים אנחנו
לעשות מהעולם ועד העולם ואעז ואומר׳
כי באולי היתה המגרפה הזאת כמו תיבה של
עץ טוב ונחמד מתוקנת כאמור כדמות מגרפת
הנחתומים סגורה מלמעלה ומלמטה וסכל
צרדיה וחלולה בהחלט מכפנים ארכה כמו
אמתים וחצי כפופות רחבה כמו אמה וגובהה
ג״כ אמה ובתוכה היו מסוגרים ותלויים
באוירה העשרה קנים עם העשרה נקבים שבם
קצת מהם מהקנים ארוכי׳ וגסי׳ וקצת מהם
קצרי׳ ודקים מושכבים בתוכה ולא זקופים
והנקבים של קנים שהם בם בשורה שוה
היו הפוכי׳ ומסודרי׳ בנקביה׳ למטה נגד תחתית
התיבה ולא למעלה ובשני צדי התיבה היינו
שבצפון ודרום לה היה מפוח אחד מכאן
ומפוח אחד מכאן ובמזרח התיבה היו ראשיתן
של עשרה קני׳ מחוברי׳ לו ומסוגרי׳ בו רחוק
מתחתית התיבה כמו חצי אמה וממערבה
ביושר יצאו כל סופן של עשר׳ קנו׳ הפתוחים
והחלולים רחוק מהעשר׳ נקבי׳ שבם מעט
כדי שקולן של קני׳ ישמע היטב ולא ימורת
הקול בתוך הכלי והנסר הסוגר שבמערב לא
היה מניח מקו׳ ריק לצאת ממנו רוח המפוחי׳
אלא מה שצריך לו בלבד כדי שילך דרך
חללן של קנים ולא ממקו׳ אחר נפרד ממנו
ובמזרח התיבה היה סרח עודף כמו שכתבנו
בפ׳ ז׳ משלטי הגבורים זה בכלי ההוא הנקרא
מנים שעליו ינוחו חמשים יתידות ובכלי הזה
ינוחו מאה יתידות עשר׳ מהם לכל קנה
יתיד אחד לכל נקב ובסוף היתידות מכפני
היו ברזלי׳ זקופי׳ עם נסר קטן בראש׳ באופן
שיגיעו להקיש ולסתום בנסרי׳ ההם הקטני׳ נקבי
הקני׳ כלם במעיכת היתידות שעל סרח העודף
הזה עד כי בהקשת הנסרים בנקבים וברחיפה
הרוח בקני׳ בחזקה יתהוו בהם הקולות שונות
ונאות כמו שיתהוו בחלילין בנקישת אצבעו׳
האדם עליהם כשיפיחו בם ולכן תוציא
המגרפה כלה בדרך נכון כל המאה קולות
שאמרו רבותינו ז״ל מובדלי׳ זה מזה לפי
גסותן ודקותן וארכן וקצרותן של קנים ורחוק

verba Rabbinorum nostrorum, & *Raschi*, quorum memoria sit in benedictionem, quæ semper alligabo quasi coronam capiti meo, uti nobis præceptum est, & facere debemus in perpetuum. Incipiens dicam: Cum Magrepha facta fuerit ad similitudinem arcæ ex optimo ligno, & pretioso, disposita, sicut dictum est, ad formam scopæ pistorum, sursum & deorsum clausa, & ab omnibus partibus, & intus omnino vacua, longa quasi duos cubitos cum dimidio, obliqua, lata circiter cubitum, & cubitum pariter alta; & intus clausi erant & appensi ejus calami cum decem foraminibus, calami partim longi & crassi, & partim breves & tenues, extensi, at non recti intra illam & foramina calamorum in linea æquali erant in ipsis calamis, quasi conversa, & eo ordine collocata, ut eorum foramina respicerent partem inferiorem arcæ, at non superiorem, & in duobus lateribus arcæ, i. e. ad septentrionem & meridiem erat hinc follis, & illinc follis; & ad orientem arcæ erant principia calamorum conjuncta, & clausa ab eo latere, distantia a fundo arcæ quasi dimidium cubitum, & ab occidente recte exibat extremitas decem calamorum, qui erant aperti & vacui paulo distantes a decem foraminibus, quæ in ipsis erant, ut sonitus decem calamorum optime exaudiretur, ne intra instrumentum sonitus calami extingueretur; & in tabula, quæ claudebat ad occidentem, locus vacuus non relinquebatur, ex qua flatus follium egredi posset, nisi ille unus, qui necessarius erat duntaxat, ut egrederetur per vacuitatem calamorum, at non alio loco ab aliis remoto, & ad orientem arcæ redundabat latus, uti scribemus in tertio cap. *Schilte Haggibborim*. In hoc instrumento, quod appellabatur *Minim*, impositi erant quinquaginta clavi; & in hoc instrumento statuebantur centum clavi, decem in singulis calamis, clavus in singulis foraminibus, & in extremitate clavorum intrinsecus erant ferra erecta, in quorum summitate erat tabella, ita ut pulsarentur, & clauderentur his tabellis omnia foramina calamorum, in calcandis clavis, qui erant in latere redundanti; ita ut cum percuterent tabellæ foramina, impellendo cum vi aerem in calamos, exaudirentur sonitus differentes, & suaves, uti fieri solet in tibiis, cum digitis hominum pulsantur, & inflantur. Idcirco emittebat Magrepha tota modo convenienti omnes centum sonitus, de quibus dixerunt nostri Rabbini, distinctos alterum ab altero, juxta crassitiem, tenuitatem, longitudinem, & bre-

הנקבים שבכם מהנקב הראשון עד הנקב העשירי והמקיש בכלי זה היה אדם אחד בלבד ולא יותר כן דימיתי אני בצור׳ המגרפ׳ ומשפטיה והנה אם תוטב הדבר הזה בעיניכ׳ אחמה ואגיל בה׳ ואם לאו ברו לכם דעת אחרת שתהיה יותר אמיתית ומיושרת מזאת ושתעלה יפה לדברי רבותינו ולחפצכם כי גם אני אבא עמכם על החותמת ולא אבוש:

ואני קדם אכלה לדבר אל׳ לבי אמרתי להודיע לכם כי ידעתי׳ גם אני ידעתי שדברו במגרפה רב ושמוא׳ גם הם באופן נבדל ממה שאמרתי אני ונחלקו גם עליה כמו שהעתיק השמעוני ז״ל במגילת קהלת סימן תתקפט על פסוק טובה חכמה עם נחלה ועל כי הם לא שמו הקנים בנקבים כמו שעש׳ רש״י ז״ל לא רציתי להטפל בה ולכונן צור׳ מגרפ׳ אחרת משונה ממגרפה שהוריתי לכם באצבע אליבא דידהו כי ה׳ העלים ממני את תבנישה תנאיה ומהותה ועתה משכו וקחו לכם את דבריהם הכתובי׳ שם שלא הם מגרפה רב ושמואל חד אמר עשרה נקבי׳ היו בה וכל אחד ואחד היה מוציא מאה מיני זמרה וחד אמר מאה נקבי׳ היו בה וכל אחד ואחד היה מוציא עשרה מיני זמרה עד כי מדברי שניהם שמענו שהית׳ מוציאה המגרפה אלף מיני זמרה ואין לאומר שיאמר שדברו חכמי׳ כאן בלשון הבאי כמו שדברו רז״ל בגפן בתפוח׳ כי שמוא׳ עצמו הוא הוא שאמ׳ בשלש׳ מקומו׳ לאפוקי מדרבא כו׳ ולא אמר בד׳ מקומו׳ מצורף שבשלש׳ מקומו׳ האמורים לא נחלקו החכמי׳ כלל מפני שהודו שהיו דברי הבאי ובמגרפה פליגי אהדדי על כן מינה לא תזועו עד שתמצאו בה קשט דברי אמת אולי יתעשת האלקים לנו ונהורא עמכון ישרא להודעוננא רזה דנא ולא נאבד במצולת המבוכה והסכלות אשר טבענו בה:

וגם שם בגמרת ערכין אמרו חכמינו לא היה מכה האורדאבלוס במקדש מפני שקולו עב ומערבב את הנעימה ועם כי אני לא ידעתי בבירור מה הוא הכלי הזה עם כל זה האמנתי שאפשר שיהיה האורגאנו הידוע אצלנו כאשר כתב בעל הערוך ז״ל בערך טבלא נקרא כן בלשון כולל במקום שם

brevitatem calamorum, & distantiam foraminum, quæ in ea erant, a primo usque ad decimum foramen; & unus erat, qui hoc instrumento personabat, non plures. Hoc tantum potui dicere de forma Magrephæ, & ejus natura; si hæc mea sententia vobis placuerit, ego lætabor, si minus, eligite aliam opinionem, quæ sit mea magis vera & recta, & quæ optime conveniat sententiæ Rabbinorum nostrorum, & eorum placitis, cui ego quoque sine dolore acquiescam, & non erubescam.

At ego priusquam finem faciam huic orationi; meo cordi dixi, vobis significare, me non ignorare, quod egerint de Magrepha Rab & Samuel differenti ratione, quam vobis dixi: Et de ea dissentiunt, uti constat ab Exemplari Jalkut *Simeoni* in volumen *Ecclesiaste* parag. 989. in textum: *Bona est sapientia cum hæreditate;* Cum ipsi non statuerint calamos juxta sententiam *Raschi*, cum foraminibus, nolui in illud operam impendere, neque statuere formam Magrephæ ab ea differentem, quam vobis digito ostendi, juxta eorum sententiam; quia Dominus mihi occultavit ejus similitudinem, conditionem & qualitates; Nunc vobis satis sint eorum verba, eo loco scripta: *Magrepha, Rab, & Samuel; alter dicit: Illi erant decem foramina, & singula foramina emittebant centum species sonitus, & alter dicit. Centum foramina illi erant: & singula foramina emittebant decem species sonitus;* Ita ut constet ex utriusque verbis, quod emitterent mille species sonitus: neque dicendum est, quod hoc loco sapientes hyperbolice locuti fuerint, sicut locuti sunt nostri sapientes de vite, de pomo, & velo; eo quod ipse Samuel loquatur in tribus locis ad excludendam opinionem Raba, at non loquitur in quatuor locis: Adde his, quod in his tribus locis non dissentiant sapientes, qui conveniunt quod ibi dictum sit hyperbolice: At in Magripha simul dissentiunt: Qua de causa inde ne recedatis, & operam impendite, donec placeat Deo, & det nobis lumen intelligendi hoc arcanum; ne nos pereamus in profunda confusione, & ignorantia, in qua immersi sumus.

Præterea in Gemara *Erakin* dicunt nostri sapientes; *non pulsabatur Ordabalos in Sanctuario*. Quia ejus sonitus erat crassus, & perturbabat suavitatem; & quamvis mihi certe non constet, quodnam fuerit hoc instrumentum, tamen puto fuisse organum nostrum, optime notum, sicut scribit autor *Aruch* in ordine טבלא *tabla*. Vocatur generice pro nomine

עצמי להשיבותו והוא כמעט דומה למונוקירדון ביתדות ההן שיש לו מלפניו אבל הוא מתוקן בחלילים רבים ארוכים וקצרים וכסים ודקי וזקופים על פני כלי ומלאחריו יש שני מפוחים להעלות האויר בחלילין כהרמת חלקי המופחים ובמעיכתן כשמקישין ביתדות שלפניו כאשר הוא גלוי וידוע גם להמון העם ועל כן תמהתי כי רבותינו ז"ל לא הזכירו באורדאבלו שום אחד מהדברים האמורים כמו שאכתוב בס"ר בשמת' בית השואבה:

אך הצלצל הוא המצלתים כי כן פירשו רד"ק ז"ל בשורש צלל ואמר שהם שני כלי נחשת שמקישין זה בזה ומשמיעין קול ואתה הק'ורא דע לך כי' הנגיוה בכלים או היא בפה כמו שהיא בשופר ובחצוצרות שיננגו בם בפרטות בנפיחה פשוט' כפה בלבד לא זולת והנגינה הזאת נקרא' בלי ספק תקיעה בהחלט או היא נעשית בידים ביחוד וזאת נקרא' הקשה או הכאה כי כן הרומיים גם הם כשירצו לומר בלשונם לאטינו הוא מנגן בנבל' אומרים פולסאט טיסטודינים היינו הוא מקיש או מכה בתנשמת שהיא לפי דעתי הנקראת בלעז גאלאנה או בישה סקודילארה שהנבל כמעט הוא דומה לה וכן אנחנו העברים אומרים הוא מקיש או מכה בנבל או נעשית הנגינה גם בפה גם בידים בשתוף כמו שנעשית בכל מיני החלילין כי יתקעו בם בפה וגם במשמוש הידים על הנקבים שהם באורך גוף החליל ונגינה הזאת פעמים תקרא תקיעה ופעמים הקשה או הכאה על כן כשאמר ר"דק שהצלצל הם שני כלי נחשת שמקישין זה בזה ומשמיעין קול בודאי לא רצה בם ההקשה ההמונית הסכלית והבזויה כשיקישו עמי הארץ גרועי המדע חתיכה אחת של נחשת על חתיכה אחרת כמוה בלי למוד מלאכותי כי לא תאות לבא על הדוכן ההקשה הזאת הגרועה לא לבדה ולא בחברת החצוצרות לעולם אבל באולי רצה התקיע' במשמוש הידי' ובחברת נפיחת הפה בשתוף והיא לפי דעתי התקיעה או ההקשה כמו שעושין בחצוצרת ההיא של נחשת הנחלקת לשתים שיתקעו בה בפה וגם במשמוש הידים בהולכה והובאה מלמעלה למט' ומלמט' למעלה של חלק האחד ממנה ועל האחר ועל כן אני

ne peculiari, & maxime celebratur, & eſt fere ſimile *Monochordo* cum his clavis, qui ſunt illi ab anteriori parte, & ordinatus eſt multis tibiis longis, & brevibus, craſſis & tenuibus & ad ipſum erectis; & in poſteriori parte ſunt illi duo folles, ut introducatur aer in tibiam, in extollenda, vel dimittenda parte follium, quando pulſatur in clavis, qui ſunt illi a parte anteriori, uti notum & manifeſtum eſt vel apud plebejos. Qua de cauſa, miror, quod noſtri Rabini in Ordobalo, nullam faciant mentionem de his rebus, ſicuti ſcribam in capite, ubi agitur de lætitia domus hauſtionis.

Verum *Zizal* eſt idem ac *Meziltaim*. Hoc modo explicat R. *David Kimchi* in radice צלל *Zalal*, ubi dicit duo fuiſſe vaſa ænea, quæ ſimul percutiuntur, & emittunt ſonitum. Scito Lector fieri ſonitum inſtrumentis, vel ore, uti fit cornu, & tubis, quæ clanguntur præcipue flatu, extenſo, & diffuſo, ore duntaxat; & hac ratione hic ſonitus ſine dubio abſolute dicitur תקיעה, ſc. *clangor*; Si manu duntaxat perficiatur dicitur percuſſio & pulſatio; etenim Romani, cum vellent Latine exprimere ſonitum tibiæ dicebant; *pulſant teſtudinem*; quæ juxta meam opinionem dicitur Italice *Galana*, aut *Biſcia ſcudelera*, quia tibia eſt fere illi ſimilis; ſimiliter nos Hebræi dicimus; percutit, & pulſat nablium. Aut perficitur cantus ore, & manibus ſimul, ſicut fieri ſolet in quovis inſtrumento flatili, ut in tibiis, quibus fit ſonitus cum flatu, tum tactu manuum ſuper foraminibus, quæ ſunt in longitudine tibiæ; & hæc ratio ſonitus aliquando dicitur clangor, & aliquando percuſſio & pulſatio. Hac de cauſa, quando dixit R. *David Kimchi*, quod Zilzal conſtet duobus vaſis æneis, quæ ſimul percutiebantur, & emittebant ſonitus, non intellexit pulſationem vilem, communem, & inſulſam, ſicut populus terræ pulſare ſolent, percutientes fragmenta ænea altera ſuper altera ſine ſonitu artificiali; quia non eſt conveniens, ut adſcendat in ſuggeſtum pulſatio tam vilis & ignobilis, neque diſtincta, neque conjuncta cum reliquis inſtrumentis; At fortaſſe voluit ſignificare ſonitum peractum tactu manuum, conjunctum cum flatu oris; & erit juxta meam ſententiam clangor, ſive percuſſio, quæ fieri ſolet in tubis æneis diviſis in duas partes, quibus clangitur tam ore, quam tactu manuum, incedendo a ſuperiori ad inferiorem, & ab inferiori ad ſuperiorem partem ex utroque latere. Hac de cauſa ego dico *Zilzal*

אמרתי כי הצלצל היא החצוצר' הזאת הנחלקת לשתים והוא כלי נכבד עד מאד בנגון ממנו יקחו הקולות הנאותים לשיר כאשר החחילו לשורר בו והפסיקו בתקיעת החצוצרות והשתחויית העם לכן כתוב ,בד"ה א' ט"ו והמשוררים הימן אסף ואיתן במצלתים נחשת להשמיע כי הנה המצלתים היו שם בלבד להשמיע הקולו' כאשר אמרתי ולא לשורר עמהם אך המזמרים עם הכלים היו זכריה ועזאל וגו' בנבלים על עלמות ומתתיהו ואליפלהו וגו' בכנורות על השמינית לנצח נקר' בלשונ' הכלי הזה של מצלתים או צלצל טרומבה סקאויצה או טרומבונו ובלשון הכתוב צלצל שמע גם הצלצלי תרועה הם ממין זה ואם תרצה לרחת טיבם והבדלם ראה במגיני חראשון בשמחת בית השואבה כי שם תמצא מה שלנפשך ינעם:

אמנם החלילין הם כלי נגון לזמר גם כן עמהם שהם חלולי' עגולים וארוכים והם של שלש' מיני' היינו הכלי הנקרא בלשוננו הקדוש קרן (דברי הימים א' כ"ה) ושני מיני' אחר' הנקראי' בלשון לעז האחד פיפירו והאחר פלאבטו: ואולם הקרן הוא כלי עץ ארוך ועגול' צר מלמעלה אצל הפה ורחב מלמטה מצופה על גביו עם עור של עגל צבוע שחור או ארום או מצבע אחר כרצון איש ואיש והוא עקום כקרן השור או העז והדומה לו ועקומו נופה לצד ימין התוקע ויש לארכו מצד פנים נקבים עגולים קטני' ידועי' במספר ונקב אחד לבדו עגול מאחריו שכשסותמי' ופותחי' הנקבים ההם ויקישו בם באצבעות ומפיחים בכלי בפה הוא משמיע קול ערב כרצון היודע לתקוע בו ויש לכלי הזה אבוב עגול בראשו יהוא נתון במקום אשר תוקעין בו שהוא ממין העץ ההוא שנעשה בו גוף הקרן ומצופה עור כמוהו ואבוב ההוא שהוא גם כן עגול מתחתיו הוא נכנס בחלל הקרן וסותם אותו בהדוק רב ועם כי יוכלו לתקוע בקרן אחר בלבד על השיר עם כל זה להשלמת הנגינת הטובה והמעולה הם רבים החלילין האלה כפי טבע קולות המשוררין הפשוטין או המורכבים כי במין הזה מהחליל יאות גם כן לשרת עם הלוים בשעת השיר:

אך הפיפירו הוא כלי עץ עגול וארוך צר גם הוא מלמעלה ורחב ועקום מלמטה

zal esse tubam divisam in duas, & esse instrumentum nobilissimum; cum eo excipiunt sonitus convenientes cantui; quando incipiunt canere, & cessabant in clangore tubarum, & in salutando populo; Idcirco scriptum est 1. *Paral.* XV. *Et cantores Heman*, *Asaph*, *atque Ethan cum Meziltaim æneis*, *ut audire facerent*. Ecce Meziltaim erant, ut audire facerent sonitus, uti dixi, at non, ut iis caneretur. *At qui canebant simul cum instrumentis*, *erant Zacharia*, *Usiel &c.* cum *nabliis*, *Ngalamin*, & *Matathja*, & *Eliphati &c. cum citharis super octava ad superandum*. Eorum lingua vocatur hoc instrumentum Meziltaim, aut Zilzal *tromba scavezza*, o *trombone*, & parater in scripturæ dicitur *Zilzal*, aut *Zilzal Sciaman*, atque etiam *Zilzal clangoris*; & si videre vis eorum discrimen & distinctionem, vide in scuto primo, in lætitia domus haustionis, quod ibi deprehenditur, quod satis fiat desiderio animæ tuæ.

Ceterum *Chelilin* erant instrumenta cantus, ad psallendum cum illis, & sunt longi, vacui, & angusti, & constant tribus speciebus, sc. est illud instrumentum, quod nostra sancta lingua dicitur קרן *Keren* 1. *Paral.* XXV. & constant duabus aliis speciebus, quæ Italice dicuntur altera *Piffero*, & altera *Flauto*. Ceterum *Keren* erat instrumentum longum, rotundum, angustum ad superiorem partem, prope os, & inferius latum, tectum in ejus superficie pelle vitulina, tincta nigro, aut rubro, aut alio colore ad arbitrium, contortum ad similitudinem cornu bovis, aut capræ, aut hujusmodi; & pars ejus obliqua erat ad dextram clangentis; & habet ad longitudinem partis interioris quædam foramina rotunda parva, juxta certum numerum & formam, unum duntaxat rotundum ad partem posteriorem: quando enim clauduntur & aperiuntur illa foramina, & in ea digitis percutitur, & inflatur ore, emittit sonitum suavem ad arbitrium clangentis; & in hoc instrumento est fistula rotunda in ejus summitate, & statuitur in loco, ubi clangitur, & constat eadem specie, qua construitur corpus *Keren*; pariterque tecta est pelle, & inferius est rotunda, & immittitur in vacuitatem instrumenti, & accuratissime illud claudit. Quamvis potuissent uno tantum cornu clangere in cantu; tamen ad perficiendum sonitum optimum, & præstantissimum, ibi erant plurimæ tibiæ juxta naturam vocum cantorum, sive erunt simplices, sive compositæ; etenim hujusmodi tibia poterat inservire Levitisin cantu.

At *Piffero* est instrumentum ligneum, rotundum, longum, & hoc pariter erat

נוטה העקום לצד מעלה ברובם מהפיפירי הקטני׳ וגם בפיפירי כלם יש נקבים עגולים לארכן מצד מעלה ונקב אחד עגול מחצה שכנגדו שמקישין בהם באצבעות ופותחין וסותמין אותם כשמפיחין ותוקעין בם ויש להם אבוב בראשן ממין אחר סמה שהוא עץ הכלי והוא עגול במקו׳ הנכנס בחלל הפיפירו ומעוכה בראשו במקו׳ שמשימין בה הפה התוקעין ויש שם סריקה באורך לצה רוחב האבוב והוא או של נחשת או של עץ או של קנה או של שן הפיל הנקרא בלעז אבוליאו והכלי הזה עם כי הוא נחמד וטוב עם כל זה לרוממות קולו לא יוכשר בחברת השיר ולבי אמר לי שזה היה החליל המיוחד בשמחת בית חשואבה לשאוב בחברתו המים בששון לנסך על גבי המזבח בימי חג הסוכות שקולו באמת הוא קול נכבד והוא קול של שמחת רבה נקרא בערבי מזמאר כמו שכתב רבינו ז׳ל בערכין ורבותינו קראו לחלילין האלה פריפירין בתנן במציעא פרק המוכר משנה ראשונ׳ שכר את החמר ואת הקרר להביא פריפרין וחלילין לכלה וכו׳:

אמנם הפלאבטו הוא גם הוא כלי עץ עגול וארוך משוה כמעט מכל הצררין למעלה ולמט׳ אולם צדו של מטה הוא מעט יותר רחב ממה שהוא למעלה אצל הפה ובכל המין שלו הוא פשוט ואינו עקום כלל והוא חלול כלו בחלקו התחתון אך מצד הפה במקום האבוב שיש לשאר מיני החלילין הבמורין העץ שלו הוא מלא מתוכו כמו עשת עץ עגול התוך מלמעלה בצד התחתון עליו הפה להפיח בו בשעת התקיעה ועל פי הכלי הזה יש סריקה ארוכה לצד רוחב עשת העץ הבזקעת ועולה לחוך חלל הכלי ומצד פנים במקום סוף עשת העץ יש בו כמו ארובה או חלון שקוף ואטום הבא תוך חלל הכלי ותחת הארובה ההיא יש נקבי׳ עגולים קטנים לאורך הכלי ונקב אחד עגול מאחוריו כמו שיש לשני החלילין האמורים והכלי הזה

anguſtum a ſuperiori parte latum & obliquum ab inferiori. In plurimis tibiis tam parvis, quam magnis ſunt foramina rotunda ad latitudinem in parte ſuperiori, & unum tantum foramen rotundum in parte oppoſita. Quando in ea percutiunt digitis, & claudunt & aperiunt, & inflant, & clangunt. In his pariter eſt fiſtula in eorum ſummitate ex ſpecie diverſa ab ea, qua conſtat lignum inſtrumenti; & erat rotunda in loco, quo immittitur in vacuitatem tibiæ, & compreſſa in ejus ſummitate, ubi ſtatuitur os, & clangunt; atque in ea eſt fiſſura in longitudine ad partem latitudinis fiſtulæ, & illa erat, aut ænea, aut lignea, aut ex calamo, aut ex dente elephantis, qui dicitur Italice *avolio:* & hoc inſtrumentum licet ſit deſiderabile, & optimum, tamen propter elationem ſonitus, non eſt conveniens in ſymphonia cantus; & meum cor mihi dicit hanc tibiam fuiſſe Chelil, quæ peculiaris erat in lætitia domus hauſtionis, ad hauriendas in ea ſimul aquas cum lætitia, & ad libandum libamina ſuper altare in diebus ſolennibus Tabernaculorum; eo quod ejus ſonitus fuerit præſtans, & ſonitus maximæ lætitiæ; & Arabice appellatur מזמר *Mazmur*, ſicut ſcribit præceptor noſter, cujus memoria ſit in benedictionem in tractatu *Erakim*: Et noſtri Rabini vocarunt has tibias *Priferin*, uti legitur in *Bava Metzia* cap. VI. I. *Si quis conducat aſinarium, aut figulum, ut adducat Pripherin, aut Chalilin pro ſponſa &c.*

Ceterum *Flauto* eſt inſtrumentum ligneum, rotundum & longum, & quaſi æquale ex omnibus lateribus tam ad ſuperiorem, quam ad inferiorem partem; verum pars inferior erat paulo latior, quam ſuperior prope os; quacunque conſtet ſpecie, erat ſemper rectum, & non obliquum ullo modo; & erat omnino vacuum. At in oris ſitu (ubi in ceteris tibiis memoratis eſt fiſtula) ejus lignum intrinſecus eſt plenum ad ſimilitudinem ligni rotundi, inciſum in parte ſuperiori, oblique in latere inferiori, ut ſit tenue in loco, ubi ſtatuitur os, ad inflandum tempore clangoris; & ſuper os hujus inſtrumenti eſt fiſſura longa ad latitudinem maſſæ ligni abſciſſæ, & aſcendit in vacuitatem inſtrumenti, & in ſuperficie, ubi eſt extremitas maſſæ ligni, ibi deprehenditur quaſi feneſtra aperta, & clauſa, quæ reſpicit vacuitatem inſtrumenti; & ſub hac feneſtra ſunt foramina rotunda, parva ad longitudinem inſtrumenti, & foramen unum rotundum ad partem poſteriorem, ſicut ineſt in duabus tibiis memoratis; & hoc inſtrumen-

הוא מיושר ומתוקן לתקיעה ולנגון בחברת המשוררים בפה ואולי הפלאבטו הוא המין ההוא מהחליל שאמרו רבינו והבירטאנור׳ ז״ל דבגמרא מזכח דחליל נופיה קרוי אבוב כי אבוב וחליל לבעלי הגמרא אולי דבר אחד הם:

כלל העולה מהדברים שכלי השיר מהמין מהמין הטוב והנאות לזמרה נוסף על הכלים שהיו על הדוכן בהקרבת הקרבנות הם השרים השרות השדה השדות השמינית הגתית השושנים המחלת השושן עדות והנגינת ועל כל מודה עון ירוחם גם אני אודה כי לא ידעתי מה הם הכלים האלו אשר כתבתי עתה עה כי דבר ברור הוא אצלי כשמש שכל אלה הנזכ׳ בקהלת ובשאר הכתובי׳ של דוד מלך ישראל היו נכוני׳ לנגן ולשורר עמם גם יחד כנרא׳ בתהלו׳ שנמנה שם שבחם על המזמורים בפרטות אך על הדוכן היו בכל יום הנבל הכנור הצלצל והחצוצרות ובחגי ה׳ נלוו עמם גם כן לעולם השני מיני חלילין היינו הקרנים והפלאבטי ובשמחת בית השואבה היו שם כלי נגון רבים שהיו טובים להכות בם ביחוד שלא על השיר או שהיו טובים להקיש או לתקוע בם עם הזמרה בנעימה כמו שהיו המינים והעוגב שהיו טובים עם השירות והצלצלי תרועה ודומיהן שלא היו טובים עם הזמרות אלא ברוחק ואולי לא היו מרחיקין בשמחת בית השואבה בחברוס חשבכה והפסנתרין לנגן עליה׳ גם כן בחברת השירו׳ עם כי השלשה כליסח אל האחרונים היו בערך הכנור והנבל כקוף בפני אדם ודעו כי הפסנתרין הזה נקרא בלשון יון ולאטינו פסאלתיריאון והוא כלי דומה למגן מרובע של עשר׳ מיתרי׳ שעליה׳ היה עץ חלול שבו נכנס קול הקשת המתרי׳ הנשמעת בגללו ההקשה הזאת עד למרחוק וזה לא היה הנבל כמו שחשבו רבי׳ אך היה בלי נופל ממנו הרבה ואני בארבעה פרקי׳ הבאי׳ אכתוב בעזר׳ הצור צורת המנים והנבל והכנור והעוגב ובפרק הנבל תמצאו מה הוא הקתרוס והשבכא שלא אשיב פה שנית ידי לדבר בם פן יהיה זה לכם למשא:

mentum est optimum & conveniens ad clangendum in symphonia & harmonia eorum, qui ore canebant. Et fortasse *Flauto* Italice est species *Chelil*, de qua locuti sunt magister noster, & *Bartenora*; & quod constet ex Gemara ipsum Chalil vocari אבוב *Abub*, quod *Abub* & *Chalil* sint idem autoribus Gemaræ.

Quod ex his constat, hoc est, quod instrumenta cantus ex priori specie, optima, & convenienta psalmodiæ, addamus instrumentis, quæ erant super suggestu, quando offerebantur sacrificia; & illa erant *Sorim*, & *Sarot*, *Sida*, & *Sidot*, *Sceminit*, *Chanitha*, *Sciosciamim*, *Mahalat*, *Sciosciam Ngedot*, & *Neghinat*; Quoniam qui confitetur errorem suum, dignus est misericordia, ego quoque fatebor me ignorare, quid essent hæc instrumenta nunc memorata; licet mihi constet, & res clara sit instar solis, hæc omnia instrumenta memorata in *Ecclesiaste*, & in *Psalmis*, & in reliquis scriptis David regis Israel fuisse convenientia sonitui & cantui in symphonia cum illis, sicut videte est in Psalmis, ubi cornu laus præcipue narratur. Super suggestu quotidie erat *Nebel*, & *Chinor Zilzal*, & *Tubæ*, & in solennitatibus Domini copulabantur cum illis semper duæ species Chalilim, sc. Keren, & Tibia, & in lætitia domus haustionis erant plurima instrumenta sonitus, quæ separatim erant optima pro sonitu, at non pro cantu; aut erant optima ad pulsandum, & clangendum una cum cantu suaviter; e.g. *Minim*, & *Ngugab*, quæ erant convenientia cantui & *Zilzalim* clangoris, & his similia, quæ non erant apta cantui, nisi magna necessitate. Fortasse non removebantur a lætitia domus haustionis *Katros*, *Sebecha*, & *Pesanterin* ad clangendum pariter cum illis in symphonia cantuum, quamvis tria hæc ultima instrumenta sint respectu *Chinor*, & *Nebel*, veluti simia coram homine. Scitote *Pesanterim* Græce & Latine appellari *saltirion*, & est instrumentum simile scuto quadrato, constans decem chordis, quibus impositum est lignum vacuum, in quod ingreditur sonitus pulsationis chordarum, cujus causa ejus pulsatio procul auditur; & hoc non erat *Nebel*, sicuti multi putarunt, sed erat instrumentum illo inferius, & deterius; & ego in quatuor capitibus sequentibus Deo opitulante describam figuram *Minim*, & *Nebel*, & *Chinor*, *Ngugab*; & in capite *Nebel* invenietis, quid esset *Katros*, de quo ut puto alias loquendum, ne hoc sit vobis oneri & molestiæ.

פרק ד׳

המנים הוא כלי שיש לו חלקים רבים מלשון ולחנה יתן מנה אחת אפים שרוצה לומר חלק והוא לפי דעתי הקלאויקורדו שהוא כלי של מנים שונים או חלקי׳ רבי׳ מתוקני׳ בהדרגה נקר׳ בלשון יון מונוקורדון היינו כלי אחד נכון לנגן מפני שעם רוב חלקיו יחד לא יעשה אלא כלי אחד בלבד עם המתרים עליו כי מונוס ר״ל יחיד או אחד וקורדה ר״ל מתר מתוקן לנגן ובלשון לאטינו אולי אונופידיאום נקרא כי פידיס רוצה לומר מתרי נגון והוא כלי עשוי כמין תיבה מעוכה סתומה מכל צדדיה וחלולה בפנים והמכסה העליון ממנה לא יזוז ממקומו כי לא יפתח ולא יסגר זה הכלי כתיב׳ וגם מכסהו זה אינו שוה לדופני הכלי מלמעלה כמשפט התיבה אך ירד כמו טפח למטה מראשי הדפות ויעשה למעלה כמו אצטבא או מעקה סביב סביב לתת בו באלכסון הנסר שאומר בסוף הפרק אמנם על גבו שלי כל זה והוא המכס׳ האמור יש המתרי׳ שטוחים לארכו שיקישו בם והם של נחשת דק דק עד מאד ומצד האחר מהמכסה יש יתרות זקופות של ברזל שעליהם יסובו המתרים ומצד האחר יש ברזלים קטני׳ שעליה׳ יקשרו ראשי המתרים ההם וכשירצו למשוך המתרים ולכונן אותם שיהיו טובים להקיש בם בנגון השיר הם משתמשים בכלי אחד קטן דומה לפטיש שראש בית יד שלו הוא חלול ותיחבי׳ החלל ההוא בראש יתדות הברזל שעליה׳ יסובו המתרים ומניעים היתדות ההם בסבוב עד שימשכו המתרים הנקשרים בברזלים שבצד השני כרצונם ועל גב הכלי בין המתרים יש נקבים מה מעשה שושן שירדו עד חלל הכלי כדי שיכנס קול הקשת המתרים שם להנעים הקשתם בנגון:

והנה הכלי הזה או התיבה הזאת מלפניה בתחתיתה יש לה סרח עורף מגוף הכלי שיוצא לחוץ ארכו באמה ורביע ורחבו כמו

CAPUT IV.

Minim est instrumentum constans multis partibus, ex eo quod dictum est, I. *Sam.* I. *Et Annæ dabat partem unam duabus vicibus*; sc. חלק *partem*; & juxta meam sententiam erat *clavicordo*, quod erat instrumentum constans differentibus partibus gradatim dispositis, & Græce dicitur *Monochordon*, sc. instrumentum unum conveniens ad clangendum, quod quamvis constet simul multis partibus, tamen non est nisi instrumentum unum duntaxat cum suis chordis; etenim *monos* non significat nisi unicum & solum; & chorda significat id, quod est conveniens ad clangendum; & fortasse Latine dicitur *unifidium*; eo quod פדים significet chordas sonitus. Atque erat instrumentum compositum ad similitudinem arcæ compressæ, clausæ in singulis lateribus, & intrinsecus vacuæ; & in superiori parte erat operculum, neque dimovebatur a loco suo; eo quod non aperiatur neque claudatur hoc instrumentum, sicut fieri solet in arca; præterea hoc operculum non erat æquale lateribus instrumenti in superiori parte, sicut fieri solet in arca; & descendit palmum circiter infra summitatem laterum instar sedilis, aut loricæ, aut circum circa, ut ibi oblique statuatur tabula, uti dicam in fine capitis. Verum in summitate hujus instrumenti, quæ erat ejus operculum jam memoratum, erant chordæ extensæ ad ejus longitudinem, in quibus pulsabant, & constabant ære tenuissimo, & ab altero latere operculi erant clavi erecti ferrei, super quibus circumibant chordæ, & ab altero erant ferra parva, quibus alligabantur summitates chordarum; & quando velint trahere chordas, & disponere, ut sint aptæ ad pulsandum in sonitu cantus, utuntur instrumento parvo ad similitudinem parvi mallei; & summitas ejus manubrii est vacuum, & introducitur ejus vacuitas in summitates clavorum ferreorum, in quibus circumeunt chordæ, & circumovent hos clavos, donec trahant chordas alligatas in ferra, quæ sunt in altero latere juxta eorum placitum, & in summitate instrumenti inter chordas sunt foramina facta ad similitudinem rosæ, quæ descendunt usque ad vacuitatem instrumenti, ut introducatur sonitus pulsationis chordarum, & earum pulsatione in sonitu harmonia excitetur.

Et ecce in hoc instrumento, aut in hac arca in anteriori parte inferius deprehenditur redundantia prominens a corpore instrumenti in longitudine cubiti, & quar-

שליש' אמה ויש עליו בגר שטוח שהוא משמש לירתו' של עץ היוצאות מחלל הכלי על סרח העורף הזה כדי שלא ישמע קול הקשת עץ חיתרות על עץ סרח העורף כשנושי' בולגגן ויתרות העץ האלה הרחבות לצד ראשן החצוני וארוכות ובולטות כמו ד' אצבעות לחוץ הן שטחות על פני כל סרח העורף מהכלי בשורה שוה עד סכום שלשים זה אחר זה ועליהם מונחות יתרות אחרות של עץ קצרות מהן לסכום עשרים בסדר הזה המתחיל משמאל הסרח העורף וההולך לימינו שבראשונה הן שתי יתדו' סמוכות אחריהן ג' אחריהן ב' ג' · ב' ג' · ב' ג' · שהם עשרי' ובין כלם חמשים וכל היתרות יוצאים מחלל גוף הכלי כאמור ועל ראשן הפנימי שהוא צר ינוחו חמשים חלקי עצים כמעט מרובעים פשוטי' וארכי' כמו ד' אצבעות שיורדים שם בתוך החלל מן הגג העליון מהכלי וכל עץ מאלו היוצא חוץ לגג הכלי והיורד אל תוכו על ראש היתרות כאמור הוא חתוך בשלשה חתיכות קצרות בראשו ובחלק העץ האמצעי שבהם הנפרד מבין החתיכות יכניסו בו ברזל עגול קטן ודק כחוט השערה וידביקו אותו בין דופנות העץ אשר ממנו לוקח והוא מתנועע שם בנקלה ובפניו תוחבים חלקים קטנים דקי' וחדי' מקני נוצת בנפי האווזה או עוף דומה לה עם חלקי' קטני' של בגר אדום ודק מזה ומזה היוצא מעט לחוץ מהדופנות האמורות להניע הקשרת המיתרי' ומשנוקשי' ביתרות שעל הסרח העורף ידלגו למעלה העצי' ההם הארוכי' כמעט מרובעים ופשוטים אשר ינוחו על לצי חיתרות לצד פנים תוך חלל הכלי כאמור:

ויקישו בנוצת העוף התחובה בחלק העץ האמצעי שבראשם במיתרים השפוחי' על גב הכלי לארכו כאשר כתבנו ולא יפלו העצים האלה הזקופים ועולים חוץ מגג הכלי עם כי הם סמוכי' בלבד על ראשי היתרות הפנימיות ובלתי דבוקי' בם אך יחזרו למקומן על ראש

quartæ partis circiter, & in latitudine tertiæ partis cubiti circiter, & in ſuperiori parte daprehenditur veſtis extenſa, quæ inſervit clavis ligneis, qui exeunt ex vacuitate inſtrumenti, ſuper illam partem, quæ redundat, ne exaudiatur ſonitus pulſationis ligni clavorum ſuper ligno redundanti & prominenti, quando pulſatur ad clangendum. Et clavi iſti lignei, qui lati ſunt in latere ſummitatis exterioris, & longi, & eminentes quaſi quatuor digitos extrinſecus, extenſi ſunt in ſuperficie totius redundantiæ prominentis ex inſtrumento in linea recta ad numerum triginta, alterius poſt alterum, & his impoſiti ſunt alii clavi lignei breviores ad numerum viginti hoc ordine, initium fiat a ſiniſtra redundantiæ prominentis, incedendo ad dextram; ut in principio ſint duo clavi proximi, poſt illos tres, poſt illos duo, & tres, duo & tres, duo & tres, qui ſunt viginti, & omnes ſunt quinquaginta, & omnes clavi exeunt ex vacuitate corporis inſtrumenti, uti dictum eſt: Et in eorum ſummitate interiori, quæ anguſta eſt, imponuntur quinquaginta particulæ ligneæ quaſi quadratæ, erectæ, & longæ quatuor digitos circiter, quæ deſcendunt intra vacuitatem ex tecto ſuperiori ab inſtrumento, & ſingula ligna, qui ſponte exſiliunt extra tectum inſtrumenti, & deſcendunt in ejus partem interiorem ſuper ſummitatem clavorum, ſicut dictum eſt, ſunt diviſa in tres inciſuras breves in ſummitate; & in partem ligni medii, quod ſeparatur ex inter inciſuras, introducitur ferrum rotundum, parvum & tenue inſtar capilli, & annectitur inter latera ligni, ex quo ſumtum fuit, & facile commovetur; & in ejus ſuperficie infigebantur particulæ tenues, & acutæ ex calamis pinnæ alarum anſeris, aut avis hujuſmodi, cum particulis veſtis rubræ & tenuis hinc inde, paululum exit ex memoratis lateribus ad excitandam pulſationem chordarum; & quando pulſatur in clavos, qui ſtatuuntur in tabula redundantiæ prominentis, ſurſum exſiliunt hæc ligna longa, quaſi quadrata, & erecta, quæ ſtatuuntur in extremitate clavorum in latere interiori inſtrumenti, uti dictum eſt.

Et pulſant calamo volucris, qui infixus eſt in parte media ligni, in cujus ſummitate ſunt chordæ protractæ ſuper tectum inſtrumenti ad longitudinem, uti dictum eſt; neque cadunt hæc ligna erecta, neque exſiliunt a tecto inſtrumenti, quamvis innitantur duntaxat ſummitatibus clavorum interiorum, neque illis affixa ſint, ſed revertuntur ad locum ſuum, ſuper ſummitatem clavorum, quæ

ſunt

היתרו׳ שבחלל הכלי בסוף ההקשה בעבור נסר עץ רחב כמו ג׳ אצבעות שהוא למעלה מהעצים הנזכרים עם ריחוק מעט לתת ריוח לעצים הזקופי׳ לעלות בכח הקשת היתרות למעלה ובשיכו בראשם בנסר שהוא למעלה מהם התחוב ברפות אצטבת הכלי האמורה בראש פרק זה יורחפו בהכאה ההיא למטה ויחזרו כמשפטם הראשון על ראשי היתרות שהם בחלל הכלי ויעמדו שם עד הקשה אחרת ויש מי שאומ׳ שהמנים הוא האורגאנו המשמיע קול חלילים רבי׳ בהקשתו והוא נכבד מאד ולא כתבתי כאן צורתו וחלקיו כלם בפרטות אחד לאחד למצוא חשבון כי אזנו מכונתינו ובפרט כי דברתי עליו בשמחת בית השואבה במספוק:

פרק ה׳

הנבל הוא כלו מכלי הנגון ידוע אצלנו נקרא בלעז ליאוטו ובלשוננו הקדש נקרא נבל או מפני שמרוב נעימותו הוא מנבל כל מיני כלי זמרם כמו שאמרו במדרש תילי׳ או מפני שבצורתו הוא כדמות נבל יין חלול מתוכו שיש לו כרס וצואר אמנם כרס הנבל מלפניו הוא שטוח וחלק וחוצה לו הוה כמעט עגול ומתוח כעין כרס מלא ובאמצעית הנבל מתוכו יש שושנה יפה עשויה נקבי׳ נקבים להכניס קול המתרי׳ בחלל הכלי והצואר שהוא שטוח וחלק מלפניו ומלמעלה או חוצה לו עגול הוא הבית יד שלו העולה ביושר עד קצהו ואז יתהפך להוץ עם חלל מה כדמות סדק׳ ותוחבים בחלק הזה המתהפך ירתות עץ מזה ומזה שעליהם יסובבו המתרים ההולכים ביושר על פני כל הכרס אמנם על החלק השטוח מלפניו הכרס הזה מראשיתו יש נסר עץ מעוך ומנוקב אשר בנקבים ההם יכניסו ויקשרו מתרי הכלי וימשכום למעלה סביב לירתות וכשמסבבי׳ היתדות האלה ימשכו המתרי׳ היטב ויתקנו אותם לנגן:

וצואר הכלי הזה הוא נחלק לעשרה שטחים

sunt in vacuitate instrumenti post pulsationem, propter tabulam ligneam latam tres circiter digitos, quæ imponitur lignis memoratis cum parvo intervallo ut detur spatium lignis erectis, ut adscendant propter vim pulsationis clavorum, & cum percutiant suis summitatibus in tabulam, quæ illis imponitur, infixa lateribus in ea parte, quæ redundat in instrumento, uti dictum est in principio hujus capitis, repelluntur propter eam pulsationem ad inferiorem partem, & revertuntur ad locum suum pristinum ad summitatem clavorum, qui sunt in vacuitate instrumenti, & ibi consistunt usque ad aliam pulsationem. Sunt qui dicant hoc instrumentum, quod appellatur Minim esse organum, quod emittit sonitus multarum tibiarum cum pulsatur, & est præstantissimum. At non descripsi hoc loco ejus peculiarem figuram sigillatim, cum eam in animo non habuerim; eo magis quod de ea satis superque fiat mentio in lætitia domus haustionis.

CAPUT V.

Nebel est instrumentum musicum nobis satis notum; Italice dicitur *Liuto*, & nostra lingua sancta appellatur *Nebel*; aut ea de causa, quod propter maximam ejus suavitatem stultescere facit omnes species instrumentorum musicorum, uti dixerunt in *Medras Psalmorum;* aut eo quod in sua figura sit similis utri vini intrinsecus vacui, cui sit venter & collum; at venter Nebel est extensus, levis, & extrinsecus paulo rotundus, ad similitudinem ventris pleni; & in medio Nebel intrinsecus est pulchra rosa, constructa multis foraminibus, quibus introducitur sonitus chordarum in vacuitatem instrumenti; & collum, quod est extensum & leve intrinsecus, & superius, & extrinsecus est rotundum, est ejus manubrium, quod recte incedit usque ad ejus extremitatem; & tum convertitur extrinsecus in vacuitate simili fissuræ, & infiguntur in ea parte, quæ convertitur, clavi lignei hinc inde, super quibus chordæ circumeunt, quæ recte incedunt super superficiem totius ventris. Verum in ea parte, quæ est extensa intrinsecus, est tabula lignea depressa, & perforata; & per hæc foramina introducuntur, & connectuntur chordæ instrumenti & ad superiorem partem trahuntur circum clavos; & cum circumaguntur illi clavi, optime chordas trahunt, & disponunt ad sonitum.

Collum hujus instrumenti divisum est in

שוים כמין בתי׳ כי הנה במתרים נסים הדומים
למתרי הכלי שתוקעים בם מסבבי׳ ברחוק
שטחי׳ שוי׳ כמו בתים גוף הצואר סביב סביב
בהדרגה נאה וקושרי׳ אותו עמם בקשר אמיץ
ועושי׳ שבנתינ׳ אצבעות היד השמאלית בחזקה
תוך הבתים של צואר הכלי על הסדר האחד
או השנים או השלשה מהמתרים וכן כלם
ינעימו קול נפרד ומשונה זה מזה בהקשת
היד הימנית מלמטה על המתרים ההם שהם
על פני כרס הכלי בארך כאשר אמרנו:

והנה סדרי מתרי הנבל הפשוט הם ששה
היינו ב׳ מתרים ב׳ בתרי׳ לסדר האחר מהחמש׳
סדרי׳ העליוני׳ והסדר הששי שהוא התחתון
הוא של מתר אחד בלבד אך דעו כי לעת
עתה מצאו כלי אחר דומה לנבל נקרא
בלשון לעז קיטארונו ולו י״ג מתרים שהם
ישמשו בו כאלו היו י״ג סדרים של מתרים
כפולים וגם יש נבל של עשר׳ סדרים של שני
מתרי׳ כפולים לכל סדר מהששה סדרים
התחתוני׳ וארבעה מתרים אחרי׳ פשוטים
עליהם יותר גסים מהמתרים התחתונים אך
כל מתר נוסף הוא גס מחברו והם ארבע׳
במספר עד שבין כלם הם עשרה סדרים נקרא
ליאוטו קיטארונאטו והוא נכבד מאד ואין
למעלה הימנו וכזה לפי דעתי היה נבל דוד
המלך באומרו בנבל עשור אזמרה לך היינו
בנבל של עשר׳ סדרי׳ ודעו מתרי הנבל הם
לעולם של גידי או מעי בהמה ולא של נחשת
כאשר הם של הקלאויקורדו ושל כלי אחר
דומה לנבל נקר׳ בלשון לאטינו ולעז ציטארה
ובלשון כשדי קתרוס ובלשון יון בארביתוס
כתוב בביטא באלפא ברו בביטא ביוטא
בתיו באומיקרון ובסיגמא התוקעים בה
בגרירת המתרים עם כלי עשוי מקני נוצת
אנוזה או כדומה הנקר׳ פליקטרון בלשון יון
שהוא חתוך דק וחד כידוע למי שאמן ידו
להקיש בו אמנם המתרגם תורתינו הקדושה
אלשון לאטינו כתב בשאר ספריו שחבר הוא
מדעתו כי הלירה שלו הנקראת גם כן בלשון
יוני בהשאלה ציטארה כתובה בכאפא ביוטא
בטיטא באלפא ברו ובאלפא הוא כלי של נגון

in decem lineas æqualiter diviſas inſtar domuncularum, etenim chordis craſſis ſimilibus chordis inſtrumenti, quibus clangitur, circundabant in diſtantia linearum æqualium ad ſimilitudinem domunculārum, corpus colli circumcirca cum gradatione convenienti, & illud connectabant nodo firmo, & efficiebant, ut imponendis digitis manus ſiniſtræ robuſte intra illas domunculas colli inſtrumenti ſuper ordinem primum, aut ſecundum, aut tertium chordarum, & ſic in reliquis, emitteretur ſonitus ſuavis diſtinctus, & diverſus alter ab altero pulſatione manus dextræ infra eas chordas, quæ erant in ſuperficie ventris inſtrumenti in longitudine, uti diximus.

Ecce ordines chordarum nablii ſimplicis erant ſex, ſc. conſtabat duabus chordis pro ſingulis ex quinque ordinibus ſuperioribus; & ſextus ordo, qui erat inferior, una tantum chorda conſtabat. Scitote noſtris temporibus inventum eſſe aliud inſtrumentum ſimile nablio, quod Italice dicitur *Chitarrone*; quod conſtat tredecim chordis, quæ inſerviunt, quaſi eſſent tredecim ordines chordarum duplicium; præterea eſt nablium conſtans decem ordinibus chordarum duplicium pro ſingulis ordinibus, ſex ex inferioribus, & aliis quatuor chordis ſimplicibus craſſioribus præ chordis inferioribus. Verum ſingulæ chordæ ſunt aliis craſſiores, & numero ſunt quatuor, ita ut ex omnibus ſint decem ordines, & Italice dicitur *Liuto Chitarronato*; & eſt excellens, & nullum eſt illo præſtantius; Et huic ſimile juxta meam ſententiam erat nablium David regis, ſicut dictum eſt. *Pſal.* CXLIV. 9. *Nablio decimato ego pſallam tibi*: ſc. Nablio conſtanti decem ordinibus. Scitote chordas nablii fuiſſe ſemper ex nervis, aut inteſtinis animantis, at non æneis, ſicut ſunt illæ clavicordi, & alterius inſtrumenti ſimilis nablio, quod Latine atque Italice dicitur *cithara*, & Chaldaice *Chatros*, & Græce *Barbitos* ſcriptum beta, alpha, ro, beta, jota, thau, omicron, & ſigma. Et pulſatur trahendis chordis ſuper inſtrumentum confectum ex calamis pinnæ anſeris, aut ſimilis; Et Græce dicitur *Plectron*, inciſum tenuiter & acute, ſicut notum eſt illi, qui peritus ſit ad pulſandum. Veruntamen qui Latine interpretatus eſt noſtram ſanctam legem: ſcripſit in reliquis ſuis libris, quos ex ſua ſententia compoſuit, quod ejus *lira* per translationem ſimiliter Græce vocetur *Cithara*; ſcriptum cappa, jota, thita, alpha, ro, & alpha, & ſit inſtrumentum muſicum confectum ad ſimilitudinem

הנעשה כדמות אות יונית הנקראת דילטא מרובקת שצורתה היא כמו משולש כזה △ עם כ"ד מתרי' וזאת באמת אינה הציטארה שלנו אשר אמרתי אך היא נוטה לדמות הכנור אשר אכתוב עתה ואינה שלמה ונבחרת כמוהו כמו שתראו בפרק הבא בסמוך והלירה הזאת שאמר המתרגם הנזכר נקראת כלשון יון בעצם וראשונה סמביכו כתובה בסינמא באלפא במי בביטא באופסילון בחירק תחת האלף בכאפא ואיטה ובלשון לאטינו נקראת סאמבוקה ובלשון כשדי שבכא ואינה נקראת באמת כיטארה כאשר אמר:

פ ר ק ו'

הכנור הנקרא בלשון לעז ארפה הוא כלי עץ נעשה כדמות פתח פתוח לרוחה שאין הדלתות עליו והאסקופה העליונה ממנו היא רחבה והתחתונה היא צרה כי שתי המזוזות הם נוטות זו על זו עד כי הכלי הזה הוא מסטה כדמות שער טרי מלמעלה שהיה אחד משערי הר הבית שלא היה לו משקוף על גביו כאשר כתבתי בפ' שלישי מפרקי אלו ובמקומו היו שם שתי אבנים מוטות זו על גב זו והמזוזה האחרת מהכנור הלזה היא חלולה בפנים וזאת המזוזה היא היא הכנור עצמו שיש בו ד' ארובות עגולות הפותחות חלל הכלי שתים מהן כמזוזה מלמעלה בשורה שזה זו אצל זו ושתים האחרות במזוזה ההיא מלמט כדמות הארובות העליונות להכניס בכניר נעימות קול המתרים כשיקישו בם אמנם המזוזה האחרת אין לה' שום שמוש בנגון כי אם להשלים צורת הפתח בכנור והיא של עץ שלם מתוכו כלו מקשה מבלי שום חלל על המזוזה הזאת ועל המזוזה האחרת שהיא הכנור עצמו יש עץ על גביהן כמו משקוף שאינו ישר אלא כדמות צורה נוטה לראשית מצור' חצי ענול ובו הם תחובים היתדות של ברזל שעליהם יסובו המתרים שהם תלויים בסופם על כל אורך הכנור או המזוזה החלולה בהדרגה מתר זה קרוב ביושר לזה וזה למעלה מזה ולא יטו על המזוזה האחרת הבלתי חלולה כלום לא בכל ולא במקצת והמתרים האלה הם מגידי

Delta Græci, quadratum, quod ejus figura sit quasi triangularis, ad similitudinem △ constans quatuor & viginti chordis; & hæc certe non est nostra Chinor, de qua dixi; verum inclinat ad similitudinem Chinor, de qua modo scribam; Et non est perfecta, & electa, sicut illa erat, sicut describam in capite sequenti. Et hæc lira, de qua locutus est interpres memoratus, Græce dicitur peculiari nomine *Sambichi*, scriptum sigma, alpha, mi, beta, epsilon cum Chirech sub alpha, cappa, & jota; & Latine dicitur *sambuca*, & Chaldaice *Sabecha*, neque vocatur cithara, sicut ipse dicit.

CAPUT VI.

Chinor Italice vocatur *Arpa*; & est instrumentum ligneum confectum ad similitudinem portæ apertæ ad ejus latitudinem, cui superius non sunt ostia; & ejus latus superius est latum, & inferius angustum, eo quod duo postes se inclinent alter ad alterum; ita ut hoc instrumentum inferius sit simile portæ Teri, quæ erat una ex decem montis domus, cui non erat in ejus summitate, superliminare uti scripsi in tertio capite hujus mei libri; Et ejus loco illi erant duo lapides se inclinantes alter super alterum: & postis unus Chinor erat vacuus intrinsecus, & hic postis erat ipsamet Chinor, cui erant quatuor fenestræ rotundæ apertæ ad vacuitatem instrumenti, quarum duæ erant in parte superiori in linea æquali altera prope alteram, & aliæ duæ erant in poste in parte inferiori ad similitudinem fenestrarum superiorum, ut introduceretur in Chinor suavitas sonitus chordarum, quo tempore pulsarentur. Veruntamen in altero poste nullus erat usus in sonitu; etenim tantum inserviebat ad perficiendam figuram portæ in Chinor, & constabat ligno integro in parte interiori, duro, sine ulla vacuitate. Et super hoc poste, & super altero, quibus constabat Chinor, erat lignum instar superliminaris, quod non est rectum, sed erat ad similitudinem, quæ inclinat ad principium figuræ semicircularis; & ibi infixi sunt clavi ferrei, in quibus circumaguntur chordæ, quæ annexæ sunt in suis extremitatibus per totam longitudinem Chinor, aut postis vacui gradatim, chorda altera in linea recta proxima alteri chordæ, & altera erat altera superior, neque se inclinant ad alterum postem, qui non est vacuus, neque omnino, neque partim; Et hujusmodi chordæ constabant nervis, aut intestinis

או מעי בהמות כמו שהם מיתרי הנבל יעלו לסכום שבעה וארבעים:

והנה כשמנגנים בכלי זה הוא זקוף ומונח בין ברכי המנגן המקיש המיתרים בשתי ידיו אחת מצד זה והאחרת מצד זה והנגון שלו העצמי הוא על נגינת הקוראים אותן המשוררים הבקיאים שלהם חמשית ששית שמינית היינו הדיאפינטי האיגסאקורדו והדיאפאסון:

ואתה הקורא דע כי נקרא הכלי הזה כנור על שם המיתרים הנתונים ביושר ולאורך הכלי כמו ופיה עגול מעשה כן (מלכים א׳ ז׳) שרוצה לומר מעשה ישר או נקרא כנור כאמור מפני שהמיתרים הם תחובי׳ על כן הכלי היינו מושב הכלי כמו ויעש את הכיור נחשת ואת כנו נחש׳ (שמות ל״ח) שרוצה לומ׳ מקום מושבו ואין להרהר עלי או על מי שיאמר היות הכנור הזה הכלי ההוא הנקרא בלשון לעז ארפה כי הנה אין בכל כלי השיר כלי שיזכר לנגן מעצמו בנשיבת הרוח אלא זה מצורף למה שהאמינו גם כן כל עמי הארץ המציירים לעולם דוד המלך ע״ה עם הארפה הזאת בידו ולא עם כלי אחר מכלי הנגון שזכרנו בפרק חמשי מספר זה אמרו רבותינו ז״ל במסכת ברכות פרק מאימתי על פסו׳ חצות לילה אקום להודות לך דוד סימנא הוה ליה דאמ׳ רב חנא בר בונא אמר רבי שמעון חסידא כנור היה תלוי למעלה ממטתו של דוד וכיון שהגיע חצות לילה רוח צפונית מנשבת בו והיה מנגן מאליו והיה דוד יושב ועוסק בתורה עד שיגיע עמוד השחר:

ועתה אם תשים הנבל העוגב המנים ושאר כלי שיר לעומת הרוח לא ישירו וינגנו אך אם תקח הארפה ותשים אותה לצד רוח הצפוני באופן זה שתהיה המזוזה שאינה גוף כלי הנגון לצד צפון שהו׳ הצד אשר משם נושב הרוח הצפוני והמזוזה האחרת שהיא הכנור עצמו לצד דרום אשר לעמתו ביושר הולך רוח הצפוני על הרוב אז כשיקיש הרוח הזה מזה ומזה במתרי׳ ישמיע קול דממה דקה מהגגוז ולא זמר ונגון פרטי מתוקן

stinis animantis, sicut erant chordæ Nebel, & adscendebant ad numerum septem & quadraginta.

Quando pulsatur hoc instrumentum, est erectum, & positum inter genua pulsantis, qui percutit ejus chordas ambabus manibus, altera ab altero latere, & altera ab altero latere. Et sonitus ejus peculiaris erat ille, qui appellatur a musicis peritis, quinta, sexta, octava, sc. diapente, exacordon, & diapason.

Scito Lector appellari hoc instrumentum Chinor, eo quod ejus chordæ recte disponantur ad longitudinem instrumenti, sicuti dictum est 1. *Reg.* VII. *Et os ejus rotundum opus rectum* (a voce כן, ex quo construi potest כנור sc. opus rectum); Aut dicitur Chinor, eo quod ejus chordæ sint positæ & infixæ super basi instrumenti: *Et fecit labrum æneum, & ejus basim æneam.* *Exod.* XXX. 8. sc. situm ejus basis: Neque mihi opponendum est, neque illi, qui dicit, hoc esse instrumentum, quod Italice appellatur *Arpa*, eo quod non deprehendatur in omnibus instrumentis instrumentum, quod per se possit personare flatu venti, nisi istud, qua de causa patres nostri, & similiter omnes populi terræ pinxerunt semper David regem, super quo sit benedicto, habentem citharam manu sua, non autem aliud instrumentum musicum ex instrumentis memoratis capite quinto hujus libri. Dixerunt Rabbini nostri, quorum memoria sit in benedictionem in Misna *Berachot* cap. I. in textum: *Media nocte surgam ad confitendum tibi*, *Psal.* CXIX. 62. Hoc erat signum τῷ David. Et dicit R. Cana bar Buna, dicit R. Simeon pius. Chinor erat appensa lectui David, & quando adventabat dimidia nox, ventus aquilonaris in illam flabat, & illa sponte personabat, & David sedens operam dabat legi usque ad columnam auroræ.

Nunc si statuantur Nebel, Ngagab, & Minim, & reliqua instrumenta musica conversa ad ventum, non personabunt, neque clangent. Verum si sumas citharam, & eam statuas ad latus venti aquilonaris hoc modo, ut postis, qui non est corpus instrumenti musici; sit situs ad latus aquilonare, sc. ut sit latus, unde flat ventus aquilonaris, & alius postis, qui est ipsemet Chinor, ad latus meridionale contra quod recte spirat plerumque ventus aquilonaris; quando percutit hinc inde in chordas, emittit murmur depressum, at non melodiam & sonitum peculiarem ordinatum, & rectum, sicut illi faciunt, qui cum scientia, & studio pulsant, eo quod hoc esset

ומיושר כמו שעושים המקישים בו ברערה
ומזמה כי זה יהיה נס מוחלט אין צורך בו
וה׳ אלהינו יתב׳ שמו לא ישדה הטבע וירצה
בנסים אלא בעתים מיוחדים לסבה מה
מהסבות לכבוד שמו תהלתו ותפארתו:

פרק ז׳

העוגב כפי דעת יונתן בן עוזיאל ואנקלוס
הגר הוא כלי של נגון ששמושו בפה כי
אנקלוס תרגם רבהון דכל דמנגן על פום
נבלא וידעי זמר כנורא ואבובא ויונתן בן
עוזיאל אמר הוא הוה רבהון דכל דמנגן
לזמרא בכנורא ואבובא אמנם אם נרצה
אנחנו לרדוף אחרי עקבות משיח ה׳ שבזכירת
כלי הנגון במזמו׳ קנ׳ הבדיל כלי הנגון בפה
מהכלים שמשתמשים בהם ביד ושתף העוגב
עם הכלי׳ שמנגני׳ עמהם ביד באמרו הללוהו
בנבל וכנור הללוהו במינים ועוגב נאמר כי
העוגב הכלי הנקרא בלעז ויאולה דא גאמבה
והוא כלי דומ׳ לעוג׳ מעוכה חלולה בפנים
שיש על גב ולכן נקרא עוגב שהוא כלי
דומה כמעט לנבל ועליו מצד פנים יש שני
נקבים לאורך כרס הכלי כדמות אות נצרית
נקבארת בלשון עז איסי להכנים נעימות
קולם של מיתרים כשיקישו בם לתוך הלל
הכלי אמנם בראש גופו לצד חוץ יש כמו
יתד בולט שבו תלוי נסר קטן דק רחב מלפנין
וצר מאחוריו ובמקום רחבו של נסר יש בו
ששה נקבים דקים שבהם יכנסו המתרים
ההולכים על כל גב כרסו של כלי אך לצד
ראשו גם כן יש נסר אחר זקוף בחצי גורן
עגולה מתוקן על גבו של כרס העוגב מצד
פנים ועל שפתו יש שש פגימות צרות יעברו
עליהם הששה מתרים ההולכים על כל גב
כריסו של כלי ובית יד העוגב הוא עשוי
כמו בית יד הנבל עם הבתים האמורים בו
ובראש הבית יד זה שיטה מעט לצד פנים
יש בו היתדות שיש סביבותם המתרים
התחובים בנסר הקטן שבראש כלי זה לצד
חוץ ועוברים בפגימות הנסר האחר הזקוף
על גב הכרס והיתדות שבראש הבית יד
ימשיכו המתרים עד שיוכשרו לנגון והם כמתרי

esset miraculum absolutum, in quo nulla esset necessitas; & Dominus Deus noster, sit benedictum ejus nomen, non expellit naturam, neque sibi placet in miraculis, nisi peculiaribus temporibus, & his de causis, quæ sint ad honorem sui nominis, laudem, & gloriam suam.

CAPUT VII.

Ngugab juxta sententiam *Jonathanis* filii *Uziel*, & *Onkelos* proselyti, est instrumentum musicum, quo ore utuntur; Etenim *Omkelos* interpretatur. *Magister omnium canentium in ore nablii, & qui intelligens erat in sonitu citharæ, & tibiæ. Et Jonathan ben Uziel* dicit: *Ille erat magister omnium, qui præfecti erant ad sonitum citharæ, & tibiæ:* Verum si nos velimus sequi calcaneos uncti Domini, qui mentionem faciens de instrumentis musicis in *Psal.* CL. separat instrumenta musica flatilia a tactilibus & conjungit *Ngugab* cum instrumentis musicis tactilibus, dicens. *Laudate eum cum nablio & cithara, laudate eum cum minim & Ngugab*. Dicemus igitur *Ngugab* esse instrumentum, quod Italice dicitur *Viola da gamba*. Et est simile placentæ (quæ Hebraice dicitur קינה) depressæ, intrinsecus vacuæ, & in ejus superiori parte est operculum, eaque de causa appellatur *Ngugab*, & fere similis est nablio, & in eo extrinsecus sunt duo foramina ad longitudinem ventris instrumenti, instar literæ Italicæ, *esse* S, ut introducatnr suavitas sonitus chordarum; quando pulsantur intra vacuitatem instrumenti. Veruntamen in summitate sui corporis extrinsecus est quasi clavus prominens, cui appensa est tabula parva, tenuis anterius & lata, & posterius angusta; & in loco latitudinis hujus tabulæ sunt sex foramina tenuia, in quibus introducuntur chordæ, quæ incedunt super totum ventrem instrumenti; verum ad latus suæ summitatis est præterea alia tabula erecta instar dimidiæ lunæ, rotunda, disposita super ventrem *Ngugab* ab ejus superficie: & super ejus extremitate sunt sex incisuræ, angustæ, super quas traducuntur sex chordæ, quæ incedunt super totum ventrem instrumenti; & manubrium *Ngugab* confectum est instar manubrii nablii cum domunculis in eo memoratis, & in summitate hujus manubrii, quæ paululum inclinat ad superficiem, sunt clavi, in quibus circumaguntur chordæ affixæ in tabula, quæ erat in summitate instrumenti extrinsecus & traducuntur in fissuras alterius tabulæ erectæ super ventre, & clavi, qui erant in summitate

ma-

הנבל והכנור היינו של גידי או מעי בהמו׳ ואין מקישין על המתרים ביד אך במקום האצבעות של יד ימין הם משתמשים המנגנים בכלי קטן עשוי כמין קשת ובמקום מתר הקשת יש שערות משערות זנב הסוס או דומה לו משוכות במאד עד שיעשו מתר הקשת קשה ומשוך ובמתר הזה של זנב הסוס נוררים על המתרים פעם על מתר אחד ופעם על שנים או שלש וכשמשימים אצבעות של יד שמאל על המתרים תוך בתי צואר הכלי כמו שעושי׳ בנבל ינגנו היטב בקולות ההן שירצו ואולי בעוגב הזה במנים הוא הקלאויקורדו או האורגאנו בטגרפה דערכין ובכלים אחרים כאלו היו משתמשין בהן בשמחה בית השואבה ועם הכלים הטובים לשורר עליהן היו משוררים ומנגנים יחד בלילה ההוא על הט״ו מעלות העולות מעזרת נשים לעזרת ישראל ובכלים האחרים הגרועים בתכונהם או הטובי׳ מצד עצמם ורעים מצד חזקת הקול בזמרה היו גם כן מקישים בם לבדם מרוב השמחה אמנם על הדוכן לא היו משתמשי׳ אלא בכנור בנבל בחליל ובצלצל ועם אלה היו החצוצרות כאשר אמרתי:

פרק ח׳

כמו שבכלי הנגון יש ביניהם הבדל כי הנה כבר ידענו היות מהם פחותים וגרועים עד כי לרוע טבעם ואיכותם לא יעלו עם הלוים על הדוכן לעולם וגם מהם מצאנו שמצד קולם החזק והתקיף אין להם מקו׳ בשיר כאשר אמרנו כן בכלים הנבחרים בנגון המלאכותי ידענו היות קצת מהם שלמים בתכלית לנגן על השיר ואין להרהר ומהם שלא יגיעו לשלמות זה בשום פנים גם כי ערבים הם מצד עצמם וטובים מאד מצד קולם אמנם השלמים במוחלט הם הכלים ההם שישמשו בנגינתם לכל קולות המשוררים גם יחד והשלמים בערך הם הכלים ההם שלא ישרתו אלא לקול אחד בלבד מהמזמרי׳ ועד השני קולות כאחד באמת לא יבואו: והנה כלי הפה כלם הם תחת הסוג הזה בלתי

manubrii, trahunt chordas, donec ordinatæ & diſpoſitæ ſint ad ſonitum, & illæ erant ſimiles chordis Nebel, & citharæ, ſc. ex nervis, & inteſtinis animalis; Non pulſantur manibus chordæ, ſed pro digitis manus dextræ, utuntur, qui pulſant, inſtrumento parvo ſimili arcui, & pro chorda arcus ſunt multi pili ex pilis caudæ equinæ, aut ſimilibus, valide attractis, donec fiat dura & tenſa chorda arcus; atque hac chorda caudæ equinæ trahentes pulſant ſuper chordis aliquando ſuper una, aliquando ſuper duabus, aut tribus, & quando imponunt digitos manus ſiniſtræ chordis intra domunculas colli inſtrumenti, ſicut fieri ſolet in nablio, optime perſonant iis vocibus, quas volunt. Fortaſſe *Ngugab*, *Minim*, *clavicordo*, aut *organo*, *Magrepha* in tractatu *Erakin*, & aliis inſtrumentis his ſimilibus utebantur in lætitia domus hauſtionis; & inſtrumentis optimis ad canendum clangebant ſimul ea nocte ſuper quindecim gradibus, qui adſcendebant ab atrio mulierum ad atrium Iſraelitarum, & aliis inſtrumentis inferioribus propter eorum compoſitionem, aut per ſe excellentibus, at non convenientibus, neque decentibus propter acumen ſonitus pro cantu; verum his diſtinctis ſeparatim pulſabant, ad multiplicandam lætitiam. At in ſuggeſtu non utebantur, niſi Chinor aut cithara, nablio, & tibia, Zilzal, & cum his tubis, ſicut dixi.

CAPUT VIII.

IN inſtrumentis muſicis eſt inter illa maximum diſcrimen; etenim ſcimus eſſe ex his infima & peſſima, & propter deteriorem eorum naturam, non adſcendunt cum Levitis ullo tempore in ſuggeſtum, præterea ex his deprehendimus ratione acuminis, & vehementiæ ſonitus, non fuiſſe illis locum in cantu, ſicut diximus; ſimiliter in inſtrumentis electis & convenientibus ad cantum artificialem ſcimus ex his alia eſſe perfecta ad clangendum ſimul cum cantu ſine ulla difficultate, & alia eſſe, quæ hanc perfectionem nullo modo attingunt, licet per ſe ſint ſuavia, & optima ratione ſonitus, verum quæ abſolute erunt optima ſunt illa inſtrumenta, quibus utebantur, qui clangebant in omnibus vocibus, quæ ſimul canebantur, & quæ ratione aliorum erunt perfecta, erant illa inſtrumenta, quibus non clangebant, niſi pro una tantum voce in pſalmodia; at pro duabus vocibus conjunctis non inſerviebant. Ecce inſtrumenta flatilia recen-

שלם וקצת מכלי היד יש להם שם בכל הקולות הפשוטים והמורכבים גם יחד ולא יחטא:

ועתה אלו האחרונים דבר ידברו בספר מיוחד המלמד אותם הנגון במצטרך אך הראשונים אין להם בזה ספר פרטי כי יביטו בלבד אל ציוני ספרי השיר ומהם יראו וכן ינגנו לכך המצלתים הקרן החליל והעוגב כי לא ישרתו אלא לקול אחד מהקולות לא יצטרכו לספר מיוחד שילמד אותם דעת הנגון ודי להם ציוני ספר השיר שישירו בו וינגנו עליו אך הכנור והמנים (יהיה הכלי הנקרא מנים או הקלאויקורדו או האורגאנו ששניהם יעלו לתורה אחת מהנגון) מפני שהם כלים שלמים ויצרפו כל קולות המשוררים יחד בנגינתם לא די להם ציוני הספר הפרטי מהזמרה לדעת בטיב נגונם אך צריך להם ספרים מיוחדים שילמדו הנגינה להם בלמוד נפרד ושלשת׳ יחד היינו הכנור האורגאנו הקלאויקורדו די להם למוד אחד משותף לכלם נקרא חלוקה היינו פארפיטורה בלשון לעז כידוע למי שיכיר בחכמת נגנת הכלים האלה שלא אצריך בזה כי אין בו צורך לכונתינו ומי שירצ׳ לדעת יותר ממה שכתבנו יהיו דבריו עם המנגני׳ בכלים האלה כי ימצא מרגוע לרצונו אמנם הנבל כי הוא גם הוא מהשלמים המשרתים לכל קולות המשוררי׳ יחד ולו משפט הבכורה כי הוא יותר שלם שבכלי הנגון מהיד ובפרט מפני מעוט מתריו לערך מתרי המנים והכנור צריך הוא לספר מיוחד שילמד ממנו המנגן הקשת הנגינה והספר הזה נקרא בלשונם אינטאוולאטורה הנעשת כמו שאומר וקודם כל דבר דע לך הקורא כי אציונים הנכתבי׳ בספר על הרוב לתשמיש הבקיאים שלהם שלא ידעו הזמרה אלא מכח הבקיאות הם כפנהאותיות וציוני המספר על דרך א׳ ב׳ ג׳ עד ציון האות העשירית ממנה ועם הציונים האלה המלמדי׳ סכום המספר יש ציון אחד שאינו מורה מספר אלא ריקנות היד והוא כמין ס שלנו וכאשר אנו רואים הסימן ההוא על סדר מה מסדרי המתרים ידענו כי צריך להקיש במתר ההוא מבלי שנשי׳ האצבע של יד שמאל על המתר שהציון ההוא בו עוד לא יפלא ממך שהנבל הנהוג והידוע לכל תלמידי המנגנים בו הוא של

cenſentur inter imperfecta; & pars inſtrumentorum tantum habent locum in vocibus ſimplicibus & compoſitis ſimul ſine ulla exceptione.

Pro his poſterioribus eſt liber peculiaris, qui docet ſonitum ſicut eſt neceſſe. At pro prioribus non eſt liber peculiaris, at inſpicient tantum in ſigna libri muſici, & his videbunt, quo pacto clangere debeant: Idcirco tubæ, cornu, tibia quæ non inſerviunt niſi uni ex vocibus, non opus habent libro, qui eos doceat ſcientiam cantus & ſonitus, & ſufficiunt ſigna libri muſici, quo canunt & clangunt. Verum in cithara & clavicordo, aut organo, quibus eſt eadem conditio in cantu, cum ſint inſtrumenta perfecta, & componant omnes voces cantorum eorum ſonitu, non ſufficiunt ſigna libri peculiaris ex pſalmodia, ad cognoſcendum perfectum cantum, ſed requiruntur peculiares libri, qui doceant ſonitum ſcientia & doctrina peculiari; & pro his tribus omnibus ſc. cithara, organo & clavicordo ſatis eſt eadem doctrina & ſcientia; Hæc dicitur partitio, atque Italice *Partitura*, ſicut notum eſt illi, qui ſcit, atque intelligit ſcientiam pulſandi hæc inſtrumenta: plura non dicam, cum non opus ſit pro noſtro propoſito. Qui plura ſcire velit præ his quæ præcipimus, conſulat eos, qui hæc inſtrumentum pulſant, inveniet quod ſuo deſiderio ſatisfaciat. Veruntamen Nablium, quod eſt ex perfectiſſimis, quæ inſerviunt omnibus vocibus cantorum, qui ſimul canunt, eique eſt conditio præſtantior; quia præſtantius eſt cunctis inſtrumentis muſicis tactilibus, præcipue propter paucitatem chordarum, reſpe ctu chordarum Minim & citharæ, opus habet libro peculiari, qui doceat, qui illud pulſat, pulſationem ſonitus. Et hic liber Italice vocatur *Intavolatura*, quæ eo modo quo dicam, perficitur. Verum ante omnia ſcito lector, quod ſigna ſcripta in libro plerunque inſerviunt iis, qui non intelligunt muſicam, niſi propter experientiam. Sunt ad ſimilitudinem literarum, & ſigna numerorum in ordine 1. 2. 3. uſque ad ſignum decimæ literæ; & his ſignis docent quantitatem numerorum, at eſt ſignum unum, quod nullum numerum oſtendit, ſed tantum remotionem manus, & eſt inſtar noſtri ס *Samech*. Et quando nos inſpicimus hoc ſignum in quovis ordine chordarum, intelligimus pulſandas eſſe chordas, non imponentes digitos manus ſiniſtræ ſuper chorda, ubi deprehenditur hoc ſignum; Præterea tibi non erit ignotum, nablium uſitatum, & notum omnibus diſcipulis muſicorum, con-

ששה סררי מתרים ככתוב למעלה והנבל קיטארונאפו הוא של עשר סררי מתרים וזה קרא המלך דוד ע"ה נבל עשור והקיטארונו הוא משלש עשרה סררים מתר אחד לכל סרר ועם כל זה האינטאוולאטורה מהנבל הנהוג של ששה סררים היא המשמשת לנבל קיטארונאטו ולקיטארוני מבלי שום הבדל ועל כן דע כי על כל הששה סררים מהם ישימו האצבעות על המתרים בהקשה על דרך הבתים שהם בבית יד או צוארו של נבל אך משׁשה סדרים ולמעלה הם כי יקישו במתרים לא ישימו את האצבעות עליהם לעולם בין בנבל קיטארונאטו ובין בקיטארונו עצמו על כן על ששה קוים בלבד הוא נכון הספר הזה מהאינטאוולאטורה ובשפח שיש בין כל סרר מהששה קוים לסרר ששה קוים אחרים המצויירי׳ בספר (כי על כל עמוד מהספר מציירי׳ ששת קוים ששה קוים עם ריות מה ביניהם עד סוף כל העמוד) בריוח ההוא שהוא בין ששה קוים לששה קוים יכתבו אותיות המספר לנבל קיטארונאטו עד עשרה ולקיטארונו עד שלש׳ עשר וסכום המספר ההוא לא יורה בתי צואר הנבל אך המתר בלבד שאם דרך משל למעלה מהששה סררים מהמתרים אשר אין בו שרטוט יכתבו שמנה יקישו גם כן המתר השמיני בלי נתינ׳ האצבע של יד שמאל עליו ואם יכתבו עשרה יקישו במתר העשירי וכן לכלם אמנם על כל ריוח מהשש׳ קוים שבם אותיות האינטאוולאטורה יש ציונים אחרים ורשמים פרטיי׳ שיוריעו בם למנגנים אם ההקשות יוקשו במתון או בתכיפה או במרוצה עד שישמרו הריטמו מהנגון ברץ וכשורה:

והא לך האינטאוולאטורה של הנבל הפשוט של ששה סרדים לא זולת ועתה אם תרצה לעשות הקשה אחת בכלי זה על סרר הששה סררים שבו תוכל לעשות הקשה אחרת בארבעה מתרים יחד בזה האופן שתשים אצבע אחד מהיד השמאלי על המתר הששי מהבית השני׳ ואצבע אחד על המתר החמשי מהבית השלושי׳ וגם אצבע אחד על המתר הרביעי מהבית הרביעית ועם היד

constare sex ordinibus chordarum, sicut supra scriptum est, & nablium, quod Italice dicitur *Chitarronato*, constat decem ordinibus chordarum; Et hoc appellat Rex David (cui sit pax) *nablium decimatum:* Et nablium, quod dicitur Italice *Chitarrone*, constabat tredecim ordinibus chordarum, singulis chordis pro singulis ordinibus. Verum *Intavolatura* Italice dicta, nablii usitati, quod constabat sex ordinibus, inservit nablio, quod Italice dicuntur *Liuto chitarronato*, & *Chitarrone* sine ullo discrimine. Idcirco scito in omnibus sex ordinibus imponendos fuisse digitos super chordis, pulsando super viam domuncularum quæ sunt in manubrio, aut collo Nablii: At a sex ordinibus & ulterius, licet pulsarent in chordis, non imponebant digitos, tam in Nablio, quod Italice dicitur *Chitarronato*, quam in eo, quod appellatur *Chitarrone*. Idcirco sex lineis dumtaxat constitutus est iste liber, qui Italice dicitur *Intavolatura*, atque in intervallo, quod intercedit inter singulos ordines sex linearum, & ordinem sex linearum reliquarum signatarum in libro (etenim in singulis paginis libri signatæ sunt senæ lineæ cum intervallo, quod inter illas intercedit, usque ad finem paginæ) In illo intervallo, quodintercedit inter sex lineas & sex reliquas lineas, scribentur literæ ex libro pro nablio, quod Italice dicitur *Chitarronato* usque ad decem, & pro nablio, quod Italice dicitur *Chitarrone*, usque ad tredecim; & summa ipsius numeri non ostendit domunculas colli nablii, sed chordam duntaxat; v. g. si super sex ordines chordarum, in quibus non sit linea, scribatur 8. pulsabunt octavam chordam illi non imponentes digitum manus sinistræ, si scribatur 10. pulsabunt chordam decimam, & similiter in singulis. Verum in singulis spatiis sex linearum, in quibus sunt literæ *intavolaturæ*, sunt alia signa & notæ peculiares, quibus significatur musicis, utrum pulsationes esse debeant continuatæ, an successivæ, ut observetur rythmus, juxta ejus regulam, & legem.

Ecce tibi *intavolatura* nablii simplicis, quod duntaxat sex ordinibus constabat. Nunc si velis facere pulsationem in hoc instrumento super ejus sex ordines, poteris facere pulsationem unam simul in quatuor chordis hoc modo, ut imponas digitum unum manus sinistræ chordæ sextæ secundæ domunculæ, & digitum unum chordæ quintæ domunculæ tertiæ, atque etiam digitum unum chordæ quartæ domunculæ quartæ, & manu dextra pulsabis, in his tribus

chor-

הימנית תקיש בשלשה המתרים האלו על הסכום האמור ותקיש עמם גם המתר השלישי מבלי שימת האצבע עליו כי אז תעשה הקשה טובה ונכונה עם ארבעה סדרו המתרים יחד וכן אם תשים אצבעך על סדר המתר החמשי בבית השלישית והאצבע האחר על סדר המתר השני בבית השנית ותקיש גם עמם המתר הרביעי מבלי נתינת האצבע עליו תעשה הקשה נכונה וכן אם תשים האצבע על המתר השני בבית הרביעית ותקיש עמו עם המתר הששי מבלי נתינת האצבע תעשה הקשה אחרת טובה ונכונה ובמשפט הזה הקשות אחרות שונות שלא יעברו השש׳ מתרים תקרא זאת אינטאוולאטורה מהכנור הנהוג:

אמנם הקשות הנבל קיטארונאטו הם כאלה תשים דרך משל האצבע על המתר הששי בבית השנית ואצבע אחר על המתר הרביעי והחמשי של הבית השלישית ותקיש עמם המתר הרביעי מבלי נתינת האצבע עליו וגם תקיש במתר השביעי מבלי נתינת האצבע (שעל תשטות יצוייר אות מורה ז׳ כאמור) אם תקיש כל אמתרים האלה יחד תעשה הקשה טובה גם אם תשים אצבעך על המתר השני בבית הראשונ׳ ותקיש עמו מבלי נתינ׳ האצבע במתר הששי ובמתר השמני תעשה הקשה נכונה גם אם תשי׳ אצבעך על המתר החמשי בבית השלישית ואצבע אחר על המתר השני בבית השנית ועמהם תקיש המתר הרביעי התשיעי מבלי נתינת האצבע ההקשה תהיה טובה וכמוה תהיה הקשה נכונה אם תשים אצבעך על המתר השני בבית האחת ותקיש במתר השני ובעשירי מבלי נתינ׳ האצבע ובשפט הזה תקיש לכל ההקשות של נבל פשוט או נבל קיטארונאטו או הקיטארונו ותראה כי ספרי הלמוד הזה מהאינטאוולאטורה בעבור רב השירו׳ והנגנות היו צריכי׳ ללוי׳ המנגני׳ שישימו אותם עם כלי הנגון וספרי השיר בלשכות הפתוחו׳ לעזר׳ נשי׳ כאשר אמרנו:

chordis juxta summam memoratam cum illis si pulsabis chordam tertiam, illi non imponens digitum, tum facies pulsationem optimam, & convenientem, simul cum quatuor ordinibus chordarum. Et similiter si imponas digitum tuum ordini chordæ quintæ in domuncula tertia, & digitum alterum ordini chordæ secundæ in domuncula secunda, & pulsabis simul cum illis chordam quartam, illi non imponens digitum, perficies pulsationem convenientem. Pariter si imponas digitum chordæ secundæ in domuncula quarta, & pulsabis cum ea chordam sextam, non imponens illi digitum, efficies pulsationem alteram optimam, & convenientem, & juxta hanc legem alias pulsationes, eo pacto ne prætergrediantur sex chordas, Italice vocatur hæc *Intavolatura* nablii usitati.

Veruntamen pulsatio nablii, quod Italice dicitur *Chitarronato*, hoc modo perficitur; impones v.g. digitum chordæ sextæ in domuncula secunda, & digitum alterum chordæ quartæ & quintæ in domuncula tertia, & pulsabis cum illis chordam quartam, illi non imponens digitum, & similiter si pulsabis chordam septimam non imponens illi digitum (etenim signabitur litera, quæ ostendat 7. sicuti dictum est) si simul pulsabit has chordas, perficies pulsationem optimam. Præterea si imponas digitum tuum chordæ secundæ in domuncula prima, & pulses cum ea, non imponens digitum chordæ sextæ, & octavæ, efficies pulsationem optimam. Præterea si imponas digitum tuum quintæ chordæ in tertia domuncula, & cum ea pulses, & digitum alterum secundæ chordæ in tertia domuncula, & cum iis pulses chordam quartam & nonam, non imponens digitum, tum pulsatio erit optima; & ad ejus similitudine erit pulsatio optima, si imponas digitum tuum secundæ chordæ in prima domuncula, & pulses chordam secundam & decimam, non imponens digitum, & hoc modo pulsabis omnes pulsationes Nablii simplicis, & Nablii, quod Italice dicitur *Chitarronato*, & *Chitarrone*. Et videbis libros hujus studii, quod Italice dicitur *Intavolatura* propter multitudinem cantuum fuisse necessarios Levitis, qui constituti erant ad musicam, ut simul collocarentur cum reliquis instrumentis sonitus, & libri cantus in conclavibus, quæ aperta erant in atrium mulierum, sicuti diximus.

CA-

פרק ט׳

כתוב בתורה ושרת בשם ה׳ אלהיו ככל אחיו הלוים דרשו רז״ל איזהו שרות שהוא בשם ה׳? הוי אומר זו שירה ועיקרה בפה ועל האמת מצוה גם כן מן המובחר היתה שהמנגנים יהיו גם הם לוים כמו שהיו המשוררים אמנם לא היה זה מן החיוב כי הנה היו מנגנים בכלי שיר פעמים לוים ופעמים אחרים שלא היו לוים דלרבי מאיר היו עבדי כהנים משום דסבירא ליה דאין מעלין מן הדוכן לא ליוחסין ולא למעשרו׳ הילכך לא איכפת לן אם היו עבדי׳ או אם היו בני חורין אמנם ר׳ יוסי סבר דממשפחו׳ בית הפגרי׳ ומבית צפרייא ומאימאום שהיו משיאין לכהונה היו דקימא ליה דמעלין מן הדוכן ליוחסין הילכך אי לאו דמיוחסין הוו לא הניחום לנגן על הדוכן ורבי חנניא בן אנטיגנוס אמר שלוי׳ היו דסבר מעלין מן הדוכן למעשרו׳ והל׳ כ׳ כר׳ יוסי ועם כי המנגנים יהיו לוים ע״כ לא היה המנגן עולה ממנין הי״ב לוים העומדים בכל יום על הדוכן שאמרו רבותינו ז״ל אין פוחתין משנים עשר לוים כו׳ יהיה גם זה לכם לזכרון כי עם שהנגינה בכלים היתה כשרה בישראל הזר כר׳ יוסי עם כל זה לא היתה מותה מותרת ללוי השוער שהיתה במית׳ לאבי׳ או באזהרה לדברי החולקי׳ עליו אמנם התקיעה בחצוצרות לא יוכשר בה לא ישראל ולא לוי יהיה הלוי מי שיהיה או מהשוערים או מן המשוררים או מן הכ״ד אלף שבחר דוד המלך ע״ה לנצח על מלאכת בית ה׳ או מהששת אלפים ששם לשופטי׳ ושוטרים כי לכהנים בלבד יאתה התקיעה ההיא וזר כשר תקע בחצוצרות בעת הקרבת הקרבן ונסוך היין או שעבד עבודה אחרת שנצטוה בה הכהן הוא במיתה:

CAPUT IX.

Scriptum est in lege *Deut.* XVIII. 7. *Et ministrabit in nomine Domini Dei sui, sicut omnes fratres ejus Levitæ.* Inquirunt nostri Rabbini, quorum memoria sit in benedictionem: Quodnam erat ministerium, quod erat in nomine Domini? Dicendum tibi est, quod fuerit cantus, & præcipuus erat oralis, & propter veritatem præcepti optimum erat, ut similiter, qui sonabant essent Levitæ, sicut erant cantores; At hoc non erat ex debito; Etenim clangebant & pulsabant instrumenta aliquando Levitæ, & aliquando alii, qui non erant ex numero Levitarum. Etenim juxta mentem R. Mehir erant servi sacerdotum, qui putat, neminem fuisse demittendum a suggestu, nisi propter genealogiam, at non propter decimas idcirco non intererat, utrum essent servi an liberi. At R. Jose putat eos fuisse ex familiis Beth-apogarim, & Beth-Ziparaja, & Emans, quæ sacerdotio nubere poterant; eo quod ipse putet, quod demitterentur a suggestu propter genealogiam. Eaque de causa si non fuissent ex optima genealogia, non permisissent, ut clangerent in suggestu. At R. Chananjah ben Antigoni dicit fuisse Levitas, eo quod putet demittendos fuisse a suggestu propter decimas. Et deciditur juxta mentem R. Jose. Et quamvis, qui clangebant & pulsabant, essent Levitæ, tamen qui clangebant & pulsabant, non recensebatur in numero duodecim Levitarum, qui quotidie consistebant in suggestu: Etenim dicunt nostri Rabbini. Non debebant esse pauciores, quam duodecim Levitæ in suggestu. Hoc quoque sit vobis in memoriam, sc. quamvis sonitus instrumentorum musicorum esset legitimus in Israelita extraneo, juxta mentem R. Jose, tamen non erat licitus Levitæ janitori, eo quod reus esset mortis juxta mentem Abaje, aut tantum præmonebatur juxta verba illorum, qui ab eo dessentiunt. At clangor tubarum non erat legitimus neque per Israelitam, neque per Levitam, sive Levita esset ex janitoribus, sive ex cantoribus, aut ex quatuor & viginti millibus, quos elegit David rex, cui sit pax, ut præficerentur operi domus Domini, aut ex sex millibus, quos præfecit judices & ministros, eo quod unis sacerdotibus conveniens erat iste clangor, & alienus, qui clanxisset tempore oblationis sacrificii, & libationis vini, aut ministrasset alia ministeria, quæ præcipiebantur sacerdoti, reus erat mortis.

אמנם המית' הזאת במין מן המיתות היא כאן והזר הקרב יומת ונאמ' להלן כל הקרב אל משכן ה' ימות מה להלן בידי שמים אף כאן בידי שמים רבי עקיבא אומר נאמ' כאן והזר הקרב יומת ונאמר להלן והנביא ההוא או חולם החלום ההוא יומת מה להלן בסקילה אף כאן בסקיל ר' יוחנן בן נורי אומ' נאמ' כאן יומת ונאמ' להלן יומת מה יומ' הנאמ' להלן בחנק אף יומת האמור כאן בחנק והלכ' כר' ישמעאל דפסקי רבנן כותיה ודעו בני כי מיתה בידי שמים הוא פחות מן הכרת כי הכרת יש עונש לאחר מיתה אם לא עשה תשובה כראוי ומיתה בידי שמים אין עליו לאחר מיתה כלום ור"שי ז"ל כתב בפ' במה מדליקין במיתה בידי שמים ימיו נקצרים ואינו הולך ערירי כרת אית בה תרתי היינו ימיו נכרתי' והולך ערירי ואולם אלו המחוייבי מיתה בידי שמים לוקין נ"כ מדאורית' כשיתברר החטא בעדים והתראה כמו מחוייבי כרת בשוה ובלבד שהיו עוברים על לאו:

והנה המחוייבי מיתה בידי שמים על עסקי מקדש וקדשיו הם אחד עשר ואלו הן האוכל טבל וכהן טמא שאכל תרומ' טהורה וזר שאכל תרומ' וזר ששמש וטמא ששמש וטבול יום ששמש ומחוסר בגדי' ששמש ומחוסר כפורים ושלא רחץ ידים ורגלים ושתויי יין ופרועי ראש אמנם טמא שאכל תרומה הוא שנאמ' ומתו בו כי יחללוהו ונאמ' בטבל ולא יחללו את קדשי בני ישראל וכמו שהחלול האמו' בתרומה במיתה כך חלול האמור בטבל במיתה וזר שאכל תרומה לפי שאחר שאמר ומתו בו כי יחללוהו אמר וכל

Verum quo genere mortis teneretur, de hoc contendunt Rabbini nostri, quorum memoria sit in benedictionem; Etenim legitur in Baraita. R. Ismael dicit: Dictum est *Num.* XXIII. 7. Et *alienus, qui accesserit, occidetur*. Et dictum est ibid. XVII. 28. *Quicunque accesserit ad tentorium Domini, occidetur*. Sicut ibi morte per manum Dei, ita pariter hoc loco morte per manum Dei. R. Akiba dicit: Dictum est. *Num.* l. c. *Et alienus qui accesserit, occidetur*. Pariterque dictum *Deut.* VIII. 10. *Et propheta ille, aut somniator somnii ille occidetur*. Sicut ibi lapidatione, ita pariter hoc loco lapidatione. R. Jochanan ben Nuri dicit. Dictum est hic: *Occidetur*. Et dictum est *Exod.* XXI. 16. *Occidetur*. Sicut ibi strangulatione, ita pariter hoc loco strangulatione. Deciditur juxta mentem R. Ismael; Etenim decidunt Rabbini nostri juxta ejus sententiam. Scitote mei filii, quod mors per manum Dei fuerit minor excidio; eo quod excidio sit pœna post mortem, si non fecerit pœnitentiam convenientem, at morti per manum Dei post mortem nulla est pœna. Et *Raschi* cujus memoria sit in benedictionem, scripsit in *cap.* II. *Scabbat*. In morte per manum Dei abbreviantur ejus dies, at non abiit solus, *sc. non moritur sine filiis*. At qui tenentur excidio, in eo ambæ hæ pœnæ deprehenduntur, i. e. quod abbrevientur ejus dies, & abit solus. Qui rei sunt mortis per manum Dei, vapulant verberibus ex lege; quando testibus innotuerat peccatum; pariterque illi qui tenebantur excidio, dummodo prævaricarentur præceptum negativum.

Qui tenebantur morte per manum Dei propter sanctuarium, & ejus sanctitates, erant undecim, sc. qui comedebat indecimatum, & sacerdos immundus qui comedebat separationem mundam, & alienus qui comedit separationem, & alienus qui ministrat, & immundus qui ministrat, & lavandus eo die, qui ministrat, & deficiens vestibus, qui ministrat, & deficiens expiatione, & qui non laverit manus & pedes, & qui biberit vinum, & denudati capite. De illo, qui comederit separationem dictum est *Levit.* XXII. *Et morientur propter illud, cum illud polluerunt &c.* Et dictum est *ibid. vers.* 14. de indecimato. *Et non polluent sanctitates filiorum Israel*. Sicut prophanatio dicta in separatione puniebatur morte; ita pariter prophanatio dicta in indecimato puniebatur morte: Et alienus qui comedat separationem, quia postquam dictum est: *Et morientur propter illud, cum illud polluerint*, dictum est: *Et omnis alienus non co-*

me-

זר לא יאכל קדש וזר ששמש מבואר שנאמר והזר הקרב יומת וטמא ששמש הוא מה שנאמר בטמאים וינזרו מקדשי בני ישראל ולא יחללו וזה החלול הוא כמו החלול הנזכר באומרו ומתו בו כי יחללוהו וטבול יום מפי הקבלה סמכוהו, לזה שאמר הכתוב קדשים יהיו לאלהיהם ולא יחללו ומחוסר בגדים שנאמר בכהנים וחגרת אותם אבנט וגו' היתה להם כהנה לחקת עולם בזמן שבגדיהם עליהם כהונתם עליהם אבל כשיחסר מהם דבר הנה הוא כזר ומחוסר כפורים לפי שנאמר וכפר עליה הכהן וטהרה מכאן ראיה שלפני הבאת בפרה טמאה נקראת ונתבאר שאין עבוד' לטמא ואם עבד במיתה ושלא רחץ ידים ורגלים מבואר שנאמ' ורחצו מים ולא ימותו ושתויי יין שנאמר יין ושכר אל תשת אתה ובניך אתך בבואכם אל אהל מועד ולא תמותו ופרועי ראש שנאמ' ראשיכם אל תפרעו ובגדיכם לא תפרומו ולא תמותו:

פרק י'

הלוים במצות ה' בימי משה רבינו ע"ה התפקדו מבן שלשים שנה ומעלה ככתוב בתורה וכן פקדם דוד ה"עה עד סוף זקנתו ולא שנה מנמוסו ככתוב בד"ה א' כ"ג אמנם כשראה בחיר ה' הזה שלא היה להם עוד לשאת את המשכן ואת כליו בדבריו האחרונים מנה אותם מבן עשרים שנה ומע"ה (ד"ה שם) ואז הוכשרו לעבודת בית ה' ליד בני אהרן והיו ממונין על החצרות ועל טהרת לכל קדש שאם יטמא הבית עליו היו מטהרים אותו כדכתיב בחזקיהו ויקבלו הלוים להוציא לנחל קדרון חוצה וכן היו ממונים על מעשה עבודת בית האלהים ועל הלשכות כלן גם

medet sanctitatem. Et alienus qui ministraverit, explicatur; etenim dictum est *Levit.* XXII. 2. *Et alienus, qui accesserit, occidetur*. Et immundus qui ministraverit, dictum est de immundis. *Et erunt separati a sanctitatibus filiorum Israel, & non polluent*: Et hæc prophanatio similis erat prophanationi memoratæ, quando dictum est: *Et morientur propter illud, cum polluerint illud*. Et lavandus eo die per traditionem, quod confirmatur ex eo quod dictum est. *Et sancti erunt Deo suo & non polluent*. *Ibid* XXI. 6. Et deficiens vestibus; Dictum est de sacerdotibus, *Exod.* XXIX. 6. *Et præcinges illis cingulum &c. Et erit illis sacerdotium statuto æterno*: Quando in illis fuerint eorum vestes, eorum sacerdotium erit in illis, at quando in illo aliquid defuerit, erit sicut alienus. Et deficiens expiatione, quia dictum est. *Levit.* XII. 8. *Et expiabit pro ipsa sacerdos, & mundabitur*. Hinc probatur, quod antequam afferat expiationem, vocetur immunda. Et jam explicatum est, quod non sit ministerium per immundum, si vero ministret, reus est mortis. Et qui non laverit manus & pedes, de illo explicatum est, quando dictum est *Exod.* XXX. 20. *Et lavabunt aquis, & non morientur*: Et qui biberint vinum: Dictum est *Levit.* X. 8. *Vinum & siceram non bibas tu & filii tui tecum, cum veneritis in tentorium conventus, & non moriemini*. Et denudati capite. Dictum est enim: *Et capita vestra non denudabitis, & vestes vestras non lacerabitis, & non moriemini*. *Ibid. vers.* 6.

CAPUT X.

Levitæ ex præcepto Domini tempore Mosis, cui sit pax, enumerati sunt a tricesimo anno & ulterius, sicut scriptum est in lege; & similiter eos enumeravit David, cui sit pax usque ad finem suæ senectutis, neque hoc institutum immutavit, sicut scriptum est 1. *Paralip.* XXIII. Verumtamen quando vidit electus Domini, quod illis amplius non esset onus & cura portandi tentorium & ejus vasa, novissimis suis verbis eos ennumeravit a vicesimo anno & ulterius *Paral.* ibid. Et tum legitimi facti sunt ad ministerium Domus Domini sub potestate filiorum Aharon, & præfecti fuerunt atriis, & puritatibus omnium sanctitatum, etenim si polluta fuisset domus, ipsi eam emundare debebant, sicut scriptum est in *Ezechia* 2. *Paralip.* XXIX. 16. *Et acceperunt Levitæ, ut educerent ad torrentem Cedron foras*. Et similiter præfecti erant operi ministerii domus

על לשכת בות הטלאים והם היו מביאים אל
הכהני' תמיד בכל יום במספר מה שצריכי' בין
בחול' בין בשבתו' ובחדשים ובמועדים
שמוסיפין על התמיד וגם מסייעים לכהני'
להביא הבהמות ולשחוט ולעשו' כל מעשה
עד קבלת הדם ילהפשיט הזבח וכן מצינו
בחזקיהו רק הכהנים היו למעט ולא יכלו
להפשיטאת כל העולות ויחזקום אחיהם
הלוים והיו ממוני' גם כן על לחם הפני' ועל
הסלת ועל רקיקי מצות ועל המנח' של
מחבת ושל מרחשת ועל כל מדה מהסלת
מהשמני' מהיין ועל כל משורה והיא כמו
שלישית המדה רביעיתה ועשירית' והיו
מקנחים המדות האלה כפי צרכן כי הנה
בכל מקום גם חוץ למקדש לדברי רש'בג
בתרא פרק הספינה החנוני מקנח מדותיו
פעמים בשבת ומטחה משלותיו גם כן פעם
אחת בשבת ומקנח המאזני' על כל משקל
ומשקל וגם היו חייבים לעמוד בבקר להודות
ולהלל לה' וכן בערב בהלות העולות לה
ולשמור את משמרת אהל מועד ואת משמרת
הקדש ומשמרת בני אהרן לעבודת בית ה'
ולכל העבודות האלה אולי היו הלוי' שוים
חוץ מהנבחרי' לשורר ומהשוערים שהאחד
לא היה יכול לעבוד את עבודת חברו דתניא
מעשה בר' יהושע בן חנניא שהלך לסייע
בהגפת דלתות אצל רבי יוחנן בן גודגדא
אמר לו בני חזור לאחוריך שאתה מן המשוררים
ולא מן השוערים ותנן בערכין פרק אין בערכין
והחונים לפני המשכן תניא ולא ימותו גם הם
גם אתם אתם בשלהם והם בשלכם במיתה
הם בשלהם אינן במיתה אלא באזהרה אמר
אביי נקטינן שוער ששורר במיתה שנאמר
והחונים לפני המשכן וגו' ואומר והזר הקרב
יומת מאי זר? אילימא זר ממש הא כתיב
חדא זמנא? אלא זר דבות' עבוד סוף דבר

mus Domini, & omnibus cœnaculis, atque etiam cœnaculo domus agnorum; & ipsi adducebant ad sacerdotes semper quotidie numerum eorum, quæ necessaria erant tam in die prophano, quam in sabbatis, tam in noviluniis, quam in solennitatibus, in quibus erant sacrificia addititia cum sacrificio jugi; præterea opitulabantur sacerdotibus, ut adducerent animalia, atque ea mactarent, & operarentur usque ad exceptionem sanguinis, & pelles detraherent sacrificiorum: Et sic invenimus in Ezechia *Paralip. l. c. Et sacerdotes erant pauci, & non potuerunt detrahere pelles holocaustorum, & adjuverunt eos Levitæ fratres eorum*. Præterea præficiebantur faciendis panibus facierum, & similæ, laganis azymorum, & muneribus sartaginis, & frixis, & cunctis mensuris similæ, oleis, & vino, & omni mensuræ parvæ, quæ erat v. g. tertia, quarta, decima pars, & emundabant has mensuras, sicut opus erat; etenim in omni loco vel extra sanctuarium juxta verba Raban Simeon ben Gamaliel *Bava Bathra* cap. v. Tabernarius emundabit sua pondera & mensuras semel in hebdomada, & emundabit stateras suas inter singula pondera. Præterea diluculo surgere debebant ad confitendum & laudandum Dominum, & similiter vespera, quando offerebantur holocausta Domino, & ad custodiendam custodiam tentorii conventus, & custodiam sanctuarii, & custodiam filiorum Aharon ad ministerium domus Domini, & in omnia his ministeriis Levitæ erant æquales, exceptis illis qui constituti erant ad cantum, & janitoribus; etenim nemo poterat ministrare ministerium alterius. Etenim extat traditio. Narratur de R. Jehosua ben Chananjah, qui adiit, ut opitularetur ad cladendas portas prope R. Jochanan ben Gudgada, cui dixit fili mi, recede, cum tu sis ex cantoribus, non autem ex janitoribus. Et extat traditio in *Erakin* c. II. Dictum est *Num.* III. 38. *Castrametabuntur ante tentorium*. Legitur in Baraita: *Et non moriemini tam ipsi quam vos*. *Num.* XVIII. 3. *Vos in eorum ministerio; & ipsi* in vestro ministerio pœna mortis: ipsi in eorum ministerio sine pœna mortis, sed tantum præmonitione. Dicit Abaje. Hinc probatur: si janitor caneret, morte tenebatur: Dictum ex enim: *Et castrametabuntur ante tentorium &c.* Pariterque dictum est: *Et alienus, qui accesserit, ocidetur*. Quinam erat iste alienus? Num alienus simpliciter? Atqui scriptum est de illo alias: tantum intelligitur, qui sit alienus pro illo ministerio. Tandem ne sit

כדי שלא אצטרך לחזור על פרטי הלוי' כי אם במה שצריך להם לשמור את הבירה הקדש הזה בלילה כאשר אכתוב במקומו בע"הו לא אסוג אחור מלהודיע לכם כי הלוים לא יופסלו אלא בקול דתנו רבנן כהנים במומין פסולים בשנים כשרים לוים במומין כשרים בשנים פסולי' נמצא כשר בכהנים פסול בלוים כשר בלוים פסול בכהנים מנא הני מלי? דתנו רבנן זאת אשר ללוים מה תלמוד לומר? לפי שנאמ' מבין עשרי' שנה ישוב מצבא העבודה ולא יעבוד עוד למדנו ללוים שהשנים פוסלות בהן יכול שמומין פוסלין בהן? ודין הוא ומה כהנים שאין השנים פוסלות בהן מומים פוסלים בהן לוים שהשנים פוסלין בהן אינו דין שיהיו מומין פוסלין בהם? תלמוד לומ' זאת אשר ללוי' ואין אחרת ללוים אשר ללוים ולא אשר לכהנים יכול אף בשילה ובבית עולמים כן? תלמוד לומר לעבוד עבודת משא לא אמרתי אלא בזמן שהעבודה בכתף כתוב אחד אומר מבן עשרים וחמש שנה ומעלה וכתוב אחד אומר מבן שלשי' שנה אי אפשר לומר שלשים שכבר נאמר עשרים וחמש שנה וא"א לומ' עשרי' וחמש שהרי כבר נאמ' שלשי' שנה הא כיצד? עשרים וחמש ללמוד ושלשי' לעבודה מכאן לתלמיד שלא ראה סימן יפה במשנתו חמש שנים שוב אינו רואה סי' יפה ר'יוסי אומ' ג' שנים שנא' ולגדלם שנים שלש ואידך? שאני לשון כשדים דקליל ואידך? שאני הלכו' עבודה דתקיפין תנו רבנן כהן משהביא ב' שערות עד שיזקין כשר לעבודה ומומין פוסלין בו לוי מבן שלשים עד בן חמשים שנה כשר לעבודה ושנים פוסלים בו במה דברים אמורי' באהל מועד שבמדבר אבל בשלה ובבית עולמים אין נפסלים אלא בקול אמר

ſit neceſſe utrum repetam, quæ præcipue ſpectant Levitas, niſi illud quod neceſſe erat pro cuſtodia domus nocturna, ut ſuo loco opitulante Deo ſcribam: non deſinam vobis ſignificare Levitas non fuiſſe illegitimos, niſi propter cantum: etenim tradiderunt noſtri Rabbini. Sacerdotes fiebant illegitimi propter vitia, at propter annos erant legitimi. Levitæ propter vitia erant legitimi; at propter annos erant illegitimi, deprehenditur, quod erat legitimum in ſacerdotibus, fuiſſe illegitimum in Levitis; quod erat legitimum in Levitis, fuiſſe illegitimum in ſacerdotibus; unde probatur? Tradiderunt Rabbini noſtri. Dictum *Num.* VIII. 24. *Hoc eſt quod ſpectat Levitas*. Cur dictum eſt? Quia dictum eſt: *A quinquageſimo anno revertetur ab exercitu miniſterii*, *neque amplius miniſtrabit*: Docetur Levitas annis fieri illegitimos; Crederem ipſos vitiis fieri illegitimos? Atqui argumento probari poteſt. Si ſacerdotes, qui annis non fiebant illegitimi, vitiis fiebant illegitimi, Levitæ qui annis fiebant illegitimi, non erit æquum, ut vitiis fierent illegitimi? Idcirco dictum eſt: *Hoc eſt quod ſpectat Levitas*; at non aliud ſpectat Levitas. *Quod ſpectat Levitas*; at non ſpectat ſacerdotes. Crederem in Silo, & in domo ſæculorum ita factum eſſe? Ideo circo dictum eſt. *Ad miniſtrandum miniſterium oneris*: Non dictum eſt, niſi pro tempore, quo perficiebatur miniſterium humeris. Alter textus dicit: *A vigeſimo quinto anno*; Et alter dicit: *A trigeſimo anno*. Non poterit dici a triceſimo anno, cum dictum ſit a vigeſimo quinto anno: neque dici poterit a vigeſimo quinto anno, cum jam dictum ſit a trigeſimo anno: Quomodo intelligitur? viginti quinque anni ad diſcendum, triginta anni ad miniſterium. Hinc probatur, quod ſi diſcipulus non viderit quinquennio ſignum bonum in ſuo ſtudio, non videbit amplius ſignum bonum in ſuo ſtudio. R. Joſe dicit triennium; ſicut dictum eſt *Dan.* I. *Ad educandum tres annos*. Alter dicet. Diverſa eſt lingua Chaldea, quæ facilior eſt; Et alter dicet: Diverſæ ſunt conſtitutiones miniſterii, quæ ſunt difficiles: Tradiderunt noſtri Rabbini: Sacerdos, qui eduxerit duos pilos, donec ſenuerit, erit legitimus ad miniſterium, & prophanatur vitiis. Et Levita a trigeſimo uſque ad quinquageſimum annum erit legitimus ad miniſterium, & prophanatur annis. De quo hæc dicta ſunt? De tentorio conventus in deſerto, at in Silo & in domo ſeculorum, non dimittebantur niſi propter cantum. Dicit R. Joſe. Ex quo textu probatur?

Ab

ר׳ יוסי מאי קראה? ויהי כאחד למחצצרים ולמשוררים להשמיע קול אחד עד שיזקין עד כמה? אמר רבי אלעא אמר ר׳חנינא עד שירתת:

והנה להיות כי זכרתי הפסוק׳ הזה ויהי כאחד למחצצרים ולמשוררים כו׳ (ד׳ה ב׳ה׳) רואה אני מאחורי הפרגוד שיאמר הקורא בפרקי אלה הלא אתה אברהם כאיש שוגה ופתי פתחת עתה וכרית בור לך בלי דעת ובלא תבונה ולא כסית אותו בערמתך עד שנפלת במים ברגל משולח כשור וכחמור ולא זכרת את כל הטורח שטרחת להראו׳ לנו כי שירת המקדש היתה על נכון משפטי השיר ועל פי חקולו׳ מהזמרה הפשוטי׳ המורכבים ודחית החצוצרות וכל כלי הנגון התוקעי׳ בחזקה באמרך כי לא ישמע קול המשוררים עמהם וגם חייבת הלוים לשורר עם שנים עשר קולות בלבד יחד ולא יעבורו ואיך לא כסת׳ כלימה להראו׳ בכתב אמת ששקר דברת? העיני האנשים ההם תנקר? הלא אתה הנך רואה בעיניך שארבעת אלפים לוים זמרו לאלקים זמרו באגודה אחת על מאה ועשרים חצוצרות וכלי נגון עד אין מספר בפעם אחד ולא נסוגו אחור ואיך אמרת שלא תוכשר הזמרה אלא בשנים עשר קולות ולא תבא לפני המלך ה׳ צבאות בחצוצרות וקול של נגונים כמותם חזק מאד? מאד? הנה נפלה ולא תוסיף קום מחשבתך הכוזבת כי היא נשענת על משענת קנה רצוץ נוקב ומכה דמכה דמחי ולא מסי:

אמנם אתם בני שמעו ואנכי ארב׳ הלואי שתקתי מאז והלכתי שפי כי לולי שכריתי כירה גדולה והוריתי באצבע למתחכמים האלה לחשבו מחשבות ישרות ותורת אמת כאשר עשיתי היו יושבים בחשך וידומו ובעת לא ישמיעוני בגאוה ובוז מה שדברו לכלים׳ נגד כבודי גבוהה גבוהה בלי מחסום דעו כי הד׳ אלפים לוים משוררים והחצוצרות וכל כלי הנגון אשר אמר הכתוב נתנו קול נעים גם יחד ולא נעשה כן בכל מלכי הגוים מבריאת העולם ועד חנוך הבית וגם אחרי כן לא תהיה אצל העמים זמרה כמוה בלי ספק וכל זה עשו במשפטי השיר בלבד לא זולת

Ab eo quod dictum est 2. *Paral.* V. 13. *Et fuit sonitus tubæ clangentibus, & cantoribus, ut audire facerent vocem unam.* Donec senescat: Quousque? Dixit R. Elnai nomine R. Chanina; donec tremulus fiat.

Cum fecerim mentionem hujus textus: *Et fuit tuba clangentibus, & cantoribus &c.* Ego video post me pædagogum, qui dicat; Legitur in his capitibus: nonne Abraham, quasi vir errans, & stultus aperuisti nunc, & effodisti foveam tibi sine scientia, & sine intellectu, neque illam operuisti calliditate tua, donec cecideris pede soluto in aquas, quasi bos, aut asinus, neque recordatus es omnis laboris, quem laborasti, ut ostenderes nobis cantum sanctuarii dispositum fuisse juxta leges cantus, & juxta voces musicæ simplices & compositas & expelleres tubas, & omnia illa instrumenti musica, quæ magna vi clangebantur, dicens futurum fuisse, ut non exaudiretur cum iis vox cantorum, & præterea obligasti Levitas, ut canerent simul duodecim vocibus duntaxat! & non pluribus? Quomodo non tecta est pudore facies tua, ut vera scriptura ostenderes, quod locutus fueris mendacium, visne nobis effodere oculos? Nonne vides tuis oculis quatuor millia Levitarum in una societate cecinisse Deo cum centum & viginti tubis, & instrumentis musicis, ut non esset numerus una vice, neque recessisse? & quomodo dixisti non fuisse legitimum cantum, nisi quatuor & viginti vocibus, neque introductas fuisse coram Rege domino exercituum tubas, & sonitus musicos ad horum similitudines, maxime validos? Ecce cecidisti, & non poteris amplius surgere, eo quod innixus fueris cannæ fractæ, quæ perfodit manum, & non habet firmitatem.

Veruntamen mei filii audite, & ego loquar: Utinam ab eo tempore tacuissem, & abiissem! Etenim si ego non parassem magnum apparatum, & non ostendissem digito istis discipulis, ut excogitarent cogitationes rectas, & legem veritatis sicuti feci, ipsi cecidissent in tenebras, & tacuissent, hoc tempore non proclamassent superbia & contemtu id, quod locuti sunt cum ignominia contra meum honorem nimia arrogantia præter modum: scitote quatuor millia Levitarum ex cantoribus, & tubas, & omnia instrumenta musica, quæ memorata sunt in textu, simul reddidisse sonitum suavem, atque hoc non factum fuisse pro omnibus regibus gentium a creatione mundi usque ad dedicationem domus, neque deinde factum iri sine dubio apud populos hujusmodi cantum; & hæc omnia facta sunt legi-

והוא הוא כאשר דברתי ע״כ בני שמעו לי והאמינו כי תלמידי דוד המלך וכנניהו השר שקבלו ולמדו מהם בדעת ומזמה כל תנאי הזמרה לא פחתו ולא הותירו בחנוכת הבית על הי״ב קולות שזהו מה מהעיד הכתוב עליהם שם באומרו ויהי כאחד וגו׳ להשמיע קו״ל אח״ד וגו׳ ותקנו כל חבורת המשוררי׳ והמנגנים בחכמה עד כי כל חבורה מהם השמיעה קול אחד מהי״ב קולות ולא קולות אחרי׳ בלתי הגונים כקול מים רבים בערבוביא כאשר דמו האנשי׳ האלה נגד פניהם נבוני׳: ידעתי כי נפלאת זאת היא בעיניכ׳ ועדין לא נכנסו דברי באזניכם ועל כן החרישו ואאלף לכם חכמה ובדעת מלין אכביר:

ועתה דעו כי ישרים הם על כל פנים דברי הכתוב שהיו שם בחנוך הבית ארבעת אלפים לוים ומאה ועשרים חצוצרות שימו גם אתם אם תרצו לתשלום כלי הנגון שהיו שם שלא נמנה פרטם בכתוב ששים צלצלים על המאה ועשרים חצוצרות ועוד מאה וארבעים וארבעה חלילים ומאה ושמנים נבלים ומאתים וארבעים כנורות וכאלה כלי נגון רבים ותראו שכלם יעלו למנין השנים עשר קולות כי הארבעת אלפים לוים ישוררו בקול אחד מהשנים עשר קולות עם ש״לג לוים לכל קול שי״ב פעמים של״ג הם ג׳ אלפים תתקצ״ו נשארו ארבעה לוים מהד׳ אלפים ואין להרהר אחריהם כי יכנסו מהם לחבורה אחרת מהשל״ג עד שיהיו ארבע׳ חבורו׳ של של״ד לוים ושמנה של ש״לג והקול האחד הנוסף על הקול של ש״לג לא יעשה רושם בארבעת אלפים לוים כי על כל פנים יהיו י״ב קולות ממין אחד מהם ולא יותר תחלקו גם כן המאה ועשרים חצוצרות לשני׳ עשר ותמצאו שכל העשרה חצוצרות ישוררו ויתקעו בקול אחד מהי״ב קולות וכל החמשה צלצלים יתקעו בקול אחד מהם וי״ב חלילים גם כן וט״ו נבלים וכ׳ כנורות יתקעו גם הם בקול אחד מהי״ב קולות בלבד עד שכל המשוררים


legibus cantus duntaxat & non aliter; & hoc est, quod hactenus dixi. Idcirco mei filii me audite, & credite discipulos regis David, & Chenanajah principis, qui perceperunt & didicerunt ab illis sapientia & intellectu omnes regulas musicæ, non minuisse, neque multiplicasse in dedicatione domus ultra duodecim voces; de quo testatur textus, ubi dicitur. *Et fuit simul &c. ut audire facerent vocem unam &c.* Et constituerunt singulas societates cantorum cum sapientia, ita ut omnis societas ex illis exaudire faceret vocem unam ex duodecim vocibus, non autem alias voces indecentes, sicut vocem aquarum multarum confusim, sicut existimarunt viri isti, qui se putant eruditos: ego scio esse hoc admirabile in oculis vestris, & hactenus verba mea non fuisse introducta in aures vestras: Idcirco tacete, & ego vos docebo cum sapientia, & cum scientia verba multiplicabo.

Nunc scitote recta esse omnino verba textus; sc. quod fuerint in dedicatione domus quatuor millia Levitarum, & centum viginti tubæ: statuite etiam vos, si velitis, ad complementum instrumentorum musicorum, quæ ibi erant, & in textu non memorarunt, sexaginta Zalzilin præter centum & viginti tubas, & præterea centum & quinquaginta quatuor tibias, & centum octoginta nablia, & ducentas & quinquaginta citharas, & his similia instrumenta musica quamplurima, & videbitis omnia adscendisse ad numerum duodecim vocum; eo quod quatuor millia Levitarum canerent voce una ex duodecim vocibus, in centum & triginta tribus Levitis, pro singulis vocibus, etenim duodecies centum & triginta tres efficiunt numerum *3996.* reliqui erunt quatuor Levitæ ex 4000. At de his nulla erit cura; eo quod unus ex his ingrederetur in unam societatem, quæ constabat trecentis triginta tribus; itaut quatuor societates constarent trecentis triginta quatuor & octo trecentis triginta tribus; & vox addita voci tercentum triginta trium nullum facerent signum in 4000. Levitis; ut nullo modo superarent duodecim voces in his omnibus. Dividite pariter centum & viginti tubas in duodecim partes, & invenietis, quod singulis decem tubis clangeretur in una ex duodecim vocibus; & quinque Zalzilim clangeretur in una ex iis vocibus, & duodecim tibiis similiter, & quindecim nabliis, & viginti tibiis clangeretur in una ex duodecim vocibus; ita ut cantores, & qui pulsabant & clangebant non prætergrederentur duodecim voces, sicut scripsi:

והתוקעים לא יעברו הי"ב קולות אשר כתבתי
ועם כי רבו הכלי ננון אין להקפיד על זה
כי אין ספק שקול ארבעת אלפים לוי' כאמור
יניעו לקול הכלים כלם כמשפטם ואולי
זמרו בקולות האלה כלם הפסוק הכתוב שם
בר"ה ה' אלהים אל תשב פני משיחך זכרה
לחסרי דוד עבדך עד כי נעתר ה' לקולם
לכבוד דוד המלך ע"ה כמו שאמרו רבותינו ז"ל
ונפתחו השמים וכ"ב יכול ירדה שכינה
עצמה בבית הקדש לעיני כל ישראל ואז
ירדו האש הסודי והרוח ממעונם מתחת שמי
המאור הקטן על דרך דברי דוד המלך ע"ה
הים ראה וינוס ההרים רקדו כאלים כשנבקעו
תהומות בלב ים סוף ומפני שעלת העלות
וסבת הסבות אינה מקפחת שכר כל בריה
נתרצתה שהאש שירד' באחרונ' לחלוק כבוד
לבוראה ולהסתר מפני פחד ה' ומהרר נאונו
תאכל בשכרה העולה והזבחים שעלו לרצון
לפני ה' כדכתיב והאש ירדה מהשמים
ותאכל העולה והזבחים והרוח שקודם האש
יצא ממקומו לכבוד קונו צותה שיתאסף ויסוגר
כלו בבית עולמי' ויתהוה לערפל ולענן תחת
רגליו כדכתי' והבית מלא ענן בית ה' ולא יכלו
הכהנים לעמוד לשרת מפני הענן כי מלא
כבוד ה' את בית האלקים ברוך ה' אלהי
ישרא' מן העולם ועד העולם שהראנו גבורתו
וחסדו נתן לנו הרי שכל מה שכתבתי על
עסקי השיר המלאכותי הוא אמת ויציב ובגלל
הדבר אשר דברתי בזה על תשגתם עלי
עללה כעופרת במים אדירים כל סכלות
המתפלספים נגדנו וזהו בני היקרי' מה
שרציתי לדבר בלוים משוררים ובשיר ובננון
כאשר בא לידי זכרון הלשכות שתחת עזרת
ישראל הפתוחות לעזרת הנשים שבהן הלוים
היו נותנין הכנורות הנבלים המצלתים
מהזמרה וכל תשמישיהן:

pſi: Et quamvis multa eſſent inſtrumenta muſica, nihil intererat; etenim non erat dubium, quin vox quatuor millium Levitarum, ſicut dictum eſt, perveniret ad ſonitum horum omnium inſtrumentorum juxta eorum inſtitutum: & fortaſſe omnes cecinerunt his vocibus verſum 4. *Paral.* VI. *Domine Deus ne removeas facies a tuo uncto, recordare miſericordiarum David tui ſervi.* Donec exaudiit Dominus eorum vocem propter gloriam regis David, cui ſit pax; ſicut dixerunt Rabbini noſtri quorum memoria ſit in benedictionem: Aperti ſunt cœli (Et lex ſola dicere poteſt) deſcendit Divinitas, & habitavit in domo ſancta ſpectantibus omnibus Iſraelitis; & tum deſcendit ignis elementaris, & aer ab eorum ſitu infra cœlos minoris luminis, *ſc. lunæ*, eo ipſo modo, quo locutus eſt rex David dicens *Pſal.* CXV. *Mare vidit & fugit, & montes exultaverunt ut arietes*; quando diſciſſæ ſunt abyſſi in corde maris Erithræi. Cum cauſa omnium cauſarum non præcidat mercedem omnis creaturæ, ſuo beneplacito effecit, ut ignis, qui noviſſime deſcendit, ut impartiret honorem ſuo creatori, & abſconderetur propter timorem Domini, & propter decorem ſuæ magnificentiæ, conſumeret propter ſuam mercedem holocauſtum, & ſacrificia, quæ adſcendebant in beneplacitum coram Domino, ſicuti ſcriptum eſt 2. *Paral.* VII. I. *Et ignis deſcendit de cœlo, & conſumſit holocauſtum, & ſacrificia.* Et aer, qui præceſſit ignem, prodiit a loco ſuo propter gloriam ſui creatoris; præcepit ut totus colligeretur, & totus clauderetur in Domo ſeculorum, & fierent tenebræ, & nubes ſub ejus pedibus; ſicut ſcriptum eſt ibid. *Et non potuerunt ſacerdotes conſiſtere ad miniſtrandum: propter nubem, quia erat plena gloria Domini domus Dei.* Benedictus Dominus Deus Iſrael a ſeculo uſque in ſeculum, qui oſtendit nobis fortitudinem ſuam, & miſericordiam ſuam dedit nobis. Ecce ea omnia quæ ſcripſi de cantu artificiali, ſunt vera & firma; & ob id, quod locutus ſum in hoc tractatu propter eorum oppoſitionem contra me, ſubſidat quaſi plumbum in aquis validis omnis inſipientia eorum, qui contra me philoſophati ſunt. Et hoc eſt filii mei dilecti, quod putavi dicendum de Levitis cantoribus, & de cantu & de ſonitu, quando veni ad memoranda cœnacula, quæ erant ſub atrio Iſraelitarum aperta in atrium mulierum, in quibus Levitæ collocabant citharas, nablia, & mizalatim, & libros muſicos, & ea omnia, quæ ſibi neceſſaria erant.

HEN-



HENRICI HORCHII
DISSERTATIO
DE IGNE SACRO
ET DE MUSICA
Igni victimas abſumente accinente.

DEI quidem, quem credimus atque confitemur, ea eſt Majeſtas, ut cœlum pro Solio, Terram vero habeat pro ſcabello; eaque ſimul Majeſtatis amplitudo, ut ne Cœli quidem Cœlorum ipſi pares ſint continendo; Attamen ea etiam illius Clementia, is Favor, ut ad ingenii humani captum ſe demittens, peculiari quadam ratione voluerit inter mortales habitatæ, & Numen ſuum viſibili ſpecie ipſis præſens exhibere. Hac olim gloria dignatus eſt Iſraelem, quem ex omnibus ideo populis ſibi in peculium elegit. Hinc conſtructum ipſius juſſu Sanctuarium, quod veluti Regium palatium aureo inſidens throno ſpecie nubis incolebat. Hinc ſplendiſſima illa Sacrarii ſupellex, & quaſi rei familiaris magnificus admodum apparatus. Hinc famulitium longe ampliſſimum. Cuſtodiebant hi domum, iſti curabant ſacra, Muſicæ operam dabant alii, ac dum ignis victimas in altari, lautas quaſi dapes, depaſcebat, vinumque libabatur, voce, tuba fidibuſque velut inter epulas Regias fieri ſolet, præcinebant. (1) Hinc ignis perpetuo ardens in ara, atque ſacro numinis foco, qui ſummo ſtudio a Sacerdotibus erat fovendus, & ne unquam extingueretur, admotis jugiter lignis conſervandus.

En vobis, Auditores, argumentum, me quidem judice digniſſimum, quod modo revocem ad animum: ſive enim munus reſpiciam, quod ordior, ſive mei ipſius, ſive denique, qui meæ curæ commiſſi ſunt, diſcentium habeam rationem, de quo dicere queam aptius non invenio. Quum enim ſub Aharonici muneris auſpicia in dedicatione Tentorii (& poſtea Templi) hic ignis miraculoſa Dei manu committeretur altari, quid niſi ut jam oculos in ſe retro convertam, ex me requirit, qui modo auſpicor munus, quod indole ſua quodammodo reſpondeat Sacerdotio Aharonis? Eaque noſtri & docentis & diſcentium pariter deploranda eſt conditio, ut impuri mente ſimus atque labiis, frigidique ad omne bonum, niſi pruna ſacri ignis mundemur ac Spiritus fervore inflammemur.

Quod igitur felix fauſtumque ſit, dicam primo loco de Ignis hujus ſacri origine: Deinde jugi ejus conſervatione: Tertio denique de ipſo rei myſterio videbo.

Quantum igitur ad primum, extra omnem dubitationis aleam eſt conſtitutum, ignem quendam divinitus erupiſſe, qui, quum Tentorium dedicaretur in de-

ſerto, in altari cum adipe conſumſit victimas, vidente toto populo & acclamante. (2) Aſt, ut determinemus, an hic ignis de ipſo Cœlorum faſtigio deſcenderit, an vero de nube, quæ Tentorio imminebat, ejuſque adytum occupabat difficultate non caret. Quamvis enim in dedicatione Templi Salomonici, precibus inauguralibus a Salomone abſolutis, certum ſit deſcendiſſe ignem מהשמים de cœlis & victimas conſumſiſſe (3) aliter tamen in hiſtoria Sacrarii in deſerto erecti Moſen referre comperimus; exiiſſe nimirum ignem מלפני יהוה *a conſpectu Domini*, ut utrum cœlo an vero Gloriæ Dei ſuper Sanctuario conſpicuæ originem ſuam debeat, in medio relinquere videatur. Unde & ſententiarum divortia videas licet apud Hebræorum Magiſtros, aliis hunc ignem משמי המרום ex cœlorum ſummitate (4) aliis vero ex ſplendida illa nube, arceſſentibus, quam Moſes כבוד δόξαν, Hebræi vero etiam שכינה appellant. (5)

Licet itaque ignem hunc, ſi non ὐρανοπετῆ, certe tamen θεήλατον fuiſſe contenti eſſe queamus, & utrum horum ſtatueris, parum referre videatur, nihilominus tamen & congruentius loco eſt, ut infra oſtendam, myſterio ſignificantius eſſe cenſemus, ſi eum a glorioſa illa nube, quæ in & circa tabernaculum erat, derivatum eſſe ſtatuamus. Loco, inquam, & phraſi convenientius id eſt; vel quater enim in hoc ipſo capite (6) & hiſtoria eadem repetitam legimus phraſin לפני יהוה: *Offer coram Domino; macta coram Domino, ſteterunt coram Domino; agitarunt coram Domino*, h. e. ut ibidem explicatur אל פני אהל מועד *coram tentorio conventus*. Imò cum Moſes ſimul referat, apparuiſſe Gloriam Domini toti populo, nubem nimirum, ſtatim etiam, & ſine mora, addat, egreſſum eſſe ignem מלפני יהוה *a conſpectu Domini*; quid cunctabimur affirmare, monſtrare Moſen exſerto quaſi digito locum, unde flamma erupit?

Neque dubium omnino eſt, quin, quod mox ſubjungitur, νεόφυτοι illi ſiniſtrique πυροφόροι Nadab & Abihu eodem perierint igne, quo ſacrificia conflagrarunt. Non enim eadem tantum atque integra phraſis, exiiſſe nimirum ignem מלפני יהוה, verum etiam hiſtoria eadem iiſdem & temporis & loci circumſtantiis eſt inveſtita; quum obtuliſſe dicantur coram Domino, h. e. in ipſo ſanctuario prope aram ſuffitus, inter quam & intimum ſacrarii adytum non niſi velum intercedebat. Quod & video dudum obſervaſſe priſcos Hebræorum Doctores (7); modumque inſuper, quo emerſerit flamma, recenſere (8)

Majoris autem momenti controverſia eſſe videtur, quam hic Interpretes movent cum Judæi, tum Chriſtiani. Eſt enim, (9) qui ordinarium illum ignem, qui in altari noctu diuque excubabat, naturalem potius conjicit fuiſſe, a Sacerdotibus eo allatum, ſummaque cura cuſtoditum; Cui impoſitæ etiam ſint victimarum carnes, quæ tamen ab erumpente ſtatim divinitus igne fuerint conſumtæ. Sunt præterea, qui, licet ignem, quo ſacrificia primitus fuerunt flammata, agnoſcant fuiſſe divinum, qui perpetuo fuerit cuſtoditus in ara, nihilominus tamen adhiberi debuiſſe ignem etiam vulgarem. Cui ſententiæ plurimi accedunt inter Hebræorum Magiſtros, veteres pariter ac moderni. (10) Quæ ſententiæ, licet ſibi invicem adverſæ in eo tamen conveniunt ambæ, ut, qui ſacrificia depavit, ignem non pure afferant fuiſſe divinum, ſed ex divino vulgarique commixtum. (11)

Utrique autem, cur ita ſentiant afferunt legem, quæ ipſis quidem rem extra dubium ponere videtur. *Ponent*, inquit Lex, *Aharonidæ ignem ſuper altari & diſponent ligna ſuper igni* (12) quæ lex, & alibi fuſius inculcatur. (13) Idque priori ſententiæ, quæ cuſtoditum in ara ignem e vulgari fuiſſe pertendit, eo magis favere videtur, quum latam eſſe conſtet hanc legem, antequam de igne divinitus deſcenſuro Aharonidis conſtaret. (14)

Verum quamvis hæc aliqua veritatis ſpecie ſe commendent, propius tamen intuentibus longe aliud innuere videbuntur. Quid enim obſtat, quo minus Lex, quæ antea erat indeterminata, facta deinceps per novam revelationem interpretatione ſenſum ſpecialiorem acquirat? Quam etiam factam eſſe apparet ex iis, quæ Moſes non Aharoni tantum, & filiis ejus & Senioribus Iſraelis, verum toti etiam populo, ipſo initiationis die coram oſtio tentorii conventus congregato, ſc. apparituram eſſe Gloriam Domini, aperiebat. (15) Cujus apparitionis ſive pars ſive effectus cum fuerit ignis hujuſcemodi victimas conſumturi egreſſus, ut ipſemet docuit rei eventus, (16) a vero non aberrabimus, ſi Moſen minimum, ſi non reliquos, præſcium fuiſſe iſtius miraculi afferamus, a cujus tamen nutu Aharon cum filiis pendebat.

Neque obeſt, quod Aharon ante ignis eruptionem adipes dicatur adoleviſſe in altari, illud enim de prævio potius apparatu, quam de ipſa executione intelligen-

ligendum esse apparet ex eo, quod, si adipes igne jam fuissent correpti, dudum consumti fuissent ante miraculosam sacri ignis demissionem: Quæ enim intercesserunt actiones, ut quod Aharon post paratas in ara victimas populo benedixerit in ipsa aræ summitate, quod ambo & Moses & Aharon exoraturi citra dubium apparitionem gloriæ divinæ, ignisque corruptionem (17) vel etiam suffitum facturi, (18) ingressi fuerint tentorium conventus, iterumque egressi benedixerint populo, antequam apparuit gloria Domini, sacraque inde emicuit flamma: Hæ, inquam, actiones tam brevi spatio circumscribi non possunt.

Et nonne miraculum obscurari fatendum est, si, quod vulgaris ille ignis jam inceperat, flammati jam aræ post accedens divinitus ignis consummet, seu potius diviso cum vulgari quasi munere præstet & absolvat.

Imo, an de hoc forte miraculo, quod solennissimo dedicationis die fuit peractum, minus magnifice convenit sentire, quam de victimis Gideonis (19) & Eliæ, (20) quas solo divinitus immisso igne depastas compertum habemus? Quod alicubi & Dæmon videtur imitatus inter Gentes; produnt enim historiæ sitis in Vulcanio colle altaribus solitos fuisse Sacerdotes superextruere vitium sarmenta, quæ virentia licet, non adhibito igne, sponte conceperint flammam. (21)

Quem porro dicemus fuisse extraneum ignem, quo prævaricatos legimus Aharonidarum par, nisi quod is desumtus non fuerit ex illo, qui eodem, ut verisimile est, die delapsus absumserat victimas in ara? Hoc enim suggerit rerum ordo, & historiæ nexus, simulæ enim ignis divinitus egressi facta erat mentio, addit eodem quasi Spiritu Moses (22) imprudentiam, quam commiserant novitii hi Sacerdotes, ignem alienum adferendo ad aram suffitus; ut, quem alienum vocat, intelligamus esse eum, qui non de sacro illo, qui eruperat ex nube, sed quocunque erat foco depromtus. (23)

Idem denique confirmat historia Templi utpote in quo constat extructum fuisse non tantum focum majorem, ad quem Sacerdotibus Templi custodibus, qui nudi pedes semper incedebant, arcendi frigoris causa aditus dabatur, verum etiam additum esse alium quendam minorem, unde repararent ignem altaris, si is forsan pluviis extingueretur: (24) quod, licet altare sub dio esset, nunquam tamen contigisse gloriantur Hebræi. (25) Quo pariter facit, quod de Sacerdotibus

quibusdam refertur, qui soluta captivitate Babylonica, præsentibus Nehemia atque Ezra, ex cavernis protulerint ignem ad struem altaris incendendam. (26) Quamvis autem, quod mox recensui, fabulam Judaicam sapiat, attamen, prout falsum plerumque quid habet ex vero, figmento huic præstruitur tanquam certum & notum, altari accendendo non quemvis ignem potuisse adhiberi. Quorsum enim quæso, si id licuisset, illæ cavernæ? Quorsum alter ille, quem diximus, in templo focus, si alias ex majori altero, imo quacunque culina ignem petere licitum fuisset?

Ast, quid de Lege, inquies, habendum? Quorsum illa Aharonidis data, si non, ut verba volunt, ignis fuit aræ imponendus? Dicam ergo & breviter quidem, ne longius huic immorando nauseam creem. Arcet Lex a *πυροφορία* alios quoscunque etiam Levitas, solos admittendo Aharonidas, qui hac opera rite defungantur, ignemque collocent super altari, (27) sive desumtum ex ipso altari, (utpote in quo strues quædam erat קיום האש appellata, unde reliquæ strues accendebantur,) sive etiam aliunde allatum, ex loco præsertim, ubi sacer ignis custodiebatur, sic ubi eo esset opus: quoties nimirum vel imbribus aliove casu esset extinctus, vel ara post peractum iter denuo esset instauranda. Sublestæ enim est fidei, quod de suo Pesachtar narrant Judæi h. e. æneo operculo, quo ignem profectionis tempore custodierint in ara; (28) quum Moses enumerando *κατυμέρος* omnia vasa, quæ in itinere aræ erant imponenda, nullius meminerit operculi, nisi vestis purpureæ & tegumenti e pellibus melium, quæ expandenda erant supra aram, cinere omnique adeo igne, ne tegumentis noceret, nudandam. (29)

Ita quid de Ignis sacri Origine sit sentiendum excussimus; Nunc, quem fiximus, ordo requirit, ut de illius conservatione pauca loquamur. Ex iis, quæ supra diximus, satis jam arbitror constare, custoditum fuisse hunc ignem in certo etiam templi loco, instar fornicis constructo, qui Beth Mokad minor vocabatur. Hunc ritum, prout Diabolus Dei simius est, ad idololatras translatum comperimus. Præterquam enim, quod Molochi cultores ante aram ædium sacrarum ingentem habuisse foveam tradantur, in qua continuatis seculis ignis arserit maximus, quem divinitatem appellarint. (30) Pagani sua habuerunt *πυρεῖα* sive *πυραιθεῖα* h. e. adyta, in quibus ignem sacrificiis comburendis dica-

tum perpetuo custodiebant, unde & Flamines eorum πυραῖθος vocabantur. Et inde Diana Pyronica dicta, quod in Crethide Arcadiæ monte ignem sumserint ad sacra Lernæa (31) Apud Romanos etiam ignis sacer non nisi e Flaminica poterat efferri, cujus custodia Virginibus Vestalibus publico jure erat commissa. (32)

Cautum præterea erat divina lege, ut ignis perpetuo arderet in ara, nunquam extinguendus, (33) cujus muniendæ causa pœnam fustigationis transgrediendi statuerunt Hebræi. (34)

Plures vero in ara lignorum strues fuisse dispositas tradunt Talmudici, etsi de numero disceptent. (35) Erat strues major ad orientem altaris, quo sacrificium juge comburebant. Erat, & quidem ad cornu altaris meridionale, unde prunas sumebant ad adolendum suffitum. Erat, quocunque demum altaris loco, strues, igni conservando dicata, unde reliquæ restaurabantur. Erat juxta nonnullos & alius lignorum ordo, cui victimarum nondum penitus consumtarum reliquias imponebant. Quibus in die expiationis addebant alium, unde prunas desumebat Pontifex Sacrarium Sanctissimum ingressurus. (36)

Sic igitur vigiles hæ flammæ noctu diuque excubias agebant in ara, quolibet mane excussis cineribus renovandæ. (37) Quo autem ligni genere essent alendæ, non quidem cavit lex divina, attamen δεισιδαιμονία Judæorum. In disponenda quidem strue magna, qua victimæ cremabantur nullus habebatur lignorum delectus, exulantibus tamen ligno olearum ac vitium sermentis. (38) Strui autem thymiamati faciendo destinatæ adhibebant præcipue ficuum ligna, adjectis insuper pyræ majori duobus ligni segmentis, quæ una cum victimis ignis pabulum præbebant; idque, ut ipsis quidem videbatur, ex ipsius legis præscripto. (39)

Inde etiam, ne igni unquam pabulum deesset, lignatores Gibeonitæ. (40) Inde conclavia lignorum, eaque duo, in quorum altero reponebant explorata, in altero explorabant. (41) Inde stata anniversaria tempora, quibus ligna in usum altaris erant convehenda. (42)

Vidimus corticem, Auditores, superest ut nucleum, ipsumque rei mysterium attingamus. Faciam id tribus, ne patientia vestra diutius abutar. Vobis autem jam censeo liquere, esse Deum non factorem tantum omnium, verum etiam exemplar, (43) ita ut universus hic Mundus, quem oculis usurpamus, nihil aliud sit quam amplissimum Theatrum, in quo, quæ in eo conspiciuntur, corpora, lucida, pellucida & opaca, totidem sunt tabulæ, in quibus Conditor Sapientissimus perfectiones suas adumbravit. Eas præsertim, quas in consilio, quod de homine concepit, demonstrare decrevit; (44) Gratiam nimirum & Justitiam, potissimas ipsius virtutes (45) quæ nominis divini, quod Mosi manifestavit, nobilis quis Gemmarum sunt biga, quæ ut in sacro ejus verbo, sic ipsa etiam natura ubique coruscant. (46)

Eo majori autem jure ea, quæ Deus speciatim elegit ex natura, vel in eadem constituit sive per naturam, sive per miraculum, sive etiam interveniente hominum opera, speciales judicabimus figuras esse earum rerum spiritualium, cum quibus similitudinem alunt; ut de arbore vitæ, iride, diluvio, tabernaculo innumerisque aliis proditum est in Scriptura. (47)

Et quoniam, quæ Deus in consilio suo circa hominem constituit, non temere sunt projecta, sed Sapientissimo convenientissimoque Ordine ita disposita, ut in diversis temporum œconomiis diversaque & gratiæ & Justitiæ distributione multifaria Dei sapientia demonstretur; manifestum est, tam universum Mundi systema, (minimum in quantum homini innotescit) quam, quæ ex ejus gremio rerumque naturalium censu rerum Spiritualium symbolis adscribuntur, præter generalem, quam habent, significationem, eam insuper induere πνευματικὴν δήλωσιν, quam istius œconomiæ peculiaris conditio requirit. (48)

Illis igitur, quæ ex Mundi elementis ad veterem cultum, qui sub œconomia Mosaica vigebat, olim visum est Deo transferre, non dubitabimus illum assignare sensum, eamque mysterii indigitationem, quam congruam esse patet illi tempori, quo Lex non umbram tantum habebat futurorum, verum etiam iram operabatur. (49) Huc universus ille pertinet sacer apparatus, quem jubente ita Deo, ut instrumenta quidem servitutis, cœlestium tamen typos, Moses confici curavit. Hujus omnino census est tabernaculum, Templum, eorumque conclavia, mensa, lychnuchus, altaria, bestiarum per statas vices jugulatio atque combustio: (50) Et in his numerandum etiam esse ignem, qui in altari jugiter flagravit, nemini dubium esse potest. (51)

Quemadmodum igitur similitudinem quandam (52) quam rebus naturalibus cum Spiritualibus intercedere dictum est, mystici sensus fundamentum esse animadvertimus; ita, quid de ignis mysterio sit ha-

habendum, diu nobis obſcurum eſſe nequit. (53)

Vorax eſt ignis, atque avide conſumens: Quid hoc aliud nobis innuit, quam Juſtitiæ ſeveritatem, cujus ratione Deus eſt zelotes atque ignis conſumens? Aſt beneficus ſimul, & ut ita dicam, liberalis eſt ignis lucem undique diffundens amœnam, blandumque calorem. Quid hoc, niſi ſymbolum Clementiæ divinæ, qui ſuæ nos faciei luce recreat atque Spiritu ſuo fovet? Et ut olim lucem juſſit exſplendeſcere ex tenebris, ita ſplenduit in cordibus noſtris ad lucem cognitionis gloriæ ſuæ in facie Jeſu Chriſti. (54)

Si eum conſideres propius, ut olim ſub Lege fulſit in ara, rurſus hieroglyphicum vides & Juſtitiæ & Gratiæ divinæ ſuo tempore exhibendæ. Quid enim iram illam Dei, quam Lex exercebat in Iſraelem, idque ob peccatum nondum vere expiatum, clarius ob oculos ponit, quam ille ignis, qui victimas, quæ peccatis onuſtæ vicem reorum præſtabant, avidiſſime vorabat? (55) Quid, quod neque interdiu neque noctu extingui debebat, aliud vides, quam ignem gehennæ inextinguibilem & ardens ſine fine ſulphuris ſtagnum? (56) ſi intuearis eam, ut umbram futuri, quid niſi typum obſervas iræ divinæ, attamen ſimul zeli fervidique amoris, quibus agnus ille Dei Mundi poccatis onuſtus olim erat conſumendus? (57) Quod cur ſtatuam, non ipſa tantum rerum convenientia, verum ipſamet etiam ignis hujus origo demonſtrat, utpote quem ex nube, Filii Dei in carne habitaturi nitidiſſimo typo, in aram oſtendimus proſiluiſſe. (58)

Evanuit tandem in fine temporis præfixi hic ignis cum ipſo & Templo & ara, nunquam reſtaurandus: Sic abolita eſt lex, & ira jam reconciliati in Chriſto Dei nunquam reviviſcet erga electos; Succeſſit vero flamma amoris perpetua, nunquam extinguenda. Qua de re graviter ſapientiſſimus Regum: *Fortis eſt*, inquit, *ut mors*, *amor*; *durus*, *ut orcus*, *zelus*; *ſcintillæ ejus ſunt ſcintillæ ignis*, *flamma Dei*: *Aquæ multæ non poſſunt extinguere amorem*; *& fluvii non inundabunt illum*. (59)

Lucem quoque affert hic ignis uberrimam. Illuxit gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus, velut Sol emergens ex aurora: Fugatæ jam ſunt umbræ legis; tranſiit nox ac dies ſucceſſit, gradatim provehendus, donec diſſipatis errorum, ignorantiæ, atque idololatriæ tenebris, Sol juſtitiæ ita luceat in Mundo, ut Terra plena ſit cognitione Domini & ſcientia augeſcat in extremo dierum.

Nec dum myſteriorum hic finis. Ignis hic dum alebatur ſumtibus hominum, ligniſque eorum opera procuratis, quid niſi ſomitem ac divinæ iræ alimentum noſtra arguebat peccata? Cur noctu etiam conſumebat membra victimarum, niſi eo, ut expiationem peragi cenſeremus eo quoque tempore, quo peccata perpetrantur, dum & noctu, a renibus noſtris ἐις τὰ μὴ καθήκοντα titillamur? (60)

Aſt vero, dum is verticem ferebat ſurſum, quid niſi ſatisfactionem ex cremata victima vicariam cœlo offerebat? Nidorem excitando ex adipe incenſo, quid niſi naribus Dei, illum inſinuabat acquieſcentiæ odorem, atque ad victimæ acceptationem invitabat? Levitarum cymbala, tibiæ tubæque, chordæ voceſque, qui victimis & igni huic veluti feſtivo accinebant, nonne caſtas illas cenſendi ſunt præluſiſſe delicias atque gaudia, quæ Spiritu autore prælibamus in terris, & ad ſatietatem perfruemur in cœlis? (61)

O nos felices nimium, modo noſtra noverimus bona! Cur igitur torpeſcimus? cur lugemus? cur, ac ſi hæc nihil ad nos, animo languemus? Gratulemur potius nobis de tam immenſo Dei amore, de ira a nobis converſa, de execratione ablata. Exultet cor & caro noſtra in Deo vivente. Serviamns Domino in timore, & exultemus in tremore.

Aſt vero, quid hic magis mirere, merito dubites? Gratiæ ne altitudinem, an Sapientiæ profunditatem? O abyſſus Sapientiæ atque Cognitionis Dei; qui quæ in conſiliorum ſuorum arcano abſtruſiſſima recondidit myſteria, gratiam pariter atque iram miris artibus temperatam, in eodem conſpicienda exhibuit elemento! Qui vitam una & mortem, execrationem ac benedictionem, ſalutem ac exitium, imo cœlum atque infernum in uno eodemque igne incredibili compendio adumbravit? Abi jam Socine ad aram; Abi, inquam, & diſce ex hoc igne juſtitiam Dei, qua per ſanctiſſimam virtutum ſuarum neceſſitatem ulciſcitur peccata; diſce redemtionem, eamque ex eodem illo igne, qui victimam adoriens vicariam ſontem dimittit illæſum.

Nobis etiam Clariſſimi Domini Collegæ, hic ſuppetit, quod in uſum noſtrum referamus. In munere noſtro ne frigidi ſimus atque torpentes, ſed fervidi atque alacres. Ignem coram Domino offeramus, non ſpurium atque profanum, unde ignis judicium incurriſſe novimus Fratrum par inauſpicatum, ſed genuinum, ſed ſanctum atque ab ipſo

alta-

altari depromtum. Igne ferveamus, non ambitionis ac vanæ gloriæ, non odii ac invidiæ, non contentionis atque rixarum, sed gloriæ Dei, sed mutui amoris atque pacis. An fodicando hunc ignem, provocabimus Nemesin divinam? Sacri potius simus Flamines, sacrum hunc ignem non nisi sacro ore atque Spiritu inflantes.

Ad vos denique Lectissimi Juvenes, deliciæ meæ atque decus, mea se convertit oratio. Quid a me aliud desiderare videmini, quam ignem hunc sacrum? quid aliud quam ut inspirem Vobis zelum gloriæ Dei? Ut lucem vobis fœnerer divinæ veritatis? Id certe mei esse muneris lubens agnosco, nihilque magis, quam, ut ei par esse queam, habeo in votis. Ergo quamvis tenues, fateor enim, & evanidi fere sint igniculi, nullaque ratione comparandi ardentibus istis Luminibus, Oleviano, Piscatori, Zeppero, Alstedio, Netheno ac denique cujus præmaturum obitum merito dolemus, Melchiori, qui ante me hanc cathedram illustrarunt; attamen, (quæ ignis indoles est, ut vel flatu excitetur, vel adjectis carbonibus atque lignis augeatur, imo sicut in silice chalybeque collisis fieri videmus, iteratis ictibus emicet) aspirante divinæ Gratiæ Favonio spero fore, ut excitentur augeanturque indies dona, quæ hactenus veluti cineribus obruta delituerunt. Estote igitur Vos, Eximii Juvenes fomitis instar, qui excipiat exsilientes hinc inde scintillas, ut & ipsimet ignescatis. Ictibus etiam ne supersedete: collidamini inter vosmetipsos, non armorum strepitu, sed amica argumentorum collatione; Mihi ipsi etiam, si id operæ esse pretium ducatis, non parcentes. Tundite aures, tundite animum, tundite, inquam, sive interrogando sive opponendo; repetite ictus instantiis vestris, donec veritas extundatur. Sic quicquid in nobis est scintillarum bonæ mentis, mutua opera excitabimus.

Sed quid iis me debere dicam, qui, moderante ita Numine, huic me aræ admoverunt? Ingens olim erat honos, attendere altari & sacro igni præesse. Vobis ergo, SERENISSIMI PRINCIPES DOMINI MEI CLEMENTISSIMI, Lycæi nostri Summi Curatores atque Patroni, merito me profiteor debitorem, qui me immeritum pariter atque ignotum huic muneri præfecistis. Calet pectus meum sacra erga Vos reverentia; Calet precibus ac votis pro Vestro Splendore effusis ac nunquam non effundendis. Beet Vos luminum Pater gratiæ suæ radiis, ne & me Vestro unquam favore destituatis. Ita spero, calebit lucebitque perpetuo hæc ara.

Quo etiam nomine grato recolimus animo beatos *Ampliss. Causenii* manes, cujus liberalitas aræ nostræ calorem addidit ac lucem, ignique nostro de pabulo in seros usque annos prospexit. Utinam vero tandem ver faceret hæc hirundo, ut Gentes Hierosolymam suas adferrent opes, & extranei ædificarent muros illius!

Ad Te denique me converto, qui lucem habitas inaccessam, omnipotens & æterne Deus, mi Deus atque Pater in Filio tuo Jesu Cristo. Quis ego sum miser homuncio, quem tacta hactenus dignatus es gratia? quem singulari Tuo hucusque prosequeris favore? Gratias imprimis Tibi ago supplex, mi Deus atque Pater, quod juxta multitudinem miserationum Tuarum, quum natura essem Filius iræ, me denuo genueris ex alto ad spem vivam per resurrectionem Jesu Christi. Gratias Tibi ago, quod pro immensa Tua benignitate me constitueris hactenus Œconomum in Ecclesia, quæ est domus Tua, & dispensatorem mysteriorum tuorum. Quicquid boni igitur, quicquid doni in hunc usque diem in me animadverto, Te solum in solidum agnoscit autorem; Idque modo profiteor & publice deprædico in laudem gratiæ Tuæ gloriosæ.

Sed hoc leve fuit in oculis Tuis, quin imo gratiam cumulasti gratia, meque, qui olim tantum eram ovium Pastor, nunc quoque constituisti Doctorem eorum, qui & ipsimet olim futuri sunt ovium pastores. Sed quis ad hoc est idoneus? Agedum ergo, Clementissime Deus, adsis quæso servo Tuo Spirtu Tuo bono atque Sancto. Fac ardeat in me ignis amoris Tui; Fac luceat super me facies Tua, ut in lumine Tuo videam lumen & manifestatione veritatis me commendem ad omnem conscientiam eorum, qui me auscultabunt. Aperi & horum oculos, ut videant mirabilia Legis Tuæ, ut profectus noster & docentium & discentium quotidie sit manifestus. Denique, o Cœlestis Pater, flecte, corda nostra in obsequium Tuum; doce nos agere juxta beneplacitum Tuum, & Spiritus Tuus bonus ducat nos in via plana. Fac erudiat nos gratia Tua salutaris, ut abnegata omni impietate & cupiditatibus mundanis & sobrie & pie & juste vivamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & adventum Domini nostri Jesu Christi, ut gloriosus fiat in omnibus sanctis suis, & admirabilis in omnibus credentibus. Amen.

NO-

NOTÆ.

(1) Vid. Outram de Sacrific. Lib. 1. Cap. 3.
(2) Levit. 9. vers. 24.
(3) 2. Chron. 7. vers. 1. 2. 3.
(4) Ita בעל הטורים ad Lev. 6. vers. 5. האש ירדה מן השמים *Ignis ille descendit de cœlo:* Similiter Jalkut Simeonis ex תורת כהנים fol. 142. Col. 1. כיון שראו אש חדשה שירדה משמי המרום וליחכה על המזבח את העולה ואת החלבים פתחו פיהם ואמרו שירה ועל אותה שעה הוא אומר רננו צדיקים בי״י לישרים נאוה תהלה: h. e. *Postquam* Moses & Aharon *viderunt ignem novum, qui descendebat de summitate cœlorum, & abligurriebat super altari holocaustum & adipes, aperuerunt os suum, dicendo carmen: Et de hac ipsa hora dicit* David Psal. 33. vers. 1. *Jubilate justi in Domino; rectos decet gloriatio.*

(5) Ibidem ex Pirke R. Eliezer, col. 2. אש מן השמים אין כתיב כאן אלא ותצא אש מלפני יהוה ותאכל על המזבח ואותה האש יצאה ואכלה עדת קרח יצאה מארת יהוה ואותה האש יצאה ואכלה את בני אהרן שנ׳ ותצא אש מלפני יהוה: i. e. *Non hic scriptum est: Ignis e cœlo; Sed egressus est ignis e conspectu Domini* h. e. nube gloriosa, *& comedit super altari &c. Et hic idem ignis egressus devoravit turbam Korah. Ut legitur* Num. 16. vers. 35. *Et ignis exivit a Domino: Idem quoque ignis exiit, ac consumsit filios Aharonis, ut dictum est.* Lev. 10. vers. 2. *Et egressus est ignis e conspectu Domini.*

(6) Levit. 9. toto.
(7) Vid. not. (5)
(8) Ita Bechai in Legem fol. 131. כמין שני חוטי אש נכנסו לתוך שני נקבי חוטמיהן ויצאה נשמתן: h. e. *Veluti duo fila ignis intrarunt in medium narium amborum & anima ipsorum exivit.* Idem clarius recensetur a R. Simeone in Jalk. fol. 142. col. 3. ad hæc verba: *Et exivit ignis e conspectu Domini:* מלמד שיצאה אש מבית קדש הקדשים ושרפה נשמתם אבא יוסי בן דוסתאי אומר שני חוטין של אש יצאו מבית קדשי קדשים ונחלקו לארבע׳ ונכנסו שנים בחוטמו של זה ושנים בחוטמו של זה: h. e. *Docet Moses, quod exiverit ignis ex intimo Sancti Sanctorum & combusserit animam ipsorum. Aba Jose filius Dostai dicit; Duo ignis fila exierunt ex intimo Sancti Sanctorum, & divisa sunt in quatuor; quorum duo in hujus, & duo in illius nares intrarunt.* Quicquid vero de hoc sit, verisimile tamen est, petiisse eos ignem ea corporis parte, qua nudi erant, ideoque facie; quum vestimenta ipsorum non fuerint combusta Lev. 10. vers. 5.

(9) Celeberr. Burmannus Synops. Lib. IV. Cap. XI. §. LIV.

(10) Unde familiare ipsis est dicere: א״עפ שהאש יורדת מן השמים מצוה להביא מן ההדיוט: h. e. *Etiamsi ignis descenderit de cœlo, præceptum est, afferri etiam de vulgari.* Sic Raschi ad Levit. 1. Et ex veterum sententia Jalk. fol. 117. col. 2. Baal Hatturim ad Levit. 6. vers. 5. hanc sententiam ipsis etiam attribuit Aharonidis, Nadab & Abihu: quam, veram licet, quum docuerint לפני רבם *coram Doctore suo* Mose, hanc ipsam ob causam perierint igne. Vide etiam Massechet Joma in fine פרק קמא.

(11) Qua in re & mysterium quærunt Hebræi, ut patet ex iis quæ habet Bechai in Leg. fol. 122. col. 2. בהיות שם שתי אשות מעורבות היה אות וסימן כי יש קשור להדיוט עם הגבורה על ידי הקרבן וכמו ששתי אשות אלו מתערבות ומתיחדות זו עם זו כך רצון ההדיוט עם הגבוה מתיחדים זה עם זה: h. e. *Dum ibi duo ignes fuere permixti signo atque indicio fuit, unionem intercedere homini vulgari cum Deo per sacrificium. Et quemadmodum duo hi ignes sibi invicem miscentur atque uniuntur, sic in gratiam redit homo cum Altissimo per mutuam unionem.*

(12) Lev. 1. vers. 6.
(13) Lev. 6. vers. 12. 13.
(14) Utpote quod demum legimus Lev. 9. vers. 24. Hoc ipsum urget Cl. Burm. loco allegato.
(15) Lev. 9. vers. 6. Ad hæc verba recte notat R. Levi ben Gerson fol. 133. col. 2. ר״ל שיראה אליהם כבודו ניגיע בזה רושם מוחש על צד המופת כשתצא אש מלפני י״י ממקום קדש הקדשים: i. e. Moses *vult dicere ostensurum ipsis esse* Deum *gloriam suam, facturumque, ut accedat sensibile hoc signum per modum miraculi, ac prodeat ignis e conspectu Domini ex loco Sancti Sanctorum.* In eandem mentem Abben Ezra ad h. l. הטעם על האש שיצא h. e. *sensus* respicit *ignem, qui erat exiturus.*

(16) Levit. 9. vers. 23. 24.
(17) Qua de re pariter Abben-Ezra ad h. l. יתכן שבאו להתפלל על האש שתצא: h. e. *Convenit ingressos esse ad supplicandum super igni, ut egrederetur.*

(18) Sic Bechai in Leg. fol. 130. col. 3. נכנסו שניהם שם כדי שילמדנו משה מעשה הקטורת לפי שאהרן כל שבעת ימי המלואים לא היה רשאי ליכנס לפנים מפתח אהל מועד: h. e. *Intrarunt ambo, ut doceret eum Moses facere suffitum, quoniam Aharoni per totos septem initationis dies non licebat ingredi interius tentorii conventus.* Utrumque conjungit Raschi ex libro תורת כהנים נכנס משה הא למות לפה עם אהרן ללמדו על מעשה הקטורת דבר אחר כיון שראה אהרן שקרבו כל הקרבנות ונעשו כל המעשים ולא ירדה שכינה לישראל היה מצטער ואומר יודע אני שכעס הקדוש ברוך הוא עלי ובשבילי לא ירדה שכינה לישראל אמר לו למשה אחי כך עשית לי שנכנסתי ונתביישתי מיד נכנס משה עמו ובקשו רחמים וירדה שכינה לישראל: i. e. *Ecce discis, cur ingressus fuerit Moses cum Aharone? ut doceret eum facere suffitum. Alius dicit: Postquam vidit Aharon, oblata esse omnia sacrificia, omniaque peracta non descendisse vero Schechinam Israeli, dolens dixit: Scio irasci mihi Sanctum Benedictum, & mei gratia non descendit Schechinach* h. e. ignis ex nube *Israeli. Dicit ergo Mosi: ita fecisti mihi, frater, quod intraverim pudore suffusus. Statim ingreditur Moses cum ipso, atque inveniunt misericordiam, descendente Schechinah.*

(19) Jud. 6. v. 20. 21.
(20) 1. Reg. 18. v. 38.
(21) Vide Saubertum de sacrificiis Cap. 16. qui historiam hujus rei recenset ex Solino Cap. 12.
(22) Levit. 9. v. 24. & cap. 10. v. 1.
(23) Sic Aben Ezra ad h. l. qui utramque historiam emissi divinitus ignis atque suffitus infausti Aharonidarum ejusdem facit diei, nempe octavi *Levit.* 9. *vers.* 1. qui primus erat post peractam a Mose Aharonis ac filiorum ejus consecrationem *Lev.* 8. Historiæ enim series & indoles facti imprudentis, quod commiserunt Nadab & Abihu, satis ostendit, eos in limine muneris sui versatos, ut prima vice suffitum facturi erraverint circa Ignem. Ita autem annotat ad verba *Levit.* 10. *vers.* 1. *unusquisque autem sumsit thuribulum suum:* לפי דעתי זה הדבר היה גם ביום השמיני: *Juxta meam sententiam factum hoc fuit etiam in die octavo.* Unde deinceps rationem reddit, cur vocetur ignis peregrinus, quem attulerunt; nimirum quia non erat מהאש שיצאה *ex igne, qui exiverat* eodem nimirum die; Addit: הה טעם אש זרה *Et hæc ratio est*, cur dicatur *Ignis peregrinus.*

Eodem reddit, quod habet Bechai in *Leg. fol.* 130. col. 4. על דרך הפשט החטא שנענשו בו נדב ואביהוא הוא שהביאו אש זרה מן החוץ כי משפט הקטרת היה לקחת אש מהמזבח ולהקטיר בו את הסממנים שנ׳ ולקח מלא המחתה גחלי אש מעל המזבח והם חשבו שהאש של מזבח היה צריך לעצמו לכלות הקרבן ועל כן הביאו אש מן החוץ והיה זה עברה בידם כי היה נראה מעוט אמונה שהרי האש יורדת מן השמים ועל שהחלישו בלבם כח הנס ובעיני רואיהם נענשו: i. e. *Juxta sensum literalem peccatum, propter quod mulctati sunt Nadab & Abihu, hoc fuit; quod attulerint ignem peregrinum forinsecus. Fuit enim ritus suffitui faciendo sumere ignem ex altari, eoque adolere thymiamata; ut dicitur:* Levit. 16. v. 12. Et sumet thuribulum plenum prunis igneis ex altari. *Ipsi autem cogitaverunt ignem aræ ipsimet necessarium esse ad consumendum victimam: Et propterea attulerunt ignem forinsecus; idque fuit transgressio in manibus eorum. Pusillæ enim fidei esse apparuit, quod descendente cœlitus igne, in corde suo infirmaverint vim miraculi; quam ob causam coram oculis spectatorum sunt puniti.* Item Rakanati ad h. l. ועל כן וקראת אש של מטה לערך האש ההוא אש זרה: h. e. *Et propte-*

rea

rea vocatur ignis inferior respectu ignis hujus divinitus emissi *ignis peregrinus*.

(24) Tamid. cap. 1.

(25) Abhoth C. 5. ubi inter decem miracula, quæ contigerit in Sanctuario numeratur & hoc: לא כבו גשמים אש של עצי המערכה i. e. *Non extinxerunt imbres ignem lignorum in strue* altaris.

(26) Vide Lexicon Othonis pag. 29. qui id refert ex Josepho ben Gorion. cap. 17.

(27) Sic Jalkut Simeonis ex libro Siphri. אמר ר׳ יהודה מנין להצתה שלא תהא אלא בכהן כשר: i. e. *Dicit R. Judah: Unde* probatur, *accensionem fieri non debere, nisi per Sacerdotem legitimum?* Respondetur autem ex *Levit.* 1. ונתנו בני אהרן הכהן אש על המזבח: *Et ponent filii Aharon ignem super altari.* In eundem sensum & R. Levi ben Gerson ad h. l. למדנו שנתינת האש על המזבח לא יהיה כי אם בכהן בעת שהוא בכבנו: *Discimus, quod positio ignis super altari peragi non debeat, nisi per Sacerdotem eo tempore, quo obit munus Sacerdotale.*

(28) R. Simeon in Legem Jalk. *fol.* 133. *col.* 4. ex תורת כהנים ita refert ad verba: *Ignis perpetuus, non extinguetur:* אף במסעות מה עושין לה כופים עליה פסכתר דברי ר׳ יהודה: h. e. *Atqui in itineribus, quid faciunt illi? Tegunt super eo Pesachtar. Verba R. Jehudah.* Explicat id Glossa מין-כפיפה של נחושת *speciem æneі operculi:* Cujus capacitas, forma & usus triplex describitur Tamid. cap. 5. שלושה דברים היתה משמשת כופין אותה על גב הגחלים וג׳ i. e. *Ad tria usui erat: Tegebant illud super prunis* altaris &c.

(29) Num. 4. v. 13. 14.

(30) L' Empereur in Notis ad itinerarium Beniaminis.

(31) Saubertus de Sacrificiis ex Suida & aliis: hinc Virg. 4. Æneid. *Vigilemque sacraverat Ignem Excubias divum æternas.* Item Lipsius de Vestalibus cap. 15. de Ægyptiis ex Diodoro. *Servant ignem perpetuum, cœlesti similem.* De Indis ex Ammiano. *Brachmanes ferunt, si justum est credi, ignem cœlitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri.* De Persis ex Procopio. *Magnum hic Pyræum est* (πυρεῖον *secus igniarius*) *quod Persæ inter omnes Deos maxime venerantur; ubi ignem perpetuum custodiunt Magi. Hic est ignis, quem Vestam olim Romam vocabant.* De Cappadocibus ex Strabone. Ἐστι πυραιθεῖα σηκοί τινες ἀξιόλογοι. Ἐν δὲ τούτοις μέσοις βωμός, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ μάγοι. *Sunt pyrathea sacella quædam modica, & in iis mediis ara, in qua cinis multus, & ignem inextinctum Magi servant.* Plura si placet vide ibidem.

(32) De his ita Cicero ex Legg. XII. Tabul. Lib. II. de Legg. pag. mihi 440. *Virgines Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum.* Cujus extinctio mali esse ominis habebatur, ut ex Dionysio refert Lipsius de Vestalibus cap. 8. Σβέσιν ὑπὲρ ἅπαντα τὰ δεινὰ Ῥωμαῖοι δεδοίκασιν, ἀφανισμοῦ τῆς πόλεως σημεῖον ὑπολαμβάνοντες, ἀφ᾽ ἧς ποτ᾽ ἂν αἰτίας γένηται i. e. Ignis perpetui *extinctionem super omnia gravia & timenda Romani timent, interitus aut imminutionis Reipublicæ id signum interpretantes, a quacunque tandem causa evenerit.* Et Livius Lib. 26. *Plus omnibus aut nunciatis peregre aut visu domi prodigiis terruit animos hominum ignis in æde Vestæ extinctus.*

(33) Lev. 6. v. 2. --- 5.

(35) Ralbag ad h. l. לא תכבה הוא מצות לא תעשה והמכבה לוקה: i. e. *Non extinguetur: hoc est præceptum negativum, & qui eum extinguit, fustigatur.* Vide & Maimonidem in Tamid Umosaph. cap. 2. Eadem pœna erat etiam Virginibus Vestalibus statuta, sicubi forsan ignem ipsarum culpa extingui eveniret. Vide Lipsium c. 8. Exemplum narrat Valerius Maximus Lib. 1. c. 1. P. *Licinio Pontifici Maximo virgo Vestalis, quia quadam nocte parum diligens ignis æterni custos fuisset, digna visa est, quæ flagro admoneretur.* Et Livius Lib. XXVI. *Ignis in æde Vestæ est extinctus, cæsaque flagro Vestalis, cujus custodia noctis ejus fuerat.*

(35) R. Salomo ad Lev. 6. כולן נדרשו במסכת יומא שנחלקו רבותינו במנין המערכות שהיו שם: i. e. *Omnes hæ* strues *recensentur in libro* Talmudico *Joma; Disceptant enim Rabbini nostri de numero struium, quæ ibi fuerunt.* Vide, si placet, libri citati caput 4. §. 6. & R. Levi Gersonidem ad Lev. 6.

(36) Lev. 16. v. 12.

(37) Lev. 6. v. 4. ex Gemara in loc. cit. Joma.

(38) Tamid Cap. 2. §. 3. היו כל העצים כשרים למערכה חוץ משל זית ושל גפן אבל באלו רגילין במורביות של תאנה ושל אגוז ושל עץ שמן: id est. *Omnia ligna fuerunt proba, excepto ligno oleæ atque vitis. Sed horum loco utebantur ligno ficuum, nucum, atque balsami:* Quod quid sit vide Bartenoram ad h. l. Hoc fuerunt & Gentes imitatæ, vide Saub. de Sacrif. cap. 16. p. 359.

(39) Jalk. in Leg. fol. 117. col. 2. אמר רבי שמעון לרבות גזירי עצים במערכה עם התמיד של בין הערבים תל״ וערכו עצים על האש: h. e. *Dicit R. Simeon; addendas esse duas ligni taleolas strui cum sacrificio jugi vespertino. Ideo docet Scriptura: Et disponent ligna super igni.* Lev. 1.

(40) Jos. 9. v. 27.

(41) Middoth. cap. 2. & 5.

(42) Nehem. 10. v. 34. Taanith. cap. 4. ubi novem dies speciales in anno huic fini leguntur fuisse destinati: dies 1. Nisan: dies 2. Tammuz; dies 5. 7. 10. 15. 20. Abh. dies 20. Elul: dies 1. Thebet.

(43) Quæ hic de significatione Ignis sacri mystica trado, velim subjungi Canonibus Hermeneuticæ Sacræ, nuper a nobis exhibitis; quibus & illos adjicere animus erat, qui Mystici sensus eruendi rationem tradunt. Verum, quia eos huic Dissertationi olim inserueram, labore supersedi, satis habens, eosdem quales quales fuerint, hic exhibere. Niti autem judico universam Theologiam Mysticam veritate hac fundamentali: *Deus est Causa omnium rerum perfectissima, ideoque Exemplaris.* Quam facili negotio nobis persuadet τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod ipsemet in nobis manifestavit Rom. 1. v. 19. quum majoris perfectionis sit, non tantum omnia facere voluntate & potentia sua, verum etiam juxta se ipsum, ut Exemplar; quæ propterea perfectio Deo, qui summe est perfectus, nullo prætextu potest negari. Inde autem eadem opera emergunt hæc consectaria. I. *Res a Deo creatæ, earumque perfectiones sunt repræsentamina Dei & perfectionum ipsius.* II. *Ordo & nexus, sive leges, quæ obtinent in rebus a Deo creatis, pariter sunt ectypi istius ordinis & nexus, qui est in Deo & perfectionibus ipsius.* III. *Res a Deo creatæ quoad earum perfectiones & nexus non tantum habent analogiam cum Deo & perfectionibus ipsius earumque nexu, verum etiam inter se ipsas.* Quæ enim in uno tertio conveniunt, inter se conveniunt IV. *Vera Theologia naturalis hæc est, quæ explicat hanc analogiam, quæ Deo cum creaturis, & creaturis secum ipsis intercedit, ideoque tota est Mystica.* Psalm. 19. v. 1. Rom. 1. v. 20. Sic Paulus tenebras & lucem Genes. 1. vers. 2. 3. mystice exponit 2. Cor. 4. vers. 6.

Effata hæc & similia omnem faciunt paginam apud Mysticos, Hebræos pariter ac Christianos. Brevitatis studio allegabo vel unicum hoc Rakanati in Leviticum fol. 109. col. 4. edit. Lublin. התעורר על זה המאמר הנפלא ממה תכבר כתבתי לך כמה פעמים כי כל דבר עליוני יש לו דוגמה וענין בזה העולם והוא אליו כצל אצל המוצל וארוך בו: i. e. *Expergiscere super hoc effato mirabili*, non dormitans, sed vigilanti attentoque animo id expendere, *quod tibi toties jam scripto exhibui: Quod omnis res superior habeat exemplum & significationem in hoc Mundo. Idque ad eam* scilicet rem superiorem est, *ut umbra ad rem adumbratam; quod accurate etiam explicabo.* Et hoc etiam decantatissimum est illud Hermetis. *Quæ sunt inferius, sunt sicut ea, quæ sunt superius.*

(44) Hinc Canon. *Providentia Dei circa naturam attemperata est consilio ipsius circa creaturas rationales.* Sapientiæ divinæ est, nexum facere inter omnes omnino veritates, ut minimæ referantur etiam ad eas, quæ omnium maximi sunt momenti. Oportet igitur conditionem rerum naturalium, quæ minimæ sunt, ordinari ad eas, quæ maximæ sunt, & ex quibus maxima in Deum Gloria redundat; quales sunt illæ, quæ Angelos & homines concernunt. Quæ relatio etiam per experientiam est manifesta, quum constet Mundum Creaturis intelligentibus domicilium præbere, & diversimode eas afficere; ut de Mundo hoc aspectabili, qui hominum est κατάλυμα, ad oculum patet; & quem Dæmonum esse carcerem Scriptura testatur Luc. 8. v. 27. s. Luc. 10. v. 18. Joh. 12. v. 31. Joh. 16. v. 11. Eph. 2. v. 2. & 6. v. 12. 1. Petr. 5. v. 8. 2. Petr. 2. v. 4. Jud. v. 6. Apoc. 12. v. 9.

(47) Hinc

(45) Hic Canon. *In natura duo adumbrantur regna: Gratiæ & Iræ, Lucis & tenebrarum*. Neceſſario hoc ſequitur ex præcedente Canone. Prout enim conſilium Dei circa Angelos & homines eſt duplex, gratiæ & iræ; Sic etiam duplex Regnum. Ut Regni lucis & gratiæ emblema eſt Lux Mundi Aſpectabilis cum omnibus ejus qualitatibus jucundis; Sic Regni tenebrarum & iræ imago repræſentatur in tenebris, omnibuſque omnino qualitatibus moleſtis atque naturæ adverſis. Et hic canon fundamentum eſt omnium illarum locutionum, quibus gaudia cœleſtia atque cruciatus infernales deſcribuntur emblematis ex natura petitis.

(46) Vide Exod. 34. v. 5. 6. 7. Inde Bechai in fine Exodi ad verba עמם ולילה annotat. בא לרמוז כי ספר התורה כלול מן הרחמים והדין: h. e. *Indigitat* Moſes his verbis, *quod liber legis*, id eſt totus Codex Sacer *univerſim conſtat ex Proprietate miſericordiæ & judicii*. Unde patet Naturam & Scripturam eſſe veluti ὁμόστοιχα μαρτύρια eiſdem quaſi lineis atque literis conſtantia, quæ in eundem ſcopum collimant vid. *Act.* 14. *verſ.* 16. 17. imprimis *Pſal.* 19. *verſ.* 1. – 6. coll. cum *Rom.* 10. *verſ.* 18.

(47) Novus Canon Hermeneuticus. *Quæ Deus ſpeciatim elegit ex natura vel in eadem conſtituit ſive vi naturæ ſive miraculi, ſive etiam artificio hominum, ſpeciales ſunt figuræ earum rerum cum quibus ſimilitudinem habent*. Includitur hic Canon ut ſpecialior in ſinu præcedentium generaliorum. Exempla extant in textu, quibus addi poteſt tranſitus per mare rubrum *Exod.* 14. *v.* 22. coll. 1. *Cor.* 10. *verſ.* 1. 2. Quod de Tabernaculo dixi, indubium habet Interpretem Apoſtolum, utpote cui χειροποίητα ἅγια ſunt ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν *typi* (Syrus דמוותא *ſimilitudines*) *veri Sacrarii*; & quæ in eo erant, ὑποδείγματα τῶν ἐν τοῖς οὐρανοῖς *exemplariæ eorum, quæ in cœlis ſunt*. Hebr. 9. verſ. 23. 24. Quæ etiam communis eſt ſententia Myſticorum inter Hebræos. Sic Jalkut, non Simeonis, quem ſupra ſæpius citavi, ſed Rubenis in Legem ad Levit. 1. fol. 118. col. 4. מלמד שבית המקדש שכוין נגד בית המקדש שלמעלה i. e. *Docet, domum Sanctuarii inferioris collineare in domum Sanctuarii ſuperius*. Quem locum plenius vide citatum atque explicatum in Sacerdotio noſtro Romano *Scholio Propoſ. 36. pag.* 206.

(48) Alius Canon, qui brevius his verbis concipi poteſt. *Res naturales, ex imprimis quæ in rerum ſpiritualium ſymbola divinitus ſunt electæ, eam obtinent ſignificationem myſticam, quam iſtius œconomiæ conditio requirit*. Non ſecus ac ipſa etiam Scripturæ verba pro ratione circumſtantiarum, quæ in diverſis ſalutis noſtræ œconomiis multum variant, ſpecialem requirunt interpretationem. Vide Canones Hermeneuticos, XIV. XV. & XVI. Adjice huic Canonem affinem, licet nullus ejus in hac Diſſertatione ſi uſus; nimirum. *Tam homines eorumque geſta, quam Dei circa homines ſub Promiſſione ac V.T. decantata ſymbola ſunt eorum, quibus ipſamet analoga eſſe comperiuntur*. Ut Adam Rom. 5. 14. Kain, Abel, &c.

(49) Specialior Canon ex præcedente generaliore emergens, qui contractius ita poteſt proponi. *Emblemata ſub Lege explicanda ſunt eo ſenſu, qui congruus eſt indoli Legis*. Vide Canonem Hermen. XIV. Addi his Canonibus ob materiæ affinitatem poſſunt & hi: *Symbola gratiæ ſub Evangelio auguſtiora ſenſu ſunt iis ſub Lege*. Denique *Auguſtiſſimæ ſignificationis ſunt ea, quæ concernunt Gloriam cœleſtem*. Σύστοιχοι ſunt hi Canones Canonibus Herm. XV. & XV. & iiſdem rationibus nituntur.

(50) Interprete Apoſtolo Paulo hinc inde, potiſſimum in Epiſtola ad Hebræos.

(51) Arſit enim jugiter in ara, & neceſſarius erat ad ſacrificia, quæ præcipuum Vet. Teſt. cultum faciebant, conſumenda.

(52) Nota ſimilitudinem, qua res creatæ repræſentant divinas, eſſe vel *homogeneam* vel *heterogeneam*. Homogeneam appello eam, qua res creatæ, quæ Spiritualis ſunt naturæ, repræſentant res Spirituales. Heterogeneam vero, qua res materiales, diverſæ a Spiritualibus naturæ, Spirituales quocunque modo adumbrant; Uti Sol ejuſque fulgor Chriſtum Juſtitiæ Solem, & Gloriæ Patris ſplendorem *Malach.* 4. *verſ.* 2. *Hebr.* 1. *verſ.* 3. Hæc omnia, quæ hactenus de Principiis Myſticæ Theologiæ, tam naturalis quam revelatæ diximus, vide, ſis, ex primis ſuis fundamentis Mathematice demonſtrata, Diſſertatione noſtra de Generatione Filii Dei pagg. 50. – 62. Exempla autem Canonum innumera reperias licet in Cl. Feſſelii *Chriſto Myſtico* & *Regno Diaboli Myſtico*, qui nuper Germanico idiomate prodierunt.

(53) Obſervari velim hoc loco diſcrimen inter Phyſicam, prout ea hactenus in Scholis eſt tradita & inter Theologiam naturalem. Hæc contenta eſt obſervare qualitates corporum, prout in ſenſus incurrunt; Illa vero præterea inquirit, in modum, quo hæ qualitates in corporibus generentur, & qua ratione agant in ſenſoria noſtra, ut ſenſibiles fiant. Dein Phyſici hactenus ſoliciti non fuerunt, ut indagarent illas Dei perfectiones, quibus tanquam primitivo exemplari reſpondent corporum qualitates, eaſque ex intima indole ſua repræſentant; quod Theologiæ naturalis eſt opus. Sit ex. gr. Ignis, de quo hic agimus. Circa hunc ita verſatur Theologus naturalis; ut conſideret eas illius tantum proprietates, quæ nullo negotio animadvertuntur, & toto die in ſenſus incurrunt. Phyſicus autem inſuper laborat, ut explicet atque demonſtret, quid abſolute loquendo & citra relationem ad ſenſum noſtrum ſit calor & lux in ipſiſmet corporibus; motus nimirum minimarum particularum velociſſimus; item, quomodo ille motus agat in corpora noſtra, ut effectus illos in nobis ſortiantur, qui lucis & caloris nomine veniunt. Contra vero, quum Phyſicus non ſoleat animadvertere, quaſnam in Deo perfectiones adumbrent dictæ qualitates, Theologus naturalis id omni ſtudio rimatur, ut ſtatim apparebit.

(54) Utramque hanc ignis qualitatem moleſtam & jucundam שתי פעולות יחד הארה והשרפה *illuminationem* & *combuſtionem* ex mente Kabbaliſtarum accurate exponit Abarbenel in Legem fol. 324. col. 3. Cujus verba omnino digniſſima ſunt, quæ huc referantur. *Sicut in Luce Solari*, inquit, *& ignea juxta illuminationem illius*, שהוא פועל משובח ומועיל בכל הטובות והויות: *quæ eſt laudatiſſimum & utiliſſimum omnium bonorum atque rerum*, כבר ימצא עמו השרפה והכליון שהוא פועל יותר רע שבמציאות: *etiam invenitur combuſtio & conſumtio, quæ eſt opus extreme malum* ſeu pernicioſum, *quod unquam aut uſpiam reperitur; ſic juxta Kabbaliſtas Sanctus Benedictus eſt lux & illuminans*, ומשפיע החיים והמציאות והטוב בכל הנמצאים כפי החנינה והרחמים: *& influens vitam, exiſtentiam & bonum in omnes creaturas juxta Gratiam & Miſericordiam: Sed ſimul etiam accedunt juxta judicium* ומדת הדין *& proprietatem rigoris* העונש והשרפה והכליון כמאכולת אש לראויים ולמוכנים אליו: *pœna combuſtio & conſumtio, juxta comſumptionem ignis, iis, qui ea digni ſunt, & ad eam exaptati*. Quo allegat illud *Jeſ.* 10. *verſ.* 16. 17. Ideo mittet Dominator Dominus exercituum in pingues ejus maciem, & in loco Gloriæ ejus ardendo ardebit ſecundum combuſtionem ignis: Et erit Lux Iſraelis in ignem, & Sanctus ejus in flammam; & comburet ac devorabit ſpinam ejus & veprem ejus in die una. Et *hoc reſpectu*, inquit, paucis interjectis, כפי החרון והעונש *juxta iram & pœnam dicitur*: Quia Dominus Deus ſuus ignis conſumens eſt. Deut. 24. verſ. 24. שעם היותו מאיר ישרוף ויאכל החטאים בנפשותיהם: *etiam enim ſit illuminans, comburit tamen & devorat peccatores quoad animas ſuas. De juſtis autem dicitur*: Quia Sol & ſcutum eſt Jehovah Zebaoth: Pſal. 84. verſ. 12. *Et rurſus*: Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ & ſanatio in alis ejus Mal. 4. verſ. 2. Quod ipſum col. 4. explicat de Schechinah, ejuſque & Solis analogiam egregie enucleat his verbis. כמו שהשמש הוא השר הגדול אשר בגרמים השמימיים והפועל יותר חזק שבכלם.... ככה האור האלהי ורוחני רוצה לומר עילאה הוא שר הרוחניים והשכליים כלם והפועל והמשפיע בשמים ובארץ: *Sicut Sol eſt princeps magnus* (Gen. 1. verſ. 16. המאור הגדול לממשלת היום *luminare magnum ad dominium diei*) *qui eſt inter corpora cœleſtia, & Cauſa omnium efficaciſſima.... Ita Lux divina & ſpiritualis h. e. Schechina ſuprema eſt Princeps Spiritualium & intellectualium omnium, & Cauſa influxum habens in Cælum & Terram*. Confer Joh. 1. verſ. 2. 3. 9. 14. Cap. 8. verſ. 12. Cap. 12. verſ. 35. Matth. 28. verſ. 18. Eph. 1. verſ. 20. 21. 22.

(55) Ita Rakanati ad Lev. 1. fol. m. 108. col. 1. & 2. כבר רמזתי לך סוד הקרבנות בכמה מקומות גם

צריך לכוין המקריב שיהא הקרבן ההוא תמורתו וכן הענין מתחלה לוקח הבהמה ומשליכה לארץ בחזקה ודומה בנפשו כאלו השליך עצמו וכשמתודה מודה שחייב סקילה עוד שוחט הבהמה ודומה בנפשו באילו שוחט עצמו ומודה שהוא חייב הרג וחנק כי בעת ששוחט הבהמה תוקף ידו לשחטה וחונקה מעט בתקיפת השחיטה שלא ישהה הרי השחיטה הרג וחנק אחרי כן שורפה ודומה בנפשו כאלו נשרף ומודה שהוא חייב שריפה והתורה והקבה׳ מקבלו: i. e. *Indigitavi jam tibi mysterium sacrificiorum in tot locis. Etiam opus est, ut offerens intentionem habeat, quod victima illa sit permutatio sui* vicem ejus præstans. *Et talis est significatio: Initio prehendit bestiam, eamque humi prosternit* omnibus *viribus suis : Idque æquiparatur animæ suæ*, h. e. sibi ipsi, *perinde ac si prosterneret semet ipsum. Et dum confitetur* peccatum, imponendo victimæ manum Lev. 1. 4. & 5. vers. 5. item 16. vers. 21. *confitetur se reum lapidationis. Postea mactat bestiam, quod eandem habet rationem, ac si animam suam hac semet ipsum mactaret, atque confiteretur se reum esse occisionis & strangulationis Mactando enim bestiam manu sua circumdat ad eam jugulandam; & strangulat eam paululum, dum expedite irruens eamque circumdans mactat. Ecce mactatio est occisio*, respondens neci, quæ juxta Synedrium gladio peragebatur, *& strangulatio. Postremo eam comburit, idque perinde omnino est ac si anima sua* hoc est, *ipsemet combureretur; atque confessionem faceret, se reum esse combustionis. Et dum ita confitetur; Sanctus Benedictus recipit eum* in gratiam. Doctrinam hanc, de substitutione vicaria victimæ in locum ipsiusmet sontis, unanimi Hebræorum consensu tradi, fusius ostendi *Sacerdotio Rom. p. 196.* Atque egregium nobis præbet argumentum pro satisfactione Christi vera atque vicaria; cum, quod typo convenit, antitypo & quidem perfectissimo nulla ratione queat denegari. Hoc igitur victimarum mysterium, quod hodieque sartum tectum servant Judæi, citra dubium non sine causa superesse voluit Deus ex Veterum Catechismo; eum nimirum in finem, ut non tantum responderet contra ipsos ut testis, (non secus ac Canticum Mosis, quod nobis tradiderunt Deut. 31. v. 21.) Quum ἄλογον sit admittere bestias, ut ἀντίλυτρα animarum, & victimam vere λογικὴν nimirum Messiæ *Jes.* 53. *vers.* 10. repudiare; Verum etiam, ut suo olim tempore inserviat ipsorum conversioni, mentesque illorum disponat admittendo sacrificio reatus, quod jam dudum posuit Messias, valorique ejus vero vicario qui Christianæ religionis est unica basis.

(56) Bechai ad Levit. *6.* fol. m. *126.* col. 4. in fine. הענין הרביעי גודל עונש הרשעים ביסורי גיהנם ומזה הזכיר פעם שלישית אש תמיד תוקד על המזבח לא תכבה לפי שהמזבח הוא מקום כפרה ורשעים לא בעו כפרה רמז לך הכתוב שהם נדונים באשה של גיהנם באש תמיד מאחר שכפרו באש תמיד: h. e. *Significatio quarta* ignis perpetui est *magnitudo pœnæ impiorum in cruciatibus gehennæ : Et propterea tertia vice meminit*; Ignis perpetuus ardebit super altari, non extinguetur. *Quia altare est locus expiationis; impii autem respuunt propitiationem, ideo indigitat tibi Scriptura, quod ipsi sint judicandi in igne gehennæ, in igne perpetuo. Nam persolutio ejus est in igne perpetuo.* Huc allegat etiam illud Jes. 33. 14. Quis diversabitur ex nobis cum igne consumente; quis diversabitur ex nobis cum ardoribus perpetuis? Quem היה מפחידם על אותו אש תמיד ἔτω παραφράζει שבציון שכפרו בו ולא הזרו בתשובה ולא רצו כפרה וזהו שמסיים בה הכתוב מי יעור ונר׳: i. e. *Terruit illos* Propheta *super eodem Igne, qui in Zione est, quo propitiatio peragitur. Non redierunt autem ad pœnitentiam, neque voluerunt propitiationem. Et hoc est, quod innuit Scriptura :* Quis habitabit &c. Eodem quoque refert illud Jes. *66.* vers. 24. *Vermis eorum non morietur* ואשם לא תכבה *& ignis eorum non extinguetur:* idque כלשון האמור כאן תמיד לא תכבה *juxta modum loquendi hic usurpatum.* Ignis perpetuus ne extinguatur.

Ubi insuper & hoc notabile est, quod finem atque πανωλεθρίαν Imperii Romani Antichristiani statuit peragendam esse igne. סופו להיות נדון באש *Extremum illius, ut judicetur igne.* Idque ex veteri traditione, quam legimus in Jalkut Simeonis fol. 132. his verbis. אמר ר׳ לוי נימום קילוסין הוא שכל מי שנתגאה אינו נידון אלא באש שנאמר היא העולה על מוקדה.... מלכות הרביעית על ידי שמתגאה ואומר מי לי בשמים לא נידונין אלא באש הה״ד חזה הוית עד דקטילת חיותא והובד גשמה ויהיבת ליקידת אשא: id est, *Dicit R. Levi. Lex celebratissima est; quod omnis, qui se effert, non judicetur, nisi per ignem; sicut dicitur;* Hoc est holocaustum super pyra sua.... *Regnum quartum, propterea quia se extollit, dicendo:* Quem habeo in cœlis? *non judicabitur nisi Igne. Nonne hoc ipsum est quod dicitur Dan. 7. vers.* 11. Vidi, usque dum occisa est bestia, & perditum corpus ejus, ac traditum incendio ignis. Convenit Apocalypsis quoad descriptionem peccati & pœnæ Cap. 18. vers. 7. Ἐδόξασεν ἑαυτὴν καὶ ἐστρηνίασε, dicens : *Sedeo Regina &c.* & vers. 8. ἐν πυρὶ κατακαυθήσεται; Igne comburetur; fortis enim est Dominus, qui judicabit eam. Et quidem לפי נימום קילוסין *ex Lege famigeratissima* talionis : Profanantes enim Christi Sacerdotium, & altare, peribunt igne altaris; non secus ac Aharonidæ *Levit.* 10. *vers.* 1. *seqq.* & factio Korah Num. *16.* vers. 35. de quibus Rabbini חטאו באש לוקו באש *Igne peccarunt; Igne perierunt.*

(57) Alludit eo Psaltes, Christum introducens in orbem Ps. *69.* vers. 10. *Zelus domus tuæ me comedit* confer. Joh. 2. vers. 17.

(58) Propitiatorium, cui Gloria Dei imminuit sub specie nubis & ignis, Paulus mystice exponit de Christo tanquam vero ἱλαστηρίῳ Rom. 3. vers. 25. conf. Hebr. 4. vers. 16.

(59) Cantic. 8. vers. *6.* 7.

(60) Rakanati fol. 113. col. 1. רע כי לפי שהיהרהור מצוי בלילה כשאדם בעוד על מטתו שנא׳ הוי חושבי און ופועלי רע על משכבותם על כן הקטר חלבין ואמורין בלילה שנ׳ כל הלילה עד הבקר להיות הכפרה בזמן העבירה: id est, *Scito, quod, quia concupiscentia reperitur noctu, dum homo adhuc super lecto suo, ut dicitur:* Væ cogitantibus iniquitatem, & molientibus malitiam super lectis suis. Scito, inquit, quod *propterea adolendi sint noctu adipes & partes victimarum, ut dicitur:* Tota nocte usque ad mane. *Ut fiat propitiatio eo tempore, quo fit transgressio.* Aliter ac Christus, qui tam illibatæ fuit sanctitatis, ut noctu æque atque interdiu nulla peccati contagione, vel minima concupiscentia, quam stabulans in membris lex peccati etiam dormientibus nobis solet excitare, unquam fuerit tactus : Unde Psaltes referens Christi personam. אף לילות יסרוני כליותי *Etiam noctibus*, inquit, *erudierunt me renes mei.* Psalm. 16. vers. 7.

(61) Quoniam Musica sacra, qua Cantores in Veteri cultu olim accinebant flagrantibus in ara sacrificiis, eximiam circumstantiam facit Sacri hujus Ignis, qui victimas depascebat; ideo non alienum esse judico a scopo præsenti, si illius Musices rationem distinctius tradidero ex Hebræorum monumentis.

Cantores igitur quod attinet, fuerunt illi filii Asaph, Heman & Jeduthun, a Davide in certos ordines relati 1. Chron. 25. omnes Levitæ. Quibus an ex aliis tribubus fuerint adjuncti, Talmudici inter se disceptant *Erachin c. 2. §. 4.* ועבדי כהנים היו דברי ר׳ מאיר ר׳ יוסי אומר משפחות בית הפגרים ובית צפריה ומאמאום היו משאין לכהונה ר׳ חנינא בן אנטיגנוס אומר לויים היו: i. e. *Fuerunt etiam* inter Cantores Templi *Ministri Sacerdotum, inquit R. Meir. R. Jose dicit: Familiæ domus Pegarim & Zipparia & Emmaus, conjugio junctæ Sacerdotibus*, ex Musicorum numero *fuerunt. R. Chagiga filius Antigoni dicit; Levitæ fuerunt.* Obtinuit autem inter illos R. Jose; annotantibus ad h. l. Rambam & Bartenora; הלכה כרבי יוסי Numerus a Levitarum, qui Musicam exercebant quotidie, nunquam poterant esse infra duodecim. *Erachin c. 2. §. 6.* אין פוחתים משנים עשר לוים עומדים על הדוכן ומוסיפין עד לעולם: *Non diminuunt infra duodecim Levitas stantes super loco suo; addunt vero in infinitum.* Stationem illam Levitarum, Talmud דוכן appellatam, describit nobis Bartenora ad h. l. כמין אצטבא שהלויים עומדים עליה *Instar porticus* aut tabulati, *super quo stabant Levitæ.* Videtur enim אצטבא quod & אסטוא scribi solet, corruptum esse ex Græco στοὰ; ut patet ex Syro, qui πέντε στοὰς, quæ erant Bethesdæ, vertit חמשא אסטוין Joh. 5. v. 2. Sic etiam Act. 3. v. 11. & 5. v. 11. ubi idem pariter in Græco & Syro vocabulum occurrit. Formam igitur habuit augustioris cujusdam Cathedræ, multa habentis subsellia ad commodita-

tem

tem Muſicorum; alicubi apud nos Cantorey appellatur. Sita erat לפני המזבח *coram altari*, in quo ſacrificia abſumebantur, ut Cantores faciem & vocem ad Altare haberent converſam. l. c. §. 3.

Patribus Levitis adjungebantur & filii adhuc natu minores, ad comparandam Muſicæ varietatem atque gratiam majorem; *Ibidem* §. 8. אין קטן נכנס לעזרה ולעבודה אלא בשעה שהליים עומדים בשיר ולא היו אומרים בנבל ובכנור אלא בפה כדי ליתן תבל בנעימה ר' אליעזר בן יעקב אומר אין עולין למנין ואין עומדים על הדוכן אלא בארץ היו עומדים וראשיהן מבין רגלי הלויים וצוערי הלויים היו נקראין: *Nullus parvulus intrat Sanctuarium ad cultum, niſi ea hora, qua Levitæ ſtant canendo. Neque nablio cecinerunt aut cithara, ſed ore, ut jucundam varietatem facerent* לפי שקול הקטנים דק וצלול) ומתבל את קול הגדולים *quia vox puerorum exilis erat & clara, & variegans vocem virorum*. Bart. ad h. l. *R. Eliezer filius Jacobi ait:* Pueri *non recenſentur ad numerum*, h. e. præter pueros ad minimum duodecim cantui adeſſe debent Levitæ; *neque ſtant ſuper ſtatione, ſed ſuper terra; & capita ipſorum inter pedes Levitarum; & dicti fuerunt, parvuli Levitarum*, hodie Capell-Knaben. Ex quo ritu ſimul patet, Cathedram Muſicorum nonnihil editam fuiſſe, ut capita puerorum æquarentur pedibus Levitarum.

Conſtabat autem hæc Muſica partim voce, partim inſtrumentis, quorum illa tamen præcipuam ejus partem faciebat, ita ut Magiſtri, licet diſceptent, an aliis præter Levitas aditus fuerit ad ſtationem Muſicorum, nihilominus unanimiter ſtatuant, voce canere, unice Levitarum fuiſſe. *Maimonides ad Erachin* C. 2. הכל מודין שהשיר אין אומרים אותן אלא לויים ואין מחלוקת אלא במנגנים על והשיר לפי שעקר שיר בפה i. e. *Omnes confitentur, quod illi* qui non ſunt ex tribu Levi, *non canant canticum voce, ſed tantum Levitæ. Neque eſt diſſenſus, niſi de illis, qui inſtrumentis accinebant cantico, quoniam fundamentum cantici conſiſtit in ore.*

Inſtrumenta ordinaria, quibus Levitæ utebantur, erant tria. כנורות נבלים ומצלתים *citharæ, nablia & cymbala*, 1. Chron. 25. verſ. 1. Nablium Maimonidi l. c. eſt כלי, כדמות נאד ויש לו יתרים ומנגנין בו *Inſtrumentum ad ſimilitudinem utris inſtructum fidibus, quibus ludunt*. Accuratius vero ea omnia deſcribit Joſephus lib. 7. Antiq. cap. 10. utpote Sacerdos & ejus rei teſtis. αὐτόπτης. *Cæterum David*, inquit, *perfunctus jam bellis ac periculis, & in altiſſima pace degens, vario genere carminum odas & hymnos in honorem Dei compoſuit, partim trimetro verſu, partim pentametro: Inſtrumentiſque muſicis comparatis docuit Levitas ad pulſum eorum laudem Dei decantare, tam Sabbathi diebus, quam cæteris feſtivitatibus. Species autem inſtrumentorum hæ fuere. Cinnyra decem chordis intenditur & plectro pulſatur: Nablia duodecim ſonos continet, ſed digitis carpitur: Cumque his aderant cymbala ærea, bene magna atque lata.*

Exercitium Muſices quotidianum erat in Templo, & initium ejus erat tempore matutino, dum vinum libabatur: *Rambam ad Tamid c. 6. in fine*, בשעת ניסוך היין מתחילין הליים בשיר ומנגנים בכלים הנזכרים בערכין: id eſt, *Hora libationis vini incipiunt Levitæ canticum, & canunt inſtrumentis, quorum mentio fit in* libro Talmudico *Erachin*. Singulis autem hebdomadis diebus canebant certos Pſalmos Davidis *Tamid cap.* 7. §. 4. השיר שהיו הלויים אומרים במקדש ביום הראשון היו אומרים לה' הארץ ומלאוה תבל ויושבי בה בשני היו אומרים גדול יהוה ומהולל מאד בעיר אלהינו הר קדשו וכו' i. e. *Canticum quod cantarunt Levitæ in Sanctuario. Die primo cantarunt*. Domini eſt Terra & plenitudo ejus orbis habitabilis & habitantes in eo. Pſalm. 24. *Die ſecundo cantarunt*. Magnus Jehovah & celebrandus valde, in civitate Dei noſtri, monte ſancto ſuo. *Pſ.* 48. *Die tertio:* Deus ſtat in cœtu Dei, in medio Deorum judicat *Pſ.* 82. *Die quarto:* Deus ultionis illuceſce *Pſ.* 94. *Die quinto:* Jubilate Deo Jacobi *Pſ.* 81. *Die ſexto:* Jehovah regnat magnificentia indutus *Pſ.* 93. *Die Sabbathi:* Bonum eſt celebrare Jehovam, & pſallere nomini tuo, Altiſſime *Pſ.* 92. Addunt ex Inſcriptione ſenſum hujus Pſalmi myſticum; quod ſit מזמור שיר לעתיד לבא ליום שכלו שבת מנוחה לחיי העולמים: i. e. *Pſalmus Cantici, qui reſpicit futurum in eo die, qui totus erit Sabbathum; quies in vitam ſeculorum.*

Præter ordinaria illa inſtrumenta in majoribus feſtivitatibus uſus erat & tibiæ, quæ חליל vocabatur; de qua peculiare eſt caput, quintum nimirum, in libro Succah, quod inde nomen eſt ſortitum. Dies feſtivi, in quibus ejus uſus erat, recenſentur Erach. cap. 2. §. 3. בשנים עשר יום במנה החליל מכה לפני המזבח בשחיטת פסח ראשון בשחיטת פסח שני וביום טוב ראשון של פסח וביום טוב של עצרת ובשמונת ימי החג ולא היה מכה באבוב של נחשת אלא באבוב של קנה מפני שקולו ערב: hoc eſt, *Duodecim diebus in anno pulſabatur tibia coram altari: dum mactabatur paſcha prius, & dein poſterius; die primo feſti Paſchatis; die primo feſti Pentecoſtis; Septem diebus feſti tabernaculorum. Neque pulſavit fiſtula ænea, ſed cannea, eo quod ſonus ejus eſſet ſuavis*. De phraſi הכות באבוב vid. Barten. ad h. l. De differentia Chalil. & Abub nonnihil diſſentiunt Magiſtri. Aliquam fuiſſe patet ex Gemara Erachin cap. 2. fol. 10. פתח בחליל וסיים באבוב *Incipit a Chalil & finit in Abub*. Bartenora ad h. l. Abub explicat הקנה הדק שבראש החליל cannam tenuem in principio h. e. oſculo Chalil: Addit tamen בגמרא מוכח החליל גופיה קרוי אבוב *In Gemara docetur, Chalil ipſum vocari Abub*. Ita & Rambam. מה שעלה בידינו מן התלמוד שאבוב וחליל דבר אחד *quod ex Talmude incidit in manus meas* docet *Chalil & Abub eſſe unum idemque*. Aſt forte controverſiam componit, quod legitur de duobus hujus inſtrumenti cruribus. ב' שוקיו ב' חלילין *duo crura ejus ſunt duæ tibiæ* Kinnim. C. ult.

Deſcribitur Chalil Bartenoræ מין כלי זמר שקולו נשמע למרחוק צלמיליש בלעז *Inſtrumentum muſicum, quod eminus auditur; in lingua vernacula* Schalmeyen; Et hoc inſtrumentum ſimiliter cum ordinariis inflabatur ad aram ſacrificia conſumentem duodecim illis anni diebus, unde חליל של קרבן *tibia ſacrifica* appellatur; Maim. ibid.

Tubarum denique non infrequens erat uſus in Templo, quæ tamen vel propriæ fuerunt Sacerdotum Num. 10. v. 10. 1. Chron. 15. v. 24. vel rarius Levitis uſurpatæ *Succah* c. 5. §. 4. Horum autem ut & aliorum Muſices inſtrumentorum numerum non promiſcue obtinuiſſe ſed certo modo fuiſſe determinatum, tradunt Talmudici *Doctores* in Erach. l. c. אין פוחתין משני נבלים ולא מוסיפין על ששה אין פוחתין משני חלילין ולא מוסיפין על שנים עשר ..... אין פוחתים חצוצרות משנים ומוסיפין עד לעולם אין פוחתים מתשעה כנורות ומוסיפין עד לעולם והצלצל לבד: i. e. *Numerus nabliorum non diminuitur infra duo, neque augetur ultra ſex. Numerus tibiarum non diminuitur infra duas, neque augetur ſupra duodecim .... Numerus tubarum non minuitur infra duas, augetur autem in infinitum. Non minuitur numerus cithararum infra novem, & augetur in infinitum. Cymbalum autem debet eſſe unicum*. Clanctuum numerum ſimul etiam invenimus determinatum *ibid*. אין פוחתים מכ' וא' תקיעה במקדש ולא מוסיפין על ארבעים ושמונה *Numerus clangorum non minuitur infra viginti & unum in Sanctuario; neque augetur ſupra quadraginta octo*. Gemara tamen ad centum & viginti extendit.

Soni illi viginti & unus, qui adminimum quotidie tuba erant ciendi, ſpeciatim recenſentur Succah c. 5. §. 5. שלושה תקיעות לפתיחת שערים תשעה לתמיד של שחר ותשע לתמיד של בין הערבים *Clanctus tres ad apertionem portarum, novem ad ſacrificium juge matutinum, & totidem ad juge veſpertinum*. Accurate imprimis obſervari debuit hæc Muſices ratio, quando ipſemet Summus Pontifex voluit aſcendere gradus altaris & victimam offerre. Fuſius hoc deſcribitur Tamid c. 7. §. 3. ideoque ne ultra modum prolixus ſim, Latine tantum, ut & reliqua exhibebo. Dum Sacerdos peracto ſacrificio circumit undiquaque ſummitatem altaris, *apponunt ipſi vinum ad libandum; adſtat Vicarius illius ad angulum* והסודרים בידו *& vexilla in manu ejus. Duo autem Sacerdotes ad ſtant menſæ pinguedinum, & duæ tubæ argenteæ in manibus eorum, eduntque ſonum lentum, mox concitatiorem, ac rurſus lentum. Veniunt & adſtant filio Arſa* (cymbaliſtæ, ut ſtatim apparet) *alter ad dextram ejus & alter ad ſiniſtram. Incurvat ſe* Pontifex *ad libandum, & agitat vicarius vexilla; tum tinnit filius Arſa cymbalo &* Canticum *canunt Levitæ. Dum perveniunt ad pauſam, buccinant* Sacerdotes *& totus populus adorat. Ad quamlibet pau-*

ſam fit clanctus, & ad quemlibet clanctum adoratio. Hic eſt ordo perpetuus in cultu domus Dei noſtri. Sit beneplacitum, ut ea ædificetur ſubito in diebus noſtris. Amen. Muſices ritum & adorationis ad combuſtionem victimarum in ara vide etiam 2. Chron. 29. v. 6. *Adſtiterunt Levitæ cum inſtrumentis Davidis & Sacerdotes cum tubis. Et edixit Hiskia, ut offerrent holocauſtum in altari, & quo tempore cœpit holocauſtum, cœpit Muſica Jehovæ cum ipſis tubis, idque cum canticis traditis & inſtrumentis Davidis, Regis Iſraelis. Interea tota congregatio adorabant, quum Muſici canerent, & tubicines tubis clangerent; omnia hæc, uſque dum abſolutum eſſet holocauſtum. Quum autem abſolviſſent offerre, procidens Rex & omnes, qui præſentes erant cum eo, adorant.*

Quo major autem erat feſtivitas, eo major etiam erat copia Muſicorum & inſtrumentorum, & crebrior Muſices uſus. Sic Succah. Cap. Chalil *In addititiis ſacrificiis* (Num. 28. v. 9. 10. & 29. v. 1. 2.) *addunt adhuc novem clangores tubarum: Et veſpere Sabbathi adhuc ſex; tres ad revocandum populum a labore, & tres ad diſtinguendum inter diem feſtum & profeſtum.* Omnium maxima vero erat lætitia, quam agitabant in feſto tabernaculorum, de quo ibidem. *Qui non vidit lætitiam domus hauſtionis, nunquam vidit lætitiam per totam vitam ſuam.* Hinc etiam numeroſiſſimus erat tubarum clangor in Sabbatho, quod in illud incidebat. *Veſpere Sabbathi, quod & incidit medio feſti tabernaculorum, fuerunt quadraginta octo. Tres ad apertionem portarum; tres ad portam ſuperiorem, & tres ad inferiorem.* Tres *ad impletionem aquæ* (ex fonte Siloah, quo trahebant illud Jeſ. 12. v. 3. Et haurietis aquas ex fontibus ſalutis) *& Tres,* quum ea libaretur *ſuper altari. Novem ad juge matutinum & totidem ad veſpertinum; & novem ad victimas addititias. Tres ad revocandum populum a labore & tres denique ad diſtinguendum inter feſtum & profeſtum* §. 5.

Sed quo ego tandem dilabor? Des, quæſo, veniam, Benevole Lector, nimiæ prolixitati. Tam ſuaviter enim me affecit Sacræ hujus Muſices harmonia, ut ſenſim ac ſine ſenſu multo plura ſcripſerim, quam initio conſtitueram. Faxit Deus, ut impleamur vera lætitia in Spiritu S. Rom. 14. v. 17. mutuis pſalmis & hymnis & cantionibus Spiritualibus canentes ac pſallentes in corde noſtro Domino Eph. 5. v. 19. Col. 3. v. 16. uſque dum in ultimo dierum celebremus feſtum tabernaculorum Zach. 14. v. 16. imo in æterna recepti tabernacula Luc. 16. v. 9. fruamur ſatietate gaudiorum in facie Dei, atque jucunditatum apud dexteram ejus in æternitatem *Pſ.* 16. ult. Etiam veni Domine Jeſu.

HENRICI HORCHII
CANONES
HERMENEUTICÆ SACRÆ.

Quibus cordi eſt monitum Apoſtoli: *Verbum Chriſti habitet in vobis* πλȣσιὼς ἐν πάσῃ σοφίᾳ *opulenter in omni ſapientia*, non poſſunt non omni ſtudio cavere, ne, dum Scripturas vel ſibi vel aliis interpretantur, vocum atque phraſium, quibus illæ conſtant, valorem atque pretium ullo modo imminuere comperiantur. Facile enim animadvertunt, eam vocum divinarum extenuationem & veluti κένωσιν *exinanitionem* cum maximo ſui damno, imo ipſius Dei Scripturarum Autoris injuria eſſe conjunctam. Si enim, Apoſtolo teſte, Verbum Dei, quod & Chriſti eſt, & de Chriſto, eſt theſaurus cum Dei, qui eum ex Sapientia ſua Æterna ac cœleſti veluti penu depromſit, cum animæ noſtræ, utpote eo fine expromtus nobiſque impertitus, ut ſapientiæ divinæ participes, ejuſque poſſeſſione divites, atque opulenti reddamus ad ſalutem, dubium nemini eſſe poteſt, quin tanto majorem Sapientiæ divinæ, quæ animæ eſt gaza atque divitiæ, jacturam faciat, quanto minorem facit valorem, atque pretium verborum, quibus divina oracula continentur. Unde qui ſuavis eſt cantilenis Iſraelis, ea non dubitat pronunciare auro contra cariora, imo auro ſolido multo, cui quantum de pondere, tantum de ipſo etiam decedit valore. Hoc ipſum vero quis non videt injurioſum ſimul eſſe Deo, cujus is theſaurus ita eſt proprius atque οἰκεῖος, ut non niſi liberali ejus donatione ſit noſter? Ipſe רב החסד *amplus gratia*, καὶ πλȣ́σιος ἐν ἐλέει & *dives miſericordia*, eaſdem gratiæ ſuæ divitias liberaliſſime communicat in verbo Evangelii; Cujus proinde pondus atque valor imminui non poteſt, quin ſimul Gratia ipſius, cujus amplitudine atque divitiis ſeſe maxime commendat, in anguſtiam & veluti paupertatem redigatur. Potiſſimum ſi contigemus, verba Dei, quibus nos affatur, (prout quilibet ſermo animi character eſt) præ ſe ferre ſui effigiem atque characterem loquentis; Si igitur ſubditus, nummos Principis effigie ſignatos depretiare vel corrumpere auſus, merito reus agitur læſæ majeſtatis, quid de nobis judicandum, ſi id verbum quod millies pro Inſcriptione habet, *Sic dicit Jehovah:* ejuſque, ut ſupremi omnium Domini, expreſſiſſimum ἀπεικόνισμα eſt, infra juſtum ſuum pretium deprimere, atque una ratione extenuare præſumemur? Quapropter, prout maximum merito interpretor Dei beneficium, quod eos in ſtudio ſacro nactus ſim Præceptores,

res, qui pondus atque pretium verborum Scripturæ intemeratum ubique esse servandum, identidem inculcarunt, ac ut perpetuam universalemque interpretandi Regulam commendarunt, ita, quum eadem divina gratia demandatum mihi sit munus interpretandi divinas Scripturas, eandem non sine fructu & exhibui hactenus & adhuc adhibeo, & Auditoribus meis commendo. Quum vero ea veluti truncus sit, ex quo innumeri rami exurgunt, ex quorum extremitatibus fructus colliguntur, eos, prout usu ipso atque exercitio mihi fuerunt subnecti, hic exhibeo; Idque non ejusmodi præsumtione, qua Ticonius quidam apud Augustinum *Lib.* 3. *de Doctrin. Christ. Cap.* 30. septem suis Regibus præfabatur, veluti clavibus secretorum Legis, atque luminaribus, quæ contineant universæ Legis recessus, divinæque veritatis thesauros; quarum ope clausa quæque patefiant, & obscura dilucidentur; Sed eo tantum animo, ut, qui curæ meæ commissi sunt, Eximii Juvenes in explicandis Dei eloquiis quodammodo juventur, donec ipsimet, firmatis ipso rerum usu genibus, citra hæc ferper astra incedant.

CANON I.

Vocum Sacræ Scripturæ singularum integer valor indagandus, & quantum fieri potest, ubique retinendus.

Velim hunc Canonem considerari, ut Propositionem fundamentalem, cui reliqui, quos infra allaturus sum, ad unum omnes innituntur. Quem igitur operæ pretium est, ut fusius explicemus atque demonstremus.

Facile autem patet, posse voces Sacræ Scripturæ considerari vel ut singulas seorsim, vel ut sibi junctas atque contextas. Utroque modo consideratæ peculiarem in interpretando obtinent usum.

Dum singillatim considerantur & extra contextum, hunc Interpreti præbent usum *ut faciant indicia rerum quas unquam significant*, h. e. ut animo sistant atque exhibeant eas res, quarum sunt signa atque notæ. Et hic nondum in censum venit, quid significent eo loco, quem volumus interpretari, sed quid quocunque in loco queant significare.

Priorem hunc vocum usum respicit prior Canonis pars, quæ integrum singularum vocum valorem jubet inquirere, ut officium boni Interpretis rite exordiamur.

Facit eo cognitio linguarum, potissimum earum, quibus divina eloquia a Viris θεόπνευστοις primitus fuerunt conscripta, ut Hebrææ atque Græce, quarum quo quis peritior, eo instructior accedet ad Scripturarum Interpretationem.

Quum vero utraque (saltem inter nos) sit mortua, ut ajunt, h. e. nulli in nostris regionibus sint incolæ, quibus lingua Hebræa atque Græca est vernacula, ut ex iis ipso rerum usu atque experientia queant addisci, sicut Gallica quidem aliæque exoticæ, quæ in certis regionibus adhuc vivunt atque vigent, tam in vulgo, quam inter eruditos, defectum hunc quacunque ratione supplebimus Lexicis, Concordantiis, item Versionibus, maxime antiquis, utpote quæ illis ut ita loquar, adhuc viventibus vel σύγχρονον, vel propriores fuerunt: Qualis Veteris Testamenti est Græca, & Novi Testamenti Syra.

Dum igitur animo Interpretis juxta priores vocum usum res ipsæ obversantur, quæ a vocibus illis unquam & uspiam queunt significari, proximum est, ut earundem rerum inter se instituat comparationem, quod Paulo est πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνειν, h. e. *Spiritualia*, quæ spiritus innuit per verba θεόπνευστα *cum Spiritualibus judicando conferre*. 1. Cor. 2.

Ast, quia illa rerum comparatio infinitis modis institui potest propter innumeras relationes, quæ rebus intercedunt, considerandæ jam veniunt voces Scripturæ, prout sibi invicem cohærent. Nam hæc vocum connexio Interpretem manuducit, ut eam instituat rerum Spiritualium comparationem, quæ est de intentione Spiritus Sancti in Scriptura loquentis. Qualis enim est vocum, talis etiam est rerum contextus; quum hic per illum manifestetur, ut res quælibet signata suo proditur signo.

Quod attinet ad vocum contextum, observandæ sunt Grammaticæ leges, tam quæ omnium linguarum sunt communes, quam, quæ propriæ sunt earum, quibus divina Oracula sunt exarata; Hebraicæ potissimum, utpote quæ ab iis, quæ in his regionibus sunt usitatæ, longius abit; Quam in multis tamen sequitur Græca, non tantum quia Evangelistæ & Apostoli fuerunt Hebræi, verum etiam, quia familiarem habuerunt Versionem LXX. Interpretum, qui itidem fuerunt Judæi & Vetus Testamentum ex lingua Hebræa transfuderunt in Græcam.

Indagandæ vocum syntaxi mirum, quantum conducunt etiam accentus Hebræi, qui accuratissimæ interstinctionis vicem præbent, ut parem in nulla omnino lingua liceat videre. Quorum usus

quum

quum multis retro feculis maximam partem latuerit, merito nobis gratulamur de feculi noftri felicitate, utpote quod nobis dedit Bohlios, Wasmuthos, Ledeburios &c. qui, quod tamdiu fuit abfconditum, etiam ab oculis Rabbiniffimorum, in aprico pofuerunt. Qui hoc ftudium cupit aggredi, memoriæ confulere poterit his verfibus, potiffimum, fi utatur tabulis Clariff. Pfeifferi.

Domini Profaici num. 18.

Sceptra tenet Silluk, Dux eft primarius Atnach.
Majorefque Ducum Sægolta, Sakephus uterque
Dux minor eft Tiphehah. Comites nunc ecce fequuntur.
Ordine: Rabhiah, Schalschelatufque Pefikus.
Hi duo majores, reliqui funt quinque minores:
Sarka & Pafta, Jetif, Tefir addito Merca Kephula
Barones fummi Pafer & cornua vaccæ
Aft unus major cluet, ille Telifcha gedola.
Et minor eft unus Gerefch, minimufque Pefikus.

Servi Profaici num. 7.

Munach, Merca, Mapach, Jerach cognomine Galgal.
Kadma, Telifcha minor, tandem quoque Darga miniftrant.

Domini Metrici num. 10.

Sceptra tenet Silluck: Major Dux Merco-Mapachus.
Dux minor eft Atnach, fed uterque Refia Catena.
Majores Comites: & Sarka & Tiphcha minores.
Aft Pafer magnus Baro, parvufque Pefikus.

Miniftri Metrici. Num. 6.

Munach, Merca, Mapach, Jerach cognomine Gallal
Et tonicus Tiphchah, tandem quoque Kadma miniftrant.

Aft quia pauci funt, qui eo ufque in ftudio linguæ Sanctæ progrediuntur, ut id tædium velint devorare, fæpius mecum cogitavi de adornanda verfione, quæ accurate exprimeret accentuum Hebræorum valorem, ut Lector etiam *ἀνεβραῖος* omnem diftinguendi conjungendique ufum, quo pollent Accentus Hebræi, ex fola verfione percipere poffet. Sua fponte autem occurrerunt mihi notulæ numericæ atque literæ Alphabethi, quæ commodiffime hoc munere queant defungi. En igitur notulas.

I. II. Primi Ordinis.
1, 2, 3, 4, Secundi Ord.
a, b, c, d, Tertii Ord.
a/ b/ c/ d/ Quarti Ord.
α, β, γ, δ, Quinti Ord.
א, ב, ג, ד, Sexti Ord.

His ita ordine collocatis obferventur regulæ fequentes

REGULA I.

Inter quas voces nulla notula comparet, illæ non interftingui, fed Grammatice cohærere intelliguntur.

Maximo ergo hic compendio non exprimuntur Accentus miniftri, utpote qui omnes pari hoc officio funguntur, ut voces eas conjungant, quæ per regulam quandam Syntacticam cohærent. Interftinctiones autem vocum indicabunt interjectæ notæ atque literæ, quarum valorem fequentibus regulis oftendam.

REGULA II.

Nota cujufque Ordinis fecunda plus diftinguit, quam ejufdem Ordinis prima, & tertia plus, quam fecunda. Et fic deinceps.

Sic II. quod ubique adhibetur ad exprimendum Silluk & Soph Pafuk plus diftinguit, quam I. quod femper exprimet eum accentum, qui maxima vi pollet diftinguendi intra totum verfum: qualis in Profa eft Atnah, in libris autem Metricis (quos Hebræi abrevitate vocant א״מת h. e. תהלים משלי' איוב Job, Proverbia, Pfalmos,) fæpius etiam Merco-Mahpah.

REGULA III.

Quælibet nota, quam ordine retrogrado immediate fequuntur notæ ordinis inferioris, plus diftinguit, quam omnes illæ inferiorum ordinum notæ.

Dico *immediate*, ita fcilicet, ut inter notam fuperioris & notas ordinum inferiorum nulla fuperioris ordinis nota interjaceat. Sic II. quod ubique in fine verfus diximus fubintelligi, plus femper diftin-

diſtinguit, quam omnes notæ, quæ ordine retrogrado h. e. a ſiniſtra uſque ad dextram a fine verſus occurrunt uſque ad I; Et rurſus I plus diſtinguit, quam omnes illæ inferiorum ordinum notæ, quæ ab I occurrunt uſque ad principium verſus; Quæ verſuum ſpacia, quia Accentus ornantur titulo, Regis, Ducum &c. a Recentioribus commode ditiones appellantur.

Nota præterea in primo ordine opus non eſſe notulis ultra binarium. In reliquis vero ordinibus tot licere ſumere, quot opus eſt. Alii autem verſus majorem, alii minorem notularum numerum requirunt. Poſui quidem hic ſex ordines, quibus tamen omnibus opus non eſt, niſi in Decalogo, ubi integra præcepta per unam accentuum ſeriem atque catenam ſunt colligata.

Ut hæc omnia exemplis illuſtremus, ſit vexatus ille locus Deut. 32. verſ. 5. qui juxta regulas datas valorem accentuum Hebræorum diſtinctivum exprimet hoc modo:

Corruptio ipſi a *Non* 1 *Filiorum ipſius* eſt *vitium ſuum* I *Generatio contorta* 1 *&* *perverſa* ſunt. II.

Vides facile, primas hujus verſus voces, *corruptio ipſi*, quia nulla inter eas notula comparet, ſenſu cohærere juxta Reg. 1. diſtingui autem a ſequente, *Non*, quum notula a interjaceat: τὸ *Non* item per interjacentem 1 divelli a ſequentibus: *Filiorum ipſius* eſt *vitium ſuum*, quæ rurſus cum nullo dirimantur charactere, conjungendas eſſe apparet. Sejunguntur vero a reliquo hemiſtichio per interpoſitam I. quæ verſum in duo hemiſtichia dividit; Rurſus cohærent *generatio perverſa*, diſcriminantur tamen a reliquis per interjectam notulam I.

Ubi notandum eſt, in coſtructionibus continuatis, ubi immediate plures voces concurrunt, quæ ſyntactice cohærent; eas parva quadam diſtinctione ſejungi, quæ minus cohærent; Sic, quum omnes hujus hemeſtichii voces *Generatio perverſa & contorta* Grammatice cohæreant eæ conjunguntur, quæ magis cohærent: ut, *Generatio perverſa*; reliquæ vero minus cum iis cohærentes notula quadam ab iis diſtinguuntur; Adi ſis, Celeberrimum Waſmuthum *Inſt. Accent. Cap.* 1. *Reg.* 2. Finem verſus claudit notula II. quæ eum a ſequenti verſu diſtinguit, compendii gratia alibi omittenda.

Præterea ex datis regulis manifeſtum eſt, hunc eſſe ordinem inter harum notularum valorem, ut II. plus diſtinguat, quam I. juxta Reg. 2. Et I plus quam reliquæ omnes, quæ intra totum verſum occurrunt, juxta Reg. 3. & ſchema notularum; quum I ſit primi ordinis, atque ideo reliquas cœterorum ordinum notas ſuperet valore diſtinguendi.

Porro 1. ut nota ſecundi ordinis in eadem ditione plus diſtinguit, quum τὸ a tertii ordinis nota. Dico in eadem ditione ſive eodem ſpatio verſus, quum alibi vel magis vel minus diſtinguere queat.

Et hic apprime notandum, quantitatem accentuum Hebræorum non eſſe abſolutam, h. e. eos non ubique parem habere valorem, ut exprimi queant per punctum, colon, comma, &c. ſed relativam; h. e. quod ſive Rex, ſive Dux ſemper majorem obtineat poteſtatem, quam omnes reliqui Accentus, qui in eodem verſus ſpatio, tanquam ſuo territorio, occurrunt, ipſiuſque veluti ſunt Vaſalli. Non ſecus ac Ratio apud Geometras, non eſt quantitas abſoluta, ſed relativa antecedentis ad ſuum conſequens. v. g. Ut 2. eſt ad 4. ſic 6. eſt ad 12. Quæ rationes ſunt æquales, licet prior minoris valoris conſtet notis, poſterior vero majoris; quum 2. non conſideretur abſolute, ſed relate ad 4. & 6. ad 12. Ut enim 2. bis continetur in 4. ſic 6. in 12.

Similis etiam eſt ratio numerorum fractorum; quorum numeratores non habent quantitatem determinatam, ſed demum relatam ad ſuos denominatores. Scribe, ſi placet, $\frac{2}{3}$, $\frac{2}{5}$, & digito tege denominatores 3. 5.; Dein monſtra alicui numeratores 2. 2. petens, ut tibi indicet eorum valorem: Quod facere non poterit, niſi detegendo prius ipſos denominatores; neſciet enim alias an duæ ſint tertiæ, vel quintæ, vel ſeptimæ. Eadem ratione, ſi ſcribas Silluk, ejuſque valorem petas determinari, fruſtra eris. Si vero addideris alium accentum quemcunque, idque intra eundem verſum, audacter & ex vero pronunciabitur, quod Silluk quovis alio ſit major.

Notanter dico *intra eundem verſum* ſeu in iiſdem circumſtantiis. Sicut enim duo allati numeratores, licet abſolute conſiderati ſint pares, tamen relati ad ſuos denominatores ſint impares; quum $\frac{2}{3}$ major ſit quantitas quam $\frac{2}{5}$; Ita eodem pariter modo unus idemque accentus in diverſis locis ſibimet ipſi eſt inæqualis. Sit exempli gratia primus verſus *Geneſ.* 1. qui juxta regulas ſupra traditas interſtinguetur hoc modo: *In principio* 1. *creavit Deus* 1. *cœlum* 1. *& terram*. En tibi notam I. Atnacho reſponden-

dentem, quæ hic tam parva gaudet potestate, ut ne quidem per comma exprimi possit. Ast eadem, prout occurrit versu secundo, perfectum facit comma aut semicolon. *Et terra* a *erat inanis* b *& informis* 2. *& tenebræ* 1. *in superficie abyssi* I. *Et Spiritus Dei* 2. *ferebatur* 1. *insuperficie aquarum*. Hæc tamen ejusdem accentus & respondentis ipsi notæ inæqualitas non obest, quo minus major sit omnibus aliis intra totum versum, indicetque id intervallum, quo verba textus quoad sensum maxime a se invicem sunt discreta. Dico *intra versum*, ut excipiatur nota II. quæ Siluko respondens fini versus adhærere subintelligitur juxta *Reg.* 2. Cujus observationis neglectus in causa esse videtur, cur usus accentuum quoad vim distinguendi tamdiu latuerit, quum aliarum linguarum interpunctiones determinatæ sint quantitatis, quæ frustra quæritur in Hebræa.

Unde simul etiam perspicuum evadit, modulationem sermonis Hebraici apud priscos Judæos, (si qua fuit) non tam auribus, quam sensui verborum fuisse accommodatam; quum ibi posuerint Pausas majores, ubi sensus magis est absolutus; minores autem, ubi ille minus est talis.

Sed, ut e diverticulo redeam in viam, peto velit Lector perpendere, quot interpretationes circa locum supra adductum a Commentatoribus, qua Judæis, qua Christianis fuerint tentatæ; quarum, quæ magis ab accentuum tenore; magis etiam a scopo recedunt.

Plerique autem conjungunt duas voces לא בני *non filii ejus*; Quorum Coryphæus est Aben Ezra, qui ita annotat: שאינם בניו וכן בנים לש אמן בם: hoc est, *Quod ipsi non sint filii, & sic filii, in quibus non est veritas*. Et post eum Abarbenel, quorum hic ὄυτω παραφράζει: רצונו לומר חנה שחת לחשם והפסיר שמו הטוב והמהולל וה העם שלא בניו מפארת מומם שהוא רור עקש ופתלתול: id est, *Vult dicere; Ecce corrupte se gessit Domino & damnum intulit nomini ipsius bono atque celebrando; hic scilicet populus, qui non est filii ipsius propter vitium eorum, eo quod generatio sit perversa atque contorta*. Hos sequuntur Lutherus, Genevenses, Tigurini, Junius & Tremellius, Angli, Belgæ, Piscator, &c. quibus etiam congruit Vulgatus; licet hi omnes rursus diversum eliciant sensum, quod notare jam supersedebo.

Alii vero videntes obstare accentum, malum לא ad priora referre, idque iterum diversissimo sensu. Atque hic agmen ducunt LXX. Ἡμάρτοσαν, οὐκ αὐτῷ i. e. *peccaverunt, non illi*, ac si legissent לו לא, quum contra legamus לא לו. Sequitur hoc uterque Chaldæus. Onkelos quidem חבילו להן לא ליה *Corruperunt se ipsos, non illum*, duplicans לו, ac si legeretur: שחת לו לא לו. Hierosolymitanus. חבילו בניא עובדיהון ולא קדמוי מחבלין אלא להון: i. e. *Corruperunt filii opera sua, neque coram ipso corruperunt, nisi semet ipsos*. Quibus accedunt R. Salomo & Levi ben Gerson, quamvis hic diverso sensu: אין מומם וגנות פעולותיהם נולדים ומתחדשים מהשם יתע' ולזות להם העצלות באלו החטאים: i. e. *Vitium eorum & probrum operum illorum non ortum aut factum est a Deo benedicto, & propterea excusationem non habent in his peccatis*.

Omnium autem absurdissimi sunt Veterum Hebræorum illi, qui voces שחת לו לא conjunxerunt eum in sensum, ac si innuerentur peccata Israelitarum contra præcepta negativa, quæ vocant לא תעשה; Quorum sententiam refert R. Simeon in Jalkut ad h. l. שחתו ישראל בכל לאין שבתורה h. e. *Corrupte egerunt Israelitæ in omnibus præceptis negativis, quæ sunt in Lege*. Quam Veterum sententiam adoptavi Bechai, nisi, quod eam non ad Israelem, sed ad Adamum applicet, utpote qui transgressus fuit præceptum negativum; *Non comedes de arbore &c.* Verba ejus sunt. ההשחתה הזו לאדם הראשון וזהו שאמר לא כלומר במלת לא והוא שעבר על לא תעשה באמרו ומעץ הדעת טוב ורע לא תוכל ממנו זהו שאמר שחת לו לא: i. e. *Corruptio hæc est Adami primi, & hoc est quod dicitur;* Non: *ac si diceretur; vocula* Non. *Idque propterea quia transgressus est præceptum negativum dum dicit Deus;* Et de arbore cognitionis boni & mali ne comedas: *Hoc est, quod dicitur:* Corrupit ipsum Non.

Atque hic quidem interpretationis suæ rationem afferre conatur ex ipsis Accentibus, dum inquit: אמנם מפני שמלם לא בטעם טרחא ומלת בניו דבקה למומם על כן יתכן לפרש שחת לו לא: i. e. *Certe quia particula* לא *accentum habet Tarchah seu Tiphchah, & vox* בניו *adhæret voci* מומם, *idcirco congruum erit exponere* conjungendo voces שחת לו לא. Ast refutat quidem Rabbi sententiam illorum, qui conjungunt לא בניו, (quum tunc לא habere debeant conjunctivum, בניו vero distinctivum hoc modo: *Non filii ejus* I sed *macula ipsorum*. Vel: *Non filiorum ipsius* I est *macula eorum*) suam vero non probat, quum longe commodior detur, ut statim ostendemus.

Hæc autem fugere nos non potest; si habeamus ab altera parte accentus ratio-

tionem, quæ non patitur לא connecti cum בניו, ab altera vero sensus incongruentiam respiciamus, si לא poneretur in extremo vocum שחת לו facile patet ineundam esse viam tertiam atque mediam, quæ particulam לא *Non*, ponit inter duo extrema, ut neque cum antecedentibus, neque etiam consequentibus construatur; quod etiam utrinque patitur accentuum ratio, qui eam non a sequentibus tantum, verum etiam ab antecedentibus sejungunt. Commode id fiet, si versum exponamus per modum שאלה ותשובה *quæstionis ac responsionis;* quod Abarbanel etiam post aliam, quam supra vidimus, interpretationem facit, dubius licet ac male applicans. Quæstio igitur sit: *Corruptio ipsi* nimirum Deo? Responsio: *Non*. Cujus amplificatio jam continetur in sequentibus, culpam transferens in Israelitas: *Filiorum ipsius sua est labes. Generatio perversa & contorta sunt*. Qui sensus est emphaticus, facilis, atque non tantum verbis, verum etiam circumstantiis textus adamussim congruus; Libet hoc breviter ostendere.

Nominaliter hic accipio vocem שחת ad formam שלם, non secus ad Hoseæ 13. v. 9. שחתך ישראל *Corruptio tua est, Israel*. Ubi LXX. διαφθορὰ, quod βραχυλογίας est, pro שחת לך, qua & alibi occurrit, ut Psalm. 115. v. 6. רגליהם, ידיהם pro רגלים להם ידים להם LXX. χεῖρας ἔχουσι, *manus habent*, Πόδας ἔχουσι *pedes habent*, quemadmodum & versu 4. 5. dicitur: אזנים להם עינים להם פה להם. Item Eccl. 5. v. 16. חליו pro חלי לו *morbus ipsi*.

Ad Deum autem refero sequentem לו, cujus etiam rectitudo versu antecedente fuerat deprædicata. Quod ibi fecerat Moses absolute, hic facit comparate: quod ibi affirmative, hic negative; quod ibi simpliciter, hic interrogative atque maxime emphatice.

Responsio *Non*, nullam habet difficultatem; Ast, quæ sequuntur ambiguitati cuidam adhuc obnoxia esse videntur, quum videamus lapsum in iis esse Celeberrimum quendam nostri Seculi Interpretem, qui præcedentia alio qui rite observaverat juxta accentuum tenorem. Vertit autem: *Filii ipsius* sunt *labes eorum; Generationis perversæ atque contortæ;* intelligendo per Filios, vere fideles, quorum conditio in populo Judaico tam vilis sit & abjecta, ut sint labes reliquorum infidelium atque perversorum.

Verum enim vero non advertit Vir Doctissimus, cui alias multum in interpretatione Scripturarum debemus, filios hic dici, non ob veram regenerationem atque adoptionem Spiritualem, sed ob externam prærogativam; Dum Deus educens Israelem ex Ægypto eum acquisivit, & veluti generavit, unde etiam primogenitus Dei filius audit *Exod.* 4. 22. quo respici, ex versibus immediate sequentibus satis manifestum est. Taceo, obstare accentum Atnach, quem expressimus notula l; Hic enim eo collocatur loco, ubi sensus verborum intra totum versum maxime est discretus: quum contra juxta interpretationem Viri Clarissimi affixum ם per modum appositionis debeat cohærere cum sequenti hemistichio, minimamque ideo facere sensus discretionem, ita, ut vel nullo vel minimo accentu distinctivo, non vero maximo deberet signari, si dictæ explicationi esset locus.

Affixum ם igitur cum omnibus fere Interpretibus Hebræis accipio reciproce, ut Israelitæ, hic accusentur tq. בנים משחתים *filii perdite agentes* Jes. 1. v. 4. q. d. ex Levit. 22. v. 24. משחתם בהם מום בם *Corruptio eorum est in ipsis, labes est in ipsis;* quam expositionem manifesto flagitat oppositio: culpa enim, quæ longissime removetur a Deo, rejicitur in Israelem: & sequentia id confirmant, dum *ætas perversa & contorta* appellatur, atque *filii ingrati vers. 5.*

Unde patet, quantus Hebræorum Accentuum sit usus in indaganda connexione vocum ac proinde etiam rerum, ut frustra non sit laboraturus, qui eorum valorem in versione accuratius exprimere aggredietur. Cui tamen facilitatis gratia interstinctiones consuetæ etiam poterunt addi.

Atque hactenus corticem tantum Scripturæ attigimus, verba nimirum, nunc de nucleo eruendo videbimus, h. e. de rebus, quæ ex mente Spiritus Sancti sub verbis continentur.

Quoniam vero ipsarum inter se rerum comparatio præcipuam partem facit interpretationis, ideo de instituendæ hujus comparationis adminiculo, latitudine, qualitatibus ac denique usu distincte dicemus.

Adminiculum, quod additam rerum, quæ verbis Scripturæ sunt subjectæ, collationem atque dijudicationem requiritur, hac habe regula: *Interpres perspectam sibi habeat indolem rerum, de quibus agit Scriptura;*

Quemadmodum enim, ut recte alicubi Plato, fieri non potest, ut quis perspectam sibi habeat indolem syllabe AB, nisi ante noverit simplices Alphabethi literas A & B, sic etiam Scripturæ veritates, quæ nihil aliud sunt, quam re-

rum ipsarum syllabæ, non dabitur rite cognoscere, ne minimam quidem, nisi ipsarum rerum indolem, ex quibus illæ tanquam simplicibus elementis ac veluti literis Alphabethi realis coaluerunt, nobis reddiderimus familiarem.

Merito igitur S. Paulus hujus regulæ neglectum notat in Pseudo. Doctoribus tanquam fontem παρερμηνείας. Ἐξετράπησαν, inquit, εἰς ματαιολογίαν, Θέλοντες εἶναι νομοδιδάσκαλοι μὴ νοοῦντες ἅ λέγουσι, μήτε περὶ τίνων διαβεβαιοῦνται. h. e. *Exorbitarunt in vaniloquium, volentes esse Legis Doctores, non intelligentes, neque quæ dicunt, neque de quibus asseverant* 1. Tim. 1. 6. 7. Et quid rerum neglectus aliud parere potest, quum λογομαχίας καὶ κενοφωνίας, quas idem Apostolus notat ut scaturigines ingentium malorum & pestem Ecclesiæ Christianæ 1. *Tim.* 6. 4. 20.

Hæc autem rerum cognitio, licet tam late pateat, quam ipsa fere rerum universitas, quum vix quicquam occurrat, cujus non mentio aliqua injiciatur in Scriptura, attamen Dei potissimum rerumque divinarum, utpote, quæ de scopo Scripturæ sunt, meditationem Interpreti commendamus.

Unde simul patet, quantus humanarum scientiarum sit usus; qua de re consulendus Augustinus *lib.* 2. *de Doctrin. Christian. cap.* 39.

Ubi ingens tamen apparet discrimen inter cognitionem rerum, prout illa traditur in Philosophia, & eam, quam requirimus ad id, ut quis boni Interpretis Scripturæ officio queat defungi. Illic essentiæ rerum indagantur intimæ atque absolutæ; hic vero ut plurimum contenti sumus cognitione experimentali, quæ rerum exteriora tantum & quis superficiem contemplatur.

Satis diximus de instituendæ συγκρίσεως rerum spiritualium prævio requisito, nunc etiam de ejus amplitudine dicendum. Dum autem ad Scripturarum auctorem attendimus Deum, facile patet Veracitatem ipsius, qua ab omni errore & mendacio quam longissime abest, requirere, ut Verbum ipsius quoad omnia sibi sit conforme, nec vel minimum quid occurrat, quod veram repugnantiam involvat, quum vero semper consonet.

Necesse igitur est, sensum vel minimi versiculi, quem eruit Interpres, conferendum esse cum quolibet sensu, qui in universo Scripturæ corpore continetur, cui, si verus est, necessario debet congruere, aut, si non congruit, manifestæ convincitur falsitatis.

Ast, quia ea Scripturarum est amplitudo, ut ab angustiis mentis humanæ simul capi non queat, comparationem rerum facimus propriorem & remotiorem.

Proprior est ea, quæ eas tantum res considerat, quæ vocibus subjiciuntur, in certo quodam Scripturæ ambitu occurrentibus; & tunc, prout eæ cum antecedentibus & consequentibus nexum habent, similiter rerum iis subjectarum comparatio institui debet.

Remotior vero est illa, quæ res examinat ad eas, quæ magis procul sunt, & in tota Scriptura ubique dispersæ; quarum tamen compendium facit fidei analogia, commendata *Rom.* 12. 6. h. e. systema præcipuarum Scripturæ veritatum de Deo & nostræ salutis ratione.

Apprime hoc loco notandum, non tantum institui hanc, de qua loquimur, comparationem de veritatibus, quæ ex congrua rerum ad se invicem relatione exurgunt, verum etiam circa ipsos errores ac falsitates versari. Non tantum enim veritatum sed etiam falsitatum quædam est series atque catena, ideoque vera connexio. Unde necessitas nobis incumbit distinguendi cum Augustino inter connexionem veritatum, & veritatem connexionum, quarum hæc etiam obtinet inter falsa. Digna judicio ejus verba, quæ huc transcribantur *ex lib.* 2. *de doctrina Christ. c.* 31. *Sunt etiam veræ connexiones ratiocinationis falsas habentis sententias, quæ consequuntur errorem illius, cum quo agitur. Quæ tamen ad hoc inferuntur a bono & docto homine, ut in his erubescens ille, cujus errorem consequuntur eundem relinquat errorem, quia si in eodem manere voluerit necesse est, ut etiam illa, quæ damnat, tenere cogatur. Non enim vera inferebat Apostolus quum diceret* (1. Cor. 15.) *Neque Christus resurrexit, & illa alia: Inanis est & fides nostra, & deinceps alia, quæ omnino falsa sunt; quia & Christus resurrexit, & non erat inanis prædicatio eorum, qui hoc annunciabant, nec fides eorum, qui hoc credebant: sed ista falsa verissime connectebantur illi sententiæ, qua dicebatur, non esse resurrectionem mortuorum. Istis autem falsis repudiatis, quoniam vera erunt, si mortui non resurgunt, consequens erit resurrectio mortuorum.* Unde Vir Sanctus merito Logicam commendat. Ita enim pergit: *Cum ergo sint veræ connexiones non solum verarum, sed etiam falsarum sententiarum, facile est veritatem connexionum etiam in scholis illis discere, quæ præter ecclesiam sunt.* Quam distinctionem probe tenere tam utile est, quam facile, ut alibi ostendam.

Sequitur, ut de qualitate connexionis aliquid dicam. Est autem ea vel necessaria

ſaria vel contingens ſeu arbitraria. Quod, ut recte intelligatur, velim omnia, quæ in Scriptura extant, referri ad Deum, tanquam originem ſuam primitivam: 1. *Cor.* 8. *v.* 6. *Rom.* 11. *ult.* Unde qualitas connexionis facile apparebit. Sit v. g. indaganda connexio inter eſſentiam Dei & perſonam Sacræ Trinitatis ſecundam, ſcilicet Filium, ut de ejus qualitate neceſſariane ſit an contingens, pronunciari poſſit. Inquiro igitur juxta modo dicta in indolem Dei, quæ mihi exhibet ſummam & incomparabilem perfectionem; Item Filii Dei, qui in Scriptura nobis deſcribitur, ut *Imago inviſibilis Dei* Col. 1. v. 16. Dehinc inſtituendo comparationem facile adverto neceſſariam connexionem inter eſſentiam Dei tanquam Entis ſumme perfecti, & Filium, utpote Imaginem Dei intellectualem atque perfectiſſimam. Cum enim hæc imago arguat perfectionem, utpote in qua Deus ſemet ipſum intueatur, manifeſtum eſt, eam negari non poſſe de Ente ſumme perfecto citra repugnantiam manifeſtam, ideoque illi neceſſario competere; potiſſimum, quum homo, in hoc gerens Dei imaginem, hac donatus ſit perfectione, ut ſui imaginem formet in intellectu & per eam dotum ſuarum, quibus præditus eſt a Deo, ſit conſcius. Hæc igitur connexio apparet eſſe *naturalis neceſſitatis*, ut Deus tam neceſſario per naturam habeat Filium, quam neceſſario per naturam eſt Deus.

Ex adverſo autem facile conſtat, quid per connexionem rerum contingentem ſive arbitrariam ſit intelligendum ea nimirum, in qua nexus ejuſmodi naturalis comparet. Talis eſt origo omnium rerum creatarum a Deo, etiam univerſi negotii ſalutis, quum Deus *omnia operetur* non ex naturali neceſſitate, *ſed ex beneplacito & conſilio voluntatis ſuæ* Eph. 1. v. 5. 11.

Sit v. gr. inveſtiganda illa connexio: quæ intercedit divinæ naturæ cum humana in Chriſto Θεανθρώπῳ. Inquirendo igitur in utriuſque indolem facile video, divinam naturam non naturali neceſſitate inferre humanam; ideoque tuto inde concludo, unionem utriuſque naturæ, quamvis jam indivulſam plane, originem ſuam debere conſilio atque arbitrio Dei, non vero naturali neceſſitati.

Dico *naturali neceſſitati*; Eſt enim alia quædam neceſſitas, quæ non quidem natura Dei ſed rationibus tamen nititur atque amore virtutum ſuarum extra ſemet manifeſtandarum, ac proinde *neceſſitas moralis* poteſt appellari. Et hæc, ſecus ac naturalis, etiam locum habere poteſt in iis, quæ ortum habent ex conſilio Dei. Quid enim obſtat, quo minus id ſubnixum ſit ſanctis rationibus, quæ ideo ſanctæ cuidam neceſſitati Deum adſtringant, ut ei nullatenus queat renunciare, niſi ſemetipſum velit abnegare 2. *Tim.* 2. *verſ.* 13. Quo pertinet neceſſitas ſatisfactionis & quæ cum ea ſunt connexa; vide *Hebr.* 2. *verſ.* 10. 17. *Hebr.* 7. *verſ.* 26. *Luc.* 24. *verſ.* 26. 46. Ut pauca forte ſint, quæ ita Dei nituntur arbitrio, ut non etiam ſubſint juſtæ atque decoræ rationes; unde חסין יה *pollens decentia* Pſalti appellatur, *Pſal.* 89. *verſ.* 9.

Eſt & adhuc alia comparationis rerum qualitas ſeu potius ſpecies conſideranda, quæ nimirum omnia perpendit in ordine ad ſcopum loquentis: Quæ proinde minime negligi debet ab Interprete ſacro, quum Deus, utpote Sapientiſſimus non poſſit loqui extravagantia, quæque abludunt a ſcopo.

Reliquum nunc eſt, ut de uſu explicatæ rerum comparationis nonnulla dicamus. Hic autem longe maximus eſſe facile apparet, quia univerſæ ſcripturarum Interpretationi ea præeſt atque moderatur. Facit autem hoc duplici ratione. Prior ratio eſt, dum inſtituta ejuſmodi rerum Spiritualium collatione, quæ a vocibus juxta omnem ſuum valorem acceptis innuuntur, nulla omnino deprehenditur ſive repugnantia, ſive etiam deviatio a ſcopo. Poſterior ratio eſt, dum Interpres facta hac comparatione advertit verba integro ſuo ſumta valore vel contrarietatem quandam inferre, vel abludere a ſcopo loquentis. Prior hujus primi Canonis eſt propria, poſterior autem in ſequentibus tradetur.

Ut igitur mens Canonis noſtri omnibus fiat manifeſta, dico, quod hoc in caſu obtinere debeat integer valor verborum, dum res iis verbis ita ſumtis ſubjectæ & inter ſe & cum ſcopo conſpirant.

Explicati ita Canonis veritatem demonſtramus ſequentibus argumentis.

Primo ex Deut. 4. verſ. 2. *Ne addatis ad verbum, quod ego vobis præcipio, neque imminuatis de eo, ut cuſtodiatis præcepta Jehovæ Dei veſtri*. Non agi hic tantum de ea detractione, quæ verba eliminat ex corpore Scripturæ, verum etiam de quacunque imminutione ſenſus, qui vocibus ſubeſt, facile evincit ratio adjecta: *ut cuſtodiatis præcepta Jehovæ Dei veſtri*. Ut enim cuſtodiantur præcepta, non verba tantum requiruntur integra, verum integer etiam vocum ſenſus atque valor. Maneant verba omnia

omnia nulla ratione mutilata, dematur autem eorum valor sive ex toto sive ex parte, tantum etiam custodiæ præceptorum derogari necesse est; quæ ratio est, cur Christus *Matth.* 5. *vers.* 17. *seqq.* perfectissimum Legis sensum urgeat adversus corruptelas Pharisæorum, ut ita neque de vocibus neque de rebus ipsis in Lege contentis pereat vel *ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία vers.* 18. quum contra doctrina extenuans sensum vel minimi præcepti sit solutio ejusdem *vers.* 19.

Secundo ex indole verborum. Verba enim sunt signa & rerum & simul conceptuum loquentis, qui res illas, quas vocibus indicat, in mente se habere manifestat. Quum igitur verba scripturæ signa sint Dei, quibus ipsemet & mentem suam nobis manifestat, & res, quas in mente habet, quis dicet, plus eum nobis manifestare per verbum, quam quidem in animo habet? quod igitur verba Scripturæ nobis significant, id totum & omne ipsemet per Scripturæ verba loquens Deus nobis significare atque intimare est censendus. Ut adeo nihil eorum, quæ nobis ita revelat, licitum sit pro lubitu nostro imminuere vel mutilare, nisi ipsosmet Dei conceptus, verbis Scripturæ expressos, corrigere velimus.

Tertio ex providentia Dei. Utitur quidem Deus in verbo suo hominum lingua ac vocibus, quæ casu potius & consuetudine longoque usu, quam instituto Dei significationem videntur adeptæ, ast id tamen minime obstat, quo minus id providente Deo, qui uti omnibus omnino rebus, sic humano potissimum generi præest, factum fuisse credamus; *Vid. Gen.* II. *v.* 7. *s.* Non sine nutu igitur Dei verba omnium earum rerum sunt signa, quarum sunt signa, nec citra impietatem eum fingere possumus ignarum omnis istius significationis ac potestatis, qua verba ipsomet ita dirigente inter homines pollent. Unde manifestum est, Deum, dum homines verbis affatur humanis, omnem illam significandi vim atque valorem, quem & alias inter homines obtinent, iis relinquere voluisse integrum, sartum atque tectum.

Quarto ex Majestate, Veracitate atque Sapientia Dei. Non ergo, ut agyrtæ solent & impostores, tumida verba facit, quibus vel nihil vel modicum rei subest, ut aliis imponant. Verax & Sapiens homo verba sua, quantum potest, adæquat ipsis rebus. Quanto magis Veracissimus ac Sapientissimus Deus.

Quinto ex materia Verbi divini. Loquitur id de Deo, personis divinis, earumque gloria & operibus. Verendum igitur non est, ne verba accipientes augustius nimis magnifice sentiamus de Deo atque rebus divinis, quæ Scripturarum divinarum præcipuum sunt argumentum. Hinc divus Paulus titulum Filii Dei Christo tributum urget, ut *διαφορώτερον ὄνομα*, *præcellentius nomen*, ut illum Angelos præstantissimas creaturas longissime superare evinceret. *Hebr.* I. *v.* 4. *s.*

Sexto ex absurdis, quæ alias sequerentur, quamplurimis.

Nam I. quæso te, qui negas hunc Canonem, ut mihi aliquid demonstres ex Scriptura: v. g. Christum esse Summum Deum. Fingam me esse Judæum aut Socinianum; quicquid attuleris, quicquid dixeris, facilime eludam. Afferas mihi loca, in quibus Christus dicatur Deus, ubi proprietates, ubi honor, ubi opera Dei ipsi attribuantur: Respondebo, verba illa capi posse in sensu restricto atque tenuiori; Nunquam igitur evades nisi ope hujus canonis, urgendo integrum verborum valorem, quamdiu nulla ratio restrictionis comparet.

II. Si verba non retinent omnem suum valorem in hoc casu, in quo nulla est causa restringendi, dicas igitur mihi, quantum habeant valoris? Impossibile, est, ut id ulla ratione determines.

III. Si Canonem hunc arguis falsitatis, necesse est statuas, Interpretem eum sequendo vel in falsum incidere, vel in veritatem, quæ tamen non sit ex scopo Spiritus S. loquentis. His enim tantum modis errat Interpres, dum errat, nec aliter potest. Sed quamdiu hunc Canonem observat, neutro modo potest. Non priori; quomodo enim id falsum est, quod convenit cum omnibus iis, quæ traduntur in Scriptura, &, quæ ejus summam exhibet, fidei analogia? Non posteriori: Ea enim conditio expresse reservatur in Canonis explicatione, ut Interpretatio non abludat a scopo loquentis. Et utrumque incommodum studio præcavetur in ipso Canone, per additam formulam; *quantum fieri potest*.

IV. Contradic, si placet, huic Canoni; Si recte contradicis, ita contradicis; Valor verborum Scripturæ aliquando est restringendus, ubi nulla causa est restringendi; h. e. temere & perperam est restringendus.

Canonem nostrum emphatice expressisse videntur Veteres Hebræi, ajentes: אין בתורה אפילו אות אחת שאין הרים גדלים תלויים בה: h. e. *Non est in Lege vel una litera, a qua non magni mon-*

montes seu maximi atque ponderosissimi sensus *dependeant;* quo tamen hodierni Scripturarum depravatores pessime abutuntur.

CANON II.

Si integer vocum valor incongrui quid infert, ut vel rerum indoli repugnet, vel abludat a scopo, tunc tantum præcise est subtrahendum, quantum requiritur ad incongruentiam illam amovendam.

Differt hic Canon a præcedente, quod in illo attendatur ejusmodi casus, ubi nulla opus est subtractione de integro valore, quem verba seorsim habent; in hoc vero contra. Necessario tamen inde fluit, atque omnibus ibi allatis rationibus demonstratur. Quæ enim me urgent causæ, ut nihil omnino subtraham, ubi nihil est subtrahendum, eædem quoque requirunt, ne plus justo detraham, ubi aliquid est detrahendum.

Atque hic Arithmeticæ cujusdam sacræ species comparet. Sicut enim præcedens Canon instar additionis est, non illius quam Moses vetat, assuendo aliquid verbis θεοπνεύστοις sive vocum sive rerum, sed qua integer valor, quem voces Scripturæ habent, solicite conquiritur, & interpretando in aliquam summam colligitur, ita hic facta integri sensus collectione, de summa aliquid subducit; Subducit inquam, non quod ex mente Dei valent eo in loco, quem interpretamur, absit! sed quod alibi extra eum locum significant.

Causam vero hujus subductionis Canon facit duplicem, vel pugnam rerum, vel deviationem a scopo. Quod enim vero non consonat, aut non facit ad intentum loquentis, nulla ratione censeri potest a Deo esse prolatum.

Et ut ad indagandum vocum valorem atque linguarum cognitionem opus est memoria, sic ad instituendam rerum collationem, & animadvertendum inde consensum vel dissensum earundem præcipue scopi, mentis judicio maxime polleat oportet Interpres, ut, velut auris de harmonia Musica, tam promte judicet de rerum concentu. Unde in vitio ponitur νωθρότης τῆς ἀκοῆς, *tarditas quoad auditum*, contra autem commendantur οἱ διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἔχοντες πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ; h. e. *qui propter habitum sensus habent exercitatos ad discretionem boni & mali* Heb. 5. v. 11. 14. Quo facit illud Christi: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Matth. 13. v. 9. Apoc. 2. & 3. sæpius.

Etiamsi de instituenda rerum collatione jam satis prolixe dixerimus in explicando Canone primo; tamen, quia ea potissimum facit officium Interpretis, ideo præter rem non erit, si & hic quædam de eadem subnectamus.

Adminiculum ad eam legitime instituendam commendavimus investigationem indolis rerum; Cui subjungi potest indagatio axiomatum, seu veritatum primarum atque maxime universalium, a quorum cognitione plurimæ aliæ dependent. Hæ autem potissimum eruuntur ex consideratione Dei & proprietatum ipsius, cujus proinde indoles Interpreti omnium præcipue debet esse perspecta & familiaris. Ex. gr. Deus non potest negare se ipsum 2. *Tim.* 2. *v.* 13. Sed omnia agit propter se *Prov.* 16. Unde facile demonstratur, non posse Deum frustra quæri atque coli *Jes.* 45. Sed necessario γίνεσθαι μισθαποδότην τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν, *remuneratorem fieri quærentibus* ipsum, quod omnis religionis fulcrum est *Hebr.* II. *v.* 6.

Sit præterea hoc axioma specialius: Pater amat Filium & quærit gloriam Filii. *Joh.* 3. *v.* 35. 5. 20. 8. 50. 17. 1. 5. Hoc bene perpensum ostendit nexum necessarium in variis partibus nostræ salutis. Unde Apostolus, catenæ salutis humanæ, cujus colophon est glorificatio, innectit gloriam Christi. *Rom.* 829.

Dici satis non potest, quantum juvent ejusmodi axiomata ad Scripturæ investigationem & radicationem cordis in fide veritatis. Demonstrant enim ad conscientiam necessitatem divinarum veritatum, ut mens attente atque devote eas meditans clare videat eas ipsimet fundamento Veritatis Deo ita esse inædificatas, ut impossibile sit, eas aliter esse posse.

Quamvis igitur ea rerum comparatio, quæ contingentem earundem connexionem ostendit, multum prosit Interpreti, id tamen omnium earum veritatum, quarum nexus est necessarius, præ contingentibus προτέρημα est, ut, quum hæ propius absint a falso, atque ita sint veræ, ut volente Deo falsæ fieri possent vel certe potuissent, illæ contra longius absint a falso, quum earum veritas non a puro puto Dei arbitrio, sed vel a naturali vel morali quadam, qua Deus sancte tenetur, necessitate originem trahat. Norim igitur ego naturalem illam connexionem & indispensabiliter necessariam, quæ Patri in divinis cum Filio & utrique cum essentia divina intercedit, Mysterium Patris & Filii (& proinde Spiritus Sancti) ita mecum erit in tuto, ut securus sim omnium Sophismatum,

tum, quæ Diabolus per organa sua mihi objectat. Norim ergo, interesse gloriæ Filii, ut & ego particeps fiam ejusdem gloriæ, qui illius, ut Capitis, sum membrum, in ipsamet pugna Satanam triumphabo omnesque salutis meæ adversarios; tam certus de victoria in Christo futuraque gloria, quam certus sum Patrem cœlestem nunquam renunciaturum illi amori, quo Filium suum complectitur, sed eo certissime omnia directurum, ut ipse tandem *gloriosus appareat in omnibus sanctis suis, atque admirabilis in omnibus credentibus ipsius* 2. *Thess.* 1. *vers.* 10. Tanti est videre veritatem, ut ex imis suis radicibus germinantem?

Nec aspernendæ hic etiam sunt disciplinæ prophanæ; ut Metaphysica, non illa nominalis, quæ spinosis tantum circa terminos quæstionibus absolvitur, sed realis, quæ Dei & mentis humanæ reserat penetralia, & inconcussis principiis omne verum superextruit. Præcipue vero subactum faciunt judicium studia Mathematica, Geometria, Algebra, imo ipsa Arithimetica; utpote in quibus omnium maxime obtinent connexiones Veritatum, quas tractant. Quibus igitur, qui assuescit, videndo veritatem cœlestium nexui promtior evadit; Accedente nimirum Dei gratia, quam hic & ubique supponimus.

Ut autem revertar ad Canonem nostrum, videndum est ante omnia Interpreti Sacro, num facta rerum collatio quid absurdi inferat, si verba in pleno suo valore accipiantur, & qua in re id præcipue consistat. Id enim maximopere necessarium est eo, ut sciamus quantum præcise valoris verbis sit detrahendum, quo incongruum illud amoveatur.

Eximium hujus rei exemplum præbet nobis Divus Paulus 1. *Cor.* 15. *vers.* 27. Explicans enim testimonium Psaltis de Christo; *Omnia subjecisti pedibus ipsius Psal.* 8. *vers.* 7. Ita quidem urget integrum vocum valorem, ut tamen exceptionem sibi judicaverit faciendam hoc modo. *Dum vero omnia ipsi ait esse subjecta, manifestum, quod, excepto eo, qui subjecit ei omnia*, subintellige, omnia ipsi sint subjecta, ut *nihil reliquerit* ἀνυπότακτον, sicut loquitur *Hebr.* 2. *vers.* 8.

Vides, urgere Apostolum integrum sensum verborum eousque, ut nihil velit exceptum, quod instituta rerum σύγκρισει congruens comperitur. Ast si eam omnium subjectionem, quam de Christo vaticinatur Psaltes, absolute universalem quis facere præsumat, ut ipsum etiam, qui omnia subjecit, Deum ambitu suo comprehendat, occurrit Apostolus, innuens ejusmodi universalitatem, quatenus ad Deum subjectionis autorem extenditur, indoli ipsius refragari; idque manifestum esse ait; facta nimirum comparatione inter pedes Christi & conditionem ejus, qui ei omnia subjecit. Quam manifesta igitur est ea incongruentia atque rerum repugnantia, quæ oritur ex absoluta hac universalitate, tam manifestam etiam urget necessitatem facienda exceptionis atque restrictionis, ita tamen, ut eam non faciat majorem, quam ad declinandam orientem inde absurditatem est opus.

Alio exemplo præit nos ipsemet Servator. Disputans enim contra Sadducæos pro resurrectione mortuorum evincit ex formula fœderis: *Ego sum Deus Abrahami Isaaci & Jacobi*, superstites esse Sanctos hos Patriarchas quoad animæ vitam, ut inde futuram eorum resurrectionem concludat. Urget igitur ante omnia, juxta Canonem nostrum primum, vim atque valorem factæ promissionis, ut eum, cujus Deus se vocat Deum, necessario vivere demonstret: *Deus*, inquit, *non est Deus mortuorum sed viventium*. Jam vero, quum homo & anima constet & corpore, promissioque illa facta non sit animæ aut corpori tantum, sed integris personis, consequens est, integrum promissionis hujus sensum inferre vitam animæ simul ac corporis eorum, quibus hæc promissio est facta. Quandoquidem vero Scriptura recenset mortem illorum Patrum, patet integro ejus promissionis sensui non esse locum, quamdiu mors illa durat; utpote quæ vitæ, quam promissio infert, e diametro opposita esse apparet. Hinc igitur movebatur controversia inter Sadducæos atque Christum. Illi mortem fidelium tam late interpretabantur, ut nihil omnino vitæ ipsis relinquerent; Hic vero intuens Dei promissionem & resultantem inde vitam, facile quidem patiebatur ex integra vitæ hujus, quam vis promissionis infert, quasi summa subduci eam, quæ corporis est; manente tamen animæ vita, qua ipsi vivant Deo, usque dum promissio plenam sortiatur vim in ultimo judicio, atque corpus vindicetur ex morte, ut & anima & corpore Deo vivant in gloria cœlesti, *Matth.* 21. *vers.* 22. *s.*

Facile autem patet attendenti, male subduxisse Sadducæos suas rationes, restringendo nimis, imo extinguendo penitus vim promissionis divinæ, dum omnem vitam & animæ & corporis fidelibus defunctis negabant. Neque id rite inferebant ex obitu illorum, quum redeunte in pulverem corpore, spiritus redeat ad Deum, qui dederat ipsum, *Eccles.* 12.

Ser-

Servator vero vim atque efficaciam divinæ promiſſionis, quouſque potuit, eſt tuitus, eique tantum præciſe ſubtraxit, quantum mors ipſorum corporea flagitabat, aſſerta potenter animæ vita, quæ ſubtracta corporea, de integra ſumma ipſis reſidua erat.

Ex eodem exemplo ad oculum videre eſt fere omnia, quæ hactenus in his Canonibus inculcavimus, potiſſimum de conſideranda indole rerum, Dei potiſſimum ac proprietatibus ipſius. Id ipſum enim eſt, cujus neglectum exprobrat adverſariis: *Erratis, neſcientes Scripturas, neque vim Dei.* Ubi δύναμις τοῦ Θεοῦ vel notat robur atque potentiam ipſius, quæ hic maxime erat conſideranda, ubi de opere potentiæ in mortuorum reſuſcitatione exercendo erat ſermo; vel valorem vocis *Deus*, quæ & alibi urgetur *Hebr.* 5. *verſ.* 4. *Rom.* 1. *verſ.* 4. quæ vocis vis atque valor & potentiam divinam comprehendit. Ita in quibuſvis difficultatibus diſcamus a Servatore recurrere ad Deum ejuſque perfectiones, ut *in ejus luce videamus lucem* h. e. omnem veritatem tam de Deo, quam operibus ipſius. *Pſalm.* 36. 10.

CANON III.

Quamdiu mens hæſitat, an aliquid congruat rerum indoli ac ſcopo, nec ne, tamdiu integro ſenſui nihil eſt detrahendum.

Hic Canon non niſi Conſectarium eſt præcedentium, maxime ſecundi. Si enim repugnantia rerum atque deviatio a ſcopo tantum legitimæ ſunt cauſæ, cur integro verborum valori aliquid ſit detrahendum, ultro patet Canonis veritas. Qui enim dubitat, nondum certus eſt de iis cauſis, ideoque ſubtractio, tq. iſtarum cauſarum effectus, hactenus debet ſuſpendi.

Sic myſterium SS. Trinitatis ita ſuperat noſtrum intellectum, ut videre ſæpe non queat, qui Perſonarum Trinitas eſſentiæ congruat unitati. Quamvis igitur officium ſit Interpretis σύγκρισιν πνευματικῶν inſtituere eo uſque, dum convenientia rerum liquido appareat, imo, ſi fieri poteſt, connexio earum neceſſaria mente perſpiciatur, ut ſupra de hoc Myſterio oſtendi; non tamen, ſi oculi noſtri ad fulgorem lucis infinitæ caligent, eaque connexio inde fiat ἀνέφικτος, eo audaciæ prorumpere debemus, ut Myſterium hoc tremendum extenuare atque enervare velimus, ut fecerunt Paulus Samoſatenus, Photinus, Arrius &c.

CANON IV.

Ea ſenſus imminutio maxime cavenda, quæ ſecum trahit alterius cujuſdam cum eo connexi ſenſus imminutionem.

E. g. vocabulum Deus notat Ens ſummum atque Perfectiſſimum. Cujus vocis valorem imminuunt veterum hæreticorum fraterculi Sociniani noſtri, eo uſque, ut illud Chiſto Servatori tributum in Scriptura accipiant de factitio quodam Deo, h. e. creatura pro Creatore, qui eſt benedictus in ſecula. Hinc imminuunt & Chriſti honorem, adorationem longe inferiorem quam Deo ſummo, ipſi competere ajentes. Conſequenter imminuunt etiam opera ipſius. Clamet Johannes in principio Evangelii, nihil eſſe factum, niſi per λόγον; hoc ipſos minime moratur, ſatis habentes id intelligere non de primæva omnium creatione, ſed de renovatione. Ingeminet Scriptura glorioſiſſimum redemtionis opus, quod totius noſtræ ſalutis eſt baſis; facile ipſis eſt ex hypotheſi ſua de Chriſto ψιλῷ ἀνθρώπῳ id convertere in pretii ſolutionem vel quaſi & non niſi metaphorice talis. Qualis enim eſt cauſa, talis effectus. *Frater enim, qui mere talis eſt, non redimet quenquam, non dabit Deo pretium redemptionis ejus. Eſt enim cara redemtio vitæ ipſorum, ut deſiſtat in ſeculum,* Pſal. 49. v. 8. 9. Ita error, qui potiſſimum committitur extenuatione & tantum non emaſculatione Scripturarum, ſerpit inſtar gangrænæ.

Melius igitur & tutius non occurremus huic malo, niſi mordicus retinendo vim verborum, ut ſine gravi cauſa ac probe a nobis meditata, nunquam ac nuſquam inde recedamus: quod facientes mature cavebimus errorum iſtiuſmodi atque hæreſium ſyrma.

Evidens eſt hujus Canonis ratio. Si enim minus non licet, multo minus id, quod majus eſt. Si minor ſubtractio temere inſtituta in vitio ponitur, multo magis ea, quæ major eſt. Minus autem eſt, unicum tantummodo minuere ſenſum, quam plures ſibimet arcte conjunctos.

Atque hic inveſtigandæ connexionis rerum, quam ſæpius commendavimus, denuo patet utilitas, imo neceſſitas. Si connexionem rerum videro neceſſariam, eo magis mihi cavebo, ne illi rei detraham vel tantillum, quæ aliarum ſibi conjunctarum detractionem poſt ſe trahit, ut ex allato exemplo ſit manifeſtum.

CANON V.

Si una eademque vox ad duas vel plures res refertur, quarum una vel altera integrum ejus ſenſum non permittit, tum iſta vox reſpectu ejus rei, quæ integrum ejus ſenſum permittit, integrum retinet; reſpectu vero aliarum, quæ integrum non permittunt, tantum de ſuo ſenſu amittunt, quantum illæ res tollunt.

Exemplum hujus Canonis evidentiſſimum habemus *Exod.* 14. *verſ.* 31. ויאמינו ביהוה ובמשה עבדו *Crediderunt in Jehovam & Moſen ſervum ejus.* En credere refertur ad Jehovam & Moſen ſervum. Jehovah integram ſignificationem permittit; Igitur, prout ad illum refertur actus credendi, nihil plane perdit de ſuo ſignificatu. Quatenus autem refertur ad Moſen, tanto major requiritur reſtrictio, quanto minor ſupremo Domino eſt ſervus.

Et in hujuſmodi caſibus vocabula ſunt multiplicanda, ut patet ex alio loco, qui huic noſtro gemellus eſt, nimirum 2. *Chron.* 20. *verſ.* 20. האמינו ביהוה אלהיכם ותאמנו האמינו בנביאיו והצליחו: *Credite in Jehovah Deum veſtrum, & permanebitis: Credite in Prophetas ejus & proſperabimini.* Occurrit hic eadem vox האמינו de Deo & Prophetis, ſed repetita. Nihilominus fides, quæ fertur in Deum, nobilioris longe indolis eſt ea, quæ refertur ad Prophetas. Niſi enim cœca eſt, adæquatur judicio, quod ferimus de excellentia objecti. Quo magis igitur Deum recte judicamus excellere Prophetis, eo major etiam atque excellentior eſt affectus atque fides, qua ferimur in Deum, ea, quam habemus Prophetis.

Ulteriori hujus Canonis demonſtrationi ſuperſedeo, quum ex præcedentibus manifeſto derivetur.

CANON VI.

Qualis & quanta eſt cohærentia vocum, talis etiam & tanta, ſi commode fieri poteſt, facienda eſt connexio rerum.

Quomodo verborum varia σύνταξις moderetur ipſi rerum connexioni, jam docuimus in explicatione Canonis primi. Hoc vero loco præterea obſervamus, integrum alicujus periodi ſenſum non oriri tantum ex ſingulis vocibus, verum etiam ex diverſa earum conſtructione.

Ita, quoniam exempli gratia in loco Pauli *Tit.* 2. 11. Ἐπεφάνη ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις; *illuxit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus*, diverſa commode fieri poteſt conſtructio vocum, ut Dativus πᾶσιν ἀνθρώποις referatur & ad ἐπεφάνη, & ad proxime præcedens adjectivum σωτήριος, non recuſabimus eum quoque facere rerum nexum, qui ipſarum eſt vocum; ut intelligamus gratiam Dei quantum in ſe eſt, ad omnium hominum, quibus illuxit, tendere ſalutem: Neque enim ratio aliqua pro una potius militat conſtructione, quam altera; & commodus eſt ſenſus, qui inde emergit, ſibique neceſſario cohærens, ut minus, quam ipſæ voces, queat divelli. Illuminatio enim gratiæ non poteſt non ex ſe & ſua natura tendere ad hominum ſalutem. Ergo, quam late illuminatio, tam late etiam patet hujus gratiæ reſpectus ad ſalutem, licet ea homines, quibus illuceſcit, ſæpe voluntaria malitia abutantur ad perniciem æternam.

Manifeſta eſt ratio Canonis ex ipſa indole verborum: Hæc enim uti rerum ſunt ſigna, ita etiam eorum connexio indicat connexionem rerum.

Cavet tamen ſimul adjecta formula, *quantum fieri poteſt*, eum non ubique eſſe rerum nexum, qualis eſt vocum, nimirum, ubi quid incongrui oriretur. Sic *Hebr.* 2. 9. Τὸν δὲ βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττυμένον βλέπομεν Ἰησοῦν διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον, ὅπως χάριτι Θεοῦ ὑπὲρ παντὸς γεύσηται θανάτου. *Eum vero, qui paululum infra angelos minoratus eſt, videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem:* Facile enim advertimus inſtituta vel levi ſpiritualium συγκρίσει, abſonum eſſe, gloria atque honore cinctum eſſe Chriſtum, eo fine, ut oppetat mortem; quum ea coronatio facta ſit potius διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου, tanquam viam, qua ad hanc gloriam pervenit *Pſ.* 110. *ult. Pſ.* 16. *ult. Phil.* 2. 8. 9. 10. Gloriam vero excipere non poterat mors, quum ea obita Pater ex pacto ipſimet promittat ארך ימים *prolongationem dierum Jeſ.* 53. v. 10. confer *Heb.* 9. v. 25. ſeqq. In hoc igitur caſu & ſimilibus non tam vocum nexus moderatur nexui rerum, quam rerum nexus nexui vocum: Qui in loco noſtro ita inſtituendus, ut vel ordo conſtructionis diſponatur hoc modo: *Eum vero qui modicum temporis infra Angelos humiliatus erat, ut pro omnibus gratia Dei guſtaret mortem, videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum;* Vel concinnius, ut aliquid repetatur ἀπὸ κοινοῦ, hoc modo: *humiliatum*, inquam, *ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.*

CA-

CANON VII.

Dum minus comparatur cum eo, quod longe est majus, minus nihili reputatur.

Dicat quis, qui Canon hic consistere queat cum præcedentibus? Quum evidens sit, æstimando rei quantumvis minimæ valori nihil magis repugnare, quam eam omni realitate cassam asserere, atque nihili reputare. Ast evanescet facile hoc dubium, modo scopum intueare; qui est commendare præstantiam ejus, quod longe est majus; unde tunc, quod minus est, nihili penditur, non absolute, (sic enim ne quidem comparari posset cum majori) sed comparate, quatenus longissime subsidit infra præstantiam ejus, quod majus est. Facit igitur annihilatio, ut ita dicam, minoris, ut majoris supereminentia atque dignitas ex vero æstimetur, & eatenus Canon hic antecedentibus omnino subscribit.

Exempla ejus Scriptura exhibet quam plurima. Sic *Hos.* 6. v. 6. חסר חפצתי ולא זבח *Misericordiam volo, non sacrificium* h. e. non tam hoc, quam illam, sicut sequens hemistichium declarat ודעת אלהים מעלות *& cognitionem Dei præ holocaustis*.

Eundem in sensum Apostolus explicans illud Mosis: *Bovi trituranti non obturabis os:* Μὴ τῶν βοῶν, inquit, μέλει τῷ Θεῷ; ἢ δι' ἡμᾶς πάντως λέγει; *Numquid boves Deo sunt curæ: Aut numquid propter nos omnino dicit?* 1. Cor. 9. v. 9. 10. confer Rom. 2. v. 28. 29.

Multiplex hujus Canonis est usus, præcipue in collatione Veteris & Novi Testamenti. Mos enim est Scripturæ bona salutaria negare in Veteri, non quod omnino ea non habuerint, sed quia Novi Testamenti civibus uberius longe conceduntur. Ita quum servator in ultima σκηνοπηγίας, quam Judæi Hosanna Rabba vocant, occasione libatæ tunc ex fonte Siloah aquæ exclamasset: *Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ut dicit Scriptura, fluvii aquæ vivæ manabunt ex ventre ipsius:* Interpretationis loco subjicit Evangelista: *Hoc vero dicebat de Spiritu Sancto, quem accepturi erant credentes in ipsum.* οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη. *Nondum enim erat Spiritus Sanctus, quoniam Jesus nondum erat glorificatus.* Atqui David habebat Spiritum Sanctum *Ps.* 51. qui etiam per ipsum loquebatur 2. *Sam.* 23. Unde facile est colligere, dictum Evangelistæ non absolute sed comparate esse intelligendum.

Fidelem hic interpretem habemus Apostolum. Conferens enim gloriam Vet. & Nov. Testamenti; καὶ γὰρ, inquit, δεδόξασται τὸ δεδοξασμένον ἐν τούτῳ τῷ μέρει, ἕνεκεν τῆς ὑπερβαλλούσης δόξης: *Neque enim glorificatum erat, quod glorificatum fuit, hac in parte, supereminentis istius gloriæ respectu.* 2. Cor. 3. v. 10.

CANON VIII.

Generale non amittit latitudinem sui sensus, si applicatur ad speciale.

Luculentum hujus rei exemplum habemus in *Ps.* 8. Postquam enim Psaltes agens de exaltatione Christi, omnia docuerat subjicienda pedibus ipsius, statim id applicat ad oves, boves, &c. Hoc tamen non impedit, quo minus Apostolus eam universalitatem ita urgeat, ut & Angelos Christo subjectos esse evincat *Heb.* 2. *v.* 8. 9. Quanti hic Canon sit usus, quodam, si Deus volet, specimine olim ostendam.

CANON IX.

Si plures concurrunt causæ, quarum hæ sensum urgent integrum, illa vero restrictum, effectum sortiuntur sibi proportionatum.

Nititur hic Canon non præcedentibus tantum, sed & sensu communi. Sit v. gr. corpus B, constitutum in medio duorum quorundam corporum A & C. inter se mole æqualium. Si A quatuor habens gradus motus a parte dextra impellat A, ut pergat versus sinistram; C, vero duos tantum habens gradus motus idem B repellat a sinistra versus dextram, manifestum est, B duobus gradibus motus perrecturum a dextra versus sinistram. Quum enim C duobus gradibus motus resistat, & duos ex quatuor, quibus A supponimus impellere B, inutiles faciat, patet motum duorum graduum in B pergentis ad dextram, esse effectum duabus istis causis proportionatum. Idem cogitandum est de vocibus, quarum significatio concipienda est instar alicujus motus, quo non tantum organa corporea externa & interna, verum ipsum etiam animum qs. commovere & varias in eo variarum rerum cogitationes excitare aptæ sunt natæ. Exemplum hujus Canonis infra allegabo.

CANON X.

Si duæ vel plures voces concurrunt, quæ seorsim spectatæ eundem habent valorem, distinctum, quantum quidem fieri potest, valorem acquirunt.

Sic, etiamsi aqua alicubi sit emblema Spiritus Sancti, ut vidimus, *Joh.* 7. *v.* 38. 39. ubi ea sola occurrit, rectius tamen distinguitur a Spiritu iis in locis, in quibus conjunctim occurrunt. v. gr. *Joh.* 3. *v.* 5. Ἐὰν μή τις γεννηθῇ ἐξ ὕδατος ϗ πνεύματος, *nisi quis generetur ex aqua & Spiritu, non potest ingredi in regnum cœlorum*. Commode autem hoc loco per aquam intelligi potest obedientia Jesu Christi, cujus symbolum est Baptismus. 1. *Petr.* 3. *v.* 21. Eadem forte ratio est dicti Baptistæ Ἀυτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ ϗ πυρί; *Ille Baptizabit vos Spiritu Sancto & igne* Matth. 3. v. 11.

Utilis est Canon adversus nostros adversarios, qui vocem Justificationis infusionem justitiæ inhærentis notare arguunt ex locis nonnullis, in quibus justificatio conjungitur cum Sanctificatione & regeneratione, *vid. Tit.* 3. *vers.* 5. 6. 7. *Apoc.* 22. *vers.* 11. Verum, habeat alicubi hæc vox significationem sanctificationis, sicut sanctificatio quandoque & justificationem comprehendit *Hebr.* 2. *vers.* 11. *& cap.* 10. *vers.* 10. 14. ibi tamen, ubi sibi contra distinguuntur, quemadmodum fit in Epistolis Paulinis, distincto sensu venire necesse est.

Ratio Canonis manifesta ex ipsa Dei Sapientia, quæ non patitur vel minimum quid frustra & citra novam emphasim iterari.

CANON XI.

Personæ alicujus divinæ perfectio æstimanda est non tantum ex proprietate illius personali, verum etiam ex essentia communi & reliquis SS. Trinitatis personis.

Demonstrationem hujus Canonis Mathematice adornatam vide, sis, Dissertatione nostra de Generatione Filii Dei *Prop.* XIX. & subjuncto Scholio.

CANON XII.

Gloria humanæ Christi naturæ putanda est non tantum ex perfectionibus creatis ipsimet inhærentibus, verum etiam ex unione & commercio cum natura divina ac proprietatibus illius.

Attendenti facile patet hunc Canonem una cum præcedente non esse nisi consectaria præcedentium, nihilque aliud agere, quam integrum urgere sensum in iis, quæ personæ alicui divinæ, aut etiam humanæ Christi naturæ competere queunt. Manifestum enim est, ad latitudinem sensus in his mysteriis omnino pertinere, ut id omne, quod sive persona quædam divina sive humana θεανθρώπȣ natura sibi proprium vendicare potest, ipsimet in solidum tribuamus. Atqui non tantum essentiam divinam h. e. summam absolutissimamque perfectionem communem habent divinæ personæ, verum etiam propter mutuam ἐμπεριχώρησιν aliæ alias intime possident iisque fruuntur; ut Pater perfectissimus sit non solum propter naturam divinam infinitas involventem perfectiones, verum etiam quia Perfectissimum habet Filium, & vice versa.

Idem arbitrandum est de natura Christi humana, cui id non tantum proprium vendicari potest, quod ipsamet gloriosi possidet in sese, atque creaturæ indolem non excedit; verum etiam, & omnium maxime quidem, id omne, quod magnifici habet ipsamet divina natura, utpote quod humana, quamvis non naturali necessitate, quæ obtinet inter essentiam Dei divinasque personas, attamen jure merito eoque titulo sibi proprium atque suum asserere potest, qui in ullam rem creatam competere nequit; nimirum per gratiam unionis personalis. Sicut igitur ipsamet de omnibus, quæ habet divina, citra raptum specialissimo jure dicere potest: Hæc mea sunt: ita ad amplitudinem gloriæ illius pertinere manifestum est, si illam juxta Canonem non solum ex indole proprietatum humanarum, sed præcipue divinarum, quibusdam arctissime est connexa, & familiarissimum commercium habet, arcessamus, ut alibi fusius ostendam.

CA-

C A N O N XIII.

Ea potiſſimum integro ſenſu ſunt capienda, quæ glorioſam Dei gratiam concernunt.

Deſcribit nobis Scriptura Nomen Dei per ejuſmodi virtutes, quæ facile redigi poſſunt ad duas Claſſes, Gratiæ & Juſtitiæ, quæ Hebræis מדת הרחמים & מדת הדין appellantur. Quamvis igitur utraque hæc virtus ſit infinita, nihilominus tamen Gratia præcipue prædicatur in Scripturis, ut Juſtitiam longe ſuperet; quum Pſaltes utramque comparando, Juſtitiæ amplitudinem quidem comparet montibus, Gratiam vero in cœlos uſque extollat. *Pſ.* 36. *verſ.* 6. 7.

Imo, ſi indolem utriuſque virtutis accuratius indagemus, patebit. Gratiam ita primum ac ſummum tenere locum, ut Juſtitia non demonſtretur, niſi ut ſubſerviat Gratiæ illuſtrandæ; quum ne quidem vaſa iræ coagmentata ſint ad interitum, niſi ἵνα γνωρίσῃ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ ἐπὶ σκεύη ἐλέους, ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν, *ut manifeſtet divitias gloriæ ipſius in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.* Rom. 9. verſ. 22. 23.

Accedit, quod Deus, cum alias naturali ſua indole *bonus ſit omnibus* ורחמיו על כל מעשיו *& miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*, Pſal. 145. verſ. 9. ad juſtitiæ atque iræ ſuæ exercitium non deveniat, niſi veluti invitus & propter perverſitatem hominum, juxta regulam Pſaltis. עם עקש תתפתל *cum perverſo contortum te geris* Pſalm. 18. verſ. 27. Unde opus iræ & rigoris merito vocatur זר מעשהו מעשהו ועבודתו נכריה עבודתו *factum ſuum, extraneum factum ſuum, & opus ſuum alienum opus ſuum* Jeſ. 28. verſ. 21. Idque eo fine, ut impii, qui noluerunt ipſiuſmet Bonitatis divinæ ſenſu & perceptione (quæ via naturalis eſt & directa) Gratiam Dei volentes illuſtrare atque deprædicare, per viam contrariam h.e. carendo eadem divina Bonitate, ortoque inde ſenſu triſti atque moleſto, ipſimet experimento diſcant nolentes, *quam malum ſit & amarum derelinquere Deum* Jer. 2. verſ. 19. & quantum ipſemet ſit Bonum, a quo nemo, niſi in maximam miſeriam, abſcedere poteſt.

Quum igitur Gratia Dei tantis in Scriptura evehatur laudibus, ut inde ſæpiſſime prædicetur, רב חסד *amplus gratia*, גדול חסד *magnus gratia*, conveniens eſt, Interpretem Scripturæ maxime ſolicitum eſſe debere, ne maximam hanc

Dei virtutem extenuet aut ullo modo lædat.

Canoni noſtro gemella eſt Regula Juriſconſultorum. *In contractibus plena, in Teſtamentis plenior, in Beneficiis Principum pleniſſima interpretatio fieri debet.* Vide Guntelium *Reg. Jur.* XIII. Quod quam commode applicetur Scripturæ, norunt ii, qui norunt univerſum negotium noſtræ ſalutis habere formam Contractus inter Patrem & Filium non tantum, (vid. *Jeſ.* 53. *verſ.* 10.) verum etiam inter Deum & peccatorem. Item Teſtamenti, in quo Filius eſt ſcriptus hæres principalis, fideles vero, ut cohæredes ipſius. *Hebr.* 1. *verſ.* 2. *Rom.* 8. *verſ.* 17. 29. Denique quicquid bonorum ſalutarium obtingit peccatori, non niſi beneficium eſſe ejus, qui jure merito eſt & vocatur שר שלום *Princeps Pacis* Jeſ. 9. verſ. 5. καὶ ἀρχηγὸς τῆς σωτηρίας ἡμῶν, *& Dux princeps ſalutis noſtræ*, Hebr. 2. verſ. 10.

C A N O N XIV.

Rigor Legis in V. T. ita eſt explicandus, ut non aboleat promiſſionem Patribus factam; & tantum illi rigori eſt detrahendum, quantum gratiæ promiſſio requirit.

Exhibet hic Canon ſpecialem applicationem & exemplum *Canonis* IX. Ira enim, quam lex operabatur *Rom.* 4. 15. & gratia profluens ex verbo promiſſionis effectum producebant medium & cauſis ſuis proportionatum.

Inculcat hoc ipſemet Apoſtolus *Gal.* 3. *verſ.* 17. *Teſtamentum*, inquit, *ante ratificatum a Deo in Chriſtum Lex, quæ poſt annos quadringentos & triginta extitit non reddit inutilem, ad abolendam promiſſionem.* Etſi igitur Lex quoſdam iræ effectus ſortiretur in ipſiſmet fidelibus ſub Vet. Teſt. non poterat tamen impedire, quo minus & ipſa promiſſio gratiæ effectus in ipſis produceret effectibus iræ contrarios. Ut ita productum harum cauſarum totale ira atque gratia fuerit varie temperatum.

Quoniam autem hoc loco, ut & ſupra indicavimus, ſubtractionis alicujus exemplum occurrit, quo iræ atque legis rigori tantum eſt ſubducendum, quantum oppoſita Legi promiſſio requirebat, ordo nos jubet, ut ante omnia & iræ & gratiæ effectus in quandam ſummam colligamus.

Ut diſtincte procedamus, conſiderabimus eos in ordine ad tres mentis humanæ facultates, intellectum, voluntatem

& sensum, Manifestum vero est, Verbum promissionis aptum fuisse: I. Illuminando intellectui ad cognitionem qualemcunque mysterii salutis *Psalm.* 19. *vers.* 9. II. Dirigendæ voluntati ad fidem, quæ ad justitiam reputatur, & sanctitatem *Gen.* 15. 6. & 17. 1. III. Afficiendo intimo hominis sensui, *ne metuat* a Diabolo, mundo, condemnatione *Gen.* 15. *vers.* 1. Sed in spe salutis *Genes.* 49. *vers.* 18. gaudeat atque glorietur *Job.* 19. *vers.* 25. Contra vero Legis effectum esse execrationem *Gal.* 3. 10. *Deut.* 27. 26. Cujus specialiores operationes sunt ut hominis intellectum mancipet tenebris, voluntatem vitiis; sensum denique obruat omne genus cruciatibus atque tormentis *Psal.* 49. *vers.* 19. *Eph.* 4. *vers.* 18. 2. *Petr.* 2. *vers.* 19. *Marc.* 9. *vers.* 44.

Conferendo igitur contrarios hosce Legis atque Gratiæ effectus, facile patet, Legem, quamvis non penitus extinguere potuerit gratiam divinam, quæ illuminando homini, dispellendisque naturalis ignorantiæ tenebris apta est nata, eam nihilominus nonnihil obscurasse, atque infinitis fere ritibus externis texisse atque involvisse; ut ideo tempus V. T. nox Apostolo vocetur, *Rom.* 13. *vers.* 12. Ita igitur Gratia, quæ in tenebris lucebat, & Lex tenebras atque umbras superinducens, effectum producebant causis suis convenientem, atque ex luce & tenebris commixtum, ut mysterii salutis intellectus rarior fuerit in Veteri Testamento, & non tantum minor numerus eorum, qui vere fuerunt illuminati, verum etiam in ipsismet fidelibus tenuior veritatum cœlestium cognitio extiterit, multiplici ignorantia, atque tenebris, quas Lex faciebat, interstincta.

Porro, quod alterum attinet, quem recensui, effectum, perspicuum est, Legem ejusque execrationem, ut non potuit impedire, quo minus intellectus hominum illuminaretur ad cognitionem promissæ salutis, ita etiam obstare quidem non potuisse, quo minus Verbum promissionis efficax fieret in cordibus nonnullorum ad veram fidem, & quæ ex fide est, justitiæ imputationem; attamen, quia fides sequitur modulum cognitionis, fieri non poterat, quin hac obscurata, illius quoque vigori non parum detraheretur, ortaque inde justitiæ adjudicatio non nisi sub nebula quadam aut in crepera luce conspiceretur.

Accedit, quod Lex sacrificia exigendo, tanquam piamina peccatorum, homini carnali præbuerit occasionem cogitandi, ac si vera peccatorum expiatio perageretur sanguine hircorum atque vitulorum; qua opinione vera peccatoris justificandi ratio penitus fuit sublata.

Hoc vero etiam, quis non videt, remotam quandam injecisse studio veræ sanctitatis atque solidæ pietatis: Non tantum, quia ea non nisi ex fide originem trahit *Rom.* 14. *vers.* 23. utpote quæ cor purificat *Act.* 15. *vers.* 9. ideoque fide obscurata atque minus vigente, ipsamet etiam obscuratur atque marcescit; Verum etiam præcipue, quia Lex jugum tot rituum imponens, qui Israelitas in externo cultu obeundo jugiter detinebat, vix eos de eo cultu sinebat cogitare, qui in spiritu & veritate consistit *Joh.* 4. *vers.* 23. 24.

Hinc facile est colligere, quid de tertio effectu, sit censendum, quem gratia & ira in fidelibus produxerunt quoad intimum sensum atque affectum. Quum enim affectus spei, lætitiæ proportionati sint cognitioni atque fidei, unde promanant, perspicuum est, iis tantum vigoris atque jucunditatis detractum esse per Legem, sub qua adhuc gemebant fideles, quantum ipsi cognitionis claritati atque fidei alacritati vidimus esse detractum. Unde, qui tum dabatur, Spiritus dicitur servitutis ad metum *Rom.* 8. *v.* 15. *Gal.* 4. *v.* 5. 6. Nec poterat non tranquillitatem conscientiæ turbare, dum sacrificia quotidiana commemorabant & veluti exprobrabant peccatum nondum φερωνύμῳ sacrificio expiatum *Hebr.* 10. *vers.* 2. 3. atque ita ab ipsis exigeretur chirographum, quod contra se, ut adhuc debitores, scribere tenebantur *Col.* 2. *vers.* 14.

Manifestum hinc evadit discrimen, quod fuit inter tempus meræ promissionis ab Adamo usque ad Mosen, & inter tempus Legis a Mose usque ad Christum. Quamvis enim & illo tempore peccatum nondum fuerit expiatum, neque lex abolita, neque execratio sublata, imo viguerint etiam sacrificia, atque circumcisio, (nimirum a tempore Abrahami) ea tamen potius gratiam vaticinabantur, cujus umbræ erant; & non nisi indirecte atque oblique monebant de peccato nondum vere expiato. Ut Deus cum Patriarchis istius ævi egerit, non secus ac creditor, qui de debito modestius monet debitorem, & verbis obliquis: Contra quam sese gessit erga fideles sub Lege; a quibus importunius atque rigidius chirographum atque solutionem exegit.

Circa hanc gratiæ & iræ mixturam, quam sub œconomia Mosaica obtinuisse obvium est omnibus æquilibrium tenere, quin

quin aut in excessu aut in defectu peccetur. Præstat tamen hic gratiam ampliare, quam ira, juxta Regulam Juris. *Odia restringi, favores vero convenit ampliari*. Cujus contrarium faciunt Sociniani, qui ita adaugent V. T. rigorem, ut fere nihil gratiæ relinquant. Concedunt quidem concepisse Patres spem vitæ melioris, sed negant, Deum in verbo promissionis solidum hujus spei fundamentum fecisse, Facile autem refutantur ex ipsissima formula promissionis fœderalis: *Ero Deus tuus & seminis tui post te. Gen.* 17. *vers.* 7. Quæ id, quo nihil majus, nihilque melius unquam concipi potest, fœderatis addicit; ipsum scil. Deum omnis beatitatis autorem; interpretante illius emphasin Servatore *Matth.* 22. *vers.* 32.

CANON XV.

Gratia Novi Testamenti plenius est explicanda, quam ea, quæ obtinuit sub Promissione & Lege.

Interpretationis hujus plenioris causa apparet duplex. Prior, quod Promissio mutata sit in exhibitionem; ut juxta verbum Evangelii, res ipsa etiam actu exhibita loquatur. Posterior, quod lex iram operans una cum execratione sit sublata, *Rom. 6. vers.* 14. *Galat.* 3. *vers.* 13.

Quantum ad priorem, manifestum est, Evangelium N.T. quod una rem monstrat actu extantem, & varias mysterii salutis partes simul docet, longe clarius atque efficacius esse, quam verbum promissionis, quod rem non coram sed eminus ostendit, & negotium nostræ salutis non simul & semel, quoad partes atque circumstantias varias manifestavit, sed πολυμερῶς ϰ πολυτρόπως a Deo per Prophetas Patribus est promulgatum *Hebr.* 1. *vers.* 1. Ut Christus ab initio tantum innotesceret, ut Semen mulieris, postea Abrahami, denique Davidis. In Novo autem Testamento Prophetia versa est in Historiam, & promissio in Impletionem, omnesque salutis nostræ circumstantiæ & variæ partes non hinc inde sparsæ, ut magno labore & anxie colligi debeant ex ænigmatibus Prophetarum, sed in re ipsa simul sunt exhibitæ, & verbo Evangelii in plena luce collocatæ.

Quantum ad posteriorem, pariter perspicuum est, abolita lege abolitas quoque simul esse illos Legis effectus, quos Canone præcedente gratiæ effectibus in ipsis fidelibus iram immiscuisse vidimus. Cessant igitur sub Novo Testamento umbræ, *Col.* 2. *vers.* 17. quæ lucem Evangelii atque fidem, tenebras superinducendo obscurabant. Cessant quivis ritus legales, circumcisio, sacrificia, quæ exprobrando peccatum nondum expiatum fidelium conscientiam non parum inquietabant. *Hebr.* 10. *vers.* 1. 2. *Gal.* 5. *vers.* 1. *s.*

Ut autem Novi Testamenti Bona distinctius cognoscamus, ea commode duo faciemus, ad quæ reliqua facili negotio possunt referri; quorum alterum est *meritorium*, alterum vero *efficiens*.

Meritorium est Obedientia Christi ad mortem *Phil.* 2. *vers.* 8. Ex hac fluit *Libertas*. *Jes.* 61. *vers.* 1. *Joh.* 8. *vers.* 36. Cujus duæ sunt partes: I. Jus ad vitam, idque titulo obedientiæ Christi jam consummatæ *Rom.* 5. *vers.* 18. 19. II. Immunitas a reatu *Galat.* 3. *vers.* 13. & instrumentis illius, lege nimirum dogmatum, utpote quam Christus tanquam chirographum nobis subcontrarium cruci affixit *Coloss.* 2. *vers.* 14. cujus consequens est pax cum gentibus *Eph.* 2. *vers.* 14. *seqq.*

Efficiens vero est Spiritus Sanctus uberius, quam olim, effusus *Act.* 2. *vers.* 1. *s.* unde tria bona fidelibus accrescunt respectu trium, quas supra attulimus, mentis facultatum. Nempe

I. *In intellectu* major lux atque cognitio veritatum salutarium; Unde Novum Testam. dies appellatur *Rom.* 13. *vers.* 12.

II. *In voluntate* vegetior fides, atque studium verioris solidiorisque sanctitatis, quæ, non in ritibus externis legalibus, sed maxime in Spiritu & veritates consistit, *Joh.* 4. *vers.* 23. 24.

III. *In sensu* uberior lætitia *Rom.* 14. *vers.* 17. *Jes.* 61. 10. & consummatior conscientiæ quies *Hebr.* 10. *vers.* 1. 2.

Ex his oritur fidelium N. T. quasi status, qui Apostolo vocatur *Gloria* 2. *Cor.* 3. *vers.* 7. *s.* sicut & status fidelium consummatus in cœlis eodem nomine venit.

CANON XVI.

Interpretationem omnium plenissimam requirunt ea, quæ spectant ad futuræ vitæ felicitatem; modo quoad animam, deinde quoad animam & corpus.

Est enim altera vita viæ nostræ meta, atque *fidei nostræ finis* 1. Petr. 1. *vers.* 9. Anima igitur fidelis per mortem liberatur a Lucta peccati, quod in membris stabulatur *Rom.* 7. *vers.* 23. ingreditur pacem ac requiescit in suo cubili *Jes.* 57. *vers.* 1. *Apoc.* 14. *vers.* 13. Consummata vero beatitas differtur in tempus resurrectionis, quo & corpus nostrum humile conformabitur corpori Christi glorioso *Phil.* 3. *vers.* 21. Posteaquam mors tq. ultimus hostis, erit devicta. *Tunc enim fiet illud, quod scriptum est. Ubi tua, o mors, victoria? Ubi tuus, o sepulchrum, aculeus? Deo autem gratia, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* 1. Cor. 15. 54. Etiam veni Domine Jesu. Amen.





JOH. ADAMI GLÆSER
EXERCITAT. PHILOLOG.
DE INSTRUMENTIS
HEBRÆORUM MUSICIS

הנגינוה והנחילוה: *Ex Psalm.* IV. & V.

הקדמה:

CUM Sancta Psalmorum, a Sanctissimo Davide jussu Dei exaratorum, penetralia, oculis animisque perlustramus, certe disceptatio de *Metrica* Eorum *conscriptione*, tot annis inter Philologiæ Consecraneos agitata, nos in stuporem rapit. Modo enim in hoc, modo in illud extremum deflectunt Autores, ast medium tenent pauci. Josephus Scaliger Vir alias insignis eruditionis eo progressus, ut & existentiam & possibilitatem in dubium vocare, imo prorsus negare haud veritus fuerit, *in Animadvers. in Chron. Eusebii p. 6.* quam sententiam tamen ut jejunam, ab Alstedio in *Triumpho biblico* feliciter explosam *p. 262. seq.* legimus. Ad excessum nimis declinasse æstimamus Illos, qui non tantum μετεικόν τι, verum etiam Hexametra, Pentametra & Lyrica carmina in Sacro constituere Codice non erubuerunt. Hanc sententiam post Josephum *Antiquitat. Judaic. L. II. c. ult. l. 10. c. ult.* multos ex Patribus veteribus fovisse, scripta eorum palam faciunt, consule *Euseb.* παρ Ευ, *L. II. c. 3. Hieronymum Tom. III. Epist. ad Paulinum ut & in Præfatione ad Jobum*, qui in priori loco hæc facit verba: *David Simonides noster, Pindarus & Alcæus. Flaccus quoque Catullus atque Serenus, Christum Lyra personat, & in Decachordo Psalterio,*

ab

ab inferis excitat resurgentem. Quid quod? Theodorus Ebertus *Poet. c. 2. p. 39. seq.* versus quosdam hodiernis Judaicis analogos ex *Ps. VI. 2. Ps. VIII. 5. Ps. CV. 20. Ps. CVI. 5. Ps. CXVIII. 25. Ps. CXIX. 30. Ps. CXLVI. 7. aliisque ex locis* exsculpere annisus est. Ast videtur tamen tutam hance controversiam, vel duabus saltem distinctionibus extricari posse. Scilicet distinguendo (1. *inter versus per se tales seu ex intentione conscriptos & per accidens seu casuales*. (2. *Inter Carmina* ἐν πλάτει & καθ' ἀκρίβειαν *metrica h. e. ad leges Poeseos seu Europeæ, seu Orientalis hodiernæ adstricta*. Posterior sensus veritati maxime conformis ac probabilis a nobis æstimatur. Plura si lubet vide *in Dub. Vexat. Magnif. D. Pfeifferi p. 600. seqq.* Non minores difficultates inscriptiones Psalmorum illorum spirare, Lectio accurata nobis suggerit, cum & circa hanc materiam, dubii hæreant Interpretes æque Christianorum ac Judæorum, an certa fuerint instrumenta. Melodiis Psalmorum dicata, an sciagraphicæ saltim delineationes, nervum totius doctrinæ in Psalmis exhibitæ repræsentantes? Quoniam vero nondum invenire licuit, qui ex professo hanc materiam Disputationibus publicis ventilaverit, apud animum constituimus, nonnullis Disputationibus Publicis difficiliores illas Inscriptiones, in quantum ob rei difficultatem fieri poterit, evolvere. Harum Primam proprio Marte elaboratam, in se suscepit *Præeximius ac Literatissimus Dn. Glaserus*, atque ita exponit, ut *primum* ex diversis derivationibus genuinam eruat ac probet, *postmodum* in varias sententias diligenter inquirendo, non quadrantes seponat, maxime autem probabilem eligat ac argumentis Philologicis stabiliat, Deus annuat cæptis.

SECTIO PRIMA.

EXHIBENS Ὀνοματολογίαν.

I. Cum insignem lucem evolutio nominis, in inquirenda significatione rerum Philologicarum, justa exhibeat derivatio, visum est; antequam ad varias accedamus sententias h. e. πραγματολογίαν, aperiamus, quot modis ea tentetur, & quænam reliquis omnibus jussu veritatis præferenda.

II. Non nescimus quidem derivationem genuinam, non exiguam interpretibus fixisse crucem, quod vocem הנחילות סיג לתורה suo לירת notaverit, uti videre licet non tantum ex Masora, verum etiam ex multis aliis Autoribus, *Daudersstad. in Lab. Psalt. p. 41. Sim. de Muis in Psal. V. p. 25. D. Maller. Psal. David. Præl. p. 30.* Altera autem vox הנגינות variis quidem in locis deprehenditur, & præprimis in Inscriptionibus Psalmorum, nihilo tamen minus, quia tot sunt fere diversæ sententiæ in derivanda hac voce, quot modi derivandi occurrunt, Benevoli Lectoris judicio relinquimus, quanta illius sit difficultas.

III. Sunt enim Nonnulli, qui נגינות derivari posse autumant, a Radice נגה splenduit, urgentes: Non infrequens esse, ut ultima radicalis ה ob incrementum per ן accedens abjiciatur. Provocant ad exempla similia v. g. אלון *Es.* VI. 13. quod deducunt ex אלה it: אביון *Deut.* XV. 4. ab אבה, ubi eodem plane modo ה abjecto ן assumeretur. Ne vero & significatio ipsis contradicere videatur, hoc eliciunt tertium ex significatione radicis; quod ejusmodi instrumenta ob superficiem planam ac splendidam lucem sparsissent.

IV. Verum enim vero hanc sententiam vero non adeo congruere, quoad singula momenta ostensuri sumus. Repugnat enim non tantum analogia Grammatica, jubens, ut ה finale in nominibus derivatis vel in י vel in ו mutetur, vel nude sine incremento abjiciatur, vide *Schikard. Horol. ex Buxtorff. Thesauro grammatico p. 40.* Verum denominatio etiam e fundamento nimis remoto, nobis videtur petita, cum specula aliæque

res

res planæ, majorem fundant lucem, nec tamen denominationes ab hac radice aquirant; præprimis cum denominatio sacra, singularem semper urgeat convenientiam, quam argumentum alicujus roboris nominat Magnific. Dn. D. Pfeifferus, Præceptor ac Patronus noster devote colendus in *Critica S. Sect.* II. *p.* 46.

V. Aliis neglecta priori radice, alia arridet sc. geminata גנן *texit*, a qua derivatur מגנה *obtegumentum* Thren. III. 65. simili modo deducunt ab eadem נגינה ita ut in singulari per נ & ה augeatur, postmodum vero una cum vocali in plurali ob incrementum abjiciatur vid. *Cl. Wasmuth. Hebraism. Restitut. Reg.* XIX. Nec ex mente ipsorum abludit significatio, siquidem ab eadem radice suos ducit natales מגן *Clypeus*, cujus formam procul dubio hoc instrumentum musicum exhibuisset. Adjectum autem ab initio נ per exempla legitimare contendunt, in Scripturis esse insuetum, uti probant ex נפתולים originem ducente a פתל *luctari Gen.* XXX. *vers.* 8.

VI. Ast non est, cur huic assertioni assensum præbeamus, siquidem ad extraordinariam viam excurrere in Grammaticis approbata vetat Praxis, ubi ordinaria retineri potest, cum nulla compensatio literæ duplicatæ abjectæ appareat. Significatio autem non adeo conveniens, siquidem illa non a Radice uti Philosophia desiderat immediate hausta, sed a cognati tantum forma extrinseca, quæ magis allusio, quam quadrans derivatio nominanda.

VII. Magis tamen nobis ad palatum illa est sententia, quæ natales suos debere asserit radici נגן *pulsavit*, quoniam non tantum omnem difficultatem grammaticam removet, verum etiam ratione significationis optime quadrat. Datur enim peculiaris species, quæ dicitur Tactilis & comprehedit omnia illa instrumenta, quæ tactu fidium exercentur. Quid? quod consentientes habemus celeberrimos viros sc. Gejerum *in Com. super Psal. pag.* 46. ubi hæc facit verba: בנגינות h. e. *præfecto pulsatilium e Radice* נגן *pulsavit* בידו *manu, quod multis exemplis illustrat*, & Summe Reverendum D. Pfeifferum, *in Dub. Vexat. Loc. L. p.* 643. aliosque quam plures, quorum mentionem infra sumus facturi.

VIII. Alterum vocabulum quod in fronte Dissertationis nostræ deprehenditur, nominatur נחילות, ne vero frustra laboremus, nostrum erit, hujus etiam varias derivationes audire, optimamque seligere.

IX. Nonnulli enim derivari contendunt a rad. נחל *possedit*, itaut in fine adjiciatur ה Heemanticum. Provocant, potissimum ad similem formam np. חחלה. Posito autem & non concesso, quod Analogia Grammatica non reclamet, falsa tamen hæc derivatio nititur hypothesi, quasi נחילות possessionem seu hæreditatem exprimeret, quam infra in Sectione posteriori sumus explosuri. Excipiunt quidem unius radicis sæpe esse significationes contrarias, uti probare satagunt ex radice הלל, quæ in Kal notat *Laudavit* in Piel *Insanivit*, nihilominus tamen ipsorum assertis locum relinquere non possumus, Thesin quidem admittimus seu antecedens, consequens autem seu inde deductam conclusionem h. e. quod hoc precise loco applicari possit, negamus.

X. Alii eligunt radicem חלה *Ægrotavit*, quærentes fundamentum, tam ex significatione seu ritu, quam cognato ipso, quoad ritum deducunt ex Nov. Testamento in usu fuisse apud Hebræos ut coram defunctis ob defectum Campanarum instrumenta fuissent adhibita, uti apparet ex Evangelio *Matth. Cap.* IX. Cognatum nominant מחלה, quod eandem radicem eandemque significationem agnosceret, ita ut ferme Synonymum grammaticum appellari queat.

XI. Sed fundamentum hoc nimis remote adductum esse cuilibet patet. Certe non est mos Scripturæ, ut in deducendis vocibus tales aggrediatur ambages. Quoad cognatum vero puto satisfieri posse distinctione inter cognata quoad sonum & quoad rem, nullo enim modo potest admitti sequela illa quæ arguit a cognato quoad sonum tantum, ad eandem numero radicem, imo infra ostensuri sumus meram esse petitionem principii, cum & hæc vox ab alia radice & quidem נחילות competenti, originem trahat.

XII. Hinc missis omnibus aliis originationibus, hæc nostro judicio videtur accuratissima, quæ נחילות deducit a Radice duplicata חלל, & quidem hoc modo, ut crescat tam ab initio, quam in fine. Robur addit huic sententiæ. 1. *Significatio*, quæ optime quadrat, notat enim non solum *perforatum esse*, sed etiam *tripudiare ac saltare* uti ושירים בחללים *Psalmo* LXXXVII. 7. it. לחול *ad saltandum Jud.* XXI. *vers.* 21. in Piel *tibiis cantare* v. g. בחללים מחללים. Accedit 2. *Cognatum* חליל notans *tibiam*, *Fistulam*, unde Rabinorum חלול it. מחול, quod vocabulum maximam urget convenientiam. 3. *ex forma pari*, sicuti enim non repugnat analogiæ grammaticæ a חלל derivare תהלה; Simili modo a

הלל deducere possumus נחילות. Videtur quidem hanc sententiam non adeo ad palatum esse Cl. Buxtorfio, qui in *Lexico suo Hebræo-Chaldaico* hoc suppediat judicium. Eodem modo ab hac radice deducunt נחילות pro נחילות, at forma grammatica repugnat vid. *in rad.* נחל: qua ratione vero repugnet, non apparet.

SECTIO II.

EXHIBENS Πραγματολογίαν.

EXhibita nunc qualicunque vocis explanatione, ad rem ipsam propius accedamus necessum est, ne vero ἀμεθόδως procedamus, animus est, peculiares constituere Classes, secundum quas Autores ordinare, illorumque sententias perlustrare valeamus.

II. Non quidem adeo solliciti erimus de illis, qui neglectis rationibus probabilibus, quoad utrumque vocabulum ἐπέχειν arripiendum censent, quo referre volumus præter alios *Versionem* etiam *Anglicam ac Gallicam*, quarum illa vocabulis plane invariatis, ita transtulit: *To the chief musican on Neginoth A Psalm of David*. Et in quinto Psalmo: *To che musican up on Nehiloth A Psalm of David: vid: Biblia Anglicana Printed Anno* 1682. *impressa*. Gallica vero ita expressit: *Pseaume de David Baille au maistre chantre pour le chanter sur Neguinoth.* & in Psalmo quinto: *Pseaume le David baille au maistre chantre pour le chanter sur Nehiloth: vid. Biblia Gallica A Genevè* 1605. *impressa p.* 248. *fac. a & b*: Sed potius diversis sententiis pensitatis, maxime quadrantem eligere volumus.

III. Prima igitur sententia est eorum, qui minime pro instrumento musico militant, sed potius initium carminis fuisse existimant, ad cujus tonum Psalmus hic fuerit decantatus, in qua sententia etiam deprehenditur R. Aben Esra, cum quo multi alii faciunt. Simile prædicat de nonnullis idem efferentibus de vocabulo מחלת Buxtorffius *loco cit.* & עלמות לבן. Verum, quod priorem concernit probationem ex מחלת illam non satis firmo niti talo putamus, siquidem rectius refertur ad radicem חלל, propter affinitatem significationis & literarum. Quod posteriorem concernit, in se quidem veritas ipsi non deroganda, attamen concludere ab hoc exemplo ad aliud diversissimæ significationis non erit licitum; præprimis, cum repugnet sensus, ponitur enim vox in Regimine, adeoque nulla maneret connexio, si nudam denotaret melodiam. Vid. Dn. D. Pfeifferum in *Dub. Vexat. Loc.* LIII. *p.* 651. *qui exemplo* אל תשחת *probat Psal.* LVII. conf. Alstedius *Triumph. Bibl. p.* 151. Kirh. *Musurg Tom.* I. *l.* 2. *c.* 5. *p.* 59.

IV. Secunda sententia est eorum, qui ad Accentuationem excurrunt, asserentes intelligi h. l. Cantionem secundum musicas notas consuetam, de qua vid. Buxtorf. in *Lex. Rab. Talmud p.* 198. Ast quam falsa hæc sententia non solum demonstravit *Bohlius de Minist. Accent. Metric.* §. 21. his verbis: *Ego autem non credo, nam fidem mihi non faciunt salebrosi Cantores, qui miserere mei Deus, de profundis clamavi* &c. *conformant ad Courandam Gallicam vel aliam Cantiunculam impuriorum histrionum*, verum etiam sæpe citatus Excell. Dn. D. Pfeifferus ultimatam exhibet ἀνάλυσιν mediante distinctione sc. *Accentus expresisse sonos non qua tales & formaliter*, uti putant Judæi, qui totam Scripturam Sacram tam misero carmine disperdunt, ut omnem Catulorum Chorum concinuisse dicas, quæ sententia inde absurditatis convinci potest, quod hac ratione idem cantus tribuendus sit textibus jubilatoriis & ejulatoriis; *Sed saltim accidentaliter direxisse sonos, ratione intentionis & remissionis, mensuræ interjecti silentii* i. e. indicasse, quando intendendus cantus & remittendus, quando & quamdiu continuandus sonus, quando intercipiendus pausa, vel aliter.

V. Tertiam sententiam communissimam ac speciosissimam illis adscribimus, qui de Instrumento Musico interpretati sunt, quale vero præcise intelligendum, valde discrepant inter se Autores; Alias in genere ita dividuntur Musica instrumenta Hebræorum sc. *Polychorda* seu *Fidicina*, quæ manibus tangebantur, & alio nomine dicebantur *Tactilia; Pulsatilia*, quæ bacillis tacta, ut tympana, cymbala, & *Pneumatica*, quæ inflata sonum edunt ut tibia, tuba, vid. Bak. *Com. super Psal. p.* 23. Athan. Kircherus *Lib. de usu instrum. Hebraic. ap. Hebr.* §. 4. *& in specie de Musica Davidis* §. 5. *usque ad* 84. qui rem clarius deducturus, ad specialia descendit instrumenta, quæ excerpta nobis exhibent supra laudati Dn. D. Pfeiferi Dub. Vexat. l. c. *Neginoth* seu instrumentorum, quæ manu a plectro tanguntur, has facit species sc. 1. עשור *Psalterium* seu *Decachordum* 2. נבל *seu Nablium*, 3. כנור seu *Cytharam* & 4. מחול seu נבל מנים fuit Instrumentum fidicinum fidibus 22. in tres octavas diremtum, instar Trapezii formatum עשור Chordis decem constans, כנור ad hodiernæ Citharæ similitudinem fidibus 32. accessit, מחול sex fidibus violam hodiernam

nam repræsentavit, מנים 3. aut 4. fidibus constitisse & ad chelyn proxime accessisse, autumant. Species τῶν κρȣςῶν *seu pulsatilium* fuerunt 1. תוף *tympanum*, de quo Kircherus disputat an habuisset formam Systri Ægyptii annon? *Tom.* II. *p.* 185. 2. עצי ברושים i. e. *lignum abiegnum*, simile mortariolo, in cujus medio fuerit manubrium parvum & in duobus Capitibus eminuisse nodos, quasi grandine guttatos &c. vid. ibid. plura. 3. מנענעים fuisse *tabulam ligneam quadratam*, in cujus capite manubrium apprehensivum, oppositum, supra tabulam fuisse globulos ligneos aut æneos, Catenæ ferreæ, vel etiam supra tabulam extensæ chordæ, ex Cannabi insertas, percussaque tabula, globulos illisos, tum inter se, tum cum tabula sonum edidisse ex remoto perceptibilem. Species instrumentorum *Flatilium seu Pneumaticorum* sunt 1. *Organon*. 2. משרוקאא quod cum *Syringe seu Heptaulo Panor convenit*. 3. קרן *cornua seu Cornette*. 4. אבוב. 5. הליל *tibia*, figuras vid. in Kirchero *cit. loc.* & Dub. Vex. *l. c.*

VI. His ita enucleatis observandum Alios urgere, fuisse nomen generale respectu omnium instrumentorum tactilium, Alios vero speciale intelligere instrumentum. Posteriorem Sententiam inter alios etiam tuetur D. Mollerus *in Psalm.* IV. *p.* 23. dicens; poni quidem nomen generale, denotari tamen speciem distinctam, uti probare satagit ex 1. *Paralip.* 2. in quo loco per *Cytharam* explicatur & *versione* LXX. *Virali*, quæ eodem modo transtulisset. Lyranus & Valentia per *organa* exponunt, tanquam distinctum instrumentorum genus. Eugubinus *Lyrica* vocat *instrumenta*. Arias Montanus & Mariana nominant *Psalmos* 70. *fidium* vid. de his omnibus Lorinum in *Psal.* 4. *p.* 12. Ast non videmus, quomodo nos in assensum trahere valeant, siquidem nec ex voce ipsa, nec ritu ullum assertionis fundamentum subministrare possint. Hinc in Eorum potius inclinamus sententiam, qui נגינה per vocabulum generale respectu omnium instrumentorum Tactilium, & fidibus constantium exponendum censent, præprimis cum hæc assertio non destituatur rationibus, & quidem stabiliri potest 1. a *significatione generali Etymi*, quod in suo conceptu formali nihil aliud, quam *tangere ac pulsare* respectu instrumentorum fidibus constantium, notat, uti provocamus ad inductionem, 2. *ex circumstantiarum* seu *subjecti conditione*, si enim למנצח notat juxta consensum modernorum Philologorum Victorem seu Directorem Capellæ, certe jejunus emergeret sensus, quia hoc officium vix denominatur ab uno instrumento speciali. 3. a *generali locutione*, ponitur enim in plurali forma, quæ connotat multitudinem cujus singularis erit נגינה, de cujus usu testatur Kircherus *in Musica Davidis & inscriptionibus Psalmorum p.* 48. item Autor *Schilte Gibborim cap.* 4. 4. ex ὁμοψηφέα magnorum Philosophorum æque ac Theologorum, inter quos eminet autoritas Excell. Pfeifferi, qui in *Dub. Vexat. Loc. L. p.* 643. hanc facit decisionem: נגינה *est nomen generale omnium instrumentorum fidibus constantium & Tactilium, ut*, נבל. עשור. מחול, & כנור. Huic adjungimus *Buxtorff. in Lex. Tal. Rabb. loc. cit.* qui ex cognato Chaldaico לשבחא בנינחא deducit *p.* 198. Gejerum, qui transfert in pulsatilibus h. e. uti semetipsum egregie explicat præfecto pulsatilium (pergit,) est *enim nomen plurale a singulari*, נגינה, *quod est instrumentum* ψηλάφηλον, *ceu patet e Radice* נגן *pulsavit* בירו *manu Ps.* 69. 15. *Psal.* LXXVII. 7. *Job.* XXX. 9. *Thren.* III. 14. *Jos.* XXXVIII. 20. *Habac.* III. 18. *Quale fuerit hoc instrumentum* (addit) *non definitur, tactu autem motas fuisse fides, satis probabile creditur* vid. *Comm. ipsius laudatum pag.* 46. nostrum Luther. qui in genere transtulit ein Seitenspiel. His subnectimus Edvvard. Leighii *Cri. S. p.* 135. ubi in explicatione Radicis נגן sequentia facit verba: *Notat manu pulsavit fides. Nomen* נגינה *inde deductum significat instrumentum musicum, quod pulsatur digito vel plectro* 1. *Sam.* XVI. 24. *Nam* (pergit) *vocabulum hoc generale est, comprehendit omnia instrumenta musica fides seu chordas habentia, quæ digitis pulsari possunt. Opposita sunt Nebiloth seu pneumaticis ventu seu flatu tractandis*. Cum hoc facit Bakius in *Com. ad Ps.* IV. *p.* 75. qui probat ex Buxtorff. quod שר ore canere, נגן vero instrumentis musicis, notet. Consule Robert. Bellarm. *Comment. p.* 18. Lorin. *ad hunc locum p.* 52. qui recensitis variis sententiis subnectit נגן *est pulsare instrumentum musicum fidibus constans*. In hanc sententiam maxime propensum fuisse Guil. Amesium *ad Psalm.* IV. *quæst.* 1. *p.* 28. patet ex inscriptione, quam his concepit verbis: *Magistro Symphoniæ fidium*, adde Luce Lossii *Comm.* qui transtulit *in fidibus p.* 13. & Joh. Bugenhagen *ad loc. cit. p.* 16.

VII. Tantum autem abest, ut approbemus eorum assertum, qui vocabuli hujus significationem ad instrumenta æque pulsatilia, ac omnia alia sine electione, sive tactilia, sive pulsatilia, sive flatilia sint, accommodare haud erubescunt, ut po-

potius ad sola Tactilia restringamus. Huic sententiæ addictum deprehendimus Gilbertum Genebrardum *Lutet. Hebr. Prof. Reg. Parisiensem in Com. ad Psal. Davidis pag.* 30. Cajetanus huic etiam favet sententiæ, quando ita inquit: נגינות *an sint instrumenta, an specialis modus musicus, incertum est. Ideoque in genere melius vertitur in modulationibus*. Titelmannus, Felix, ac Symachus in genere vocant *Instrumenta*, teste supra citato Lorino *pag.* 52. Quin & Luth. non adeo remotum fuisse ab hac acceptione videre est ex *Tom. II.* Islebiensi quamvis alias transtulit Seiten-Spiel *pag.* 35. ubi verba ita fluunt: Die Psalm in Neginoth hat man ohne Instrument nicht singen dürffen/ ja in hohen Festen und zur Freude nahm nahm das Tetrachordum, an einen gemeinen Tag aber und zur Trauer das Octochordum dazu gebraucht worden/ ist also unser Psalm ein Chorstück/ welches figuraliter gesungen worden. Ore & instrumentis sicut נגן est latinum gannio, gähnen/ quia cum fortiori musica multis vocibus passim gannientia quasi ora videntur, es prasselt wunderlich durch einander/ und haben alle offene Mäuler/ ob man gleich eines von des andern Stimm nicht unterscheiden könnes.

VIII. Expedita nunc voce נגינות, nostrum erit varias sententias vocis נחילות addere una cum determinatione, siquidem hoc loco etiam Autores in diversas abeunt sententias. Prima sententia est Eorum, qui exponere amant de hæreditate piorum. Fundamentum quærunt tam in Radice נחל, quam in *Psalmo* XXIX. *vers.* I. ubi eadem prorsus adhibeatur vox. Varias autem hujus assertionis dant rationes; vel ob hæreditatem vituli aurei. *Exod.* XXXII. *vers.* 10. *Num.* XXI. *vers.* 20. vel quia נחלו possidebant Deum verum, qui portio populi erat, vel ob flumina, quæ dedit populo in deserto, vel Sanctuaria, quæ inter נחלה referuntur. Plura haberi possunt ex Gejero *l. c.* His patrocinari videtur LXX. *Versio*, quæ transtulit ὑπὲρ τῆς κληρονομούσης, h. e. pro hæreditate, & *Latina Vulgata*, quæ habet, pro ea, quæ hæreditatem consequitur. Vid. Sim. de Muis *Psal.* IV. *p.* 19. Hos sequitur Dauderstadius in *Labor. Psalter. p.* 41. in hæc erumpens verba: *Nos simpliciter retinemus mentem & interpretationem Luth. a radice* נחל, *accepit hæreditatem*, quod probat exemplo terræ Canaan, autoritate Versionis LXX. & Hieronymi, qui dicit: *Victori pro hæreditatibus*. Gesnerus *in Psalmos Vol.* 43. desumtum putat hoc vocabulum ex *Psalmo* II. *vers.* 8. ubi duplicis hæreditatis fieret mentio, scilicet Filium Dei accepisse gentes terræ & fines orbis terrarum h. e. (ut ipsemet explicat) Ecclesiam ex Judæis & gentibus collectam. Tandem urget significationem particulæ אל, quod vis inferatur ipsi, non enim significare super, uti על sed ad; Carmina autem non luduntur ad instrumenta, vel de instrumentis, sed super instrumentis ad aures audientium decantantur. Eadem eodem ferme ordine conscripta legi possunt argumenta in Bak. *l. c. p.* 86. modo, quod argumentum ab Autoritate Luth. *ex Tom.* II. *Islebiens. fol.* 30. 32. addat. Bellarm. hanc explicationem sequentem in modum defendere annisus est: *Hic titulus varie exponitur propterea, quod in Hebræo quædam vox est* נחילות, *quam Rabbini & qui Rabbinos sequuntur, volunt esse instrumentum musicum, sed a Catholicis omnino rejiciendi sunt, cum Hieron. Hebrææ linguæ peritissimus verterit pro hæreditatibus, &* LXX. *adhuc peritiores, & quibus lingua Hebrææ patria erat, verterint pro ea, quæ hæreditatem consequuntur, & verba Hebræa omnino has interpretationes recipiant. Siquidem* נחל *hæreditare significat*, נחלות *hæreditates. Credibile igitur Textum Hebraicum tempore diuturnitatis unam vel alteram literam, immutatum peperisse, sed in re dubia* LXX. *interpretibus fides magis habenda, quam recentioribus Rabbinis, præsertim cum S. Hieron. versio magis faveat, quam Rabbinis, tandem addit contextum, nempe loqui h. l. Spiritum S. de hæreditatibus fidelium i. e. Deo.*

IX. Sed nec horum argumentorum Robur tantum est, ut nos in assensum movere queat, 1. enim, quod significationem particulæ אל concernit, illius significatio h. l. non est absurda, siquidem æque *pro* ב *in*, ac pro על *supra* in scriptis Hebræorum adhibetur, teste Viro in hac literatura versatissimo Cl. Buxtorffio in Lex. Hebr. Chaldaic. *pag.* 27. Nec 2. sequela est justa, quia unum cognatum hanc habet significationem, Ergo etiam hoc, præprimis cum absurdam illam recurrat sententiam de immutatione literarum, quæ Papisticam sapit hypothesin, quasi Scriptura S. non sit integra. Porro 3. nec autoritas Hieron. nec LXX. Viralis versio autoritate sua quicquam valebit, quia hujus vitia virtutes absorbent, nam infinita παροράματα orta, tum e confusione & neglectu Elementorum, tum integrarum vocum ac phrasium distractione, diversarum conjunctione, imo & loca quædam studio mutasse dicuntur ut 13. illa de quibus Talmudistæ in *Megilla c.* 1. *fol.* 9. cujus rei culpam quidam in eorum Codicem, quidam in ipsos Autores ceu Hebraismi rudiores conjiciunt, sunt

sunt verba Magnifici Dn. D. Pfeifferi *in Crit. S. C. II. de Versionibus græcis* §. 12. *p.* 451. qui provocat ad Hottingeri *Thesaurum L.* I. *c.* 3. *Sect.* 3. *quæst.* 5. Sixtin. Amama in *Antibarbaro biblico L.* I. *C.* 22. *gen.* I. Imo, dubitant adhuc multi, ob supra adductas rationes, veram versionem LXX. viralem adhuc hodie superesse, sed esse tantum supposititiam, uti videre licet ex Calovii *Crit. S. pag. 606.* Glass. *Philol. S. p.* 41. Buxtorff. *de antiqu. punct. p.* 121. Wasmuth *Vindic. Hebr. p.* 118. Wovver *Synt. de* LXX. *Interpr.* Illius autem nempe Hieron. iisdem etiam scatet vitiis, scilicet Grammaticis uti Hunnius Bellarmino demonstravit *Lib.* II. *c.* 14. Historicis, Topographicis, Chronologicis ac Theologicis, uti videre licet ex Waltheri *Officina Biblica p.* 343. Præprimis, cum non semper ex Hebræo suscepta sit translatio, sed vel ex LXX. virali versione vel aliis compilata, Judice Excell. Pfeiffero *loco cit. p.* 454. Tandem 4. non ignoramus quidem ipsum Luth. favisse huic sententiæ, interim tamen citra injuriam in rebus non ad fidem spectantibus, discedere ab ipso possumus vid. *loc. cit. p.* 478.

X. Secunda sententia per exercitum exprimere cupit, in qua sententia est Rabbi Schelomo Jarchi, negans sonare hoc vocabulum hæreditates, sed idem esse affirmat, quod exercitus, quoniam ipsius Synonymum esset נחיל, h. e. turma seu cœtus, uti probare satagit ex *Psal.* XVIII. 5. 2. *Sam.* XXII. 5. quæ vox ex collatione versionis Chaldaicæ nihil aliud esset, quam Cœtus seu turma. Existimat autem hunc Psalmum exhibere orationem, contra exercitus hostium Israelitas oppugnantium, esseque conscriptum a Rege Davide, tanquam viro divinitus illuminato, nomine omnium Israelitarum. Plura vid. in Bak. *Psal.* V. *p.* 86. Lexic. Reg. *fol.* 67. Simeon de Muis *p. c.* Sed omnia frustra, quia ex consideratione antecedentium & consequentium sole meridiano clarius patescit, hunc sensum nullo plane modo assumi posse. Deinde posito & non concesso primariam Psalmistæ esse intentionem Israelitarum persecutionem delineare, nondum tamen firma apparet sequela, quod vel qua ratione hoc unico vocabulo indigitetur.

XI. Ultima tandem sententia, quæ inter Philologos pariter ac Theologos principatum tenet, hæc est, quod נחילות omnium optime per instrumentam musicum, & quidem non Tactile, uti Munsterus, qui per Cytharam est interpretatus, sed Pneumaticum seu inflatile efferri queat. Hoc assertum quod & nobis non displicet corroboramus 1. *a convenienti Etymologia* supra exhibita, descendit enim a Radice חלל, quæ radix tum quoad literas, tum significationem egregie quadrat. 2. *a Cognatis* nempe נחיל, quod apum notat examen ejusque sonum, hocque modo similitudinem soni urget & מחלת, quod simile notat instrumentum consentiente Buxtorff. *in Lex. Hebræo-Chald. l. c.* (3. Ab *improbabilitate oppositarum sententiarum*, quæ cuilibet in quantum possibile fuit, annexa. 4. A *consensu plurimorum Philologorum*. E Rabbinis a partibus nostris stare deprehendimus Rabbi David Kymchi & cum hoc R. Hay apud Kymchium hæc verba: *Est instrumentum musicum cujus vox similis est* לרשיקת דבורים *susurro apum R. Sal. Ben. Mech. in* שם נגון היה ידוע יופי אצלם מכלל ורבינו האיי"ל פירש המלה מלשון נחיל של דבורים כדברי רבותינו ז"ל רוצה לומר כי נגונו היה דומה לשריקת דבירים: vid. Gejerum *loc. cit. p. c.* E Christianis consentientes habemus Edvvardum a Leigh *in Critic. Sacr. ad Radicem* חלל expressis asserentem vebis נחילות esse instrumenta musica Pneumatica, uti fistulæ, tubæ, buccinæ, quæ sonum edunt instar torrentium. In Testimonium vocat Foord & R. David Kymchi, Grotium & Menochium omnes in eo consentientes, fuisse instrumentum musicum ex soni similitudine, quem edunt apes vel torrentes ita dictum. Huic subjungimus D. Mollerum, qui in *Prælectionibus ad Psal. l. c.* ita inquit: *Alii* נחילות *judicant esse nomen instrumenti musici, in quam sententiam eo lubentius inclino, quod Paraphrastes Chaldæus reddiderit* לשבאל הנגיב & *quod Magistris Hebræorum vox* נחיל *significet examen apum, vel strepitum, vel susurrum, quem edunt apes volitantes, vel torrentes ex altiori loco in subjectas valles decurrentes edere solent, facta esse, appellatio videatur p.* 23. Hanc sequitur Lucas Osiander *l. c. p.* 19. Guilielmus Amesius *Lection. in Psalm.* V. *p.* 37. Qui ita informat inscriptionem: *Magistro Symphoniæ ad Pneumatica instrumenta.* Et Lucas Lossius *in Annot. ad l. c. p.* 15. נחילות dicens, *significat instrumentum musicum, in quo Psalmus decantandus*, ubi Felicem tanquam consentientem allegat. Sed tam ob Instituti rationem, quam materiæ difficultatem filium abrumpimus, ideoque בילאו.

JOH. GABRIELIS DRESCHLERI
DE
CITHARA DAVIDICA
DISSERTATIO.

QUemadmodum saepe res teterrima, foetida ac deformis suos habet basiatores: ita inveniuntur non raro, quibus res elegantissima vix diobolaris aut titivillitio emptitanda videtur. Tale fatum experta est Musica, quæ multis ἀμούσως ac intempestive ex hominum societate aut sacris conventibus eliminanda visa est. Cujusmodi μουσαπολετὴρ καὶ μισόμουσος Alcibiades (1) traditur; qui tibias non modo abjecit infregitque, sed & omnium deinde Atheniensium consensu disciplinam tibiis canendi abrogavit. Ægyptii (2) antiquiores juventuti Musicam rem ut pestilentissimam, ne sc. effoeminata redderetur, interdicebant. Quibus nescio an æquior Musicæ æstimator fuit Demosthenes (3) Mitylenæus, qui limen cujusdam Nobilissimi Citharœdi prius attingere noluit, quam data fide, quod *Citharam* suspendere, & a pulsatione abstinere vellet. Talis osor Antæus Scytharum Rex fertur, (4) cui equorum hinnitus suavissimo Musicæ concentu fuit dulcior: & adeo *habuit aures a Musis abhorrentes & animam in præsepiis equis, imo asinis audiendis aptiorem*; quod elogium (5) Salmuth addit. Talis Gelon princeps (6) Syracusanus, qui in ipso convivio equum adduci jubebat, cui insideret; atque præsentes rideret Musicos: talis (7) Dionysius, qui, cum citharœdo alicui per aliquot dies auscultasset, poscenti debitam pro labore mercedem salse respondebat, sufficiens hoc esse præmium, quod auscultasset, voluptatem voluptati referens. Tales incolæ insulæ (8) Jasso, qui cum aliquando peritissimo operam darent citharœdo in foro, & interea campanæ sonus, quo pisces venum esse expositos indicabatur, ederetur, solum illum ibidem relinquebant: Tales & alii complures commemorantur a rerum Scriptoribus. Imo & nostro ævo Calvini proles Templis Musicam exesse mavult, utpote rem (9) ad infantum saltem vagitum molliendum aptam, Baalisque insigne. Ast brutam ac belluinam potius, quam humanam hanc esse oportet indolem, imo pejorem: Sane & equos apud Sybaritas harmonico concentu affectos saltasse (10) Athenæus scribit. Et quis ignorat multo animosiores in bello equos & milites Musicæ sono effici? Melius adeoque ferunt judicium judicii & ingenii Principes Plato, Aristoteles (11) & Pythagoras (12) omnibus eam ætatibus, maxime vero juventuti, ut gravia studia honesta voluptate leniret, commendantes. Et quid multis? referti sunt & Gentilium & θεοπνεύστων virorum libri laudibus Musicæ: commemorantur hinc inde ejus effectus: recensentur Instrumenta multa & varia; quorum omnium primas ferme tenent *Orphei & Davidis Cithara*. Enim vero Orpheo id legimus attributum a poetis, quod suavisonæ Citharæ concentu fera hominum corda mitigarit, agrestes mores expoliverit, & bruta, sensusque expertia saxa traxerit De eo enim Virgilius (13) deprædicat.

> *Mulcentem Tigres, & agentem carmine quercus*

Horatius ita canit:

> *- - Vocalem temere insequutæ*
> *Orphea sylvæ.*

Licet Orpheum Aristoteles doceat nunquam fuisse, quod etiam Justinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Origenes & alii suspicantur. Sine dubio enim Diabolus ex singulari suo artificio Orphea Davidicæ gloriæ quasi pennis vestitum voluit, sicut alias ex veris sanctorum Dei virorum historiis mendacissimas concinnare solitus est fabulas. Eam ob rem celeberrimus Ursinus (14) per integrum caput erudite veram Davidis gloriam Orpheo datam vindicat. Quare *facessat Orpheus cum sua Cithara!* dicimus cum Gregorio Nazianzeno; (15) Citharœdum Davidem sistimus,

> *Quem non carminibus vincet, nec Thracius Orpheus.*

Si enim Hebræorum Magistris fidem habemus, Citharæ non solum pulsandæ artifex fuit David; sed XXXVI. Instrumentorum Musicorum artificiose pulsandorum (quot genera in Sanctuario fuisse tradunt) notitiam habuit, ceu ex R. Saadia & Schilte Haggibborim refert Kircherus. (16) Non tamen impræsentiarum

rum *sola ejus Cithara* mentem nostram oblectabimus. Deus conatus nostros adjuvet!

Ne autem legentis animus diu hinc inde fluctuans detineatur, totum discursum *hac Descriptione*, tanquam in nuce exhibemus:

Cithara (§. 1. 7.) *Davidica* (§. 2. 6.) *fuit Instrumentum Musicum* (§. 8.) *ex ligno, chordis, aliisque ad id pertinentibus* (§. 10.) *ab artifice in usum Davidis* (§. 9.) *apte formatum*, (§. 11. 12.) *ad leniendam tristitiam*, (§. 13. 16.) *excitandum pietatis ardorem*, (§. 14. 17.) *& lætitiam testandam*, (§. 13.) *ob specialem effectum malum Spiritum a Saule amoliendi* (§. 18. seq.) *celebre*.

I. OBscura plane & explicatu difficilia esse Instrumentorum Musicorum nomina, quæ tam in universo Sacro Codice, tum vero in psalmis, & eorum ἐπιγραφαῖς leguntur, nemo facile inficias ibit: Fatetur id ipsum haud obscuri nominis Hebræorum Magister Aben Esra, qui ad voces צלצלי שמע *Psal.* CL. 5. ita scribit: אין דרך לדעת אלה כלי הנגונים כי כלי לנגונים הרבה ימצאו בארץ ישמעאל ואנשי ארום לא ראום גם יש בארום כלים לא שמעים חכמי ישמעאל i. e. ut celeberrimus Hottingerus (17) vertit: Nulla nobis ratio est cognoscendi hæc Instrumenta Musica, multa enim talia reperiuntur apud Ismaelitas (Muhammedanos) quorum notitia nulla est apud Edumæos (Christianos) & vicissim Edomæi habent Instrumenta, de quibus nihil audiverunt sapientes Ismaelitarum.

II. Sed quanto res difficilior, tanto magis opera adhibenda est, ut omnis obscuritas, ceu nebula quædam, discutiatur. Cui non parum inservit enodatio Nominis. Est autem mira circa originem hujus vocis varietas, adeo, ut huc sit trahendum istud (18) Hebræorum לא שוות כל אצבעות חכמים: i. e. non omnes digiti eruditorum circa hoc sunt æquales. Id forte affirmare licebit, proxime hanc vocem deducendam esse a Græco κιθάρα, quæ, ut Eustathius ex antiquis tradit, dicta putatur quasi ἡ κινοῦσα κεύθουσα ἔρωτας, movens vel occultans amores, sed allusionem hanc esse, non derivationem, tam clarum est, quam muscarum tum esse plurimum, cum caletur maxime. Martinius (19) mavult originem Chaldæo כתר adscribere, quod notat *circulum*, *ambitum*, quod Citharæ venter, quo sonus redditur, in circulum plerumque factus est. Alia vox *Dan.* III. 5. non ita aliena a κιθάρα extat, scil. קיתרס quam tamen ex Græco sumptam esse verisimile est. Hinc Buxtorfius (20) existimat, cum י scribi, quasi legendum sit קיתרס κιθάρα, præprimis cum & R. Saadias per Hebr. כנור explicet. Utitur etiam voce hac interpres Chaldæus Cohel II. 8. ubi Salomo meminit cantorum atque cantatricum: *Feci*, inquiens, *in domo sanctuarii instrumenta Musica ad psallendum iis, vel ut psallerent iis Levitæ ad oblationes*, וקתרסין *& Citharas & organa* &c. Angelus Politianus (21) scribit: Græca, Latinaque Organorum nomina, quanquam paulo corruptius, a Chaldæis autoribus usurpari: quod ex cit. Danielis loco probat. Prolixius autem id declarat Illustre Literarum Decus Drusius in Animadv. (22) qui ut alias, ita & hic meretur videri. Planissima itaque, & convenientissima derivatio est, quam Becmannus (23) tradit, & deducit ab ipso Hebræo כנור aut Fœm. כנרה, licet (quod obiter observo) in singulari hoc nunquam ita in Scriptura Sacra extet. Davidica hæc Cithara vocatur a Possessore & motore Davide Citharædo in Sacris Celebratissimo, & Ecclesiæ Dei, ut Hieronymus vocat, Pindaro, qui nomen non sine omine habuit: Dictus enim est דוד a דוד *dilectus*, *amabilis*, cum revera a Deo fuerit dilectus.

III. Præterea vox Citharæ ambigua est, diversoque significatui obnoxia: Etenim sæpe significat στῆθος, superiorem partem thoracis usque ad jugulum: ab hac enim corporis humani parte figuram Citharæ sumtam eique initio similem fuisse, tradit Isidorus, (24) quod veluti vox de pectore: ita & ipsa Cithara cantus ac sonus ederetur. Nonnunquam sumitur pro ipsa Musica & Harmonia, ut in illo Virgilii (25):

> *Augurium, Citharamque dabat, celeresque sagittas.*

Quo sensu & Græcum κίθαρις ab Homero (26) usurpatur, quando canit:

> Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη κίθαρίς τε χοροίτε.

Pro statu felici & læto apud Jobum *cap.* XXX. 31. poni, vult Ravanellus. (27) Sed usitatius instrumentum notat Musicum ex eorum genere, quæ nervis seu chordis intenduntur.

IV. Huc diversa constructio & copulatio, quam ex Sacro Codice hausimus, non incommode spectat; Semel effertur cum Epitheto, sc. *Psalm.* LXXXI. 3. ubi כנור נעים *Citharam jucundam* vocat Rex David, ad exprimendum effectum, *Es.*

XXIV.

XXIV. 8. in regimine extat, h. m. משוש כנור *gaudium Citharæ*, h. e. juxta Glassii (28) Regulam; Læta, vel lætificans Cithara. *Pf.* XLIX. 5. ænigma David cum cithara conjungit, dicens: חירתי בכנור אפתח *aperiam in Cithara ænigma meum*. Ubi tamen voce ænigmatis non tam respectus habetur ad obscuritatem, quam ad gravitatem; ceu ex collatione locorum probat Dulce Literatorum Decus Dn. D. Gejerus; (29) Licet aliter Belga: Ick salmyn verborgen Reden openen op de Harpe. *Ezech.* XXVI. 13. cum vocula קול habet vicinitatem, קול כנוריך h. e. *vox Cithararum tuarum*, quo in loco קול non pro articulata voce; sed pro concentu & sonitu sumendum est; sicut & de aquarum strepitu usurpatur *Ezech. l.* 24. Conjungitur insuper frequentissime in Sacris cum aliis Instrumentis Musicis, maxime cum נבל, quod Judæi Germani *Panduram* interpretantur. Hæc duo Instrumenta decies sociata in Scriptura S. inveni, ut *Pf.* LVII. *verf.* 9. *Pf.* XXXIII. *verf.* 2. *Pf.* XCII. *verf.* 4. *Pf.* CL. *verf.* 3. I. *Reg.* X. *v.* 12. I. *Chron.* XV. *v.* 28. I. *Chron.* XXV. *verf.* 6. ibid. *verf.* I. II. *Sam.* VI. *verf.* 5. *Nehem.* XII. *verf.* 27. Adderem plura, nisi intra brevitatis cancellos nos detineret instituti ratio.

V. Progredimur nunc ad *Synonymiam*, qua aliis quoque nominibus Cithara effertur: Vocatur enim Psalterium seu ψαλτήειον, quod & Magadis olim ab Apollodoro, testante (30) Athenæo dicebatur: it. Lyra: Suidas appellat Sambucam, (quod genus instrumenti trianguli leviori carminum generi, ut Porphyrius scribit, adhiberi solebat; & nomen habet, ceu existimat Diomedes, a Sambyce inventore, unde & *Sambyx* ab aliis dicitur.) Græcis indifferenter dicitur κιθάρα & κίθαρις: Aristoteles vocat τρίγωνον, a triangulari forma: Rhodiginus (31) Organum, (quod quidem generalius dictum) Hebræis est כנור, Chald. כנר & כנר a quo longum, quod literas attinet, abit Germanorum Harpffe vel Harffe. Subtilissimus (32) Scaliger *Harpam* dicit, dum Æthioparum denominationem exprimit: Æthiopas, inquiens, Troglodytas etiam nunc eam, quam vocamus Harpam, nominare *Mozanc David*, tenendum. Sed & Græco Livio, ceu Hieronymus Josephum (33) vocat, κινύρας nomine Cithara venit. Licet Becmannus, qui scribi mavult *Ciniram* vel *Cinyram*, existimat, hoc fuisse instrumentum ad querimonias & lamenta comparatum, ita ut verbo κινύρομαι, quod significat, *querula, lugubri & lamentabili voce queror*, nomen debeat. Verum enim vero, si exclusive hæc intelligit, repugnat ei locus I. *Maccab.* IV. 54. ubi templum renovatum dicitur ἐν ᾠδαῖς, καὶ κιθάραις καὶ κινύραις, καὶ ἐν κυμβάλοις. Quæ certe Instrumenta hic non ob querimonias, sed lætitias adhibita sunt. Probabile ergo est, nonnunquam Citharam & Cinyram confundi, nonnunquam etiam a se invicem distingui, quorum discrimen Cornel. a Lapid. (34) sequentibus tradit: Hæc duo Instrumenta Musica vicina erant, & sola magnitudine, ac forte fidium numero inter se distincta, uti apud Italos sunt *Viole & Violini*.

VI. Nos, ne cœco Andabatarum more repugnemus, ita vocabulum hoc restringimus, ut eatenus de eo saltem agamus, quatenus notat Instrumentum Musicum apud Judæos usitatum; ubi tamen non quodvis attendimus; sed illud, quod Davidi Citharœdo (35) prænobili in Sacris, præcipue I. *Sam.* XVI. *verf.* 16. 23. tribuitur.

VII. Statim autem, antequam pedem promoveamus, in limine hic se offert quæstio: An recte vox כנור per *Citharam* a nobis explicetur? Sane LXX. Interpretes nimis dissentientes hic deprehendimus, quibus *Gen.* IV. 21. כנור est ψαλτήειον, quod est finitore Suida, ὄργανον μυστικὸν ὅπερ καὶ νάυλα καλεῖται, instrumentum Musicum, quod Naula etiam vocatur. Arguunt præterea ipsæ literæ, כנור esse κινύραν Græcorum, sicut I. *Sam.* X. 5. LXX. κινύρα pro כנור habent. Nec etiam Josephi descriptio Hieronymi convenit, quorum ille τῷ כנור *decem*; hic vero Citharæ *viginti quatuor* chordas assignat. Sed duplicem responsionem his reponimus: Nam I. Versionem Septuag. Interpretum quod attinet, valde probabile est, eos dicto loco Geneseos Speciem pro Specie posuisse, ψαλτήειον pro κινύρα vel κιθάρα, quia plerique existimant, Mosen voce כנור complexum esse omnia Instrumenta, quæ pulsantur: 2. Hieronymus sine dubio Psalterium & Citharam inverso modo, & ancipiti calamo describit, ita ut per Psalterium τὸ כנור nostrum intelligat; per Citharam vero aliud Instrumentum τῷ כנור non absimile. Quem Patrem secutus est hac denominatione Kircherus, (36) qui per Psalterium nihil aliud, quam כנור innuit. Probamus hoc tum ex toto contextu, tum vero ex allegatione testimonii Judæi Historici Josephi, qui כנור interpretatur per κινύραν. Nec mira videatur hæc nobis denominandi varietas: Siquidem ob cognitionem rei obscuram, ipsa quoque nomina obscura reddita sunt, & sacra hæc Instrumenta inter se confusa.

fusa. Exemplum pete ex Amos *v.* 23. ubi verba זמרת נבליך *cantum nabliorum tuorum*. LXX. vertunt, *ψαλμὸν ὀργάνων σȣ*, Chald. pulsationem aut modulationem Citharæ tuæ: alii veterum Græcorum *κατ' ἐξοχὴν Organum* vocant: alii ψαλτήριον: Quidam Latinorum *Lyram*: quidam denique secuti (ceu Tarnovius (37) notat) forte *ἔτυμον utricularium fistulam* vertunt. Nonnulli Psalterium & Nablium plane idem esse, ex illo Ovidii (38) adstruere haud verentur:

> *Disce etiam duplici genialia* Nablia *palma*
> *Vertere: conveniunt dulcibus illa jocis.*

Quod Rhodiginus (39) etiam affirmat, dum scribit: *Psalterium alio modo Naula dicitur, unde Naulia deducuntur, diminutiva forma*. Quin & ipse ex Patribus Hilarius hujus convenientiæ adstipulator est. Nec tamen hoc asserto omne ubique discrimen inter Psalterium & Citharam expunctum cupimus. Si enim rigide rem omnem examinamus, fidem debemus Autori Commentariorum in Psalmos, quæ inter Hieronymi opera, hæc nobis suppeditant: Psalterium proprie genus organi est musici, quod est quasi Cithara. Similitudinem habet Citharæ, sed non est Cithara. Inter Psalterium & Citharam hoc interest: Cithara deorsum percutitur; cæterum Psalterium sursum percutitur. Videatur de hac re Drusius in Animadv. *lib.* I. *cap.* LV. *pag.* 54. 55. Nos itaque, ut e diverticulo in viam redeamus, intrepide τὸ כנור Citharam interpretamur, nixi non tantum αὐτοψία multorum Scripturæ Interpretum, quorum vestigia hic legimus; sed & consensu & ampliori lectione Magni Drusii, qui in Animadvers. suis (40) notanter & signate hæc de se scribit: *vox* כנור *interpretatione veterum ac recentiorum omnium, quos adhuc vidi*, (multos autem vidisse, nemo dubitat,) *Citharam denotat*. Præterea *Job.* XXX. 31. כנור cum apposita voce עגב videtur generatim pro quovis instrumento Musico adhiberi, cujus opinionis Hopsnerum etiam assertorem deprehendo. Hinc a Chaldæo retinetur τὸ כנורי quod expresse a LXX. ἡ κιθάρα redditur. Quod dubium paulo prolixius enodare volui, quod arx & metropolis totius discursus in eo sita esse videatur.

VIII. Explicato sic utcunque Nomine, πραγματολογίαν aggredimur, in qua & Genericum & Differentialem conceptum exhibemus. *Genericus* est *Instrumentum Musicum*: hoc enim de Cithara Davidica, & aliis apte prædicari potest. Notari tamen velim, Instrumentum hic eo sensu a nobis non sumi, quo alias omne id insignitur, quod dirigitur vel movetur ab alio superiori, sicut ita omnis causa secunda est Instrumentum Dei; sed (41) id instrumentum vocamus, quod ab alio movente & dirigente adhibetur ad effectum, sua virtute superiorem. Dicimus porro, Instrumentum τῶν προσδιορισμῶν, *Musicum*, quo nomine non respicimus ad eam Musicam, cujus appellatione prisci humanitatem literarum (42) significabant unde apud Terentium, (43) *artem tractare Musicam*, περιφραστικῶς pro: Comœdias scribere, legimus; sed potius in significatione a recentioribus adhiberi solita, qua ad numerorum modulationem transtulerunt, usurpamus.

IX. Quod *Conceptum Differentialem* concernit, ante omnia *Efficientem Causam* attendamus oportet. Hanc autem Citharæ Davidicæ certam constituere, Scripturæ Sacræ silentium non permittit. Nec tanti interest, sive ipsum Davidem Citharæ suæ effectorem statuamus, sive Artifici (quorum tunc certos ordines fuisse extra dubium est) peculiari effectum illum adscribamus. Alias originem quorundam instrumentorum Musicorum Plinius (44) recenset: Musicam, inquiens, Amphion invenit: fistulam & Monaulum Pan Mercurii: obliquam tibiam Midas in Phrygia: geminas tibias Marsias. Citharam (porro ibidem addit) Amphion invenit, ut alii Orpheus, ut alii Linus: septem chordis additis Terpander: Octavam Simonides addidit: nonam Timotheus. Cithara sine voce cecinit Thamyras primus: cum cantu Amphion, ut alii Linus: Citharœdica carmina composuit Terpander. Hucusque Nobilissimus naturæ Panegyristes Plinius. Ponticus Chamæleon, apud Athenæum (45) addit inveniendi Musicam occasionem, quod sc. ab avibus sylvas dulci & grata modulatione personantibus deducta sit. Alii (46) ajunt, Pythagoram a dissono malleis fabrorum effecto sono, Musicam artem invenisse, primumque in Græciam invexisse. Citharam vero (47) peculiariter Mercurio tribuunt, qui Apollini eam de manu in manum tradidisset. Ast fabulas hæc olere, ac infirmo stare talo, quis non videt? Ipse sacer codex nos tutiores & certiores reddit de Musicæ, & Citharæ autore, (48) quem vocat Jubal אבי כל תפש כנור ועוגב Patrem canentium Cithara & organo: quibus ut mihi quidem videtur, respicit ad Instrumenta ψηλαφητὰ pariter, ac πνευματικὰ, seu,

ſeu, ut Plutarchus vocat, ἐμπνέςα cum illorum non ultimum locum obtineat Cithara. Unde Joſephus (49) ait, Jubal Pſalterium & Citharam inveniſſe. Quin & Abnezra putat, ſub his duabus Speciebus contineri כויני כלי נגינות omnes organorum ſpecies. A quo non diſſentit Joh. Henricus Heideggerus, (50) qui: Probabile eſt, inquit, Moſen expreſſis duobus his organis, quorum alterum pulſatur, alterum vento impellitur, complexum eſſe in univerſum omnia organa Muſica, tam quæ pulſantur, quam quæ impelluntur vento. Petrus Ravanellus (51) quidem Davidem quoque quorundam inſtrumentorum Muſicorum inventorem eſſe, ex I. *Chron.* XXIII. 5. II. *Chron.* VII. 6. *Amos* VI. 5. probare annititur; Aſt res dubio omni non prorſus caret: magis enim ad cantilenas novas, quam ad Inſtrumenta videtur reſpectus haberi. Unde in ultimo loco reliquis clariore, ubi hæc leguntur: *ſicut David excogitarunt inſtrumenta Muſica;* Chaldæus pro השבו habet אתקנו *aptaverunt, fabricaverunt*. Quanquam nec ἄτοπον eſſe cenſeo, ſi quis dicat, Davidem inſtrumentis jam inventis addidiſſe nova, & multa excogitaſſe, quibus ars dudum inventa magis magiſque excoleretur, quæ ſententia Heideggero (52) placet. Accedit idem ferme Baſilii Magni judicium, quod *Tom.* III. Operum, in *Præf. p.* 4. his prodit: Licet Organum Pſalterii antea quoque fuerit, iners tamen & vulgare erat, & tantum in paſtu gregum illo pſallebatur. At David hoc elegantius inſtruit, uſumque illius Deo aptavit. Unde fortaſſe Pſeudo-Pſaltes, *Pſal.* CLI. (de quo vide D. Waltheri *Officin. Bibl. p.* 1202.) in editione Syriaca, ܟܕ ܗܘܝܬ ܪܥܐ ܥܢܗ ܕܐܒܝ ܐܝܕܝ ܥܒܕܝ ܐܪܓܢܐ ܘܨܒܥܬܝ ܬܩܢܝ ܟܢܪܐ: *me paſcente oves patris mei, manus meæ fecerunt organum & digiti mei* Citharam *compegerunt*. Nec multo aliter *Arabs* & *Æthiops*. Et *Apollinaris* in Paraphraſi:

> Εἰροπόκων οἴων ἀγέλας ἀγροῖσι νομεύων,
> Χεῖρες ἐμαὶ φόρμιγγα λιγύθρον ἐντύναντο,
> Δάκτυλα δ' ἁρμονίην θεοτερπέα τεχτήναντο.

X. Nec ita clare de *Materia* Citharæ hujus diſſerere licet. Niſi clariora teſtimonia extarent, crederem in templo Salomoneo Citharas fuiſſe vel ex auro, vel ex argento, vel ex alia cara & rara nobiſque incognita materia confectas, cujus opinionis ſuffragia colligere poſſemus non tantum ex aureo illo ſeculo, quo lapidum inſtar vile & abjectum nimis fuit argentum (53) ſed & ex II. *Chron.* IV. 19. 20. 21. Verum quia verbis clariſſimis I. *Reg.* X. 12. Citharæ ex lignis אלמגים & II. *Chron.* IX. 1. (literis tranſpoſitis) ex lignis אלגומים II. *Sam.* VI. *verſ.* 5. vero ex lignis ברושים ſeu abietum, fabrefactæ memorantur: colligimus, ex variis potius lignorum generibus eas factas eſſe, quam ex metallis; niſi partes quaſdam auro obductas & ornatas ſtatuere velimus. Qualia vero ligna per אלגמים innuantur, non liquet: Buxtorfius, fidus illud Literarum Hebraicarum & Germaniæ noſtræ Decus (54) ſententiam Hebræorum, qui *Corallium* (ita & Chaldaica habet verſio) eſſe arbitrantur, non exiſtimat operibus, ad quæ adhibita leguntur, competere; hinc ipſe cedri præſtantiſſimæ ſpeciem fuiſſe ait, Joſephus (55) appellat τὰ τῆς πεύκης ξύλα i. e. lignea pinea: Sed nemo ſic cogitet (ſtatim addit) quæ nunc pinea ligna vocantur, quæve ad alliciendos emtores hac appellatione mangonizant negotiatores; illis eſſe ſimilia: illa enim aſpectu ficulneam materiem referunt, niſi quod candidiora ſunt, & fulgentiora. Mentio hujus ligni quoque fit *Apoc.* XVIII. 12. ubi ξύλον θύϊνον vocatur: quo nomine ſine dubio ad gratum odorem, quem creditur habuiſſe, reſpicitur. Hinc θύα accipi pro *aromatibus*, it. *placentulis*, quæ Diis offerebantur, Heſychius annotat, a θύω, *ſacra facio*. Imo & Gallica verſio, Ravanello citante, fragrantem ſubinnuit odorem, quæ adducta verba Apocalyptica his exprimit: *toute ſorte de bois odoriferant*. Vatablus אלגמים vertit *lignum Braſilicum*, alii *Ebenum*, cum quibus Lutherus conſentit qui per Hebenholt interpretatur. Septuaginta habent πελεκητά, (a πελεκάω ſecuri cædo, πελεκητὸς, bipenni cæſus, complanatus, dolatus.) i. e. *dolata*. Angelomus de his lignis ita: Thyina ligna, ait, ſunt imputribilia & ſpinoſa in ſimilitudinem albæ ſpinæ. Verum intueri in opera prægrandia ex hiſce lignis confecta, merito ſuboritur de hac ſententia dubium. Plinius (56) ſcribit, Theophraſtum magnum huic arbori honorem tribuiſſe. Additque radice nihil criſpius, nec aliunde pretioſiora opera. Theophraſtus autem (57) ipſe ait, hanc arborem in Ægypto naſci, cupreſſo ſimilem ramis, & foliis, & trunco, & fructu, maxime vero ſicut cupreſſum ſylveſtrem. Quicquid tamen hujus ſit, lignum æſtimatiſſimum id fuiſſe,

se, quilibet facillime judicabit, nisi qui cerebrum habet in calcaneo. At Davidicæ Citharæ, quam ante regni fastigia habuit, tale lignum tributum non est, quod vel exinde patet, quod II. *Chron.* IX. II. expresse dicitur, ejusmodi lignum antea Judæam nondum vidisse: ut pastoralem Davidis tenuitatem & humilitatem taceam. De chordis Citharæ sono aptis mox differemus.

XI. *Forma* jam Citharæ nostræ externa & accidentalis enodanda est. Hieronymus (58) Pater ille Hebræa cognitione celebris Citharam sctibit effici in modum Δ literæ, cum chordis viginti quatuor, eamque per digitos variis vocibus, tinnulisque ictibus in diversis modis concitari. At τῷ כנור vix hæc descriptio potest aptari, etiamsi *Ps.* XLIII. 4. ubi כנור extat, allegat. Potius Psalterii circumscriptio huc spectat, de quo ibidem scribit, quod forma quadrata chordis decem fuerit instructa. Quæ assertio eo magis nobis placet, quo propius ad Josephi descriptionem accedit, utpote qui (59) expresse & satis luculenter testatur, eam decem chordis intensam, plectroque esse pulsatam. Verba ejus hæc sunt; ἡ μὲν κινύρα δέκα χορδαῖς ἐξημμένη, τύπτεται πλήκτρῳ. Nec quicquam huic sententiæ Cælius Rhodiginus (60) detrahit: Videtur, inquiens, decem chordis fuisse instructum ex illo prophetico: Confitemini Domino in Cithara, in Psalterio decem chordarum psallite ei. (*Psalm.* XXXIII. 2.) Et clarius adhuc de ac re Basilius Magnus (61) ita differit: Psalterium de eorum genere erat, quæ intenduntur: verum arduum & rectum, & cujus sonus superne proficiscatur. Decem enim claviculi, qui circa cubitum instrumenti versantur, chordas ad harmoniæ compositionem, propositique executionem & intendunt & remittunt: quæ & ipsæ decem sunt, invicem resonantes. Et dextera manu plectrum tenebatur, sinistra vero chordæ superne per intervalla contingebantur, & crebris digitorum vicibus vel gravis, vel acutus, vel mixtus sonus, juxta psallentis cantum perficiebatur. Hilarius, Didymus, Basilius, Euthymius magius dignitatem, quam formam describentes *omnium* vocant *Organorum Musicorum resonique modulationem*. Multi eandem speciem cum iis Citharis, quas hodie circumgestant, atque eruditis digitis tractant, hanc Davidis habuisse sine prægnanti ratione contendunt. Unde *Clarissimus Kircherus:* Magna, scribit, Musicorum pars ipsi similitudinem Harpæ nostratis tribuit, quam & passim ejus imagini appingere solent, triangulari forma. Aliam itaque ipse sistit figuram, ex antiquo Codice Vaticano depromtam, quam, cum non adeo aliena a plerorumque descriptione esse videatur, accurate ad illius exemplar expressam in fine hujus Dissertationis exhibemus. Hic & Isidorus (62) parum discedens audiendus est, qui formam Citharæ initio similem fuisse ait pectori humano: mox addit, ipsam antiquitus fuisse septicornem: paulo post differentiam Psalterii & Citharæ tradens, scribit, hanc concavitatem ligni inferius habuisse, Psalterium superius. Quod discrimen ipsius etiam Augustini est.

XII. Legitur præterea I. *Chron.* XV. 21. Cithara octo chordis saltem instructa. Unde illud conficimus, non semper & ubique uno modo Citharas fuisse formatas, non secus, ac hodie plerumque fieri solet. Huc refer, quæ §. 9. ex Plinio adduximus, ex cujus verbis numerus fidium inconstans haud obscure colligitur. Licet enim Timotheus Milesius (ut splendida Gedanensium Stella Botsaccus (63) refert) addens Citharæ unam chordam e Laconica ejectus est, quod modestam & gravem Musicam in mollius Chromaticum genus invertisset; nondum tamen hoc eandem Citharæ formam ubivis locorum usitatam, & sine mutatione retentam probat. Nemo ergo apodicticum in describenda hujus Citharæ forma argumentum expectet; quo enim plures de ea sententiæ conferantur, eo plures dissensiones se insinuant. Ipse operosissimus rerum curiosarum Investigator Kircherus (64) nobis præbet assensum, dum scribit: Quale fuerit, nemo adhuc recte definivit, credunt aliqui non tam fuisse instrumentum, quam certa quædam harmoniæ genera denotare, & vocis sonique modulationem. Cui quoad difficultatem inquirendi Magnificus Dn. D. Gejerus (65) suum quoque calculum addit. Interim tamen non est plane de nihilo, probabiliores sententias ex sinuosa hac voragine colligere, & qualemcunque cognitionem ex iis haurire: præstat e longinquo Solem speculari, quam prorsus ab illius θεωρίᾳ abhorrere.

XIII. Sicut autem alia Instrumenta Musica; ita & hoc pietatis tintinnabulum ac suscitabulum laudi & gloriæ Dei (66) decantandæ sacrum esse voluit David piissimus Rex: Nec non, ad testandam lætitiam, tristitiam sedandam, animum ad devotionem præparandum, Davidem adhibere voluisse hanc Citharam, credibile est. Nam quod Citharæ sonus plerumque cum lætitia conjunctus fuerit, locus *Gen.* XXXI. 27. persuadet. Hinc & Cor-

Cornelius a Lap. (67) ſcribit, Citharam & ab Hebræis & gentilibus & Chriſtianis olim in conviviis adhibitam fuiſſe ad exhilarandum convivas. Ad quod aſſertum non inepte trahitur Paulinum ad pium concentum & Muſicam harmoniam monitum *Eph.* v. 19. Sicuti enim Romanis & Perſis inter cœnandum non inſueta fuit Muſica: ita & Hebræi varias ſoliti ſunt aurium delicias in epulis aliiſve gaudiis hinc inde ſibi parare; ceu Eccleſiæ noſtræ Deliciæ Dn. D. Gejerus (68) nos docet. Porro Davidem Cithara ſua *triſtitiæ antidotum* intendiſſe, vix ambigere licet ei, qui ſacras Literas inſpexit. Nec adeo inepte id Citharæ ſuæ optimus Rex tribuit, cum ipſa experientia teſte, mira dulcedine Muſica mortalium animos vincat. Hinc Eraſmus (69) ubi ex Plutarcho locutionem illam: *Cithara incitat ad bellum*, declarat, ſubdit: veteres ſignificaſſe, certis Citharæ modis ſedari motus animorum, aliis addi vigorem ad prælium.

XIV. *Præparationem* ad devotas preces (ſi recte conjicio) ipſi Judæi fabula ſeu traditione quadam indicare voluerunt, quam ex Haggada Talmudica, quæ Pſalmi CXIX. v. 62. Judaice exponit, Cl. (70) Pfeifferus una cum verſione alicubi adducit. Sic vero verba ſe habent: אמר רבי שמעון חסידא כנור היה תלוי למעלה ממטתו של דוד וכיון שהגיע חצות לילה בא רוח צפונית ונושבת בו ומנגן מאליו מיד הוא עומד ועוסק בתורה עד שעלה עמוד השחר׃ i. e. *Dixit R. Simeon Chaſida: Cithara ſuſpenſa fuit ſuperne ad lectum Davidis, cumque eſſet nox media, venit aquilo & afflavit eam, ita ut ipſa ſeſe moveret* (ederetque ſonum:) *Confeſtim* (David ſurgens) *ſtetit & dedit operam legi uſque dum aſcenderet columna auroræ.* Vere tale quid de Pythagora, Viro ſapientiæ fama, nominiſque celebritate non ignoto, ejuſque diſcipulis Quintilianus refert, ſcilicet morem eis fuiſſe, cum evigilaſſent, animos ad Lyram excitare, (71) quo eſſent ad agendum erectiores. Imo tanquam *καθάρσει καὶ ἰατρείᾳ* jam dictum Pythagoram ad animi morbos amoliendos Muſica uſum eſſe, multis tradit Jamblichus. Quod *καθαρτικὸν τῆς γυμναστικῆς καὶ μουσικῆς φάρμακον* Plato & Ariſtoteles etiam adhibuiſſe (72) perhibentur. Hinc, ut homo ad preces excitetur, ſuſpicor uſu apud nos in pleriſque urbibus receptum eſſe, ut dies tibiarum cantu & auſpicetur & finiatur: quorſum forte etiam pertinet *αὐλὸς ἀλέκτωρ*, *tibia Gallus dicta*, qua dormientes excitabantur, ceu Urſinus (73) vir multæ lectionis conjecturam facit, & Arnobium eam in rem citat, ex quo hoc ipſum apud Romanos morem fuiſſe colligit. Ita vero ille *lib.* 7. ſcribit: Quid ſibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? condormiſcunt enim ſuperi, remeare, ut ad vigilias debeant? quid dormitiones illæ, quibus bene ut valeant, auſpicabili ſalutatione mandatis? ſomni enim quiete ſolvuntur, occuparique ut hoc poſſint, lenes audiendæ ſunt næniæ. Non inepte huc retulerimus illud, quod *Pſ.* LVII. 9. Pſalmiſta per Proſopopœjan effert: עורה הנבל וכנור אעילה שחר׃ h. e. exſurge Nebel & Cithara, exſurgam diluculo.

XV. Hic dubium ſuboriri poteſt, an non ad luctum quoque Citharam ſuam David voluerit adhiberi, ut *ἰάλεμος* ſeu carmen lugubre ea caneretur. Scirpus ſane non ſine nodo. Siquidem non Romani tantum ſuos habebant aulæos, ſeu, ut Gellius (74) vocat, *Siticines;* ſed etiam Judæi mortuos ſuos tibiis & aliis inſtrumentis plangere ſolebant, quod vel ex Matth. IX. 23. ubi Chriſtus *αὐλητὰς* in funere puellæ triſtiſſimo vidit, apparet. Huc referunt locum Jer. XLVIII. 36. in quo Propheta quaſi *Siticinniſtam* agit, & næniam canit Moabitis, funuſque indicit: *Cor meum*, inquit, *ſuper Moab*, *quaſi tibia æris reſonabit*, ut eſt in quibuſdam Codicibus Vulg. *ὡς αὐλοὶ βομβήσουσιν*, ut tibiæ bombos edent, LXX. Chaldæus vero ita: reſonabunt ככנורא ut Cithara; quod & *Eſaias c.* XVI. 11. dicit; על־כן מעי למואב ככנור יהמו *ideo viſcera mea ad Moab, ut Cithara, tumultuabuntur.* Sed utut alias certum eſt, inſtrumentis quibuſdam luctum apud Hebræos eſſe peractum; tamen Citharam præciſe illis additam eſſe, ex dictis locis ſufficienter non probatur. Imo ejuſmodi lætitiæ inſtrumenta afflictis exoſa eſſe, & in luctu plane abſurda, haud abſurde colligit Magnif. Dn. D. Gejerus (75) ex *Sir.* XXII. 6. *Pſal.* CXXXVII. 2. ſuſpenduntur Citharæ &c. quibus locis addo illud *Job.* XXX. 31. *converſa eſt in luctum Cithara mea;* quæ converſio non tranſmutationis eſt, ſed ſucceſſionis, ceu bene in h. l. obſervat Dn. D. Schmidius. (76) Quare Græcis quidem *Cinnyram* in luctu, ſed Hebræis in gaudio frequentatam fuiſſe, autor eſt Bochardus. (77) Quid? quod Scriptura S. veſtigia prorſus nulla reliquerit de Davidis Cithara carmen lugubre in luctu edente. Nulla fit mentio in planctu de Heroe iſto Abnero. 2. *Sam.* III. 28. *ſeq.* de Amnone, *c.* XIII. 31. de Abſalome, *c.* XVIII. 33. aliiſque inſtituto. Ut tutius adeo ſit, *τὸ ἀπέχειν* hac in re amplecti, quam temere quid affirmare; licet

licet magis in negativam, quam affirmativam propendeamus.

XVI. Restat, ut rara & miranda Citharæ nostræ *Effecta*, quæ intentioni responderunt, speculemur. Præ aliis autem illud se offert, quod fuerit *tristitiæ expultrix & dolorum medicina;* ut ex multis locis, tum vero ex *Psal.* XLIII. 4. clarum est. Sepissime enim dulcis Citharæ sonus apud alios quoque lætitiæ inserviebat: adhibebatur in dedicatione & adoratione statuæ aureæ Nebucadnezaris, *Dan.* III. 5. *seq.* in dedicatione templi, *Nehem.* XII. 27. post partam victoriam, (78) II. *Chron.* XX. 28. *Es.* XXX. 32. *Apoc.* XV. 2. in conviviis hilarioribus, & luxu diffluentibus, *Es.* V. 12. it. quando saltationes & choreæ sunt agitatæ, *Job.* XXI. 12. II.

XVII. Multum præterea fecisse Davidicam Citharam ad *præparandam Devotionem*, hinc inde Psalmi & poetica (ut cum Poeta eloquar) mella testantur. Quare non inconvenienter Luth. (79) se post Theologiam principem locum Musicæ tribuere fatetur his præcipue verbis: Wer die Musicam verachtet / wie denn alle Schwärmer thun / mit dem bin chi nicht zufrieden / denn die Musica ist eine Gabe und Geschenck Gottes / nicht ein Menschen Geschenck; so vertreibet sie auch den Teufel / und macht die Leute frölich. Man vergisset darbey alles Zorns / Unkeuschheit / Hoffart und andere Laster. Ich gebe nach der Theologia der Musica den nechsten locum und höchste Ehre. Et paulo ante hæc Viro verba adscribuntur: die Musica ist eine schöne herrliche Gabe Gottes / und nahe der Theologie / ich wolt mich meiner geringen Musica nicht umb was grosses verzeihen / die Jugend soll man stets zu dieser Kunst gewehnem / denn sie machet feine geschickte Leute / It. Musica ist der besten Künst eine / sie verjagt den Geist der Traurigkeit / wie man am Könige Saul sihet. De Luthero ipse hac in re multum non distat Calvinus, (80) qui, *instrumenta Musica esse stimulos, quo ferventiore studio colatur Deus*, largitur. Sane adeo celebris ob id Musica jam erat in V. T. ut cum primis statim sacrificiis adhiberi fuerit solita, id quod ex *Num.* X. 1. 10. elucescit. Quid? quod Propheta, Rex & Patriarcha David noster separaret in ministerium Jehovæ in domo Jehovæ ex Levitis certas classes eorum, הנביאים בכנרות בנבלים ובמצלתים h. e. *qui prophetarent in Citharis, & in Psalteriis & in Cymbalis*, I. Chron. XXV. 1. seq. Quod pro sensum sumendum sit, egregie Franzius (81) explicat: Prophetarunt, inquiens isti h. e. verbum Dei tractarunt canendo, sicut I. *Sam.* X. 5. usurpatur eadem phrasis. Patet autem ex *vers.* 7. quod fuerint edocti de canticis Jehovæ & periti, ut prophetarent nimirum, quemadmodum habet versus expresse 25. ad celebrandum & laudandum Jehovam, h. e. in Scholis per artifices singulariter informati fuere, ut possent artificiose tractare Psalteria, Cymbala, & *Citharas*, & in illis Psalmos sacros repræsentare. Quistorpius (82) putat, ideo eos Citharis prophetare dici, quia inferiores ad præscriptum Davidis, Asaphi, Hemanis & Jeduthunis Prophetarum, omnia in Musicis peregerint, ita, ut vox prophetandi latius sumatur. Potior tamen mihi videtur Franzii ratio, & clarior. Præterea nec absurdum arbitror, si prefixum ב in בכנרות vertatur per *cum*, hoc sensu: prophetarunt Levitæ *cum Citharis*, h. e. Citharas gestantes, & nonnunquam eas pulsantes: hac significatione sæpissime illam literam sumi, exemplis probat, ut solet, accurate Glassius (83) in Philologia sacra. Adde locum I. *Sam.* XVI. 23. ubi ita: modulabatur בידו in manu sua (ut habet Arias Montanus,) sed rectius, *eum manu sua*, aut propius ad Latinæ Linguæ Genium, *manu sua*. Huc facit egregius locus I. *Sam.* X. 5. ubi Samuel Sauli prædicit, fore, ut occurrat choro prophetarum, *ante quos* (לפניהם ante eos) Nebel & tympanum & tibia & Cithara, dum prophetarent. Tantus autem (ut & hoc addam) eo tempore Musica peritia celebrium virorum numerus erat in Templo, ut ducenti octoginta octo *v.* 7. commemorentur, qui si conjungantur cum discipulis suis, numerus prodit *quatuor millium*, cujus mentio fit *cap.* XXIII. *v.* 5.

XVIII. Hunc effectum flexanima & dominatrix illa Citharæ Davidicæ vis excipit, qua morbus & Cacodæmon a Rege Saule pulsus (84) dicitur. Magnam esse Musicæ efficaciam, certum est; Unde Judæi (ceu Doctissimus Judæorum (85) Interpres Buxtorfius refert) virtutem illam agnoscentes dicere solent: חכמת המוסיקא מעתקת את הנפש ממדה אל הפכה i. e. Musica flectit animum a qualitate una ad contrariam. Quin & Asclepiadem Medicum phreneticum quendam per Symphoniam pristinæ restituisse sanitati, Isidorus (86) narrat: simile quid fecisse fertur Empedocles, (87) qui certis modis Musices adolescentem jam ira percitum, & in cædem ruentem, ad sanitatem revocarit. Ipse Œcolampadius (88) fatetur, Musicam Instrumentalem multum habere momenti ad componendos mulcendosque animos, adeo, ut ad attentionem, commiserationem, gaudium mo-

moveat. Sed major forte vis Davidicæ Citharæ potest videri, cujus modulatio adversus רוח רעה h. e. *Spiritum malum*, valuisse dicitur. Habuimus quidem antehac ansam, quædam de hoc effecto (89) differendi; At nunc prolixius paulo authenticum textum philologice indagare, & quantum licuerit, judicium hinc ferre placet, sic tamen, ut intra cancellos nobis præscriptos nos contineamus, nec in Theologorum messem, cui affinis videtur ista quæstio, nostram falcem immitamus.

XIX. Cum vero tota res eruenda sit ex loco 1. *Sam.* XVI. *verſ.* 14. 23. ad duo fuerit paulo curatius attendendum: I. *Quis fuerit malus Spiritus Saulem exagitans*. II. *Quomodo ille dicatur depulsus*. Quod Saulis vexatorem attinet, quidam, ut Cornel. a Lap. in h. l. narrat, censent, eum fuisse angelum bonum, a Deo Sauli immissum, ad eum affligendum, ut justas inobedientiæ pœnas exigeret. Alii Diabolum dicunt fuisse, qui non tantum exterius vexasset Saulem, ut Jobum; sed etiam interius eum possedisset, ut adeo Saul vere fuisset factus energumenus & dæmoniacus. Cui effato subscribunt Gregorius (90) Theodoretus, Abulensis, Lyranus, Hornius (91) alii. Quidam arbitrantur fuisse atram bilem, sive melancholiam, quæ Sauli tristes creabat imagines, suspiciones, mœrores, anxietates, furores, deliria, ita tamen, ut & Satanas miscuerit una suas præstigias & operationes. Eo inclinant, & partim verbis clarissimis asserunt P. Martyr (92) D. Luc. Osiander, (93) Dorscheus, (94) Dannhauerus, (95) Waltherus, (96) Quistorpius, (97) Quanti Viri! His patrocinari videntur LXX. qui vertunt: *suffocabat eum Spiritus malus;* Chaldæus; *terruit eum;* Vatablus: *turbavit eum*. Unde & Josephus (98) ita de eo: Saulus in morbum a Dæmone inflictum incidebat, ita ut præfocari ac strangulari videretur. Modum describit Vallesius (99) Medicus Francof. Dæmon, ait, causa est externa morborum. Non enim intra corpus ipsum latenter nascitur: sed extrinsecus accedit morbos illaturus: eos igitur, qui pendent ex materia, non aliter infert; quam aliæ causæ procatarcticæ, puta movendo internas, ut melancholiam morbum; augendo melancholicum succum, & eum, qui inerat, commovendo, deferendoque in cerebrum, & internorum sensuum sedes, vapores nigros. Plura vide apud eundem prolixe de hac re disputantem.

XX. Sic ergo in partes abeunt Autores, quos vidimus; sed quibus quisque argumentis suam opinionem propugnet, nihil ad nos. Saltem videbimus, cui parti *Philologia* patrocinetur. Hæc sane fidem illorum, qui atrabile, sive Melancholia Saulem vexatum fuisse dicunt, non roborat parum. Nam *verſ.* 14. & 15. dicitur *Spiritus malus a Domino terruisse Saulem*. Ubi verbum בעת extat, quo quævis animi consternatio aut perturbatio ex mœrore aut calamitate orta significatur: sicut Haman נבעת *territus fuit* a facie Regis & Reginæ, *Esth.* VII. 6. aut quomodo David יבעת *territus fuit* conspecto angeli percussoris gladio, 1. *Chron.* XXI. *verſ.* 30. Vide *Psal.* XIX. *verſ.* 5. ubi de torrentibus Belial perturbantibus adhibetur: it. *Job.* III. *verſ.* 4. *c.* XIII. *verſ.* 11. 21. *c.* XVIII. *verſ.* 11. *Es.* XXI. *verſ.* 4. &c. Porro *verſ.* 16. invenitur particula על, quæ *verſ.* 23. commutatur cum אל, quod Spiritus malus fuerit *super*, *coram* vel *adversus* Saulem, quarum particularum usus in Sacris est frequentissimus. Quod autem ibidem רוח אלהים *Spiritus Dei* vocatur, fit, quia minister fuit justitiæ Dei; minime ob innuendum angelum bonum. Nunquam enim homo per obsessionem boni angeli afflictus legitur: Et tametsi angeli boni in sensum hominis aliquid possint, veluti patet ex *Matth.* II. *verſ.* 12. 13. nunquam tamen audent aulam sui regis intrare ac obsidere.

XXI. Nec corporalem Saulis obsessionem probat phrasis 1. *Sam.* XVIII. *v.* 10. ויתנבא בתוך - הבית: & *prophetabat in medio domus;* in qua non nulli ejus præsidium quærunt. Ajunt quidem, Saulem prophetasse ut abreptitium & energumenum, quatenus furia Diabolus eum corripuerit & exagitarit. At Catachrestica hac locutione confusus potius sermo & miri gestus, quos percito animo formavit, innuuntur, ita, ut visus fuerit a bono spiritu actus, ac si Deus tot arcana & tam mira revelasset, cum tamen ex irato & insano animo tota illa prophetia profluxerit. Eo fine dubio respicit Chaldæus, qui habet; *insaniebat;* Vatablus; *desipiebat*, h. e. insana & stulta loquebatur, uti faciunt insani & furiosi. Non est inauditum, epilepticos & lunaticos prophetias esse mentitos, quibus, non injuria annumeramus Muhammed famosissimum veteratorem, qui epilepsia laborans, ut morbum suum tegeret, videri cupiebat a Spiritu divino correptus: & ita propheticas inspirationes ac ἐνθουσιασμοὺς jactitabat. Clare de eo Zonaras (100) scribit: ἐπιληψίας νοσήματι συνεχόμενος, καὶ κατὰ καιροὺς αὐτῷ τοῦ πάθους προσβάλλοντος, πίπτων, καὶ τῶν φρενῶν ἐξιστάμενος, h. e.

h. e. comitiali laborabat morbo, & ex intervallis impetu illius mali prostratus, mente, (101) alienabatur: Cave autem, dum atræ bili hanc Saulis prophetiam adscribimus, colligas, nos cum Stoicis & Peripateticis facere, qui divinandi, & futura prædicendi facultatem ad naturalem intemperiem, bilisque incensionem referunt. Etsi enim Plato partim causam divinationem videatur in dæmones rejecisse; nihilominus vim quandam illarum etiam naturæ ex parte tribuisse, tenendum est. Siquidem in *Dialogo de Natura* statuit vaticinium in jecore esse, censens nimirum, divinandi vim tributam esse hominibus a natura, & ea vi tunc maxime eos uti, quum minime uti possint prudentia: id quod ex verbis ejus manifeste patet, quando dicto loco sic scribit: *Quod autem dementiæ Deus divinandi vim dederit, illud argumento esse potest, quod nemo dum sanæ mentis est, divinum & verum vaticinium ullum assequitur, sed cum vel somno prudentis vis præpedita est, vel oppressa morbo, vel divino aliquo raptu a sua sede dimota fieri divinatio solet*. In Apologia vero idem Plato Socratis nomine dicit, *eos, qui proximi sint morti, solere divinare*. Nec deserit in hac quidem sententia Præceptorem discipulus, Aristoteles nempe ille sapientiæ Dictator, qui causas, quibus Sibyllæ & bacchantes, & vates fiunt, rejicit in calorem, quem in mentis sede atraciet bilis. Audiemus & ipsum, ex *Problem.* XXX. *pag. m.* 1013. *lit. E.* ubi hæc leguntur verba: πολλοὶ δὲ καὶ διὰ τὸ ἐγγὺς εἶναι τοῦ νοεροῦ τόπου τὴν θερμότητα ταύτην, νοσήμασιν ἁλίσκονται μανικοῖς, ἢ ἐνθουσιαστικοῖς. ὅθεν Σίβυλλαι καὶ βάκιθες, καὶ οἱ ἔνθεοι γίνονται πάντες, ὅταν μὴ νοσήματι γίνωνται, ἀλλὰ φυσικῇ κράσει. h. e. multi etiam propterea, quod ille calor sedimentis in vicinio est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico infervescunt, ex quo Sibyllæ, efficiuntur, & bacchæ & omnes, qui divino spiraculo instigari creduntur, cum scilicet id non morbo, sed naturali intemperie accidit. Sic Philosophi hi, ipsi fanatico quasi Spiritu correpti, falso sentiebant, quorum errores explodit Noster, cum observantia colendus Mœbius, (102) quem omnino vide. At absit, inquam, ut nos pollicem iis premamus, dum Saulis prophetiam atræ bili adscripsimus. Illi enim prophetiam aut divinationem proprie dictam, ut insomnia, vatum furores, quibus correpti futura innuunt, Oracula, & Pythonum ex ventre responsa intelligebant; at nos prophetiam Sauli tributam, non nisi per Catachresticam inflexionem intellectum cupimus. Aliud ergo est, consulto & ex inspiratione quadam futura prædicere; aliud, gestibus male compositis rem confusam ac miram, ut sensibus alienati ac ira perciti solent, proloqui.

XXII. Jam alterum ut accedamus, & quomodo melancholico huic furori David mederi potuerit, inquiramus, restat. Scinduntur & hic in diversas opiniones interpretes, quas prius audiemus, quam nostram sententiam Philologiæ innixam dicamus. Quidam, ut P. Martyr (103) refert, statuerunt, Davidem exorcisasse Saulem. Quæ ratio, cum nullo prorsus suffulta sit fundamento, sponte ruit: Platonici, ut & Eugubinus (104) & alii affirmare audent, Deum subjicere, aut subjicere posse dæmones nonnullis rebus corporeis. Aliter sentit R. Aben Ezra, qui (105) scribit, Davidem Citharam decem chordarum, furiente Saule, pulsare suevisse, quæ vi decem virtutum divinarum fuerit dotata; directa præterea harmonia illa ad astra, quorum peritissimum Davidem statuit. Alii *sacris precibus tantum* illum effectum adscribunt, &, dum vident, dæmonem non posse Musica mitescere, nihil hic censent fuisse naturale; sed divina vi effectum, ut pulsante Davide Citharam, abigeretur dæmon, non tam ob soni numeros, quam ob divinos hymnos, *quos ille* cantando recitabat: Unde Athanasius (106) Ne mihi, inquit, hic tam respectum mentionemque habeas Citharæ, quam id, quod Cithara canebatur. Huc forte quadrant Davidicorum Psalmorum elogia, qualia apud *Chytræum Theologum quondam ac Historicum Eminentissimum* (*Commentar. in Deuteron. pag.* 149. *seq.*) non pauca inveni; quorum brevis enumeratio, quia hoc loco non prorsus ἀπροσδιόνυσος videtur, sed & ad institutum quodammodo facit, & ad æstimationem sacræ Musicæ animum excitat, quædam huc referemus. Sic vero ille: Multi, inquit, prorsus iracundia efferati, postquam Psalmorum cantu mulcentur, feris ac temerariis animi motibus cantu sopitis sedati ac tranquilli domum redeunt. Psalmus animis tranquillitatem adfert, & sedans turbulentos cogitationum fluctus, pacem in cordibus gubernat, mollit animi asperitatem &c. Et paulo post sic pergit: Psalmi dæmones fugant, (*sine dubio in nostrum locum digitum intendit*) angelorum auxilia advocant, pellunt timores nocturnos, mitigant labores diurnos, infantes defendunt, viris ornamento sunt, senibus solatium præbent, mulieres decenter ornant, solitudines habitatoribus replent, cœtus hominum ad modestiam asuefaciunt, incipien-

pientes primis rudimentis instituunt; proficientibus accessionem addunt, perfectos confirmant. Quibus addo illos, qui mysticam malunt interpretationem, censentes, malum Spiritum pulsum a Saule virtute crucis Christi futuræ, cujus typus fuerit Cithara Davidis: Sicut enim, ajunt, chordæ in cithara distenduntur: sic Christus distensus fuit in cruce. Ita enim Angelomum: *Non illius*, inquit, *tanta virtus erat; sed mysterium crucis Christi per lignum extensione nervorum mystice gerebatur, in qua etiam passio cantabatur*. Nescio autem, quid Josephus (107) per vocem *excantatoris* intelligi velit, dum scribit: *nullam aliam opem inveniebant medici, quam si quis peritus* Excantator *adhiberetur*. Et paulo post: *quoties a Dæmone agitaretur, unicum erat* in Excantatione *remedium*. Quod si præstigiatorem & veneficum ea intellectum cupit, nefas sit, tanto crimine virum sanctum, Deoque gratissimum diffamare; licet contextus bonam significationem innuere videatur.

XXIII. Nos hic iterum nostrum agere, & vocabula quædam sacri textus excutere juvabit. His autem verbis 1. *Sam.* XVI. *vers.* 16. effectum servi prædicunt & sperant: וטוב לך *& bene tibi*. Quæ Elliptica est locutio Hebræis frequentissima, sicut *Gen.* 1. *vers.* 2. וחשך על פני תהום & tenebræ *erant* in superficie abyssi (108). Nonnunquam tamen verbum Substantivum exprimitur, ut *Cohel.* VIII. *vers.* 13. וטוב לא־יהיה & bene non *erit* improbo. Vid. & *vers.* 12. Vocula טוב varia admittit significata, quæ tamen breviter complectitur Tarnovius (109) dicens, notare, *honestum*, *pulchrum*, *utile*. Sepe significat gaudium, & quæ id efficiunt, ut *Psal.* XXXIX. *vers.* 3. החשיתי מטוב *conticui a bono*, Luth. ich schweige der Freuden. Adde *Psal.* XXXIV. *vers.* 11. *Cohel.* II. *vers.* 24. *c.* III. *vers.* 13. Sæpe elegantiam & pulchritudinem, ut 1. *Sam.* IX. *vers.* 2. טוב ממני *elegantior illo*: sic & *Esth.* II. *vers.* 2. 2. *Sam.* XI. *vers.* 2. Sæpe omnem prosperitatem in latissima significatione, ut *Deut.* VI. *vers.* 24. ad timendum Dominum לטוב לנו *in bonum nobis*. Hic sine dubio *bonum jucundum* h. e. sanitas, gaudium, quies, (quatenus verbo quod præcedit בערת opponitur,) & respiratio, (sicut in sequentibus extat;) indicatur. Ita enim *vers.* 23. ורוח לשאול *& respiratio fuit Sauli*. Ubi vocabulum רוח mire rem declarat. Significat enim *dilatatus*, *recreatus*, *refectus*, *refocillatus fuit*, *quievis*, *pausavit*, *convaluit*, *refrigerium habuit*, quando *aliquis ex angusto in latum spacium educitur*. Hinc *Jer.* XXII. *vers.* 14. *spaciosum esse* significat: & *Jobus c.* XXXII. *vers.* 20. ait: loquar וירוח *& respiratio erit mihi;* LXX. vertunt, ἀναπαύσομαι *respirabo*. Simili itaque modo hic de Saule dicitur: ורוח & *dilatabatur Sauli;* h. e. erat ipsi quies & spacium ex angustia illa, seu, ut Josephus vocat, *ex suffocatione*, quam habebat a malo spiritu.

XXIV. Atque ex his, quæ hactenus dicta sunt, tandem concludimus: Cum satis clare Citharæ in hoc dato effectu fiat mentio, frustra nos ad solas supernaturales vires confugere, quia & naturaliter morbus a Diabolo excitatus potest curari: Cur quæso Musicum hic concentum plane excludamus, quem ad similes ferme animi morbos & impetus frænandos sufficientem profanæ historiæ narrant? Clinias Pythagoreus, si quando se ad iracundiam impetu ferri sensisset, τὴν λύραν ἁρμοσάμενον ἐκιθάριζε, *lyram assumptam pulsavit*. Rogatus, cur id faceret, respondit, παύομαι *mitigor*, testibus Æliano (110) & Athenæo (111). De Pythagoreis ita Hermogenes (112): Ajunt, Pythagoreos, si quando affectus ipsis concitarentur, aut alios viderent iis correptos, διὰ τῶν ἐν αὐλοῖς τε καὶ Κιθάραις ῥυθμῶν μετάγειν ἐπὶ τὸ ἡμερώτερον τὴν ψυχὴν, per tibiarum & Citharæ modulos animum ad meliorem statum reducere. Martianus Capella (113) Musicam de se ipsa sic loquentem introducit: perturbationibus animorum, corporeisque morbis medicabile crebrius carmen insonui: nam phreneticos symphonia resonavi. Ita Sozomenus testatur de Flaviano, qui Theodosium Imperatorem Antiochenis ob statuas ipsius a populo dejectas infensum, eadem arte demulsit. Persuasit enim iis juvenibus, qui ad mensam regiam canere solebant, ut eas canerent cantilenas, quæ in Antiochensium supplicationibus erant. Quo facto λέγεται φιλανθρωπίᾳ διαχυθέντα τὸν βασιλέα κραθῆναι τῷ ἐλέῳ καὶ αὐτίκα τὴν ὀργὴν ἐκβαλεῖν, καὶ σπείσασθαι πρὸς τὴν πόλιν, δάκρυσι βρέξαντα τὴν φιάλην, ἣν ἔτυχε κατέχων: *imperatorem ajunt humanitatis affectu perfusum & misericordia victum statim iram deposuisse, & urbi reconciliatum fuisse, patina, quam forte tegebat manibus, irrigata*. De Musico quodam Albertus Kranzius Dianæ suæ *lib.* V. *c.* 3. narrat, eum, cum Cithara sua quoscunque vellet affectus excitaret, jussum a Rege artis specimen edere, tandem licet invitum paruisse. Is quidem *primum gravi sono mærorem quendam audientibus ingerebat; inde succinendo plausibilius in lætitiam vertit, ut parum abesset, quo minus jocabundi dissultarent*.

Tum

Tum modis acrioribus intentatis, indignationem quandam excitabat, quæ ubi invaluit, furere Regem, astantesque cernere erat. Consulantur, si cui placet, Heideggerus (114) & Franciscus, (115) penes quos similis materia obvia est, & hæc partim ex illis depromta. Sed & alia quædam his annectere jubet. Apud Philostratum *lib.* v. *c.* 7. *Canus* ætatis suæ tibicinum præstantissimus, roganti Apollonio respondit, *se, quicquid vellet, Musica sua posse præstare: facturum* scilicet, τὸν λυπούμενον μὲν κοιμίζεσθαι αὐτῷ τὴν λύπην ὑπὸ τοῦ αὐλοῦ· τὸν δὲ χαίροντα ἱλαρώτερον ἑαυτοῦ γίγνεσθαι· τὸν δὲ ἐρῶντα θερμότερον τὸν δὲ φιλοθύτην, ἐνθεώτερόν τε, καὶ ὑμνῳδὴν, h. e. ut mœrenti a tibia mœror sopiatur, lætus vero se ipso reddatur hilarior, & qui amat calidior, & qui sacris addictus est in Dei cultum, & laudes fiat pronior. Homericus quoque Achilles τῇ κιθάρα κατεπρᾳΰνετο *Cithara demulcebatur*; quod Ælianus in variis *lib.* 14. *c.* 23. & Athenæus *lib.* 14. *c.* 5. ex Chamæleonte Pontico observant. Et apud *Marinum Proclus* hymnos subinde cani jubebat, καὶ λεγομένων τῶν ὕμνων, πᾶσα εἰρήνη τῶν παθῶν ἐγίγνετο, καὶ ἀταραξία, & recitatis hymnis, pax, & tranquillitas summa erat in affectibus. Quale est quod *Apollonii Mirabilium c.* XLVIII. citatur *Theophrasti* locus ex libro de *Enthusiasmis*, quo docet, τὴν Μουσικὴν πολλὰ τῶν περὶ ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα γιγνομένων παθῶν ἰατρεύειν, καθάπερ λειποθυμίαν, φόβους, καὶ τὰς ἐπὶ μακρὸν γιγνομένας τῆς διανοίας ἐκστάσεις· ἰᾶται γὰρ, φησὶν ἡ καταύλησις ἰσχιάδα καὶ ἐπιληψίαν *Musicam multis animi & corporis morbis mederi, ut animi deliquio, pavoribus, & mentis abalienationibus, quæ diu duraverunt: quin tibiarum concentum morbum ischiadicum & comitialem sanare addit.* Sic in libro *Theophrasti* scriptum se invenisse fatetur *Bochartus* (in Hierozoic. *part.* I. *lib.* II. *c.* 44. *p.* 461.) viperarum morsibus tibicinem scite modulateque adhibitum mederi. Alios porro affectus plures, ac varios Musica sedari, compertum est. Quod differtissimis verbis afferunt αὐτόπται testes, Scaliger (in Cardan. Exercit. 185.) Alexander ab Alexandro (Genialium dierum *lib.* 2. *c.* 17.) Matthiolus in Dioscoridem (*lib.* 2. *c.* 57.) atque alii, quorum hac in parte fides nulli adeo debet esse suspecta. Itaque ex tot patet exemplis, omnino harmoniam Musicam vim exerere quam maximam in animis hominum mærore fere confectis & dejectis. Nec quicquam virtuti huic decedit ex eo, quod nequam Spiritus suas adjunctas habuit cum morbo

operationes. Nam sublatis per Musicam mediis, quibus pessimam rem suam exercet, ipse quodammodo de opera remittere cogitur. Consentientem habemus Avicennam, cujus quædam verba ex Vallesio (116) in medium producemus. Ea vero hæc sunt: Quibusdam medicorum visum est, quod Melancholia contingat a dæmonio; sed nos non curamus, cum Physicam docemus, sive illud contingat a dæmonio, aut non contingat, postquam dicimus, quod si contingat a dæmonio, tunc contingit ita, ut convertat complexionem ad choleram nigram, & sit causa ejus propinqua cholera nigra, deinde sit causa illius dæmonium, aut non dæmonium.

XXV. Hinc porro magnam vim dulci Citharæ harmoniæ adscribimus. Licet enim certum est, organorum usum per se ad abigendum dæmonem nihil valere, quia corporea sunt; tamen per accidens valet contra illum, quia, ut jam monitum est, mitigatis affectibus, per quos Diabolus se in animos hominum insinuat, & mœrore ac furore, aut si quid aliud est, quo is in perniciem humani generis abutitur, pulso, ipse etiam dæmon pellitur & averruncatur. Certe quia humor melancolicus cor hominis deprimit, gravat, contristat, ac cerebrum atra fuligine, quasi caligine obnubilat, mirum non est, si sonus Musicæ eum dispellat, animumque serenet. *Est Musica*, inquit Plutarchus, (117) *ad sedandas iras luctusque potius vocanda, quam ad enervandum eos, qui jam ante sunt in voluptate.* Cum enim aliæ voluptates partim sensus externos tantum impleant, partim mentem solum: Musica delectatio ita in medio posita est, ut & sonorum jucunditate sensus moveat, & rationem ipsam numerorum & proportionum artificio deliniat. In hanc rem diserta quoque *Pauli* verba sunt *Eph.* IV. *vers.* 26. 27. ubi monet, ne *per iracundiam detur locus Diabolo*. Ex quibus patet, per ordinatos affectus (præcipue si sint vehementes, qualis *ira*, quæ *furor brevis est*) aditum patere Diabolo; Diabolus igitur excluditur ea arte, qua hi affectus demulcentur. Hoc ipsum ut lucidius nobiscum exponat *Samuel Bochardus*, egregium adducit Simile in *Hierozoic. Part.* I. *lib.* 2. *c.* XLIV. *p.* 463. Exemplo sint radii Solis, inquit ille, qui neque gladio secari, neque flatu extingui, neque ullo conatu averti queunt, ita, ut vere dicatur, nos in eos nihil posse. Radios tamen, clausa fenestra, ex cœnaculo, includimus: ita, quamvis Musica

ca in dæmonem directe nihil possit, eum tamen excludit, obstructo aditu, quo animorum arcem invadit. Huc refert, quod Ephodeus (118) hanc in rem scribit: Philosophi dicunt, Musicam practicam maximam habere vim ad movendos affectus, & corrigendum temperamentum hominis, ita, ut arcana quadam virtute etiam sanitati possit eum restituere: Eadem gignit lætitiam, tristitiam, & alia accidentalia in anima. Et existimo hanc ob causam scribi in quorundam Psalmorum titulis למנצח *vincenti* vel *Victori*, quod illi Psalmi peculiarem habuerint virtutem vincendi, ad facultates quasdam animæ emendandas & rectificandas. David enim ex perfectissimis fuit in illa arte. Hucusque Ephodeus, qui ad confirmanda dicta ibidem exemplum ex nostro loco 1. *Sam.* XVI. *16.* petit. Quæ tamen ne exclusive quis a nobis dicta existimet, quasi vim supernaturalem, & operationem piarum precum, quas David Citharæ suæ modis immiscuit, negatum iremus: Theologorum est ista persequi; Nobis sufficit illa sic, uti fecimus, ostendisse, quibus & plura addere impræsentiarum non licet. Quare receptui canimus. Et quamvis Cithara hæc nostra ex lignis thyinis, quæ omnium naribus gratum præbeant odorem, satis eleganter formata ac tornata non est; nihilominus editum qualemcunque sonum *Benevolo Lectori* acceptum fore, humanitas cujuslibet nos confidere facit; imprimis cum aureum Hirami navigium ad nos nondum pervenerit. Claudat proinde hic agmen Devotissimus ille Pater (119) Augustinus, qui hæc scribit: *Confitere Domino in Cithara: sive tibi abundet aliquid, gratias age illi qui dedit: sive tibi desit, sive forte damno tibi auferatur aliquid, cithariza securus. Non est enim ille tibi ablatus, qui dedit, quamvis tibi ablatum fuerit quod dedit. Etiam sic, inquam, cithariza securus, certus in Deo tuo, tange chordas in corde tuo, & dic tanquam in Cithara in inferiore parte bene sonante: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est. Sit Nomen Domini Benedictum!*

NOTÆ.

(1) Plutarch. in Vita Alcib. it. Gellius lib. 15. cap. 17. Noct. Attic.
(2) Diodor. Sicul. de rebus Antiq. lib. 1. cap. 6.
(3) Plutarch. Symposiac. lib. 2.
(4) Plutarch. in Orat 2. de Alexandr. Fortuna & Virtute.
(5) In Commentar. ad Panciroll. Part. I. pag. m. 132.
(6) Plutarch. in Regum Apopht.
(7) Id Or. 2. de Alex. Fort. & Arist. Ethic. IX.
(8) Erasm. l. VIII. Apopht. ex Strabon. l. XIV.
(9) Vid. Zvvingl. Tom. II. f. 585. Pareus in Comment. in I. Cor. XIV. 7. pag. 937. Rivetus Pr. in Psalt. & in Exod. XV. pag. 396. it. Desideratiss. noster Kromayer. in Theol. Posit. art. XIX. p. 1095.
(10) Athen. lib. XII. cap. 6. Sic Ælianus lib. X. I. cap. 44. de Elephanto refert, quod mulcedine Musicæ mansuescat.
(11) Arist. cap. 5. 6. sq. lib. VIII. Polit. ubi prolixius est, & vituperatoribus etiam respondet.
(12) Alexand. ab Alexandro lib. II. cap. 25.
(13) lib. IV. Georg. Vid. Ovid. lib. XI. fab. 1. Metamorph. & Henr. Salmuth. in Not. ad Panciroll. part. I. tit. 39. pag. 132. sq.
(14) Analect. Sacr. lib. IV. cap. 8.
(15) Orat. 2. in Julian.
(16) In Musurg. Tom. II. lib. I. cap. 4. §. 1.
(17) Thes. Philolog. l. II. cap. I. Sect. 3. p. 493.
(18) Vid. Magnif. Dn. D. Scherzerus in Disp. de Convers. th. 44. Brev. Eust. pag. 340.
(19) In Lexic. sub hac voce.
(20) In Lexic. pag. m. 701.
(21) Cent. I. lib. Miscell. cap. 14.
(22) Lib. II. cap. 59. pag. 102.
(23) de Orig. Lat. Ling. pag. 206.
(24) Isidor. lib. II. Orig. cap. 21.
(25) Virg. lib. 12. Æneid.
(26) Homer. Od θ.
(27) In Biblioth. sub voce Cithara.
(28) Pilol. Sacr. lib. III. Tract. 1. cap. VIII. p. m. *396.*
(29) In Comment. ad h. l. pag. *968.*
(30) Athen. lib. 14.
(31) Lection. Antiq. lib. IX. cap. 4. pag. 316.
(32) Exerc. 302. pag. m. *906.*
(33) Antiq. Jud. lib. VI. cap. IX. & alibi haudraro.
(34) Corn. a Lap. in Comment. ad h. l.
(35) Probe discernenda sunt nomina *Citharœdus* & *Citharista:* hic enim est, qui Citharam tantum pulsat; ille vero (ex observatione Moscopuli) qui & Citharam pulsat, & ore accinit. Quæ significatio ex loco Apoc. XIV. 2. 3. ipso patet, ubi hæc leguntur: *καὶ φωνὴν ἤκουσα κιθαρῳδῶν κιθαριζόντων ἐν ταῖς κιθάραις αὐτῶν, καὶ ᾄδουσιν ὡς ᾠδὴν καινὴν ἐνώπιον θρόνου* &c. Talem autem fuisse Davidem, non obscure colligere est ex *Ps.* LXXI. 22. sq. *Ps.* XXXIII. 2. 3. *Ps.* XLIX. 5. &c. consentit Flav. Joseph. Ant. Jud. lib. VII. cap. 10. pag. 191. Edit. Basil. 1559. ubi ita: David perfunctus jam bellis ac periculis, & in altissima pace degens, vario genere carminum odas & hymnos in honorem Dei composuit, instrumentisque Musicis comparatis docuit Levitas ad pulsum eorum laudes Dei decantare. Vide & de dicto Citharœdi & Citharistæ discrimine Cœl. Rodigin. Antiq. lect. lib. IX. cap. VI.
(36) Musurg. Tom. II. lib. I. cap. 4. §. 1.
(37) Comment. in h. l. pag. 144.
(38) Lib. 3. de Arte amandi.
(39) Lection. Antiq. lib. IX. cap. 4.
(40) Lib. II. cap. 59. pag. 103.
(41) Vid. Scheibl. Metaph. lib. I. cap. 22. tit. VII. num. 83. 84. pag. 284. Alias instrumenti significationes vide sis apud Aristot. lib. I. Polit. c. IV. pag. m. 382. sq. ubi prolixe disserit. It. Problema Sect. 30. pag. 1017.
(42) Vid. *πολυμαθέστατος* Johann. a Wovveren Polymath. cap. VII. pag. 64. it. cap. XXII. p. 266. Cic. 1. de Orat. Quis Musicis, quis huic studio li-

terarum, quod profitenturii, qui Grammatici vocantur, penitus se dedidit.

(43) in Proleg. Phorm. it. in Heavt. Prol. Repetente ad studium hanc se applicasse Musicum.

(44) Lib. 7. cap. 5. 6. Confer. & hic Heidegger. in ראשי אבות Exerc. VI. pag. 215.

(45) Athen. lib. IX. cap. 13.

(46) Boethius lib. 1.

(47) Pausanias lib. 5. & Servius in IV. lib. Æn.

(48) Gen. IV. 21.

(49) Antiq. Jud. lib. I. cap. 3. p. 6.

(50) In ראשי אבות Exerc. VI. pag. 215.

(51) In voce Musica, num. III. pag. 25.

(52) In Rasche Abhoth l. c. pag. 216.

(53) I. Reg. X. 21. 27.

(54) In Lex. sub rad. אלג pag. 28.

(55) Antiq. Jud. lib. VIII. cap. 2. num. VII.

(56) Lib. III. cap. 16. Hist.

(57) Lib. V. cap. 5.

(58) Tom. IX. Operum, pag. 96. lit. H.

(59) Lib. VII. cap. 10. pag. 191.

(60) Lection. Antiq. lib. IX. cap. 4.

(61) In Præf. in Ps. Tom. III. operum pag. 4.

(62) Lib. 2. Orig. cap. 21. Vid. Magnif. Dn. D. Gejer. in cap. III. 5. Daniel.

(63) Moral. Gedanens. pag. 678. §. 3.

(64) in Musurg. Tom. II. lib. I. cap. 4. §. 1.

(65) In Ps. XLIII. pag. 837.

(66) Vid. II. Sam. VI. 5. Ps. XLIII. 4. Ps. XLIX. 5. Ps. LVII. 9. Ps. LXXI. 22. &c.

(67) In Es. V. 12. Comment. pag. 91.

(68) Comment. in Cohel. cap. II. 8. pag. 51.

(69) Adag. Epit. pag. m. 290.

(70) In Notis ad libell. Rabbini Anonymi de Lusu, cujus tit. סור מרע pag. si numeretur, 83. Integram Haggadam cum Versione, qua pollet dexteritate, adducit Præceptor Noster ה׳ L. Carpzov. in Disput. de Crethi & Plethi, cap. III. pag. 12. seq.

(71) P. Martyr. L. C. Class. III. cap. 13. §. 26. pag. 478. addit, ad Lyram eos etiam consopitos esse. Adde Georg. Horn. in Not. ad Sulpitii Sev. Sacr. Hist. lib. I. pag. 170.

(72) Vide sis Wovver. Polymath. cap. XXVI. §. 8. pag. 314.

(73) Analect. Vol. I. cap. 7. pag. 10. 11.

(74) Noct. Attic. lib. 20. cap. 2.

(75) de luctu Heb. cap. XXI. §. 13. pag. 401.

(76) In comment. ad h. l. pag. 1171.

(77) In Phaleg. f. 808. seq.

(78) Dignus est, qui hic videatur Ursin. in Analect. Sacr. Vol. I. cap. 39. pag. 48.

(79) In Colloq. pag. m. 536. seq.

(80) In Comment. ad Dan. III. 5. f. 33.

(81) In Scola Sacrif. Patriarch. disp. III. §. LVI. pag. 55. Vid. & seq.

(82) In Annot. Bibl. in 1. Chron. XXV. p. 350.

(83) Lib. IV. Tract. 1. pag. m. 863. Nov. Edit.

(84) I. Sam. XVI. v. 14. 16. 23.

(85) Florileg. Heb. pag. 226. ex Cosri Part. 2. §. LXV. pag. 150. Edit. cum Notis Buxtorf.

(86) Orig. lib. 5. cap. 13. apud Ravanell.

(87) Plato lib. 3. de Republ.

(88) Comment. in Daniel III. vers. 5.

(89) Vid. Disputat. nostram III. de Spectris, §. 12. & 21.

(90) Lib. II. Moral. cap. 6.

(91) In Notis ad Sulpit. Sever. Sacr. Hist. l. I. pag. 170.

(92) Loc. Comm. Class. III. c. 13. §. 26. p. 478.

(93) In Explic. S. Bibl. in h. l.

(94) De Satan. Obsess. §. XLIV.

(95) Hodosoph. Phænom. IV. pag. 400.

(96) Harm. Bibl. pag. 940.

(97) In Annot. Bibl. pag. 273. ad cap. I. Sam.

(98) Antiq. Jud. lib. VI. cap. 9.

(99) De Sacr. Philos. cap. XXVIII. pag. 169.

(100) Annal. Tom. III. pag. 70.

(101) Vid. Hotting. Hist. Orient. lib. I. cap. II. pag. 10. seq.

(102) In Tractatu de Oraculis Ethnicis Cap. I. pag. 11. Vet. Edit.

(103) Loc. Comm. class. IV. cap. 9. §. 8. p. 588.

(104) Lib. 8. de perenni Phil. cap. 26.

(105) Refert id Erasm. Francisc. in der lustigen Schaubühne. pag. 31.

(106) Tom. III. Hom. de semente.

(107) Antiq. Jud. lib. VI. cap. 9.

(108) Vid. Glass. Philol. Sacr. lib. III. tract. III. pag. 666. seq. Et Buxt. Thes. Grammat. lib. II. c. X. pag. m. 418. ubi plura exempla collecta videbis.

(109) in Psalmos Grad. pag. 119.

(110) In Variorum lib. XIV. cap. 23.

(111) Lib. XIV. cap. 5.

(112) Lib. de Ideis.

(113) Lib. IX.

(114) In Rasche Abhoth Exerc. VI. pag. 218.

(115) In Theat. Curios. pag. 33. seq.

(116) De Sacr. Philos. cap. 28. pag. 164. ubi & in seq. plura addit de suis.

(117) In Moral. de Conjug. Præcept. p. m. 238.

(118) In Præfat. Grammat. suæ.

(119) Commentar. in Ps. 32.

APPENDIX SYMBOLICA

ET HIEROGLYPHICA.

JUcundissima ac utilissima res est consideratio Symbolica ac Hieroglyphica: siquidem tanta rebus, etiam exiguis, sub involucro veloque ejusmodi propositis, accedit æstimatio ac dignitas, ut facilius, feliciusve hominis memoriæ sine fastidio adhæreant, quibus sine noxa delectetur animus. Nihil dicam de affectione concitanda & oratoria facundia, cui tantum affert emolumenti, ut hinc præcipua conceptuum orationisque nostræ ornamenta peti posse, dudum judicarint eruditi. Cum itaque præsens materia de Cithara Davidica denuo prelo esset subjicienda, (quod Amicis id postulantibus negari non poterat) tentavi, an & hic ejusmodi Symbolica & Hieroglyphica posset inveniri deflexio, in qua cum quosdam invenirem mihi præeuntes, sequentia volui colligere, & tractationi huic annectere; quæ ut a Benevolo Lectore æqui bonique consulantur, voti mei summa est: quod & cujuslibet in ferendo judicio æquitas, a rigida censura aliena me sperare jubet.

I. *Cithara adumbrat Myſterium S. S. Trinitatis.*

ETſi Deitatis unitas, & Perſonarum Trinitas plane eſt ſingularis, neque ſimilem in rerum natura habet, adeo ut myſterium hoc ſit Eccleſiæ proprium, nec extra illius pomæria (1) quærendum; tamen qualemcunque iſtius dari adumbrationem ex lumine naturæ, nemo facile dubitare poteſt. Plura exhibet hujus myſterii hieroglyphica Dannhaverus in Hodoſophia (2) ſua, & forte alibi inveniuntur. His igitur commode annumeramus Citharam noſtram, ad quam ea ſpectant, quæ *Eximius Pater inter Summa Eccleſiæ Ornamenta*, *Auguſtinus* (3) ſcribit: Citharam reſpice, ut muſicum melos ſonis dulcibus reddat, tria pariter adeſſe videntur: *Ars*, *manus*, *chorda*; & tamen *unus ſonus* auditur. Ars dictat, manus tangit, chorda reſonat. Nec ars, nec manus ſonum reddunt; ſed cum chorda pariter operantur: ſic nec Pater, nec Spiritus ſanctus ſuſceperunt carnem, & tamen cum Filio pariter operantur. Sonum ſola chorda excutit, carnem ſolus Chriſtus accepit. Operatio in tribus conſtat; ſed quomodo pertinet ad ſolam chordam ſoni redditio: ſic pertinet ad ſolum Chriſtum carnis humanæ ſuſceptio. Huc etiam trahi poteſt triangularis Citharæ forma, ſi quis e partibus Hieronymi (vid. ſupra §. 11) ſtare velit, cum tres quidem anguli dentur; unum vero duntaxat Inſtrumentum.

(1) Vid. Incomparabilem Theologum Hulſemanns in Extenſ. Breviar. Theol. cap. II. pag. 25. & Mentzer. Exeg. Aug. Confeſſ. pag. 25.
(2) Phænom. III. pag. 275. Nov. Edit.
(3) De Domin. Incarnat. contra Judæos.

II. *Citharæ ſonus adumbrat Martyrum Conſtantiam & Fidem.*

QUo arctius tanguntur, fortiuſque intenduntur in Cithara fides, eo ſvavius atque dulcius præbent melos: ſic fides martyrum ſonare tantum abeſt ut deſinat, ut ſvaviorem ſubinde edat ſonum, dum per tormenta, ceu plectra, tangitur. Hanc alluſionem habet *Ambroſius* quando de matre, tam cruentam ac miſerandam natorum lanienam intrepido animo perferente, (1) ita ſcribit: Quid de matre Maccabæorum loquar? quæ ſpectabat læſa filiorum quot funera, tot trophæa, & morientium vocibus, tanquam pſallentium cantibus delectabatur, *pulcherrimamque ventris ſui Citharam* cernens, & pietatis harmoniam, omni lyræ numero dulciorem.

(1) Ambroſ. lib. I. Offic. cap. 41.

III. *Cithara adumbrat debitum Dei honorem ab homine habendum.*

UT flumina ſunt ex mari, & in mare redeunt: ſic quicquid nos habemus, eſt a Deo, & reddendum Deo, quo in omnibus augeatur Ejus gloria atque honor. Unde Rabbini dicunt: כל מי שלא חס ע׳ כבוד קונו רחוי לו שלא בא לעולם: i. e. quicunque non parcit gloriæ creatoris ſui, melius eſſet ei, ſi nunquam veniſſet (1) in mundum. Hunc finem Cithara revocat in memoriam. Sicut enim illa multas, eaſque vario ſono affectas habet chordas, quæ tamen ad unum melos faciunt omnes: ita copia atque inopia, contemtus & honor, & tota vita noſtra, ad Deum ejuſque gloriam, ceu ad unicum punctum vergant. Quo modo Hiobus, miſeriæ, gratiæ & gloriæ vivum illud Theatrum ex ſeipſo gratiſſimam effecit Citharam (*Job.* I. *v.* 21): & ipſe nobiliſſimus Citharœdus David non niſi ad Deum Citharæ ſuæ harmoniam volebat referri, quando quodlibet beneficium peculiari cantilena celebrabat, *Sir.* XLVII. *verſ.* 9. & Citharam diluculo ad laudes Dei decantandas excitabat, *Pſ.* LVII. *verſ.* 9. Quare non inepte hoc fere ſenſu *Clemens Alexandrinus* (2) hominem Citharam eſſe dicit, quod ſicut Cithara e variis chordis: ita homo ex corpore & anima, opibus & honoribus compingatur; ex quibus tamen omnibus una harmonia fiat in laudem Dei, Patrias ſui. Nec aliena ab hoc eſſe ſcopo judico verba, quæ *B. Chytræus* (3) notata nobis reliquit: Præcipuum, inquiens, & commune harmoniæ munus eſt, *Dominum Deum conditorem & redemptorem noſtrum Jeſum Chriſtum*, *pie ſonare & celebrare*, & de vera Dei agnitione & invocatione, & aliarum rerum bonarum doctrinam, mentis noſtræ cogitationibus conceptam, *propter Dei gloriam* & hominum ſalutem, aliis exponere & communicare. Hæc ex ſono Citharæ colligimus. Deinde vero & numerus denarius chordarum, (ſicut e §. 11. patet,) myſterium & eandem hominis metam deſignat: Hebræi enim illum numerum per literam *Jotb:* Græci per *Jota;* Arithmetici per 1, addita hac nota O, ſolent exprimere. Si itaque ex dictis elementis primum auferas, habes initialem literam nominis *Jeſu* ſive (4) Jehova. Imo

Imo accuratius triplex hoc Joth ex tribus his linguis collectum, unum & verum Deum, cujus venerandum Nomen יהוה est, notat, quando ראשי תיבות seu Abbreviaturas (ut vocant) Hebreorum attendimus, quibus assueti, benedictum hoc Nomen Dei, alii exprimunt sic ייי alii sic ',': alii sic ,': alii sic ';' : alii vero ita ',': alii aliis modis, quibus utplurimum triplex Joth diversum obtinet situm, & non obscure tam *Personarum Trinitatem*, (quia tria adsunt) quam *Essentiæ Unitatem* (dum unum efficiunt nomen) signat; ut hoc respectu etiam ad primum Symbolum possit referri.

(1) Vid. Buxtorf. Florileg. Hebr. pag. 104.
(2) In Oratione contra gent.
(3) Commentar. in Deuteron. pag. 149.
(4) Conf. Petr. Lindeberg. de Numer. Nobilit. & Myster. cap. VII. pag. 100. num. 21.

IV. *Cithara adumbrat Mortem Christi in Cruce.*

ATtigimus hanc umbram superius in §. 22. ubi mystica illa Davidicæ Citharæ, ejusque in dæmonem virtutis interpretatio adducta est. Quemadmodum enim chordæ in Cithara distenduntur, & sic distensæ sonum præbent pergratum: ita Christus in ipsa nervorum extensione per lignum crucis (velut agnus Paschalis in formam crucis distensus assabatur, juxta S. Justin. contra Tryphon.) toti humano generi gratissimum reddidit sonum, præprimis alta illa voce: Consummatum est! Huc referas velim iterum denarium fidium numerum, quem Latini litera X scribunt. Hæc litera, si a summo ad imum recte ducatur, figuram sacratissimæ crucis, quam Salvator noster ob decem præceptorum transgressionem pro hominibus sustinuit, exprimit. Si ergo sonus decem chordarum Saulis ægritudinem lenire potuit; quo magis crux Salvatoris, fidelium cordibus per fidem impressa, eorum finiet sollicitudinem? Nolo in præsentem rem illud mysterium, quod quidam in litera Hebræorum ח quærunt, (hæc enim in numero literarum cum X Latinorum ferme convenit,) adducere; dum & illam propter figuram Crucis Crucifixionis Christi symbolum esse asserunt, occasione sumta ex eo, quod *Ezech.* IX. *vers.* 4. Deus jubeat, signum Thau (siquidem תו significat *signum*) frontibus virorum gementium scribere. Jam, dicunt, litera ח ante Esdram, apud priscos Hebræos figuram crucis habuit, similisque fuit literæ T Græcorum & Latinorum; cui opinioni multi Patrum adhærent, ut Hieronymus, Tertullianus, Ambrosius, Augustinus, alii. Sed *quia de Samaritana hac figura non constat*, ut fatetur noster *Scherzerus*, omnis reconditæ doctrinæ Promtuarium, in MCS. quodam, nec adeo constare de hac mystica interpretatione reor. Cui placet, adeat Cornel. a Lap. prolixe differentem, in *Comment. ad h. l. pag.* 1006. *seq.*

V. *Cithara adumbrat Decalogi cohærentiam & consonantiam.*

DEcem chordas fuisse in Cithara Davidis, probabiliter supra collectum dedimus. Hæ chordæ unam efficiunt suavissimam harmoniam; quod si una læsa est, manca fit harmonia & Musicæ suavitas perit: eodem modo omnia Dei præcepta cohærent, ut, non observato, tota harmonia efficiatur mutila & manca: qui enim vel in uno *πταίσματι* delinquit, omnium, tanquam totius coronæ virtutum concatenatarum violator, reus evadit, ceu Theologi ex Jacobi II. *vers.* 10. probant. Talem indivulsam præceptorum cohærentiam & concordem harmoniam extra dubium fabula illa Rabbinorum innuit, quam Hebraicæ Literaturæ Sidus *Joh. Buxtorfius*, dum in anomalia accentuum in Decalogo inquirenda operosus est, ex R. Salomone, Aben Esra, R. Bechai, R. Isaac filio *Aramæ*; ex Tanchuma, Jalkut, Chaskuni refert. Sic enim in *Thesauro Grammat. lib.* I. *cap.* V. *p. m.* 58. Ille scribit: Hebræorum commentum est, Deum decem præcepta elocutum esse בבת אחר una vice, uno momento, ברבור אחר sermone uno, באמירה אחת eloquio uno, oratione una, h. e. uno spiritu & halitu, sine ulla interspiratione, mora, pausa, vel distinctione, ita, ut omnia verba tanquam verbum unum & vox una fuerint. Fons, ex quo commentum hoc emanavit, ostenditur etiam dicto loco.

VI. *Cithara adumbrat Concordiam & Pacem.*

VEre sonus Citaræ discors concordia est. Nam licet semper chorda alia aliam edit vocem; tamen in unam harmoniam unanimiter conspirant singulæ; prosus ut ipsa hominis membra diversa sustinent munia, & tamen in universum corporis sustentationi inserviunt: sic multa quidem sunt hominum capita, multi pro dignitate & statu sensus, qui nihilominus omnes in unam directi debent esse viam ad Græcostasin s. Concordiæ ædem. Si sic Citharæ sonus in Republ. resonat, melius illi prospicitur, quam si ipse

ipſe Apollo urbis mœnia per Citharæ ſonum exſtruat, quæ Ovidii de Trojanis muris fabula eſt, quando ſcribit, quod, dum tractaſſet Apollo Citharam, ſaxa ſe ſua ſponte concinne accommodaſſent. Ita enim inquit:

Ilion aſpicies, firmataque turribus altis
Mœnia Apollineæ ſtructa canore lyræ

Unde ſaxum oſtendi tradunt, ſuper quod Citharam depoſuerit Phœbus, cum opus fuiſſet aggreſſurus: quod ſaxum ſi lapide percuteretur, Citharæ ſonum emittere per aliquod tempus (1) conſueviſſet. Fallor? an hoc ipſo civitatis pacificum ſtatum notare voluerunt poetæ? Eo enim me, ut credam, adducit *Ariſtides*, quando *in Gratulat. Smyrnæ coram Imperat. Commodo* dicit: Vidiſti templorum ornamenta, & ſepta, natura pariter & arte exornata & ornatum univerſum inſtar monilis connexum: *& quod erat maximum Urbis ſignum, Concordiam per omnia tranſientem, ac Muſicam, quæ totum corpus unum eſſe quiddam oſtenderet; quaſi ea (quod de Thebanorum muris tradunt fabulæ) ad lyram primo atque Citharam fuiſſe exſtructa.* Ad hæc mœnia reſpexit quoque (2) *Ageſilaus*, qui a quodam percontatus, quam ob cauſam Sparta mœnibus non cingeretur? oſtendit cives armatos & unanimes: *hi*, inquiens, *ſunt Spartæ civitatis mœnia, quos enim jungit Concordia, nullus poteſt eſſe murus inexpugnabilior.* Similem Concordiæ adumbrationem *Caſtalius* (3) nobiſcum habet, qui Pacem & Concordiam, qua urbes maxime extolluntur, moraliter per Citharam intellexit. Et Ovvenus, nervoſus atque argutus ille Epigrammatum artifex (4) ideo ſtomachatur quaſi tam frequenti hominum diſcordiæ, cum etiam variæ, ſenſuſque expertes chordæ ineant concordiam, quando canit:

In tam diverſis cum ſit Concordia chordis;
Tam diſcors hominum non pudet eſſe genus?

Quidam exiſtimant, Apollinem cum Cithara pingi, & fingi novem Muſis, aliis inſtrumentis celebribus, præſidere ideo, ut innuatur, quomodo reliquis orbibus cœleſtibus Sol tanquam illuſtrior, virili quaſi efficacia præſit, dum orbes juxta Pythagoricos harmonico concentu (5) modulentur. De hac modulatione egregie *Cicero*, *flos & Deus eloquentiæ Latinæ* (6) diſſerit: *quis hic*, inquiens, *quis eſt, qui complet aures meas tantus, & tam dulcis ſonus?* Cui reſponſionem ſubjicit: *hic eſt, qui intervallis conjunctis imparibus, ſed tamen pro rara portione diſtinctis, impulſu, & motu ipſorum orbium efficitur: qui acuta cum gravibus temperans, varios æquabiliter concentus efficit.* Hæc vero omnia quam optime ad hominum animos, diverſos quidem; ſed inæquabilem concentum intentos, quadrare, quis non videt.

(1) Vid. Jacob. Maſen ſpecul. Imag. lib. II. c. VII. pag. 206. §. 10. & Natal. comit. Mythol. lib. IV. pag. 350.
(2) Plutarch. in Apopht. Lacon. Et Eraſm. lib. 1. Apopht.
(3) Apud Maſen l. c.
(4) Lib. III. Epigrammat. pag. 48. num. 211.
(5) Maſen ſpecul. Imag. lib. II. cap. VI. p. 183. num. 3. 4.
(6) In ſomnio Scipioni. prope fin. pag. m. 374.

VII. *Cithara adumbrat victricem piorum fidem.*

De Orphei, Davidis æmuli ficti, Cithara, multa narrantur a Poetis, quibus fingendi ſumma eſt poteſtas. Sic enim Apollonius *lib. 1. Argonaut.* de illa:

Ἀυτὰρ τὸ γ' ἐνέπυσιν ἀτειρέας ὔρεσι πέτρας.
Θέλξαι ἀοιδάων ἐνοπῆ ποταμῶν τε ῥεέθρα.
Φηγοὶ δ' ἀγελάδες κέωης ἔπ σήματι μολπῆς
Ἀκτῆς Θρηϊκίης Ζώνης ἐπιτηλεθόωσαι
Ἑξέιης σιχόωσιν ἐπήτελμοι, ἂς ὅ γ' ἐκιπρὸ
Θελγομενας φόρμιγγι κατήγαγε πιεείηθεν, i. e.

Hunc referunt duros lapides, & flumina cantu.
Detinuiſſe, ſuæ captos dulcedine vocis.
Sylveſtres fagos intra confinia terræ
Threiciæ, quæ nunc frondent, veſtigia cantus
Illius eſſe ferunt, quas ſecum adduxerat Orpheus
Vertice Pierio Citharæ dulcedine & artis.

Sic fama eſt, Orpheum ſumta Cithara ad inferos deſcendiſſe, atque cum mirifica ceciniſſet lamentationem, lacryams inferis excitaſſe, ut M. *Manilius* (1) ait:

Hac ſurgente Lyra teſtudinis enatat undis,
Forma per hæredem tantum prolata tonantis,

Qua

Qua quondam sonitumque ferens Oeagrius Orpheus
Et sensum scopulis, & sylvis addidit aures,
Et Diti lacrymas, & morti denique finem.

Citharam quoque hanc inter sidera relatam referunt, & a singulis Musicis, quarum laudes eximie cecinerat, novem insignibus stellis (2) insignitam. Quanta vero vis Davidis Citharæ fuerit, ex supra dictis sufficienter eluscescit. At major Fidei piorum vis, major victoria est. Cithara Fides aurea est, quæ cruci Salvatoris innixa, & concordia decem præceptorum comitata, dulcissimum edit sonum, in multorum auribus resonantem: Hæc fluctus persecutionum, animos tyrannorum lapide omni duriores, asperas minas, ancipites adversæ fortunæ casus, τὰς μεθοδείας Satanæ, & mortis & carnis rebellionem, aut emollit, aut dissipando hæc omnia vincit. Hinc post partam & de bestia & imagine ejus reportatam victoriam, victores Anti-Christi *Citharas Dei* habere, & canticum Mosis servi Dei, & canticum Agni cantare perhibentur, *Apoc.* XV. *vers.* 2. Sicut enim Moses post egressum Israelitarum ex Ægypto, & Pharaonis in mari erythræo submersionem, carmen triumphale Deo cecinit: ita hi ἐπινίκιον καὶ εὐχαριστικὸν Deo canunt (3) præprimis quando victoriam, vincentem mundum, quæ fides est (1. *Joh.* V. *vers.* 4.) recordantur.

(1) Lib. V. rerum Astronom.
(2) Vid. Natal. Comit. Mythol. l. VII. p. 769.
(3) Conf. Nostr. Kromayer. in Comment. ad h. l. pag. 364.



JACOBI HASÆI
DISPUTATIO
DE
INSCRIPTIONE PSALMI
VIGESIMI SECUNDI

In qua illud אילת השחר *esse Instrumentum Musicum probatur.*

ARGUMENTUM.

I. *Titulus hujus Psalmi diversimode explicatur, Autores, qui de illo scripserunt.*

II. *Non placet illorum sententia, qui de* Cerva auroræ *explicant.*

III. *Rationes illius opinionis adducuntur.* Prima, *quod Christus nunquam ita dicatur. Quo sensu comparetur* furi.

IV. Quatuor *aliæ adferuntur.*

V. VI. אילת השחר *instrumentum musicum denotare* (A) *posse probatur* (a) *ex ipsa verborum* emphasi *& quidem* (α) *vocis* אילת, *quæ ipso sono indicat, quid significet.*

VII. *Et voces cum illa cognatæ* lessum *indicant.*

VIII. *Ejusque rei vestigia exstant in linguis aliis, Hinc* ululare, ejulare, heulen / hillen / ἐλελίζειν *&c.* ἰαλημος, Æolus, ἐλεός *&c.*

IX. Α'υλος, חליל, hol / höle / Loch / Tibiæ perforatæ, *& inde nomen suum nactæ* ἔλυμος.

X. *Vel ita dici potuit a materia illius organi. Tibiæ enim ex ossibus hinnulorum ac* cervorum *compositæ.*

XI. *Tibiis datum nomen materiæ, ex qua paratæ;* אירוס, *quasi* æneum, Ert. Νεβρεια. *Quomodo nomen* cervæ *impositum instrumento musico.*

XII. *Musicæ usus in funeribus. German.* Flöte.

XIII. *Quale fuerit instrumentum ostenditur ex Judæorum scriptis.*

XIV. *Vocis* (β) שחר *significatio non tam ab* aurora *arcessenda est, quam a* nigredine.

XV. שיחור Sicera. *Loca* Ps. CX. 5. Es. XIV. 12. VIII. 20. Ps. CXXXIX. 9.

XVI. Joelis II. 2.

XVII. Hos. X. 15. Amos IV. 13. *illustrantur.*

XVIII. *Cognatio linguæ Germanicæ cum Hebræa;* Schwartz.

XIX. *Coloris* nigri *usus in luctu.*

XX. XXI. *Porro* (b) *ex Psalmi* scopo *atque* argumento.

XXII. XXIII. *Neque solum* posse, *sed &* (B) *Debere tale organum Musices intelligi evincitur ex illa regula;* Quod ubi talis, qualis hic est, verborum constructio occurrit, *semper* instrumentum musicum innuatur. *Hic canon illustratur* (a) *ex ratione Musices in templo Hierosolymitano.*

XXIV. *Probatur* (b) *en inductione omnium Psalmorum.*

XXV. *Inscriptio* Ps. XLV. ששנים. Cymbala. *Habuere figuram* liliorum, *quæ vocamus*, convallium. *Mare æneum.*

XXVI. *Titulus* Psalmi LVI.

XXVII. *Ratio veterum instrum. Musicorum nobis ignota est.*

XXVIII. *Quid* Jonathelem rechokim.

XXIX. *Confirmantur* (C) *hæc denique tam Judæorum, quam Christianorum suffragiis.*

I. MIrum sane, atque difficile dictu est, quot, quamquam diversis interpretationibus, versionibusque titulus, quem auro gemmisque pretiosior Psalmus, qui in divinorum hymnorum libro, *secundum* supra *vicesimum* locum occupat, præ se fert, excussus subactusque fuerit. *Dixerim fere*, (Verbis utor Viri celeberrimi, qui *Titulos Psalmorum* singulari atque erudito volumine illustravit) *quot in mundo dissona dantur horologia, tot sententiarum divortia reperiri, quidnam sibi velit, tam insignis Psalmi epigraphe.* Illas cognoscendi avidum ablegamus ad Chr. *Sontagii* citati libri *diatr.* XIX. *p.* 272. *seqq.* J. Dru-

Drusii observ. l. x. *c.* 3. J. Henr. *Ursini passion. p.* 254. *seqq.* S. *Bocharti* Hieroz. *p.* I. LIII. *c.* 17. *S. Glassii* Rhet. S. *tr.* I. *c.* 8. *pag.* 166. & in ἐνοματ. Christi II. 14. *Dietetici Antiq. Bibl. pag.* 440. *seqq.* præter innumeros alios, qui divinum hunc librum suis illustrare commentariis voluere, inter quos inprimis *S. Amama* & G. *Rivetus* consuli merentur. Id tantum notare liceat, non deesse Viros eruditione præstantes, quibus illa inscriptio tam visa fuit obscura esse, ut ejus sensum se una cum ignarissimis scire confessi sint, ex quibus nunc tantum Jac. *Gussetium*, & Th. *Gatakerum* nominare liceat.

II. Fateor tamen nullam opinionum omnium, mihi minus arrisisse, inde ab illo tempore, quo res suo æstimare pretio incipi, illa, quæ omnium trita est maxume, quamque ex veteribus Aquila, (qui vertit ὑπερ της ἐλαφȣ της ὀρθρινης, Hieronymus, Basilius, ex recentioribus Lutherus, Flaccius, Vatablus, Tigurini, Pagninus, Bugenbagius, Heresbachius, Musculus, Fabricius, Schindlerus, Glassius, Franzius, J. C. Dietericus, Bochartus, Gerhardus, Piscator, Hopsnerus, Ainsworth, Botsaccus, Schindlerus, Gejerus, Jac. Altingius, Joh. Marckius, atque alii magno numero secuti sunt. Videlicet cum vox אילת notet cervam passim, putarunt hoc quoque sensu heis loci accipiendam esse. Mirum autem est, quantum se torserint in applicanda hac voce שחר, quæ cum auroram notet, putarunt cervam judicari tempore *matutino* agitatam, atque ita hac phrasi Messiam indicari, ab inimicis suis, sub aurora illius diei, quo ferali crucis ligno adfigendus erat, hinc inde agitatum. Sed quod pace Virorum eximiorum dictum velim, tametsi sano sensu, quem deinde §. 10. & 11. aperiemus, significatio *cervæ* retineri potest, non tamen desunt rationes quæ, quod pedibus in eorum descendere sententiam, qui hic de *cerva auroræ*, tanquam objecto atque argumento totius Psalmi agi putant, nequeam, faciunt.

III. Eum in finem (a) observari velim nunquam in sacris Christum venire sub nomine *cervæ*. Scio huc adduci loca *Cant.* II. 9. & 17. & VIII. 14. Sed, ne nunc dicam nuspiam occurrere vocem אילת, sed vel צבי, quæ notat *binnulum* aut *capreolum*, vel עפר אילים, i. e. hinnulum cervorum, nequidem his nominibus insignitur, sed tantum cum animalibus id genus comparatur. Ita *Cant.* II. 9. דומה *similis est dilectus meus capreolo*, & *vers.* 17. & deinceps *Cap.* VIII. 14. דמה לך לצבי. *adsimulare binnulo*, legitur. In quibus vides non ad alias hujus bestiæ proprietates respici, quam insignem ejus celeritatem, quæ tanta est, ut secundum Xenophontem in Cynegetico ταχος ὀδεν ἐικος των τηλικȣτων νεβρων, *velocitas nulla similis sit istorum binnulorum*, unde & illa passim, cum apud sacros, tum profanos scriptores in proverbium abierit, ut ex Bocharto *L.* III. *c.* 17. & 25. constat. Quemadmodum itaque, quando v. g. I. *Thess.* V. 2. *coll. Matth.* XXIV. 43. 44. *Luc.* XII. 39. 2. *Petr.* III. 10. & *Apoc.* III. 3. adventus Christi adsimilatur adventui *furis* nocturni, male inde colligeres Christum *furem* dici nocturnum, cum tantum ea phrasi indicetur Christum olim subito ac præter omnium expectationem apparriturum, ita quando Christus adsimilatur capreæ vel hinnulo, cave putes, illum his nominibus appellari, quamvis ecclesia calidis votis exoptet, ut, olim ecclesiam suam liberatum venturus, *Flammea prævertat celeris vestigia cervæ*, ut phrasi utar Achillis apud Catullum, hymno LXV.

IV. Dispiciendum porro relinquo aliis, num (b) cerva, aut hinnulus, trepidum atque imbelle, neque robore, aut alia re, quam pedum agilitate commendandum animal, aptum queat esse Symbolum fortissimi illius Herois, ac Leonis e tribu Juda, qui vel tum potissimum, quando ea Psalmi verba sua faciebant, se talem orbi præbuit, neque infesta infernalium copiarum agmina, neque canum undique cingentium latratus *vers.* 17. neque taurorum Basanis impetus *vers.* 13. neque hiantes rugientium leonum rictus *vers.* 14. reformidans. Et quid dicam (c) de cerva *matutina* sive *auroræ*? Cur ita potius dicatur, quam vel *meridiei* vel *vespertina*, vix causam video. Ut enim nunc alias, quas adducant interpretes, rationes prætereæm, quod præcipuam illam ac vulgarem adtinet, quam cum aliis etiam Lutherus secutus est, quasi illa denominatio petenda sit a tempore, quo, instar cervæ agitatus fuit Sospitator noster, non video, cur illud ad matutinam potius, quam aliam diei partem referendum sit, cum per integrum pene νυκτημερȣ spatium hostium suorum insectationibus fuerit expositus, neque tempore matutino, sed medio die lugubre hoc carmen ingeminaverit. Ne nunc (e) moneam phrasin hanc, אילת שחר quæ denotare debeat *cervam mane agitatam* prorsus insolitam, a genio linguæ Hebreæ alienam, neque ullo exemplo simili, quod sciam, illustratam esse. Quibus accedunt (f) rationes reliquæ, quæ illud

illud אילת השחר de instrumento musico, cujus in luctu atque ejulatu moderando usus erat, & cui hujus hymni præcentor præfectus erat, omnino intelligendum esse, docent, ad quod probandum uberius, nos nunc accingimus.

V. Hoc autem ut fiat non sine aliquo ordine, *primo* operam dabimus, ut eas voces hoc interpretamentum posse pati, tum ex earum emphasi, atque vera significatione, tum ex Judæorum testimoniis, ex totius denique Psalmi argumento ac scopo ostendamus. *Deinceps* autem haud aliud posse pati, quin ita indubie explicari debere, evincemus; Hanc *denique* explicationem a doctorum interpretum tam Judæorum, quam Cristianorum opinionibus non prorsus abhorrere, indicabimus. Atque his limitibus præsens circumscribetur disputatio.

VI. Quod itaque (A) ad priorem vocem אילת adtinet, est ex ea eorum genere verborum, quæ Græci vocant πεποίμενα, quæ ipsa pronunciatione, quid significent, indicant, ita ut vel linguæ ignarus, quid sibi velint, cum audit, facile intelligat, qualia v. g. apud Latinos sunt, *babare*, *balare*, *boare*, *bombus*, *fremere*, *frendere*, *fritillare*, *gingrire*, *hinnire*, *glocitare*, *lallare*, *mugire*, *murmurare*, *ronchare*, *raucus*, *stridere*, *silere*, *sibilare*, *tinnire*, *tintinnabulum*, *turtur*, *ululare*, *ulula*, & innumera alia. Sicut apud Germanos nostros blöcken / bäcken / brüllen / mauen / grunken / glöcken / klingen / pfeiffen / zischen / ec. Sicut ranarum strepitum eleganter expressit Aristophanes, per illud βρεκεκεκὲξ κοὰξ, κοὰξ, & sonitum tubarum Ennius, *At tuba terribili sonitu taratantara dixit*, & currentium equorum strepitum Virgilius, *Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum*. Ita ab Hebræorum אהה, vel הה, vel הוי, vel הו-הו (Amos V. 16.) vel אי, vel הא; sicut aliarum nationum; *Oh! He! heu! ah*, vel ach! *eheu*, *ach*, αἶ, αἴ, *hoi*, mœrentium, gementiumque suspiria indicant, quibus cum additur litera l. eos gemitus in voces ac sonos lugubres erupisse significatur.

VII. Id vero non in unius gentis, sed variarum sermonibus, locum habet. Apud Hebreos אלי notionem planctus, ac lamenti habet *Joel. l.* 8. Recte LXX. verterunt θρηνήσον. Syri eadem significatione utuntur אלא. Ut & targumistæ Judicum. XI. 40. 2. *Sam.* I. 17. Apud eosdem אליה lamentatricem, præficam ad plangendum mortuos conductam, ut apud Syros אלין, indicat, sicut, אליה, qua frequenter utuntur, ejulationem, planctumque, significat. Huc pertinet אליותא, quam adhibent *Job.* III. 8. Hinc אללי, vox singultientium & ejulantium *Job.* X. 15. *Mich.* VII. I. Apud Talmudicos אליית lamentatricem fœminam indicat, unde רביעית של אליית *sistrum lamentantis feminæ* in tractatu Kelim *cap.* 17. dici, in lexico adnotavit Buxtorffius. Sicut & in eodem Codice כלים *c.* 15. §. 6. dicitur *Tympanum mundum pollui sessione*, יושבת עליו מפני שהאלית, ad quæ verba ita scribit Maimonides; *Cum hocce instrumento, quod vocant* טנבירין (nota nostrum *Tambour*) *apud mortuos Lamentatione agitans, & hic est sensus illius, quod dicit* מפני שהאלית יושבת עליו quia Elith in ipso considet, *per* אלית *intelligas* הספרנית, lamentatrix. *Sicut dicitur Joel.* I. 8. Cognata his voces sunt ילל in Hiphil חוללים יללה הילל vel יללא quas pariter *ululantium*, atque *ejulantium* sonos exprimere constat.

VIII. Matrem suam heic sequuntur filiæ, hoc est, eadem harum literarum ac vocum significatio est in linguis aliis, quæ est in Hebraica. Quis enim id non agnoscit in Græcorum ἐλελίζειν, ἀλαλάζειν, (quæ quidem vox apud scriptores profanos lætam vociferationem indicat, apud LXX. tamen pro tristi sumitur lamento, & per hanc reddunt ex τὸ Hebræorum הילל *Jer.* XXV. 26. 44. XLVII. 3. quamquam etiam pro lessu, sumitur apud Marcum *vers.* 38. & in Glossario ἀλαλάζειν explicatur ejulare) ὀλολύζειν, ὀλολυγή, ὑλάειν (quasi ἐλαλεῖν,) unde ὑλάξ, ὑλακτεῖν? Quis non observat in Latinorum *ejulare*, *ululare*, in Germanorum heulen / heulecken / jillen / in Belgarum *builen*, in Anglorum *yell*, unde *yelling*, atque his similibus, eadem vocum illarum Hebraicarum, præcipue τῶν אלה & הילל vestigia? Hinc fortassis etiam descendit vox ἰάλεμος, vel, ut alii scribunt, ἰήλεμος, quam vocem Suidas ᾠδὴν explicat θρηνωτικήν, & quæ hinc derivantur ἰηλεμίζειν, quod Hesychius per θρηνεῖν explicat, & ἰλεμίστριαι, i. e. *Mercede quæ conductæ flent alieno in funere præficæ, Multo & capillos scindunt, & clamant magis*, ut verbis utar Lucilii. Anne hinc quoque appellatio *Aeoli*, qua ventorum Deus appellatur, quod ita eorum mugitus atque ululatus, *flamina cum deprensa fremunt sylvis, & cœca volutant Murmura*, eleganter exprimantur, descenderit, meretur anquiri. Huc tamen putem referendam vocem ἐλεὸν, qua *ululam* designat Aristoteles, quarum hæc non minus, ac illa, illius avis clamorem ipso sono refert.

IX. Immo, parum abest, quin ad eandem hanc originem quoque adducendam, esse existumem Græcorum αὐλὸν, qua ὄργανον θρηνητικὸν, *tibiam* significant, ac reliquas voces, quæ hinc derivandæ apud

Ju-

Julium Pollucem adducuntur *L.* IV. *c.* 9. αὐλεῖν, ὑπαυλεῖν, καταυλεῖσθαι, παραυλεῖν, αὔλημα, ἔναυλον, ἐξηυλημένον, πλαγίαυλος, μόναυλος. Vides enim illas repræsentare sonum, quem edit, quæ *cantat mœstis Tibia funeribus*, vel, ut cum Statio loquar.

Quem signum luctus cornugrave mugit adunco, Tibia, *cui teneros suetum producere manes*. Nisi fortasse an id vocis petendum ab Hebræis alio modo velis, sc. a חול, quæ notionem habet *cavitatis*, atque eadem prorsus est cum Germanico hol, cavus, unde aushölen, excavare, & hole, caverna & inversis literis Loch, (sicut eodem modo מחלות cavernæ dicuntur.) Denominationis illius ratio a cavitate, vel foraminibus tibiarum petenda est, quæ eleganter Favonius Eulogius, in libello, de sonitu orbium cœlestium vocavit *cavernas*, quemadmodum hinc apud eosdem quoque tibia nomen sortita est, dicta חליל, hoc est, instrumentum musicum foraminibus suis distinctum, (eodem modo quo נקבים *fistulæ* dicuntur a נקב perforare) & חוללים ad tibiam tripudiantes, & נחילות & מחלה, quæ pariter instrumentorum musicorum nomina sunt. *Psal.* V. LIII. & LXXXIX. Certe *perforatarum* tibiarum etiam mentio fit apud τοὺς ἔξω scriptores. Aristoxenum singularem librum scripsisse περὶ Αὐλῶν τρήσεως de *perforatione tibiarum* legitur apud Athenæum *L.* XIV. τρηταὶ δόνακες i. e. *arundines perforatæ*, & λωτοὶ πολύτρητοι i. e. tibiæ *multiforatiles* (utor voce, quæ extat apud Apul. Flor. I.) memorantur in Ἀνθολ. *L.* I. *c.* 5. *Ep.* I. & 5. citante III. *Spanch. ad Cal. p.* 295. Qui & ibidem docet ex Athenæo *L.* IV. *eburneas tibias* primum παρὰ φοίνιξιν ἀνατετρῆσθαι *Phœnicibus perforatas*, unde non mirum apud eos a perforatione nomen suum nactos esse. Huc spectat illud *Ovid.* ex *L.* VI. Fast. *Prima terebrato per rara foramina buxo; Ut daret effeci tibia longa sonos*, ita loquente Minerva. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. In hunc quoque censum referendam esse vocem ἔλυμον quæ apud *Pollucem* atque *Athenæum* tibiam Phrygiam designat, vix dubito.

X. Quod si tamen quisquam hanc vocem malit sensu interpretari maxime vulgari de *cerva* vel *Hinnulo* ego quidem, modo non objectum hujus cantilenæ, sed ad ὄργανον referatur, quo in ejus modulatione utebantur, non solum non refragabor, sed id fieri posse eleganti ac commodo sensu, ostendere conabor. Eum in finem revocemus nobis ad animum, materiam, ex qua olim fiebant tibiæ, cum fuisse res alias diversas, tum præcipue animalium vel ossa vel cornua: (Vide *Thes. Antiq. Sacr.* Tom. XXXII. elegantem de *tibiis* tractatum C. Bartholini I. c. 4. & confer Illustriss. Spanhemium loco proxime citato.) Nunc tantum observamus eam in rem inprimis adhibita esse *cervorum* atque *hinnulorum* ossa. Jul. Pollux, ubi ὕλην τῶν αὐλῶν recenset *L.* IV. *c.* 9. *§.* 71. non solum arundinis, & ferri, & loti, & buxi & cornu meminit, sed & diserte commemorat ὀστοῦ ΕΛΑΦΟΥ, quod male vertitur os *elephanti*, cum *cervi* vertendum sit. Apollonius Tyanensis, Canum insignem apud Rhodios tibicinem, interrogare legitur, an ideo tibiæ cantus tam insigni polleat facultate διὰ τε χρυσοῦ τε καὶ ὀρειχάλκου, καὶ ἐλάφου Κνήμης ξυγκεῖσθαι ἢ δὲ καὶ ὄνων, *eo quod ex auro vel orichalco aut*, Cervorum *aut asinorum cruribus compacta sit*, apud *Philostr. de* V. *Appoll. L.* V. *c.* 21. id quoque docet *schol. Aristoph. ad Acharn. vers.* ἐπεὶ τὸ παλαιὸν ἀπὸ τῶν ἐλαφείων ὀστῶν κατεσκεύαζον τοὺς αὐλοὺς, *olim e* Cervinis *ossibus tibias compingebant*. Hinc eleganter Callim. in Hymno in Dianam *vers.* 244. ἔργον Ἀθηναίης *opus Minervæ*, ita autem vocat tibiam, dicit ἐλαφοσκακον *cervi perniciem*. Idem ex Theveto de Canadensibus, populo Indiæ, narrat Ulysses Aldrovandus de *anim. bis. L.* I. *vers.* 27. De Hinnulorum ossibus idem sæpe traditur. Thebanos tibias ex νεβροῦ κώλων, ex hinnulorum membris fabricasse commemorat *Jul. Poll. L.* IV. *sect.* 74. Idem Jubam de Thebanis narrasse scribit *Athen. L.* IV. & ex eo *Eustath. ad* II. Σ. *p.* 1157. Inde intelligi potest Battiades in adducto modo hymno, ubi Amazonas dixerat usas fuisse fistulis, addit *vers.* 244.

Οὐ γὰρ πω νήβρεια δι' ὀστέα τετρήνοντο, *Nondum enim ossa hinnulorum perforaverant*, tibiarum sc. in usum. Apud *Plut. in symp. pag. m.* 150. Æsopus ait *neglectis* νεβρείους, *hinnulorum* sc. *ossibus*. *Tibiarum artifices usos esse* τοῖς ὀνείοις *asininis*, *quod multo eas argutius sanare dicant*. Hinc notantur νέβρειοι αὐλοὶ in *Anthol. l.* IV. *c.* 28. *ep.* 13. Νεβρείων ὅσσον σάλπιγξ ὑπερίαχεν αὐλῶν. *Hinnuleas quantum tuba superemiinet tibias*. Hesychius in voce κάκτος; scribit eam *esse spinam*, *qua si hinnulus confixus sit*, *ejus ossa utilia non sint ad faciendas tibias*. Immo, quod e *tibiis* illis *cervorum hinnulorumve* fabricabantur, hinc ad omnes hæc appellatio videtur translata esse, siquidem Isidoro fides *lib.* II. *Orig. cap.* 20. *Tibias appellatas putant*, *quod primum de* Cervinis tibiis, cruribusque hinnulorum *fierent*; *deinde per abusionem ita cœptas vocari etiam*, *quæ non de cruribus ossibusque essent*.

XI. Atque inde nunc facili negotio conjicies, qua ratione organum Musicum

 vo-

vocatum ſit nomine, *cervi* ſeu אילת. Videlicet, non inſolitum eſt ſcriptoribus inſtrumento alicui nomen dare illius materiæ, ex qua illud fabricatum eſt. Sic v. gr. vix aliam vocis אירוס, *Eros*, qua Talmudici frequenter utuntur, & vel tympanum vel *tintinnabulum* ſignificant, reperies, quam in Latinorum *æs*, *æris*, Germanorum, Ertz, ex quo illud conficiebatur. Eodem modo ac Cymbala *æra* dicebantur. (vide *Lampii mei de Cymb. lib.* II. *cap.* 4.) Sed ut nunc non alia rei exempla proferam, quam quæ ipſam, quam tractamus, materiam ſpectant, tibiam aliquando *calami*, vel *cicutæ* vel *avenæ*, aliquando *buxi*, aut etiam *loti* nomine venire, quod & ex *arundine*, vel *avena*, vel *buxo*, vel *loto* fuerit compacta, vel modice in veterum ſcriptis verſatis non poteſt ignotum eſſe. (*Vid. Barth. de tibiis lib.* I. *cap.* 4.) Eodem itaque modo אילת i.e. *cervæ* nomen dari potuit tibiæ ex oſſibus *cervinis* factæ, phraſi ipſis ſcriptoribus profanis haud inſolenti. Ita in citato Plutarchi loco abſolute tibias ex oſſibus hinnulorum paratas, vidimus dictas τὰ νεβρεια, & in epigrammate Antipatri mentionem fieri audiebamus τῶν νεβρειων αὐλων. Si itaque nolis noſtrum אילת, a lugubri dictum eſſe ſono, quem edebat, vides, quam facile a materia, ex qua conſtabat, potuerit nanciſci denominationem.

XII. Quidquid hujus rei ſit, hinc adfatim puto conſtare, אילת commode ſignificare poſſe inſtrumentum aliquod muſicum, cujus in deducendis funeribus uſus erat, ſive illud fuerit tibia, ſive tuba, ſive tympanum; Nihil enim certi hic atque indubitati ſtatui ac determinari poſſe fateor. Sufficit apud Judæos non minus, ac gentes alias illum morem viguiſſe, ut in exſequiis non cantu ſolum lugubri, ſed & aliis uterentur triſtitiæ inſtrumentis, in quibus primarium locum obtinebat *tibia*. Veſtigia illius in ipſis ſacris literis occurrunt *Jer.* XLVIII. *Matth.* IX. 23. Vide de illa *Barthol.* de tibiis *lib.* II. *cap.* 15. *Kirchm. de fun. lib.* II. *cap.* 4. 5. 6. *Aringhum* in Roma ſubt. *Tom.* I. *lib.* I. *cap.* 18. §. 14. *ſeqq. Stuck. Antiq. conviv. lib.* III. *cap.* 20. *Gejerum de luctu Heb. lib.* I. *cap.* 5. §. 14. *ſeqq. Hier. Magium Miſc. lib.* I. *cap.* 29. 13. *Urſini Anal. lib.* I. *cap.* 7. *Scult. Obſ. in Matth. cap.* 29. & *in Exerc. lib.* II. *cap.* 55. & ſexcentos alios. Ea etiam aliquando incidit cogitatio, anne hæc vox Hebraica אילת ſit eadem cum Germanica voce Flöte, fluyte. Sane eædem heic propemodum occurrunt literæ, א ſolum in f mutato, eadem eſt ſignificatio, cum hæ quoque voces Germanis meis inſtrumentum denotent muſicum, cujus in luctu & leſſibus uſus eſt.

XIII. Bonum interea factum eſt, ipſos Judæorum magiſtros me mihi habere adſentientes, qui pariter אילת Inſtrumentum eſſe muſicum, ejus denique eſſe originis, quam ego tradidi, docent. Egregius locus eſt, qui in Lexico Baal aruch in voce אילת occurrit; אילת ר׳ יהודה אמר הארס טומא מושב מפני שהאילת יושבת עליו בכלים אמרי ארוס בתלמוד מאי ארוס טבלא דחד פומא אביי אמר כובא ובלשון הישמאל דבדבא ועושין כלי חרש עגול ארוך אמא והו חלול ובפתחו האחר משימין יתרים של מעים ועל נכם מכסין עור ומכים עלוי וקולו ערב ועושין אותה לחופה ולמת כמו ההלילין ופירוש איולת מלון אלי בחולה חגורה שק והיא לקונן ופעמים יושבת על אותו כלי ובפרק כל כלי עץ רביעית איולת יפורושו במו כן כלי חו שמזשרת בו האשה העושה בכי עם חברותה: Liceat ea latine exhibere, prouti a Viro eruditiſſimo Stephano Monachio converſa ſunt. *Ailet, R. Juda dicit eſſe Tympanum pollutum propter ſeſſionem. Quia mulier in luctu ſuper illo quievit & ſedit. In Codice Celim dicitur, quod ſit Eros ſeu tympanum. In Talmude, unde Eros, quid eſt Eros, eſt Tabula, quæ habet os unicum. Abiai dicit, quod ſit quaſi Cantharus & poculum, & Lingua Iſmaelitica ſeu Arabica, dicitur Dabdaba. Et faciunt inſtrumentum ſeu vas fabrile, rotundum, longum cubito, & illud eſt perforatum, & in illius ore ſeu apertura, ponunt nervos ſeu fides ex viſceribus, & ſuper illis extendunt pellem, quam pulſant, & ſonus illius eſt amœnus, & jucundus, & illo utuntur in feſtivitatibus ſponſalibus juxta ac in luctu mortuorum, ſicut & Tibicinibus. Derivatur vero vox* איולת *ab* אלי *a luctu, ſicut dicitur de virgine, quæ Sacco induta & ad planctum compoſita ſedit ſuper iſtud inſtrumentum. Et in Cap.* כל כלי *&c. & in Talmud. Codic. Sotha, Quarta, luctus eſt inſtrumentum, quo mulieres plangentes & in luctu cantant cum ſociis ſuis.* Vides ex illis eſſe Inſtrumentum muſicum, in luctu adhiberi ſolitum, accurate illud deſcribi juxta partes omnes, ἔτυμον nominis a voce אלי, quæ luctum indicat, deduci; Et explicari denique de *tympano*. Valde his adfinia habet autor libri שלטי הגבור *fol.* V. *col.* I. editionis Mantuanæ *cap.* V. In quo plurima habet de inſtrumentis muſicis, quæ alibi fruſtra quæſiveris, quæ tamen merentur ex Hebræo verti, ut ab omnibus legi poſſent. Quamvis textus eſt obſcurus, neque mendis typographicis caret, cum tamen ipſe liber in pauciſſimorum manibus verſetur, atque noſtrum אילת præ aliis videatur om-

omnium accuratissime describere, non pigebit, prouti ea in Latinum sermonem converti, heic subjungere, האילה (perperam heic ה emphaticum ræfixum est) השחר; *Vocatur hoc instrumentum Musicum ex dialecto Rabbinorum nostrorum* אליית, *in tr. Talmudico* כלים, *in* cap. XV. *quod incipit;* כל כלי עץ, *Misna* 7. *In Gemara autem Sotæ vocant illud alio nomine* ארוס; male ita scribitur, cum scribendum sit ארוס) *Et dicunt ibi? quid* ארוס? *est tabula, unius oris.* R. Abai dicit; esse כובא *instar foveæ, vel poculi. Et conficiunt illud vas fictile, rotundum longum unius cubiti. Et illud perforatum est. Et habet orificium, unicum; super quo ponunt tabulam, & supra illa nervos vel viscera Animalium, quemadmodum faciunt in citharis & nabliis. Et super illud extendunt pellem, & pulsant super ea, & ejus ministerio utuntur* בחופה *in Chuppa, i. e. sponsalibus* (notat enim hæc vox cœlum, sive velamen, sub quo νεογαμοι in nuptiis solebant inaugurari, de quo vide diss. int. Carpzovii, quæ in ejus dissert. volumine decima est,) *& in funeribus, sicut in illis uti solent tibiis. Et explicatio* אילת השחר *petenda est ex verbis apud Joelem,* I. 8. אלו, Ejula, instar puellæ, quæ sacco induitur, *quod explicant de præfica. Et ita est inter instrumenta lamentatricum, quibus utitur mulier lessum faciens cum sociis suis in angustia & morte repentina, cujus tempus ignorabant venturum, sicut aurora, quam non sentit venire homo, usque dum videamus illam, & ita interpretatio hæc vocis* שחר *in hoc loco convenit, cum ejusdem vocis interpretatione apud* Es. XLVII. 11. & Hos. x. 15. (vide supra §. 16) *atque appellant ita, quæ canunt super mortuos, sicut vocat autor* גיליאו (hanc vocem non intelligo, forte nomen libri est, aut vertendum est *Gallice*, ut innuat scriptorem Gallicum, vel *Evangelii*, ut indicet Evangelistam, in cujus latina versione sequens vox exstat) סיטיציניח, *siticines*, quam vocem latinam esse unusquisque animadvertit. Ex his inter alia discimus Talmudicos אילת scripsisse אליית, quam vocem in tractatu Celim occurrere jam ante §. 7. monuimus, sicut eandem quoque legimus in eodem *Tr. c.* XVI. §. 7. ubi רביעא של אליית Maimonides ita explicat; *puta duo ligna, quorum unumquodque longum est cubito, sunt ergo duo ligna in manu ludentis, qui uno percutit alterum secundum melodiam, figura illius nota est in plagis occidentalibus vocatur* אלשן, Plures præterea alios ex Judæorum gente nobis in eo adstipulari, ut generaliter ad instrumenta musica referendum sit, deinceps §. 29. ex Jarchio, Kimchio, Abenesra, & Abendana videbitur. Neque dubito, quin, qui operæ pretium judicaverit hæc inquirere solertius, eumque in finem scripta Magistrorum gentis Hebrææ pervolvere volet, plura sit reperturus, quibus hæc illustrari queant egregie. Mihi id neque nunc vacat, neque, ut, quod res est, dicam, lubet.

XIV. Quin potius ad sequentem vocem pergamus, שחר, quæ cum אילת nexu indivulso conjungitur, & videamus, num illa cum hac quoque, quam dedimus interpretatione, conciliari queat. Plerique & tantum non omnes interpretes *auroram* sive tempus matutinum, licet alio & alio sensu, voluere interpretandum. Si ex illorum sententiis mihi aliqua eligenda esset, illam meam facerem, quæ Francisci Junii est, qua existimat, ita dictum hunc hymnum, *quod Sacerdotibus & Levitis fuerit traditus, ut singulo quoque mane in ecclesia, quam primum aurora erumperet, caneretur. Sic voluit Deus ecclesiam veterem singulis diebus recolere fiduciam de expectatione Christi, cujus perpessionum & regni vaticinium hoc Psalmo continetur.* Notum enim est, cum offerrentur, quod fiebat quotidie, sacrificia matutina, ab illis, qui sacris in templo operabantur, certos hymnos decantatos, in quorum numerum hic quoque Psalmus referendus est. Atque huc respexere quoque Chaldæus pariter ac Alexandrini interpretes, quos nuper Salomon van *Til*, doctissimus Psalmorum interpres, secutus est. Si itaque notionem *Cervæ*, quod commode fieri posse §. 10. & 11. evicimus, velis retinere, per *Cervam auroræ* tale indicaretur instumentum, quod e *cervinis* paratum ossibus, sub ipso lucis ortu *primo mane* solebat adhiberi, quod fuisse *tibiam* valde sit verosimile.

XV. Putem tamen heic quoque minus propriam τῷ שחר significationem, qua *auroram* significat, non præferendam alteri, qua *nigredinem* atque *atrorem* indicat: Abunde enim a me demonstratum puto, propriam non solum ac genuinam, sed & frequentiorem hanc esse ejus vocis notionem in Dissertatione singulari, quæ *Historiæ Criticæ Reip. literariæ*, quæ curante eximiæ eruditionis Viro Samuele *Massone* Amstelodami prodiit, inserta est, & in ejus tomo XIII. secundum locum occupat. Ostendi id non solum ex creberrimo ejus tali usu in sacris literis æque, ac scriptis Judæorum; neque duntaxat observavi illud patere ex voce שיחור, quæ Nilum ita dictum a *nigredine* indicat, ut & שכר sive *sincera*, quæ potum sive vinum *nigricans*, i. e. ἄκρατον, qualia in Palæstina erant, proprie signi-

ſignificat. Unde & Onkelos, quod poſtea obſervavi, plerumque vertit חמר. Verum etiam ad hanc ſignificationem alia loca, in quibus *το* שחר de *Aurora* ab interpretibus explicatum fuerat, traduci debere probavi v. gr. in *Pſ.* CX. 3. illud מרחם משחר non ex *utero auroræ*, ut vulgo fit, ſed e *medio noctis*, ſive *tenebrarum* vertendum eſt. Et apud *Eſ.* XIV. 12. בן שחר, non eſt *filius auroræ*, ſive *ſtella matutina*, ſed *filius tenebrarum*. Inprimis autem apud eundem divinum Vatem *cap.* VIII. *verſ.* 20. *το* שחר non *auroram*, ſed *caliginem & tenebras* notat, totumque comma ita eſt vertendum; *ad legem & taſtimonium! Annon enim loquentur juxta hoc verbum, in qua nulla eſt* Obſcuritas? vel, *quod ſi non loquentur* juxta hoc verbum, אשר אין לו שחר, *cui non obſcuritas*, tum ſc. eas pœnas exſpectandas habebunt, quæ commate ſequenti proponuntur. Ita autem & ſenſum plene planeque fluere, & apte omnia præcedentibus æque ac ſequentibus cohærere, unuſquiſque videt, & liquidiſſime a me oſtenſum eſſe arbitror. Pariter Pſalmo CXXXIX. 9. כנפי שחר non *alas* eſſe *auroræ*, ut hactenus creditum eſt, ſed *noctis* ſive *tenebrarum*, in aperta luce collocavi in ſingulari diatribe, quæ pariter in ejuſdem *Hiſt. Crit. Tomo* XII. *p.* 225. *ſeqq.* legitur.

XVI. Ut autem dies poſterior prioris magiſtra eſt, ita deinceps animadverti in hunc quoque cenſum referri poſſe locum *Joelis* II. 2. in quo cum pronuntiatum fuerat venturum *diem tenebrarum & caliginis, diem nubis & obſcuritatis* ſtatim additur כשחר פרוש על ההרים *ſicut* שחר *quæ panditur ſupra montes*. Non inepta quidem eſt illorum Interpretum ſententia, qui hac phraſi indicari arbitrantur diem illum judicii tam repente appariturum, tam longe lateque ſe diffuſurum, quemadmodum lux ſolet, quando, ut poeta ait.

> *Ηως μεν κροκοπεπλος ἐκιδνατο πασαν*
> *ἐπ' αἶαν.*

Sed, cum cogito, huic comminationem fieri gravis alicujus ac tremendi judicii, lucis autem atque auroræ ortus rerum lætarum ſoleat eſſe ſymbolum, quod vel ex *Eſ.* LVIII. 8. patet, non video, tam commode notionem *auroræ* heic locum habere poſſe, quam quidem *tenebrarum*. Idque eo magis, quo clarius ac ſignificantius jam quater *illarum* fuerat facta mentio. Certe in hoc loco hanc vocem ita quoque intelligendam eſſe, ſuſpicatus eſt doctiſſimus ſcripturæ interpres Arias Montanus, ſecutus Abarbanelem, qui pluribus de duplici ſignificatione *τῦ* שחר de *tenebris & aurora* diſputat, illiuſque rei rationem eſſe ſcribit, quod *tenebrarum nigredo nondum abiit, nec aurora luce exoriente ſupra terram eſt diſperſa*. In eadem quoque ſententia fuit vetus grammaticus, Abu-Walid, *ἀνέκδοτος*, cujus verba exhibet Eduardus *Pokokius* in inſigni ad hunc Vatem commentario, qui & ibi R. Tanchumi verba citat, quibus a quibuſdam in hoc loco שחר per *tenebras* explicari ſcribit. Parum quoque abeſt, quin in hanc claſſem collocem locum *Hoſ.* X. 15. ubi comminatur Deus, *Regem Iſraelis ſuccidendo ſuccisum iri* בשחר. Omnes interpretes vario quidem, ſed valde contorto ſenſe, de *aurora* in hoc loco cogitarunt. Sed quam facile omnia fluunt, ſi heic nobis ad animum revocemus *tenebras*, ſenſu non ſacris ſolum, ſed & *τοις ἔξω* ſcriptoribus perquam familiari, *calamitatum* æque ac *mortis* eſſe ſymbolum, atque ita illud בשחר, vertamus, in *tenebris*. Ita ut ſenſus ſit, Iſraelis regem inter varias calamitates miſerabili mortis genere extinctum iri, ſive, ut Poetæ verba mutuer,

> *Iturum per iter Tenebricoſum*
> *Illuc, unde negant redire quemquam.*

XVII. Cogitavi etiam aliquando, annon huc quoque referri debeat locus apud Amos. IV. 13. ubi inter alia Deus deſcribitur עושה שחר עיפה. Vulgo quidem hæc ita explicantur; *Qui facit ex aurora caliginem*. Sed cum in hoc commate Deus ob præſtantiam mirandorum operum naturæ, quæ facit, prædicetur, ſecundum autem naturæ ordinarium curſum non auroram ſequantur tenebræ, ſed plena dici lux, non video, quomodo illud retineri poſſit interpretamentum. Poſſet itaque verti, ut ſubintelligatur copula ו, *qui facit auroram & tenebras*, vel, qui facit *caliginem & tenebras*. Immo, cum עיפה, quæ vox eſt *ἄπαξ λεγομενη*, deſcendat a עוף, quod verbum non ſolum notionem habet *obſcuritatis*, ſed & *ſplendoris*, atque *fulgoris*, non video, quid obſtet, ſi vertas, *qui facit Tenebras ſplendorem, i. e. lucem*, hoc eſt, qui diem facit exoriri,

> *Poſtquam prima novo conſperſit lumine terras*
> *Tithoni croceum linquens aurora cubile.*

Sed de hoc loco, cui non deeſt שחר, diſpiciant alii.

XVIII.

XVIII. Unicum hoc nunc addo, quod in mea me sententia de vero vocis hujus usu non parum confirmat. Deprehendi enim linguæ nostræ vernaculæ, qua Germani utimur, multum intercedere adfinitatis cum omnium matre, Hebraica, atque hanc ex illa plurimum mutuari lucis posse. Et dignam sane rem judico, in qua quis ingenii sui nervos intenderet, ut, quemadmodum ab aliis factum est circa linguas orientis, non parum opis Hebrææ, cui omnes originem suam debent, adferentes, ostendat, quantum nostra quoque eidem fœnerari possit subsidii. Ego, ut antea §. 8. id observavi circa vocem אילת & §. 9. circa vocem חול ita idem usu venire in hac voce שחר video. Apud nos enim, & Belgas, *niger* dicitur schwartz / vel schwart / quibus si terminationem, t vel tz / linguis nostris propriam demas, Hebraicum omnino שחר retinetur. Qua quidem observatione non parum stabiliri vides, quod probavi, maxime propriam vocis ejus significationem *a nigredine* esse arcessendam.

XIX. Atque ea quidem in hujus quoque hymni epigraphe retinenda videtur omnino. Notum enim est eundem morem, qui viget etiamnum, quo in luctu ater adhibetur color, quem ab Ægyptiis ortum atque in reliquas gentes derivatum scribit Servius ad *L.* XI. Æneidos, esse longe antiquissimum; (Vide, si tanti tibi est, *Savar. ad Sid. Apoll. Ep.* 7. *L.* V. *Kirchm. de Fund. d.* II. *c.* 17. *Gejerum de luctu Hebr. c.* 22. §. 3. *seqq. Petri Morestelli justa fun. L.* I. *c.* 26. *Thylesium de Color. c.* 3. *atque alios.*) Id tantum liceat adnotasse eundem Judæis quoque fuisse in usu, & atrum sive fuscum colorem adflicti atque in luctu ac squalore positi animi, fuisse indicium. Non obscure id colligitur ex *Job.* V. 11. XXX. 28. *Ps.* XXXV. 14. XXXVIII. 7. *Jer.* VIII. 21. *Mal.* III. 14. sicut & Josephus *L.* XIV. *Ant. Jud. c.* 17. rei ad tribunal euntibus ἐσθητα μελαιναν adscribit. Ex quibus patet, quid sibi velit illa phrasis למנצח על אילת השחר, videlicet vel illum præcentorem, cui hic hymnus erat decantandus, atratum ac lugubri indutum veste apparuisse, vel ipsum illud ὀργανον musicum, sive illa fuerit tibia, sive tympanum, fuisse instrumentum *nigroris, tenebrarum, caliginis*, hoc est, ex phrasi Hebraica, luctus atque mœstitiæ. Atque ita, cum ex Baal Aruch & Schilte haggeburim audiverimus אילת, cum in festivitatibus, tum in lutu adhibitum, אילת השחר potuit posterioris esse generis. Eleganter autem & perquam scite hanc denominationem a *nigrore* traxisset, si probari posset, veteribus id olim fuisse in more positum, quod nostro ævo fit frequenter, ut in publico luctu, in exsequiis præcipue Principum, aut Ducum bellicorum organa musica, tympana præsertim, ad quæ, nostrum quoque אילת referunt citati autores, nigro panno obducerentur, ac velarentur.

XX. Hæ vero tituli hujus interpretationes, quemadmodum *emphasim*, atque significationem vocum exhibent egregie, ita non minus cum *scopo* atque *argumento* totius Psalmi conveniunt accurate. Complectitur enim triste illud *Lamentum, gemitusque atque horribilem ululatum*, quibus implevit aera Sanctissimus humani generis Sospitator, quum acerbissimum, dirissimumque crucis supplicium sustineret, quo quidem lessu dubito an unquam aliquid tristius aut magis flebile auditum fuerit. Illius rei memoria cottidie ferme Judæorum animis refricari debuit, ut, cum in templo agnus sacrificii jugis mactaretur albescente die, hymnus cantaretur, quo illi exprimebantur gemitus, quos agnus ille immaculatus, mundi crimina auferens, editurus erat. Quid autem convenientius erat, quam ut ille illi Cantorum ἐργοδιωκτῃ traderetur, cui lugubrium modorum cantus demandatus erat? ut ille illo uteretur instrumenti genere, quod ad significandum acerbissimum dolorem erat maxime idoneum? quod vel ipso suo sono indicaret *ejulatum* atque *ululatum*, (דברי שאגתי, ut ipse Psaltes *vers.* 2. vocat. Lutherus in prima versione recte vertit Wörter des Heulens.) hoc hymno exprimendum? Ita ut hic quoque illa regula locum habeat, quæ vigesima prima est inter illas hermeneuticas; quas in explicatione titulorum Psalmorum clarissimus Sontagius posuit, scilicet, *verba initialia Psalmorum cum titulis conjuncta sæpe exhibere argumentum illorum.*

XXI. Huc facit, quod statim in limine Psalmi ingeminetur illud אלי, אלי, quod ipse Servator bis, idque μετα κραυγης ἰσχυρας και δακρυων per ἠλὶ, ἠλὶ apud Matthæum, vel per Ελωι, Ελωι, apud Marcum, vel per ἠλει, ἠλει, ut apud Eusebium *L.* X. *Dem. Evang.* legitur, vel, ut Syrus habet, איל, איל, expressit, in quibus apertam, neque inelegantem nostri יאלת esse paronomasiam nemo non videt. Quemadmodum pariter eandem occurrere deinceps *vers.* 20. ubi Deum vocat, אילותי, *fortitudo mea*, seu *robur meum*, cujus auxilium tam fervidis implorat precibus, mihi valde sit verosimile.

XXII.

XXII. Quum autem (B) ex his omnibus nihil elicies aliud, quam eam interpretationem, quam indicavimus, Posse heic locum habere, ita & Debere id fieri necessario, id quidem nunc videndum, num a nobis demonstrari queat, Fiet autem illud, nisi allucinamur, ex sequenti regula. *Quoties vox per praepositiones* על *vel* אל *jungitur* למנצח *in Psalmorum inscriptionibus, ea nunquam eorum argumentum notat, sed* Semper *aliquod Instrumentum Musicum, quod in decantatione hymni a quodam musicos directore debuit adhiberi*. Eum in finem notandum est eos, quibus cura erat Musices in templo Hierosolymitano, in certas classes fuisse distributos ex constitutione Davidis, de qua lege, I. *Paral.* XVI. 10. *seqq.* XXIV. 5. 2. *Paral.* XXIV. 12. 13. Tres summi præfecti præerant XXIV. Ephemeris, respondentibus totidem Sacerdotum classibus. In unaquaque Ephemeria erant XXII. magistri, qui numerum faciebant CCLXXXVIII. & ut prioris generis præfecti videntur dici ראשי המשררים *Nehem.* XII. 46. Ita tertii hujus ordinis innui putem per illos מנצחים, qui toties in titulis Psalmorum commemorantur, præcipue cum alicujus instrumenti Musici simul injicitur mentio. Hos alias ἐργοδιωκτας, ἐπιστατας, χορηγους, ἀρχισυμφωνιακους, φωνασκους, Græce, ac Latine, *Musices directores*, *præfectos*, *syphoniæ; præcentores* diceret. His cum incumberet curam gerere musices in templo, certi videntur illis dati psalmi, certis locis, certisque diebus, certis adhibitis instrumentis decantandi. Atque ab illis instrumentis suum sortiebantur nomen, ut exinde dicerentur מנצחים על *alamuth*, *neghinoth*, *machil*, *schegionoth*, *gittith*, *michtham*, *schigaion*, *Jeduthun*, *Schoschanim*, quæ omnia nomina sunt instrumentorum musicorum, quorum in sacris Israelitarum usus erat, tametsi, cujus ea fuerint generis, nunc a nobis accurate non possit ostendi: Idque eo modo, ac si nunc chorus quidam Musicorum sua inter se officia partiretur, atque vel a lyra vel tympano vul *tibia*, vel cithara, vel plectro unusquisque nomina sua mutuaretur.

XXIII. Puto me hæc non docere posse melius, quam verbis R. Davidis Kimchii, quæ in ejus in Psalmum quartum commentario leguntur, prout ab Ambrosio Janvier civitate Latina donata sunt. Quæ cum hæc egregie illustrent, non pigebit adscribere: “ *Vox quidem*, ait ille, „ מנצח Menatseahh illum denotare videtur, qui erat præpositus super cantores, & per ejusmodi præpositos Psalmi etiam videntur esse dictati, a quibus dabantur eis, qui illos, musicis instrumentis modulabantur & decantabant. Nec alicubi reperies, cantori aut pulsanti instrumenta; sed præcentori, sic etiam in oratione Abacuk legitur; *Præcentori in melodiis meis*. Et alio in loco, (1. *Paral.* 23.) *Ex his erant, ut præessent ministerio domus Domini:* Item, *In citharis super octava ad præsidendum*, לנצח *lanetseahh.* (*ibid. cap.* 15.) Ex his autem præcentoribus, alius erat præpositus instrumento, quod vocatur שמינית *scheminit*, hoc est, octava. Nam adhibitis instrumentis musicis decantata fuerunt cantica, modulationes & laudationes, unumquodque secundum suam melodiam, quæ tum nota erat apud illos (*a*) erat enim notitia Musices ars magna, quæ etiam animam sapientiæ seu rationalem excitat: unde & inter artes alias externas recensetur & connumeratur. Cæterum instrumenta musica, quibus Divinæ laudes in templo concinebantur, hæc erant: nablia, citharæ, cymbala, cornua & tubæ: fueruntque instrumenta illa divisa secundum varias melodias seu pulsationes musicas, quæ apud antiquos notæ & in usu erant. Quædam autem ex illis appellabatur עלמות *aalmoth*, ut illo in loco scribitur, 1. *Paral.* 15. 20. *In nabliis cantabant super* עלמות *aalamoth:* scriptum etiam est: *Canticum super* עלמות *aalamoth*. Alia vocatur נגינות *neghinoth* & ad illam hic Psalmus decantatus est. Alia משכיל *Maschil.* Alia מכתם *Mictam*, Alia שגיון *Schigaion*. Alia נחילות *Nehilot*. Alia שגיונות *Schegionoth.* Alia גיתית *Githith.* Ex ipsis etiam instrumentis est, quod vocatur עשר *aaschor*, aliud עוגב *ougab*, aliud מינים *minim* appellatum fuit. Et horum quodlibet suum tonum seu melodiam distinctam habuit, ut notum est apud artis musicæ peritos. Et reperimus scriptum de aliquo dicente: 1. *Paral.* 23. 6. *Et quatuor millia laudantium Deum in musicis instrumentis, quæ ego feci ad laudes decantandas:* sed ignotum est nobis, utrum illi, qui musica instrumenta pulsabant manibus, etiam ore suo Psalmum decantarent: an vero simul essent, qui ore psallerent & e regione illorum starent alii, qui ipsa instrumenta pulsarent. In alio enim loco scriptum reperimus: 2. *Part.* 7. *Et Levitæ cum instrumentis Cantici, quæ fecit David Rex Domino, quoniam in æternum misericordia ejus, hymnos David canentes. Porro Sacerdotes canebant*

„ *tubis ante eos*. *Ibid. cap.* 29. Et in alio
„ loco rursus scriptum est: *Universus cœ-*
„ *tus adorabat cantans canticum & concre-*
„ *pans tubis*. Cum tamen tubæ fuerint
„ tantum in manibus Sacerdotum, sicut
„ scriptum est: *Num.* 10. *Porro filii Aa-*
„ *ron Sacerdotes, clangent tubis*. Cætera
„ vero musica instrumenta fuerunt in
„ manibus Levitarum, ut scriptum est: “
Steteruntque Levitæ habentes organa David: & Sacerdotes tenebant mihi. Hæc Kimchius.

XXIV. Regulam autem illam, quam modo dedimus, firmam, constantemque esse ex inductione locorum omnium patet, in quibus ejusmodi constructio occurrit, vide *Psalm.* VI. VIII. IX. XII. XLV. XLVI. LVI. LX. LXI. LXII. LXIX. LXXVII. LXXXIV. LXXXVIII. Aliquando loco על legitur אל *Psalm.* IV. V. LVII. LVIII. LXXX. Et sic hæc Hebræorum phrasis conferenda est cum illa Latinorum, *canere ad tibiam*. Aliquando conjunguntur literula ב vel ל *Psalm.* IV. VI. XXXIX. LIV. LV. LXXVI. confer. I. *Par.* XV. 16. Unde recte titulorum Psalmorum regulas hermeneuticas traditurus cl. *Sontagius*, quem laudavimus, *pag.* 24. ita scribit. *Evidens est, nomen, quod per istas præpositiones cum voce* למנצח *construitur, quam frequentissime instrumentum Musicum designare, dico*, frequentissime, *Patitur enim hæc regula exceptionem, v. g.* Ps. XXII. XLV. LVI. Hæc ille. Ego vero ajo, non *frequentissime*, sed omnino semper. Illud vero tum a me evictum esse existumabo, si vel ipsas illas trium hymnorum inscriptiones, quas ipse vir doctus ex hoc censu eximendas esse putavit, in eundem referendas esse ostendero.

XXV. Quod itaque primo ad *Ps.* XLV. cujus inscriptio cum Titulis *Psalmorum* LX. LXIX. & LXXX. comparari debet, adtinet, ibi per ששנים melodiam aliquam vel instrumenti musici speciem intelligendam esse erudite ac præclare, ut solet, ostendit celeberrimus Vir, meus, ut in rebus aliis, ita & in hac Bibliotheca instruenda *συνεργος* optatissimus, Fr. Ad. *Lampius*, in Exercitationibus, quibus nuper huic hymno illustrem lampada prætulit. *Ex.* I. §. 14. Liceat tantum ejus sententiæ illustrandæ firmandæque id adjicere, Autorem Schilte Hagg. organis musicis quoque accensere שושנים, sicut eorum statim post adducta §. 13. verba, quibus de *Ajeleth hascachar* egerat, licet nulla explicatione addita, meminit. Porro observo *cymbala* (ea enim Vir doctissimus indigitari putat) concinne admodum atque eleganter dici ששנים, i. e. *lilia*, non tam, quod accedant ad formam liliorum vulgarium, quæ nostris nascuntur in hortis, illorum enim folia extenduntur supra latius, at in figuram acutam desinunt, cum tamen cymbalorum figuram infra rotundam esse ex signis antiquis omnibus, quæ cernere datum est, constet. Sed id potius factum arbitrer, ratione id genus liliorum, quorum proventus in Palæstina, vicinisque regionibus uberrimus est, quæ *Lilia* vocamus *convallium*, quæque Servatorem respexisse, digitoque exserto monstrasse putamus, quando ex vertice montis, in quo pulcherrimam illam concionem habuit, quæ Capitibus, D. Matthæi V. VI. & VII. describitur. In adjacentes valles prospectans, *καταμαθετε*, inquit *τα κρινα τȣ αγρȣ* &c. Quisquis enim illa, quemadmodum caulibus suis adhærent, adtente consideraverit, fatebitur vix ovum similius esse ovo, quam illa sunt illis cymbalorum figuris, quæ in eleganti illa gemma, quam possideo, cernitur, cujus ectypum cum Lampius meus in citatis exercitationibus, *pag.* 27. tum accuratius celeberrimi Actorum Lipsiensium collectores ad a. 1715. *pag.* 446. exhibuere. Hic enim & rotundam, concavamque figuram ipsius cymbali, & foliorum extremitates a se invicem distinctas, atque incurvatas, immo *Sextuplicem* foliorum divisionem, (quiquidem numerus & lilio & cymbalo nomen dedit) & in ejus manubrio denique ejus caulem repræsentari exacte deprehendes. Atque hinc simul innotescit, quomodo de labio maris ænei dici potuerit fuisse עגל כמעשה *rotundum* שפה-כוס פרע שושן *secundum opus labii calicis, floris lilii* I. Reg. VII. 26. Nihil enim his verbis docetur aliud, quam labrum illud figuram præbuisse, qualis vel cymbalorum vel floris solet esse liliorum, quæ a vallibus nomen suum traxere.

XXVI. Neque minus huc referendam existimo epigraphen *Psalmi* LVI. על. למנצח יונת אלם רחקים. Quicunque enim hæc verba, quasi de argumento Psalmi intelligenda, vel Davidi applicanda, aut Christo aut etiam de Thamare dicta, quod a Judæis factum est, (vide Wagenseilii Sotam *pag.* 198.) voluere, sive antiquiores, sive recentiores spectes, eas dedere verborum interpretationes, quas non possis non contortas admodum, multisque obrutas difficultatibus, tamque obscuras judicare, ut novis eæ ipsæ interpretationibus egeant, teque multo, cum eas legeris, faciant incertiorem, quam fueras dudum. Vide Sontagium de *Tit. Ps. pag.* 707. *seqq. Boch. Hier. pag.* II. *lib.* I. *cap.* 3. *Pfeiff. dub. vex. Cent.* III.

Loc. 68. alios. Quamobrem eorum magis arridet ſententia, qui cum Abeneſra, quem Athanaſius Kircherus Muſurgiæ *Tom.* I. *pag.* 58. 159. Simeon Muiſius in hunc locum, Alſtedius in Triumpho *Bibl. pag.* 153. *ſeqq.* & S. Bochartus citato loco ſecuti ſunt, hæc verba putant eſſe initium tritæ alicujus cantilenæ ſive melodiæ, ad cujus modum hic Pſalmus fuerit decantandus. Quamquam ego quidem, ita inſtrumentum aliquod muſicum appellatum eſſe mavelim; in qua etiam ſententia autores videntur fuiſſe verſionis Gallicæ Genevenſium, & nuperæ Belgicæ, retinentes ipſas voces Hebraicas, ſicut & Moſes Amyraldus, qui ita belle παραφράζει. *Michtham ſive carmen aureum a Davide compoſitum, & præfecto ſymphoniæ Tabernaculi traditum, ut caneretur ſuper Jonathelem rechokim.*

XXVII. Neque quiſquam a nobis exigat, genuinam verborum horum ſignificationem, aut illius denominationis rationem. Quod ſi enim vel illorum nominum quibus inſtrumenta, quæ ad aliquam artem pertinent, deſignantur, vel in ipſis linguis, quarum etiamnum uſus viget, ἔτυμον ac veras cauſas fruſtra ſæpe quæſiveris, ſane non mirum eſt, ſi id genus voces in lingua Hebraica, quæ nunc quidem obſoleta eſt, cujuſque pauciſſima monumenta exſtant, ignorentur. Unde non mirum eſt, vireos in linguarum ſacrarum ſtudio regnantes, in hac re inſcitiam ſuam fateri non puduiſſe. J. H. Hottingerus, at quis eo Philologiæ ſacræ callentior? hæc inſtrumentorum Muſices nomina obſcura plane & explicatu difficilia agnovit in *Theſ. Phil. lib.* II. *cap.* I. §. 3. Neque ego verer, verba mea facere Viri in his literis ſummi Joh. Ligtfooti, quæ in ejus de Miniſterio templi Libro *Cap.* VII. *Or. E.* I. *pag.* 697. leguntur. *In inquirendo accurate, cujuſnam generis eſſent hæc inſtrumenta, & recenſendis variis circa illa ſcriptorum ſententiis multum temporis conſumeremus, ac omnibus tentatis, tandem in conjectura acquieſcere nos oporteret, & concludere tantum poſſimus, fieri poſſe, ut hoc hujus generis eſſet, illud alterius; audacius enim & difficilius eſſet quicquam certo definire.* Ipſi adeo Judæi, etſi multa de iis ſæpe diſputant, ignorantiam ſuam tamen ſubinde nequeunt diffiteri, quod vel ex Abeneſræ, qui inter eos familiam ducit, confeſſione patet, cum in Comm. ad *Pſalmum* CL. aperte ſcribit, אין דרך לדעת אלה כלי הנגונים *Nulla nobis via patet ad cognoſcenda illa inſtrumenta muſicalia.* Quod ſi itaque nobis non liceret accurate deſcribere illud *Jonathelem Rechokim*, vel reliqua etiam illa nomina, quæ in principio Pſalmorum occurrunt, non tamen inde minus illa ad inſtrumenta muſicæ artis referenda exiſtimabis.

XXVIII. Si tamen hic aliquid dicendum eſt, potuit vocari יונת, quaſi *Græcum*, quod ejus uſus e Græcia ſit arceſſendus, aut homo Græcus eam invenerit, ſicut ipſas columbas יונים quaſi Græcos, ſuſpicatur dictus magnus Bochartus, quod eorum origo e Græcia ſit petenda. Græcos enim olim dictos Ἴωνες, & Hebraice יונים (quam vocem ex inſtituto quidem Maſoretharum legi, *Javanim* ſcimus, ac non minus recte *Jonim* legi poteſt, ſicut & apud profanos ſcriptores Ἴωνες, Ἰάονες. & Ἰάονες idem ſonat,) notum eſt, & vel ex *Dan.* VIII. 21. & *Joel.* III. 6. conſtat. Fortaſſis etiam a *columba* nomen ſuum traxit, vel quod figuram haberet illius avis, vel ſignum columbæ gereret impreſſum, vel denique ejus ſonus, ſonum ingemiſcentium columbarum referret. Cogitavi etiam aliquando, anne אלם ſit pluralis numerus ab איל, quæ vox vel *arietem* vel *cervum* ſignificat. Illa autem in plurali & אלים habet, & אילים Aliquando autem poſterius י in plurali ſolet omitti. Si autem quæris, quomodo אילים inſtrumento muſico dare potuerit nomen, cogita, anne ejus rei poſſit eſſe ratio, quod vel totum ex oſſibus *cervorum*, quod §. 10. tibiis accidiſſe frequentiſſime, vidimus, eſſet compoſitum, vel ſaltem chordæ vel fidiculæ illius fuerint ex pellibus aut inteſtinis caprarum vel arietum vel *cervorum* paratæ. Et ſic רחקים ordinariam ſignificationem poſſet retinere, ut אלם רחקים notet chordas a ſe invicem remotas, latiuſque diſſitas. Atque ita indicaretur plectrum aliquod, quod quacumque etiam de cauſa dicebatur יונת, & chordis munitum erat dilatatis. Sed nihil definio; Neque enim in his rebus locus eſt, niſi hariolationi. Id tamen hinc puto evictum eſſe, ipſum quoque hujus Pſalmi titulum non magis, ac illum Pſalmi viceſimi ſecundi, evertere regulam, quam §. 15. poſuimus. Ex quo pariter conſtat, cum nuſpiam talis conſtructio verborum occurrat, qualis in hujus Pſalmi inſcriptione eſt, & nomen aliquod cum למנצח per voculam על conſtruatur, ut hic fit, quin ibi, non *argumentum* hymni, ſed *inſtrumentum* aliquod *muſicum* innuatur, inde tuto colligas, non *argumentum* Pſalmi, ſed tale quoque organum, ad quod ille decantatus fuit, noſtro hoc אילת השחר indicari, neque aliter hæc explicari poſſe, J. Q. E. D.

XXIX. Quæ cum ita (C) ſint, non mi-

mirum est, id nonnullis Interpretibus æque ex Judæorum, quam Christianorum familia suboluisse, quamquam omnes dubitanter admodum sententiam suam proposuerunt, neque ullus est, quod sciam, qui sine hæsitatione ita interpretanda hæc esse aperte adseveravit. Augustinus *Justinianus*, Episcopus Nebiensis, qui ineunte sæculo XVI. octaplum Psalterii edidit, illam multis, immo plerisque Hebræorum doctoribus adscribit. Ita Jacobus Abendana in notis ad R. Salomonis Melech Michlol Jophi scribit. יש אומרים כי אילת השחר אחד כלי הננין: *Sunt qui dicunt, Ejeleth baschachar esse unum ex organis musicis*. R. Salomo Jarchi אילת dicit esse שם כלי שיר, *nomen Instrumenti musicalis* in Comm. in hunc Psalmum. Abenesra aliquos in ea esse opinione scribit; ניגון *instrumentum pulsatile*, ut nablium, lyram, cytharam &c. R. David Kimchi in annot. ad hunc hymnum sententias varias recenset, primo tamen loco hanc ponit. אילת השחר הוא מכלי הנגון In libro tamen שרשים ubi eandem vocem explicat de hac vocis interpretatione plane, quod miror, silet. Alias Autores Baal-Aruch, & שלטי הגבורים de ארום s. tympano explicasse jam supra a nobis §. 13. visum fuit. Ex Christianis huc inclinat, Aretius *Felinus*, vel potius, qui sub eo nomine latere aliquando voluit, Martinus *Bucerus*, quando in notis ad hunc Psalmum scribit *se haud illibenter eorum secuturum esse interpretamentum, qui volunt* אילת *nomen esse stellæ, si non suo more Psaltes organum aliquod musices vel certam melodiæ speciem voce hac significare voluisset*. Henricus *Mollerus*, non contemnendus interpres, ait nonnullos de instrumento musico, quod adhibitum sit in templo, cum hic Psalmus decantandus traderetur, explicare, ipsam autem hanc sententiam in medio relinquit, neque, quod circa reliquas fecerat, refutare ausus est. Eadem media sc. via incessere A. *Rivetus*, Joh. *Coccejus*, & Joh. *Markius*, illi in commentariis ad hunc Psalmum, hic in exercit. exegeticis. XVI. *p.* 224. Elegans παραφρασις hujus tituli est Mosis *Amyraldi*. *Psalmus compositus a Davide, & traditus præfecto symphoniæ Tabernaculi, ut caneretur ad modulationem ajeleth baschachar*. Neque ab eadem opinione abhorruisse videntur interpretes & Genevenses, & Angli & Belgæ, qui voces illas interpretari non fuere ausi, sed ipsas literas, prout in textu Hebraico sonant, retinuere. Ex quibus omnibus constat, sententiam hanc, quam adseruimus, licet ea non communiter recepta sit, suis tamen non destitui autoritatibus, neque Viris etiam eruditissimis absonam fuisse visam: Atque hæc hactenus.



CANTUS POESEOS
NEC NON
SONANDI FACULTAS
Tum veterum, tum præsertim Hebræorum, ex Tenebris Antiquitatum novæ luci propoſita,

ET IN QUATUOR DIVISA PARTES

In quarum prima agitur de vera Cantus Poematum, Inſtrumentorumve Muſicalium Origine, in ſecunda de Pſalmis, tanquam Materia Cantus, in tertia de ipſo Cantus ordine Levitarum, tandem his additur, pars quarta de Tabernaculo, ejuſque Mobilibus ac Myſticis eorum ſignificationibus.

AUTORE
D. SALOMONE VAN TIL
NUNC PRIMUM BREVIUS
E BELGICO LATINE REDDITA.

PARS PRIMA
DE VERA CANTUS POEMATUM
Atque Inſtrumentorum Muſicalium origine & progreſſu.

CAPUT PRIMUM
De Cantu.

Quemadmodum rerum omnium primitus inventarum leviſſimum eſt initium, ſic in individuo de Muſices diſcutendæ facultate non eſt ſupponendum antiquitus eam tantum, imo ſupremum, quo nunc ſtat, attigiſſe apicem; Veritas iſta unicuique veterem cum hodierna comparando Muſicam clare patebit. Adeoque Amatoribus præcipue artis hujuſce non equidem ad Inſtructionem, cum alias innumeri de moderna tractantes muſica ad prælum dati ſint libri, ſed pro aliquali antiquitatum notitia in ſequentibus, de antiqua Muſica afferentur paginis, & quamvis Primarius Materiæ præſentis Autor Eximius Dominus Van Til fuſius utpote Idiomate Belgico de eadem egerit, tamen nihil ad propoſitum ſpectans ex illo fuit omiſſum. Itaque acturi pro omnibus de Cantu, inquiritur, unde hic ſuam traxerit originem, qua tanquam ex fonte omnis generis emanavit Muſica.

Igitur veritati magis eſt conſentaneum, Protoparentes noſtros avium vocem ante audiiſſe, quam propriam, illa etenim quinto, at homo ſexto primum enatus eſt die, ſequitur, illas prius cantaſſe, quam iſte, quid cantus ſit, agnoverit; Experimur autem, earum aliquas cantum adeo formare exquiſitum, quem nec ullum hominis ſtudium exprimere valeat, nunc in longum continuo trahitur ſpiritu, ut de luſcinia Plinius refert, (1) nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur inciſo,

ſo, copulatur intorto, plenus, gravis, acutus; a quonam vero animal hoc pennatum ſuaviſſimis hiſce diſtinctum modulationibus edere concentum didicerit? (2) Ipſam naturam, ejuſque Autorem fuiſſe Magiſtrum, nemo facile negabit, hinc jam in Creationis ſuo principio inſtigatæ volucres voce ſua cuivis propria, verius, ſuum laudaverint Factorem, cur non aſſerendum? perceptis ſepiuſque repetitis earum Cantilenis hominem (3) etiam ad poſſibiles gratiarum laudes Creatori ſuo propter dona tot Inſignia ab Illo accepta promendas eſſe incitatum, cum penes loquendi poteſtatem quoque habuerit cantandi.

Verum non exiguum Cantus progreſſum primus eorum promovit lapſus, quo innumeris Parentes noſtri ſubjacere cogebantur ærumnis, animique afflictionibus, (4) inde venit, quod in avium canentium defectu, mæroris ac triſtitiæ propulſandi cauſa cantu quodam uſi fuerint proprio, ad eorum imitationem in præſentem uſque diem plurimi aut avium ſive proprio Cantu a maximis eximuntur animi anguſtiis, labor conendo dulceſſit, triſtitia fugit, mentis quies redit canendo.

Erudite iſtud Muſicorum unus, quamvis ad ſtylum Cantus modernum expreſſit: *Ut*, *Re* levet *Miſerum fatum*, *ſolitoſque labores*, hac de cauſa canit auriga in via, Remex in mari, Arator in agro, Paſtor in campo, & quod magis eſt non ſolum homo compos rationis, ſed & ipſa animalia ratione carentia Cantu vel Sono delectari referuntur: e. g. ovem paſcua capere avidius, & equum ad prælium currere velocius.

Poſteri Cantus ſuavitate volucrum inducti, tandem omni conatu eorum modulationes exprimere ſtuderunt, quantum erat poſſibile, cum ad hæc præſtanda pluribus aliqui pollebant requiſitis? habebant enim perfectionem vocis, quæ debet eſſe alta, ut in ſublimi ſufficiat: Clara, ut aures impleat: Suavis, ut audientium animos blandiat. Præter hæc ad genia humana ſe in hac perfectiores, reddendi arte exſtimulanda, publica ubique locorum erigebantur Theatra, in quibus cum Pugilibus victoribus una coronati erant Cantores excellentes: Cantus Antiquis etiam inſerviebat ad populum, qui facta diviſione univerſali minus adhuc fuit inſtructus, in moribus civilioribus imbuendum, ideo de Orpheo legitur, quod ſuis Carminibus morum doctrina refertis & per Muſicam productis plurimos antea, feroces ac inhumanos, manſuetos & diſciplinatos, reddiderit: *Horatius*

Silveſtres homines ſacer interpreſque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus
Dictus ab hoc lenire tigres rabidoſque leones.

Ipſis Cantoribus alius etiam ad ſe perficiendos addebatur ſtimulus, dum illi, qui in auditorum animis effectus ſecundum locorum, temporum, perſonarumve exigentiam intentos cauſare poterant. Superiores aliis cenſebantur, unde ſummo ſtudio, animique contentiones veteres Cantores & Cantatrices ſe in arte præfata perficiebant, honor enim ſtimulus eſt artis, & præmia in cunctis maxime ſpectantur.

Joh. Baptiſta Donius in elegantiſſimo de præſtantia muſicæ veteris opere *pag. 99.* Quantum vero huc contuliſſe putatis concertationes illas, præmia atque honores, quos publicis in ſolemnitatibus, qui victores in canendo renunciati fuiſſent, conſequebantur? Quanto ſtudio, quanta diligentia, qua corporis animique contentione veteres illos citharædos elaboraſſe creditis, ut in Pythiis (celeberrimo nempe totius Græcia muſicorum conventu) aut in Athenienſium theatro, aut Alexandrino poſtea vel Antiocheno, cæteriſque Græciæ civitatibus, aut denique in Romanis, Neapolitanis, Tarentinis, Italiciſque reliquis (nullum enim paulo latius oppidum fuit, quod theatrum eo tempore non haberet.) Victores coronarentur, ampliſſimoſque illos honores, atque uberrima præmia referrent?

Ad confirmationem adde: quod Pindarus Midam in Pythiis tibicinii victoriam adeptum cecinerit *Od.* XII. Apud Athenæum *lib.* 14. Aliquis appellatur Charonicus Poeta, qui cum Arga victore confertur, de quo colloquium inſtitutum ita pergit.

Τινῶν ποιητὴς ἀσμάτων? Σεμνῶν πανυ
Τι πρὸς τὴν Ἀργᾶν ἔτος, ἡμέρας δρόμῳ
Κρέτων.

Idem evincit ibidem poema Anaxandridis, ubi aliquis promto cantori dicit.

—— πρὸς τὸν Ἀργᾶν βϛλομαι
Κωδωνίσας πέμψαι σ' ἀγωνιϛμενον
Ἵνα ϗ σὺ νικᾷς τὲς συφιςὰς, ὦ φίλε.

Cicero l. 1. *Tuſc. Q.* Honos alit artes, omneſque trahimur ad ſtudia gloriæ: jacentque ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur. *Quintil.* 4. 2. Pendemus ex laude, atque hanc laboris noſtri ducimus ſummam. *Plin. l.* 14. *nat. hiſt. c.* 4. Præmia in omni re maxime ſpectantur.

NO-

NOTÆ IN CAPUT PRIMUM.

(1) Pulchre sane *Polydorus Virgilius Lib.* 1. de Inventione rerum Cap. 14. Ex Plinio, de stupendo hoc opere naturæ. Quæso, unde ille avium concentus, quo omnis ager suo tempore resonat? ecquis docuit lusciniam varios canendi modos? hæc enim avicula sonum edit, perfecta musicæ scientia modulatum, qui nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur inciso, copulatur intorto, promittitur, revocatur, infuscatur ex inopinato: interdum & secum ipsa murmurat: plenus, gravis, acutus, creber extentus: & breviter audire licet omnia tam parvulis in faucibus concini, quæ tot exquisitis tibiarum tormentis, ut ait Plinius, ars hominum excogitavit. Hujus harmoniæ natura magistra est, quæ vel ab initio alias animantes, quibus ad sonum quempiam vox apta est, musicam docuit. Atquæ hæc vera artis erigo.

(2) Isidorus notante Erycio Puteano Musathenæ cap. 2. *Vocem perfectam* descripturus, in eadem requirebat, ut esset *Alta, suavis & clara. Alta ut in sublimi sufficiat. Clara, ut aures impleat. Suavis, ut animos audientium blandiat; Si ex his*, inquit, *aliquid, defuerit, vox perfecta non erit.*

(3) Lucretius Lib. 5.

At liquidas avium Imitarier ore
Ante fuit multo

Chamæleon Ponticus apud Athenæum lib. 9. pag. m. 390. Dixit *τὴν εὕρεσιν τῆς μουσικῆς τοῖς ἀρχαίοις ἐπινοηθῆναι ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς ἐρημίαις ᾀδόντων ὀρνίθων ὧν κατὰ μίμησιν λαβεῖν στάσιν τὴν μουσικήν.*

(4) Ovidius de tristibus Lib. 4. Eleg. 1.

Hoc est cur cantet vinctus quoque compede fossor,
Indocili numero cum grave mollit opus.
Cantat & innitens limosæ pronus arenæ
Adverso tardam qui vehit amne ratem.
Quique refert pariter lentos ad pectora remos
In numerum pulsa brachia versat aqua
Fessus ut incubuit baculo saxoque resedit
Pastor, arundineo carmine mulcet oves.
Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
Fallitur ancillæ, decipiturque labor.

Virgilius.

Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras.

CAPUT SECUNDUM.

De Scala Musices.

IN majus Cantus ornamentum judicarunt Eruditiores, seligendas fore aptas voces, quia non singuli reperiebantur ad canendum idonei, aliquam item inter melodias fecere distinctionem (1) certa quibusvis destinando tempora, aliquæ erant lugubres, festivæ aliæ, ad regulas compositionis ævi illius facta: Quod attinet Compositionem eorum, certum, illos in pluribus fuisse ignorantes, hoc unum advertentes scilicet aliquod discrimen inter humanam vocem, propterea prudentissime disposuerunt, ut luctuosa atque festiva per fœminæ, graviora ac seria per Viri proponerentur vocem, quia illa callet vocem altam, hic vero profundiorem; in variatione attenderunt, ne identidem unus repeteretur Tonus, sed ascendendo & descendendo immutetur, festivis plures junxerunt modulationes, tristia implerunt altis suspiriis ac profundis gemitibus: aliquam etiam habuere notitiam Tonorum, ac vocum variationem quamvis multum adhuc dissonum, quia, ut infra de Instrumentis mentionem faciemus, Citharam septem instruebant chordis, ac tibiam Pastoritiam ex septem diversæ longitudinis cannis erexerunt, mensura quæ a Græcis & Romanis pedibus mensurabatur, utebantur unica ad protrahendas vel abbreviandas certo temporis intervallo voces, ex quo conjectari licet, modum pedibus calcandi aut dandi tactum esse antiquissimum, cujus loco recentiores manibus eundem præsignant, & profecto longe comodius tot novæ tactus formulæ mensurantur; Veteres suam tritam mensuram in quatuor diviserunt partes, (2) quibus immiscebant pausas vel suspiria, præsertim quando simul plures cantarunt, ut daretur respirandi spatium & cantus gratior evaderet.

Pythagoras (3) demum extraordinariis suis lucubrationibus, ac studio singulari: (semper enim, antequam somnum caperet, aut dum ex eo evigilaret animum canendo recreare solitus fuit:) plurima huic addidit facultati, quando demonstravit, semitonium non æquare totius medietatem, cum duo semitonia non conficiant integrum tonum, animadverterat nempe, vocem gradatim ascendentem non æquis progredi passibus, sed unum saltum altero esse acutiorem, hac de causa veteres chordas in suis instrumentis magis aut minus intenderunt, si erant maxime intensæ, vocabatur tonus integer, si minus, semitonium nominarunt: quantitas vero cujuscunque toni ante Pythagoram, qui primum tonorum invenit consonantiam, nulli erat nota, hic attendens suam Cytharam septem


chordarum æqualem cum voce humana edere sonum, divisit distantias in duas partes æquales, tangendo modo mediam chordam cum infima, modo cum suprema simul, quæ dabant duas distantias ejusdem qualitatis, dum quælibet earum duos integros tonos cum semitonio inter chordas quatuor continet, mox in suo Monochordio accurate dimetiendo fuit expertus consonantiam quatuor inter chordas compræhensam esse diversam, ita ut in Numeros deducti unus tonus sit quasi $\frac{8}{9}$ alter $\frac{9}{10}$ & prænominatum semitonium ut $\frac{24}{25}$.

Idem Pythagoras (4) habetur pro Inventore scalæ Musicalis. in qua cuique tono suum destinabat situm: primos tres tonos primæ, quartæ & septimæ chordæ dicebat infimum, medium, supremum, & quia inter distantiam quamlibet adhuc duæ erant chordæ, vocavit tonum secundæ chordæ proxime infimum, & tertiæ plenitonium, hujus enim distantia nunquam patiebatur tonum fractum, ascendentes de duobus medium inter, & supremum nominavit tonum supra medium vel quintæ chordæ, & sextæ chordæ dicebat tonum proxime supremum, quo factum, ut etiam semitonia proprium aquisierint locum, inter chordas scilicet medias & infimas; huic vetero canendi stylo, item addidit octavam chordam, qua suum tritonium commodius exprimere posset: optima in hoc opere fuit consonantia, dum tangebatur prima chorda simul cum octava, huic proxima venit quinta, tandem consonantia quarta, ad quæ exequenda octava chorda erat necessaria.

Memorato itaque operi scalæ musicalis nomen fuit impositum, in qua formabat infima cum suprema octavam, cum media quartam, & media cum suprema quintam: huic accessit modus insignis tonos per puncta sive notas indicandi, & primo quidem Pythagoras certas ex Græco alphabeto literas selegit, (5) quatenus faciliori negotio discipulorum inhæreret memoriæ, literas vero erectas supra verborum syllabas ad significanda intervalla ponebat; Illius sequaces dictam scalam auxerunt, nam quia prior tantum erat voci mediæ commoda, ut simul inserviret vocibus inferioribus ac superioribus, tres in fine adjecerunt chordas ad tot complendas quartas, cum eo tempore scala ista ex quindecim constabat chordis, quibus duæ perfectæ comprehensæ fuerunt octavæ: (6) Aristoxenus ex Scola Xenophili Pythagoristæ & Aristotelis ævo Alexandri Magni prædictam scalam ex Octodecim componebat chordis, quibus de novo quinta prodire possit consonantia, idest, quarta quintuplex, etenim finis ab illo præfixus fuit, non quidem Cantoribus legem præscribere, sed demonstrare terminum, quo voce sua pertingere valeant tam ascendendo, quam descendendo. At necdum hic solertia stetit hominum; nam inventi sunt quidam antiquorum, ut Theo Smyrnæus (7) & Proclus affirmat, quorum studio sæpius prænominata scala pluribus continuo increscebat tonis, vel econtra denuo decrescebat, quemadmodum etiam Platonis systema Musicum ad quatuor octavas & unam extendebatur sextam, hujus imitatores idem ad tres octavas, unumve reduxerunt tonum; similibus scientia nec subjecta erat mutationibus, & quæ nunc conclusa sunt regulis, v. gr. numeri, voces, modi, quondam dispersa fuerunt omnia, quapropter notandum, Græcis tria fuisse tempora, quibus cantus in alio semper inveniebatur statu, primum sive principium computatur ab Orpheo seu Cadmo usque ad Pythagoram, secundum, sive progressus a Pythagora ad Aristoxenum usque, qui Monarchiæ Græcæ initio floruit, tertium protrahitur usque ad præfatæ Monarchiæ exitum, quo in maximo cantus erat vigore, denique sub Romano Imperio misere exulare fuit coactus: ista incidenter sint dicta: nunc redeundo ad Musices scalam, varia habuerunt Antecessores tonorum signa, quæ in scalæ lineis hinc inde collocaverant: Indicavimus superius, Pythagoram literas Græcas hunc in finem applicasse, quas tamen alii multiplicabant, atque earum situm & figuram inverterunt nunc integras, nunc sejunctas, modo erectas, modo inversas ponendo: Modernus autem musices stylus jam ex toto respectu veteris videtur innovatus, dum Græcorum characteribus ob nimiam eorum copiam sepositis septem initiales literæ latinæ fuere adhibitæ, tot enim in musica repeririuntur toni: quæ autem Musicam concernunt superascendentem, consulto aut formam immutarunt literarum, aut eas duplicarunt, ita ut majusculæ voci primæ, minores ascendentibus, & literæ duplicatæ vocibus inservirent supremis, quibus scalæ musicæ de viginti gradibus poterat satisfieri; hunc modum in Romana Ecclesia a temporibus S. Gregori Magni Pontificis (8) anno salutis reparatæ 594. fuisse introductum communior opinio tradit, quo seculo quindecim graduum scala potiores utebantur Musici; demum literis substituta fuerunt certa puncta, (9) illæ vero pro clavibus musicalibus ad initium po-

ponebantur scalæ ad indicandum totius melodiæ tonum universalem, puncta econtra hinc inde collocata significabant tonum peculiarem, patet autem ex variis antiquorum scriptis, claves diversimode positas fuisse, aut in prima, secunda, media, aut ultima linea, & puncta solummodo ipsismet affixerunt lineis, quæ consuetudo vigebat, usque dum Guido de Aretio ordinis S. Benedicti anno 1022. in quinque tantum lineis inchoaret puncta tum inter, tum in ipsis collocare lineis, eundem morem ob brevitatem ac addiscendi facilitatem omnes, quotquot sunt id hoc usque tempora, Musices tenent studiosi: (10) idem, juxta scriptores primus veneratur, a quo quivis tonorum suam certam acquisierit denominationem, etsi non dubitandum, eam hymno Ecclesiastico de festo Divi Johannis Baptistæ desumtam, sic enim ibidem canit Ecclesia:

Ut queant laxis REsonare fibris;
MIra gestorum FAmuli tuorum,
SOLve polluti LAbii reatum
Sancte Johannes.

Cur autem peritissimus iste Musicus sex solum tonos tot lineis respondentibus designarit, cum tamen musica septem tonos comprehendat. Ratio videtur esse, quia tali modo intervalla quintæ & quartæ magis redduntur fluida, & advertendo, quod toni descendentes ascendentibus se ex toto non æquent, ideo præfatus autor requirit, ut quando cantus *La* transcendit *Re* pro *La*, & in secunda variatione super *Fa*, loco *Sol*, *Re* cantetur, at in descendendo infima mutetur in notam supremam, ac prima quarta infra *Fa* descendatur, pro *Mi* substituatur *La*, quo scilicet inchoatur quinta. Ericius Puteanus Belgio oriundus, qui ad finem transacti seculi in Italia hanc artem edocuit, (11) sex consuetis psalmizandi vocabulis: *Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La*, septimum adjecit *Bi*, quæ aliquoties in *Ci* mutari debebat, sicque omnes septem toni proprium sortiti sunt nomen; posthæc tanquam quid superfluum omissæ fuerunt ipsæ literæ, quarum vices egerunt puncta, seu notæ, toni vero ex aliquibus signis a principio positis dignosci poterant, ut per literam *b*. rotundam significabatur tonus mollis, per b. quadratam durus indicatus est tonus, alii demum sollicitiores adjungebant prædictis etiam tria altera signa; quæ tanquam claves monstrabant, quo modo cantus progrediatur, an altius ascendendo, aut profundius solito cadendo. Medius circulus inversus cum duobus punctis ↄ *f. Fa*, *Ut*, dictus vocis erat infimæ indicium, per duas notas quadratas gradatim conjunctas  subintelligebatur clavis *C ut*, *sol* pro media voce; verum clavis *G*: *Sol*, *Re* retinet suam primam formam gallicam ad usum vocis supremæ, cujus loco postmodum litera *b*: utebantur. Item supra Nominatum Guidonem Aretinum agnoscunt plurimi ut autorem scalæ Musicæ viginti graduum, quod tamen supra allatis de scala ejusdem a quinque lineis contrariari videtur, ni hoc intelligendum sit quadruplo, nam quatuor quinquies conficiunt viginti.

Nec minorem laudem meretur, utpote præcipuus hodierni Musices styli promotor Dominus Joannes de Murs Parisiensis, qui trecentis post Guidonem annis mensurarum quoque adinvenit modos, scilicet qualiter in integra atque in fracta mensura, id est, qua forma tactus ex æqualibus aut inæqualibus constans partibus signandus sit. Adhæc iste primus quoque fuit, qui notas distinguebat in nigras, & non nigras, signatas & absque signis, quo medio edocuit, quæ notæ diutius protrahi, & quæ abbreviari debeant, qua diversæ speciei notæ contineantur in mensura integra, ac quot in tripla, de quibus abundantem in musices modernæ scholæ informationem habemus (12). Cæterum disputatur, an inventio Musicalis Guidonis Aretini veteri sit stylo præferenda, quibus antiquitas præplacet, ajunt, quod cuncta, quæ in novis offeruntur, etiam, imo perfectiora in veterum reperiantur Musicalibus, hoc aliis magis expertis decidendum relinquitur; Nihilominus illud unicum ex Donio afferre lubet, (13) cujus opinio est, quod modulata carmina antiquitus angustius longe occupaverint spatium, consequenter modus hic tamquam via brevior magis canentibus præstiterit commodum, addit, quot tanta diversitas & multitudo figurarum, ut nunc assuetum, discipulorum mentes potius perplexas, quam attentas reddat, neque clavium continuam approbat variationem, sed de his sufficienter dictum: adjungimus pauca de antiquiori adhuc Musices usu, & dicimus, Ægyptios (14) pridem habuisse tonos literis exprimendi morem, eundemque in occidente longe fuisse observatum, (15) Romani cum Græcis cum majori commoditate quatuor solum ad eundem finem usi sunt syllabis, & si altius foret ascendendum, illas repetebant, sunt autem sequentes: *Too*, *Ta*,

Ty,

Ty, *Tu*. Neque indiguerunt signis mensurarum, quia ex pedibus metricis colligebant, quantum temporis pro qualibet impendendum esset syllaba, nam omnibus fuit notum, quæ longæ & quæ sint syllabæ breves: (16) hisce adjicitur, quantum veteres Musicam æstimaverint, maxime, quod cantum concernit: (17) fuerunt etenim Græcos inter ac Romanos plurimi, qui mancipia propter vocis amœnitatem summo coemerent pretio, atque exercitatas pro duplo lucro nenum dederunt: talium Mercatores Mangones & Vænalitarii erant vocati; de simili Toranio Flacco nomine recordatur Macrobius, de quo scribit, quod Servas suas Cantatrices Cæsari Augusto inter epulas offerebat: alii ad propriam delectationem plures alebant utriusque sexus voce seu instrumentis canentes, quos inter Lysonem & Milonis uxorem adducit Cicero: ex eadem causa integræ mancipiorum copiæ Romam deducebantur: ne etiam eorum corrumperentur voces, diversis usi sunt remediis, cujusmodi fuit fibula ærea per summam genitalium trajecta, qua libidinari prohibebantur, hac forsitan de causa sacrificulos Cibelis Eunuchos esse oportebat. (18) Medici item fuerunt constituti, qui non tantum debitam iis præscripserant diætam, verum & congruas voci conservandæ applicarunt medicinas; (19) tantæ antiquis curæ fuit conservatio bonarum vocum, ut quod arte compositoris studiose elaboratum, per aptas quoque in publicum prodiret voces. Quibus finem impono cantui, cui merito anectitur ejus materia, quæ proprie poematis seu carminis venit nomine.

NOTÆ IN CAPUT SECUNDUM.

(1) *Donius* de Præst. Mus. V. pag. 109. Proprietas in melesi quadruplex est: alia enim gravia sunt, ac temperata, tranquillaque quam speciem Græci *Hesychasticam* vocant. Alia læta atque exultantia, quæ ad *Diastalticam* spectant. Alia contra flebilia atque mœsta, quæ ad *Systalticam* pertinent. Alia concitata ac vehementia, quæ ad *Enthusiasticam* referuntur: ac totidem etiam melismatum genera esse possunt ... Neque hæc melodiæ seu melopæiæ pars tam utilis ac necessaria a quoquam hodie tractata reperitur: nec sine ea miselli cantores munere suo recte atque ex ordine fungi unquam poterunt. Age vero exemplis res fiat illustrior: quædam melismata reperiuntur, quæ tertios quosque phthongos punctis adauctos habent, quæ cum rhytmum quendam exultantem & saltatorium præferant (nec minus enim ad ryhtmum, quam ad Melos quatuor illæ species pertinent) in gravibus ac sedatis, multoque magis in flebilibus modulationibus locum habere non possunt. Vide *Aristidis*, *Quintiliani* opusc. pag. 30. & *Euclidis* introduct. mns. pag. 21.

Euripides in Phœnissis vers. 1505. &c.

Τίνα προσῳδὸν
Ἤτινα μυσοπόλον σοναχὰν ἐπὶ δάκρυσι
Δάκρυσιν ὦ δόμος δόμος κἀνακαλίσομαι.

Quem locum eruditissimo commentario illustravit Ill. Cuperus. Obs. Lib. 1. pag. 2. &c.

(2) *Isidorus*. Lib. 2. Orig. cap. 21. Antiquitus cithara septem chordis erat: unde Virgilius *Septem discrimina vocum*. *Discrimina* autem ideo, quod nulla chorda similem vocem reddat: sed ideo *septem* chordæ; vel quia *totam vocem implent*, vel quod septem motibus sonat Cœlum.

Vide plura apud *Erycium Puteanum* in Musath. cap. 11. Ex Horatio. Homero & Pindaro aliisque.

(3) Isaacus Vossius lib. de Poemat. cantu. p. 85. Si plausus exigas ad mensuram veterum & unicuique plausui quadrato, non octo quemadmodum hodie fit, sed quatuor tribuas tempora, optime omnia se habebunt. Cum enim syllabarum ea sit differentia, ut brevibus singula, longis vero duo respondeant tempora ecqua melior & naturæ convenientior fieri possit distributio, quam si singulis manuum pedumve pulsibus singuli conveniant pedes, ita ut arsis vel elatio una longa aut duabus brevibus, totidemque thesis seu positio absolvatur syllabis.

(4) *Censorinus*. cap. 10. Diaposon est ... quinque tonorum, & duorum, hemitoniorum, ut Pythagoras & Geometræ adseverant; qui demonstrant duo hemitonia tonum complere non posse, quare etiam ejusmodi intervallum abusive Platoni ἡμιτόνιον proprie autem δίεσις vel λεῖμμα appellatur.

Macrobius in Somn. Scip. l. 2. cap. 1. *Sonum tono minorem Veteres quidem semitonium vocitare voluerunt: sed id ita accipiendum non est, ut dimidius tonus putetur: quia nec semivocalem in literæ pro medietate vocalis accipimus: deinde tonus per naturam sui in duo dividi sibi æqua non poterit.*

Nicomachus Gerasenus lib. 1. pag. 9. Omnium primus Pythagoras, ut ne in conjunctione medius sonus, cum utrisque extremis idem comparatus, differentem tantum exhibeat diatessaron consonantiam tam ad hypaten, quam ad neten, sed ut variam magis contemplationem inspiciendam habeamus, extremis quoque ipsis inter se suavissimam simul efficientibus consonantiam (hoc est ipsam diapason, quæ rationem duplam habet) quod ex duobus illis tetrachordis contingere nequibat, interposuit octavum quendam sonum, quem cum inter Mesen & paramesen eo aptasset, disjunxit a Mese integro tono, a paramese, hemitonio: ut prior, quæ in septem chordarum lyra erat paramese, trite jam a nete appelletur & sita quoque reperiatur: interposita autem quarta quidem sit a nete; ad illam vero consonet diatessaron consonantiam, quam & initio Mese ad hypaten habebat. Porro tonus qui inter ambas est, & Mesen & interpositam (quæ prioris loco paramese est appellata) utricunque tetrachordo adponatur, sive isti, quod est ad hypaten, ultimarum naturam magis referens, sive illi quod ad neten, supremarum, diapentes consonantiam demonstrabit, systema utrinque existentem ipsius tetrachordi & adjuncti toni.

(5) Cicero Tusc. Q. l. 1. de Pythagora. Qui sonos vocis, qui infiniti videbantur paucis literarum notis terminavit.

(6) Vide Nicomachi Geraseni Harmonices Manuale lib. 1. pag. 20. – 24.

(7) *Theon Smyrnæus* ex versione Meibomii in notis ad Euclidis introd. pag. 52. ita inquit: Plato autem secundum genus diatonum systematis magnitudinem ad quater diapason & diapente & tonum produxit. Si quis autem dicat, inquit Adrastus, non oportere in tantam magnitudinem systema extendi: quippe Aristoxenus ad bis diapason & diatesseron

ſui diagrammatis multos modos continentis magnitudinem produxit; juniores autem pentecædecachordum maximi modi ad ter diapaſon & tonum diſtans. Reſpondendum ait, illos ad uſum noſtrum reſpicientes ſic feciſſe, quod exiſtimarent, nec cantantes longius voce poſſe progredi, nec auditores de ea certo judicare: Plato vero ad naturam reſpiciens &c. etiam harmoniam animæ huc uſque produxit.

Proclus etiam ad Adraſtum provocat, & ejus teſtimonium ita citavit, ut ſenſui plane conveniat cum citatione Theonis. Vide Cl. Meybomium loco citato.

(8) Vide Kircheri Muſurgiam pag. 1. F. 216.

(9) Vide Kircheri Muſurgiam p. 1. F. 213. &c.

(10) Ericus Puteanus in Muſathena p. 34. Amiſſa veteri, rejectaque media canendi ratione Guido Aretinus, Muſicæ peritia inter ævi ſui primus (ſub Henrico III. Imperatore vixit) Sex notas ſyllabicas, ſenarij numeri perfectione delectatus, introduxit? UT, RE, MI, FA, SOL, LA, quas ex hymno mutuatus eſt atque tranſtulit.

(11) Idem ibid. Senæ hæ notæ ſic inventæ uſum ſui apud Muſicum paſſim gregem, ſed tardum difficilemque præbent. Quæ enim mora mutationum, confuſio clavium, ſubſtitutio vocum! videas pleroſque, atque indigneris, bonam ætatem impendiſſe huic arti: & exiguum tamen profeciſſe, perfectos annis potius, quam iſtiuſmodi lectione. Difficultas ſc. obſtat, remoramque pleriſque facit. Ego tollam: curſumque univerſum facilem & expeditum faciam, levi quodam diverticulo ſeu flexu ... ego adjungo, & moleſtias iſtas fugiens notarum numerum augeo, & ſen*is* receptis, ut Muſathena conſtituatur comitem unam adjicio ex eodem illo hymno ſc. BI. Solve *polluti Labli* reatum. Ordinem eundem ſervo UT, RE, MI, FA, SOL, LA, BI, ſed ad novam diſtinctamque Lectionis Methodum.

(12) Conferatur cap. 17. Muſathenæ Ericii Puteani.

(13) Vid. Donium de præſtantia Muſicæ vet. l. 3. pag. 119. Quatuor hæc potiſſimum advertere vos velim. *Primum:* antiquam illam rationem id præcipue commodi habuiſſe, quod modulata carmina multo anguſtius ſpatium occupabant: quæ res magnum nonnunquam commodum præſtat: ex. grat. in pronunciandis e ſcena tragœdiis... *Secundo:* ſi ad probe intelligendam hodiernæ ſemeiographiæ ſeu tabulaturæ rationem tot illas ac pene innumeras figurarum ſpecies, regulas, & obſervationes neceſſe ſit addiſcere, ut multi ſtultiſſime ſibi perſuadent, prope eſt ut antiquam illam præferendam putem. *Tertio:* ſecundum veterem methodum multo compendioſius potuiſſe, ut mihi videtur, pueros olim progymnaſmatis operam dantes teretiſſare, ſive progymnaſticis ſyllabis quoſcunque cantus emodulari, quam juxta hodiernam rationem, plures quam neceſſe ſit ſyllabas e Guidoniano ſyſtemate uſurpando, nullaque diagrammata ſingulis lineis earumque interſtitiis opponendo. *Quarto:* diverſitatem hanc clavium & ſuperſtitioſum hunc morem diagrammata initio lineamentorum omittendi, tantum habere obſcuritatis & confuſionis, ut multum laboris, temporis ac moleſtiæ miſellis pueris ante devorandum ſit, quam promte & expedite omnes phthongos pronunciare poſſint & τερετίζειν: adeo ut pauciſſimi cantores reperiantur (o magnum hodiernæ muſicæ dedecus!) qui per omnes claves canere ex improviſo audeant.

(14) Voſſius l. c. pag. 91. Quod vero attinet Syllabas *ut*, *re*, *mi*, *&c.* Quas Guido Aretinus reperit, quibuſque ſeptem diſcrimina vocum vulgo deſignantur, licet triviale & nullius pretii ſit commentum, attamen ſi quis hoc alicujus exiſtimet momenti, ſciat Ægyptios ſimiliter factitaſſe, & ſeptem vocalibus ſonos hos expreſſiſſe, ut teſtatur Dionyſius in Scripto περὶ ἑρμηνείας, quod Demetrio Phalereo perperam tribuitur... Et notandum, quod ratio hæc convenientior videatur, quam hodierna, utpote in qua vocales, quæ ſonum edant patentiorem, ſonis reſpondeant gravibus. Sed & Barbari etiam ante Guidonem iſtum ſimilibus voculis ſonos diſtinxiſſe, conſtat ex illo ipſo ſcriptore qui multo, ut diximus, Guidone eſt antiquior.

(15) Celeb. Donius lib. c. p. 94. Promittit, ſe oſtenſurum, quanto aptius & commodius veteres Græci primum muſicæ tyrocinium, canendique meditationes exſecuti fuerint, quam recentiores ex Guidonis inſtituto Senis: aut noviſſimi quidam Belgas Galloſque ſecuti Septenis: adeo ut in præexercitamentis muſices non paucarum menſium Compendium fieri poſſe exiſtimet, ſi juxta ritum veterem amputatis duabus ſyllabis non ſeptima adſcita ecphoneſes harmonicorum intervallorum addiſcantur & uſurpentur. Quare quod Aretinus ille Monachus gloriatur ſuum illud commentum maximo temporis compendio muſicam addiſcentibus profuturum... falſum, eſt, ſi cum priſca ætate fiat comparatio, qua Græcorum Romanorumque res florebant, & quatuor hæ ſyllæbæ τῶ, τᾶ, τῆ, τῶ uſu vigebant.

Celeberrimus Iſ. Voſſius de Poematum cantu p. 90. Nihilo melius eſt argumentum unde oſtendere conantur hodiernum cantum eſſe inſtructiorem antiquo: quod nempe cum veterum ſyſtema quindecim tantum continuerit ſonos: Guido demum Aretinus ſenariam majorem addiderit, ita ut nunc viginti habeamus ſonos. Iſti ſane Guidoni, ut multa perperam tribuuntur, in concinanda ſua ſcala ſecutus eſt harparum & organorum ſui temporis exemplum, illa enim viginti ut plurimum inſtructa tibiis habuiſſe ſyſtemata, docet ſcriptor aliquot ſeculis Guidone Vetuſtior. *Porro numeroſitas nervorum vel fiſtularum, ut puta viginti unius aut plurium, non idcirco apponitur, quod ſoni ultra quindecim, aut forte ſedecim protendantur, ſed ipſi iidem qui ſunt inferius repetuntur, & hoc pro varietate modorum.*

Meibomius in præf. ad antiquæ muſicæ ſcriptores. *Graviſſimi toni* προσλαμβανόμενον *antiqui ſtatuebant ſonum, qui primus clare audiri poſſet ... Infra hunc itaque alium quidem tonum ponebant, cujus partes finalibus literis notarentur; ſed quod obſcuris ſonis, qui auditu clare diſtingui non poſſent, proferretur, ideo fuit neglectus: hunc tamen tonum Guido ſuo ſyſtemati adjungendum putavit, ne minus religioſe Græcam diſciplinam tractaſſe videretur, & ſua culpa aliquid omiſiſſe ... Porro in acumen longius quam Guidonem proceſſiſſe Græcos, quid opus eſt ut amplius demonſtrem, cum id trium generum tabulæ loquantur?* Plura notatu digna vide eodem in loco: & apud Ariſtoxenum pag. 20. 21. Nec non in notis ad Euclidem pag. 51. 52.

Voſſius de poemat. cantu pag. 90. Fruſtra quoque & illud objiciunt, quod in veterum notis muſicis non contineantur tempora, quibus ſingula exprimi debent, quemadmodum in hodiernis fit notis, quarum menſuræ primo ſtatim conſpectu dignoſcuntur. Atqui ex ipſo carmine & pronuntiatione ſyllabarum palam fiebat, quantum temporis unaquæque nota ſyllaba exigeret. Non muſicis tantum, ſed & cuivis e plebe notiſſimum erat, quænam ſyllabæ longæ, quæ item breves eſſent, ſtultum ſane fuiſſet idem bis agere, & id monere, quod nemo ignorabat. confer. pag. 127.

(16) Locus Macrobii occurrit Saturnal. l. 2. c. 4. De quo ita Joh. Baptiſta Donius in Libro de Præſtantia Muſicæ veteris pag. 103. Non deerant (inquit) Mangones & Vænalitarii, qui integros Symphoniacorum choros, negotiationis cauſa pararent, erudirent, ac poſtea divenderent; qualis fuit Toranius ille Flaccus, qui ſuos Auguſto Cæſari inter cœnam, ut Macrobius, teſtatur, exhibuit.

(17) Idem ibidem de iis, qui proprium in commodum alebant Symphoniacos, ita inquit: Florentibus Romanorum rebus non pauci reperiebantur, qui numeroſos cantorum & Symphoniacorum greges inter alia ſervitia poſſiderent: quorum nonnullos: quæ tandem invidia erit, hic commemorare? Lyſo quidam mediocris homo conditionis ſymphoniam, id eſt ſymphoniacorum gregem habuiſſe legitur in Ciceronis Epiſtolis. Adoleſcens neſcio quis ex Aſia apud A. Gellium memoratur, qui complures utriuſque ſexus habuerit, voce organiſque ſcitiſſime canentes. Hinc apud Africanum & Juventium Celſum Icc. eæ ſpecies ponuntur, in quibus chorus (ſymphoniacorum videlicet) vel Comœdi legati fuiſſent. *De legatis* 3. & in titulo *de ædilitio edicto*. Milonis etiam illius uxor, quem Cicero defendit, ſymphoniacos pueros habuit, ut ex illa oratione cognoſcitur.

(18) Vide *Pignorium* de Servis pag. 150. &c. Sed audiamus eundem Donium. pag. 100. Machinati ſunt veteres (videte illorum ſolertiam) fibulæ quandam ſpeciem, ut plurimum æreæ, quæ per ſummam ge-

nita-

nitalium partem trajecta, non sineret eos, qui illam gestarent, libidinari, eoque pacto vocem corrumpere. Atque ne id me fingere putetis: Juvenalis non uno in loco ejus meminit. Martialis in eam alicubi jocatur. Celsus Latinorum Medicorum Princeps infibulandi etiam modum, rationemque declarat.

(19) Pergit Donius pag. 100. Quantum ad medicinam vocis attinet, luculentissimum ejus exemplum est in Nerone (Svetonio teste cap. 20.) Terpnum, inquit, Citharædum vigentem tunc præter alios accersiit, diebusque continuis post cœnam canenti in multam noctem assidens, paulatim & ipse meditari exercerique cepit: nec eorum quicquam omittere, quæ generis ejus artifices vel conservandæ vocis causa vel augendæ factitarent. Sed & plumbeam chartam supinus pectore sustinere, & clystere vomituque purgari, & abstinere pomis cibisque officientibus, donec blandiente profectu (quamquam exiguæ vocis & fuscæ) prodire in scenam concupivit. Inspiciendus porro *Casaubonus* vir eruditissimus in illum Svetonii locum.

CAPUT TERTIUM.

De Poesi Musicali.

Etiamsi solus Cantus magnam habeat animos commovendi vim, non tamen satisfacit auditoribus, nisi simul eundem ornatus comitetur verborum: Conveniens namque est, ut homo, qui donum acceperat loquendi, nec non cantandi, verba etiam canendo bene proferat disposita, ne scilicet illa susque deque comisceatur: in hoc enim differt cantus humanus ab avium gutturulationibus; ex dictis non difficiliter eruendum, Poesim propter cantum, nullatenus vero ipsum propter illam fuisse inventam: Itaque Poeta maximam verborum copiam ad manum habere debet, ut non eadem continuo replicare adigatur, minusve singula materiæ propositæ sint idonea, dum una melodia exigit syllabas longiores, altera requirit breviores, una petit suavia, altera gravia, aliqua verba modicam, alia majorem continent Emphasin, ut paucis dicam, sint fluentia sine affectatione, seria absque coactione. Permagnam etiam cantui & Poemati affert utilitatem notitia qualitatis, ac quantitatis pedum, syllabarumve: sed de iis inferius, nunc prævie agendum est de origine Poeseos, ac de summa ejusdem apud veteres æstimatione. Igitur plurimum semper Latini una cum Græcis hanc artem habebant. Cujus gratia usum induxerunt Comædiarum, auscultando Cantores & Cantatrices carmina sua palam proponentes, non parvum temporis insumentes spatium Romanorum in facultate ista Magistri erant Græci, a quibus Musici & Poetæ sapientes ac vates audiebantur; primos vero suos inter poetas numerant Orpheum, Musæum, & Linum, quos temporibus Thesei Atheniensium Præfecti claruisse sentiunt: antiqui autem characteres marmori alicui incisi testantur, seculo quinto hoc Atheniensium extitisse regimen, sive anno 325. ab origine præfati regiminis, post legem vero latam 242. anno, si præsupponatur, dictum regimen 83. annis datam præcessisse legem. Antiquissimi alicujus Scriptoris Dionisii mens est, Linum Thebanensem primum esse, quem Græci poematum volunt inventorem, qui & Herculem, Thamyrim ac Orpheum discipulos habuit, eundem Cythara ab Hercule percussum objisse fingunt: Orpheus Thracia ortus Lini discipulus in Ægyptum navigio portatus, ut horum imbueretur scientiis, inde rediens ignorantem plebem instruxit, atque Sacrificia juxta Ethnicorum consuetudinem peragendi edocuit, quodve Ægyptii *de Iside* cantaverant, *solo nomine* mutato, de Baccho & Cerere versibus expressit: per ipsum, Strabone attestante, Musica Poetica una cum pluribus sanctuariis de Thracia ad Græcos transiit, Discipulus illius erat Musæus Eleusius: (ad distinctionem Musæi Thebani, Poetæ Lyrici, Thamyris filii, ac Lini discipuli:) hic 4000. Carmina morum regulas continentia filio Eumolpho reliquit: In summo vero fastigio poesis fuerat collocata vivente Homero Græcorum Poetarum Principe, cujus poemata Trojani Excidii historiam comprehendunt: hic secundum ante dictam Scripturam marmori insculptam anno *676.* Regni Atheniensis floruit, hoc est 593. annis post datam legem, quo tempore Josaphat regnabat, atque 116. annis post Davidis mortem.

Permulti confirmant, poesin prius ab Hebræis, quam a Græcis esse usitatam, cum Moyses, qui ducentis circiter ante Linum annis vixit, & vivere desiit, plura scripserit cantica, qualia in sacra asservantur Biblia; at omnium prima hujus præclarissimæ artis originis, ob temporis vetustatem difficillime certitudinem dari posse assevero, etsi probabilius tenendum, brevi post Cantum eandem fuisse introductam, impossibile etenim est, ut paulo ante meminimus, quod homo diu

diu balbutiendo, aut verba in confuso proferendo se detinuerit, quin etiam eadem in certum ordinem atque ornate ligare conatus sit, eo magis, quia Instrumenta quoque jam ante diluvium a Jubal erant inventa, credendum est, illis sæpius Carmina cantando fuisse conjuncta: hinc conservatio & propagatio ejusdem merito Noe Domesticis attribuitur: quare, quod rerum & artium aliqui tamquam Primarii proclamentur Autores, non alia intelligendum est ratione, quam ista, quia illas oblivione longa sepultas resuscitarunt, & de novo ut aliquid rarum hominibus persuadent; firmatur idem ab experientia, videntur enim aliqua opera veteris artificii, quæ modo nulla humana industria perfici queunt. Poesis consequenter antiquissimum fuit inventum, quamvis aliqualiter respectu styli hodierni imperfectum; nam novis semper recentiora succedunt, & quod nimium ac frequens est, nauseam creare solet, nec mutatio ista ulla in se finem consequetur, ita etiam poemata Veterum ob pedum & numerorum defectum tanquam minus venusta obsoleta censentur, nam carmen ante carminis extitit legem, (1) propterea temporibus illis res fuit salva, si compositio quædam poetica taliter erat facta, ut complexus verborum una mensura potuerit absolvi, dum una aut plures syllabe deerant, vel econtra numerum excedebant, repetebantur aut protrahebantur pro mensuræ exigentia. Græci itaque attendentes unum versum altero esse magis fluidum regulas excogitarunt pedum, cuique suum tribuendo nomen, scilicet Spondæus, qui consistit ex duabus longis syllabis, pyrrichius habet duas breves, Jambus continet unam brevem, longam alteram, Trochæus complectitur longam unam, & aliam brevem syllabam, isti sunt dissyllabi, his adjunguntur pedes trissyllabi: (Interruptim notandum, illam vocari syllabam, quæ ex pluribus composita est literis:) Trissyllabus ergo primus nominatur Molossus ex tribus syllabis factus, Tribrachius vel tres breves, Anapestus habet duas breves cum longa, Bachicus unam brevem & duas longas, Amphibrachius unam longam inter duas breves, Dactylus unam longam & duas breves, Creticus unam brevem inter duas longas, Antibachicus duas longas & unam brevem desiderat syllabam: de cœtero, innuere hic cupiens, præ aliis dico sequentes pedes magis necessarios carmina compositturo, nempe tres dissyllabi, Spondæus, Jambus Trochæus, ac tres trissyllabi, Dactylus, Anapestus, Tribrachius: pro residuis conditionibus versuum abundantem scolastici præbent informationem: quæ vero præsentem spectant materiam, inter alia sunt etiam ista, quod, si pes sit compositus ex duabus syllabis longis, quælibet earum petat idem tempus, ita ut quatuor respirationibus mensuram Cantus integram conficiant, si constat ex duabus brevibus, quarum una sola respiratione quævis indiget, tamen simul sumtæ mediam tantum complere debeant mensuram: Item, si pedes consistant in syllabis disparatis, id est una longa & altera brevi, his utuntur ad producendas res graves, si præcedat syllaba longa & finiatur cum brevi, tunc ad suavia, & adulatoria est applicandum. (2) Pedes metrici habent tres syllabas aut longas, aut breves, vel duas breves, & unam longam, vel constant ex duabus longis & una syllaba brevi, horum nomina prius habentur: istorum ac plurium similium pedum inventione Græci præsertim ob singularem linguæ propriæ aptitudinem miros faciebant in suis versibus progressus, unde tot eorum in lucem prodierunt poeseos opera, in quibus diversimodi duarum, trium, & plurium imo sexagenariarum syllabarum versus aspiciendi sunt. Verumtamen, quia non omnium gentium eadem est linguarum prorietas, (3) hinc quorundam fuit mos solum ex æqualibus atque similiter desinentibus syllabis componere versus, quin longitudini aut brevitati attenderint syllabarum, tacendo Europæos, etiam ipsi Arabes, Persæ, Africani, Tartari, Sinenses hac assueti erant norma, quam iis ab ipsa natura fuisse inditam conjicere licet, quos (4) lapsu temporis etiam Latini imperante Nerone, & tandem alii in Hispania, ac Italia sunt imitati. Demum ista de Poesi, quantum necessaria est ad Musicam, dicta sint satis, pergitur ad Musices instrumenta, quæ materiam discurrendi præbent copiosiorem.

NOTÆ IN CAPUT TERTIUM.

(1) Isaacus Vossius Libro de Poematum cantu & viribus Rythmi pag. 2. Qualia fuerint, inquit primorum hominum carmina, nemo, ut opinor affirmaverit, cum nulla supersint monumenta, unde certi aliquid explorare possimus: Sed cum omnes artes in vilibus & simplicibus quam diutissime soleant subsistere principiis, priusquam ad summum culmen emergant; fieri aliter nequit, quin idem quoque poeticæ

ticæ acciderit, cum ipſa quoque exigat ratio, carmen prius repertum fuiſſe quam carminis legem. Et paulo poſt. In eo tamen plerique Scriptores convenire videntur, priſca carmina pedibus & numeris caruiſſe, ideoque prorſus invenuſta fuiſſe. Nec aliter ſenſit *Quintilianus*, cujus poſtremo libri noni capite hæc legas. *Poema nemo dubitaverit imperito quodam initio fuſum, & aurium menſura, & ſimiliter decurrentium ſpatiorum obſervatione eſſe generatum, mox in eo repertos pedes.*

(2) Si quis illa potius velit vocibus technicis, eas hoc modo accipiat: 1. Spondæus. 2. Pyrrhichius. 3. Jambus. 4. Trochæus. Qui conficiunt pedes diſſyllabos. Dein. A. Tribrachius. B. Moloſſus. C. Dactylus. D. Anapæſtus, E. Amphybrachys. F. Bacchius, G. Antibachius. H. Creticus. Qui pedes triſyllabos conſtituunt.

(3) *Iſaac Voſſius* Lib. de Poem. cantu &c. p. 25. Tanto conſenſu pleræque gentes ſpurios iſtos rythmos amplectuntur, ut toto fere orbe vix ullam poeſin, aut ulla reperias cantica, quæ non vel iiſdem, vel ſimiliter ſonantibus abſolvantur vocabulis. Conſuetudinem hanc ſervant non Arabes tantum, & Perſæ & Afri, ſed & Tartari & Sinenſes, & complures quoque Americanæ gentes, ut dubitari vix poſſit, quin ipſa natura una cum cantu hanc poeſeos rationem mortalibus tradiderit.

(4) *Caſaubonus* in Notis ad Perſium pag. 230. diligenter inſpiciendus.

CAPUT QUARTUM


De Inſtrumentis Muſicalibus, & primo de Tibiis.

PRæſens hujus primæ partis objectum, utpote multiplex longius protrahetur, cum quodlibet inſtrumentorum genus propriam requirat deſcriptionem, ideo primo, quod occurrit, eſt Tibia, cujus uſus ad humanam vocem poſſibili modo imitandum eſt inductus. Tibiarum autem variæ ſunt ſpecies, aut ex calamis, cannis, aut alia materia vel ligno factæ, in quibus aer comprimitur, ac per viam anguſtam exire compulſus ſonum profundum vel acutum, prout ab inflante digitis pulſando deſideratur, producere ſolet: ſi fides (1) Lucretio Poetæ adhibenda ſit, qui autumat, eam ab initio a paſtoribus & ruſticis eſſe fabricatam, dum perſæpe obſervabant ventos per nemora atque ſylvas irruentes aliquem cauſare ſonum, inde hujus effectus experimentum capturi tibias facere oblongas non tamen æqualiter hiſce ſpiritum labiis oppreſſis ante retentum per anguſtius foramen mittentes, qui tandem ſic contractus per aliud foramen largius erumpens ſonum edidit. Græcorum erat figmentum, earum autorem Minervam Deam eſſe, ſed dum ambas inflantium buccas invenuſte vidiſſet elatas, Tibiam confeſtim abjeciſſe, quam Marſyas elevans poſteritati ſervavit: Econtra Athenæus, Euſtathius, Heſychius illam a quodam Lairite in Lybia excogitatam volunt, verum ſimul in ſua opinione hæſitantes modo Thebanos, modo Cretenſes ut illius coluere Inventores, etſi forſitan tantum fuerint ejus melioratores: omnium autem certior eſt ſententia Voſſii, qui illam Phrygiis adſcribit: Tibia enim Phrygia olim erat dicta. (2) Chriſtiani denique, ante Diluvium hujus inchoaſſe ortum fatentur: nam legitur in ſacra Scriptura, quod Jubal filius Lamech Pater ſit canentium Cythara & Organo: *Gen.* 4. 21. Vox קיגב deſignat Organum. *Job.* 21. 12. *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad ſonitum Organi. In Hebræo legitur* קיל. In Chaldæo אבובא in Græco ψαλτήριον. (*) Antiqui vero nomine Organi (3) Tibias ſubintellexerant, etenim Organa ex pluribus compacta ſunt Tibiis. Sicuti autem omnium antiquorum inſtrumentorum forma erat admodum vilis, ita & tibiæ, & demum curſu temporis plus acquiſivit decoris, aliaque continuo diverſimoda conſiſtebat materia, ac forma, pro earum qualitate varias acceperunt denominationes, quæ gravem dabant ſonum & prægrandem, vocabantur Tubæ, Trompetæ, Poſſaunt, Cornua, quæ ad plebem longius diſtantem convocandam inſerviebant, aliæ ad recreandos animos uſui fuerunt, ut fiſtulæ, flautæ, haboe, elatinetæ. Compoſitio priorum fiebat ex diverſo metallo, imo & ex calamis, luto & ligno, ultimæ conſtabant vel ex ligno ordinario, aut buxo, præcedentiam omnium habuerunt factæ ex loto, quod lignum eſt Ægyptiis notum, vel ex Elephantorum cornibus, dum ſcilicet illis compertum erat, ſi ex iſta vel alia confectæ fuiſſent materia, alium & alium quoque ſonum, ex materiis omnibus effici tentarunt ſimilia conficere inſtrumenta. Tubæ fiebant ex auro, argento aut metallo altero unius cubiti longæ cum labio parvo, & extremitate larga: erant quoque aliæ curvæ, pluribus circulis inflexæ, Cornua vocatæ. Euſtathius adducit ſex tubarum formas, quibus veteres pro diſtinctione Provinciarum, ac gentium uti conſueverant: Argivi habebant rectam, quam Græci a Minerva Dea inventam jactant: Lybiis uti & Ægyptiis erat Tuba curva, qua populus ad cœremonias Sacrificiorum congregatus fuit, eam hæreditarunt Græci & Romani: inventor illius Oſiris fuiſſe creditur; in caſtris adhibebant Tubam, hujus extremitas caput præſetulit cujuſdam monſtri, quam Galatæ antiqui ſedem in Aſia figendo


Æthio-

Æthiopiam transportarunt; Paphlagonienſium Tuba, quæ in caput deſinebat Bovinum, ferocite reboabat: Medis in uſu fuit Tuba ſingularis a prioribus longe diverſa horridum proferens fragorem: tandem Tyrrhenenſes Tubam invenerunt Tibiæ Phrigiæ ſimillimam cum apertura in extremitate lata. Nunc regrediendum eſt ad Tibias, de quibus adhuc plura reſtant advertenda. (4)

Tibiæ pro Muſicis deſtinatæ fuerunt majoris aut minoris longitudinis, quare & in tono erant diſtinctæ; ex ſimilibus etiam confecta fuit fiſtula Paſtorum nuncupata, nempe conjunctim in ordine ponebantur ſeptem arundines, ſic, ut ex parte orificii ſe æquarent, in parte vero adverſa una alteram tranſcenderet, quæ labiorum & capitis agitatione inflari ſolebant, effigiem illius ad oculum pono.




A pluribus Pan Antiquorum Paſtorum Deus pro illius habetur inventore, formam autem hujus fiſtulæ quidam antiquitatum amatores ex ſiniſtra parte altaris, Cybeli quondam dicati, & ex monumento aliquo prope Romam deſumſerunt. (5) Similibus quoque tubulis, at plumbeis conſtat organum, quod deſcribitur quaſi turris quædam multas comprehendens fiſtulas, quæ ſuper arcamperforamina, in quam ſpiritus follium deducitur flatu, collocatæ, & ad repreſſionem per digitos Magiſtrorum linguarum lignearum ab intra conſtructarum diverſas emittunt voces; non enim cunctæ eundem ſonum edere queunt, cum non ſint ejuſdem longitudinis aut latitudinis: Iſtius originem Caſſiodorus (6) ponit ad ſextum ſeculum, Bulengerus vero ad quartum ſub Juliano Imperatore (7). Memorat præterea (8) Voſſius organiſtas a Græcis vocatos eſſe aſcaulas, vel utricularios, quia utribus, follibus, aut manticis ventum tibiis adſpirarunt, quod nunc repreſſione linguarum lignearum ordinate in Manuali diſpoſitarum præſtatur. Baleus (9) aſſerit illius uſum anno 660. a Vitelliano Angliæ Epiſcopo, Eccleſiis Anglicanis primo fuiſſe introductum; aliquod etiam hujus generis Organum anno 454. Pipino Francorum Regi a Conſtantino Copronymo Græciæ Imperatore dono eſſe datum refert Marianus cum Aventino: talia itaque opera ſucceſſu temporis mirum in modum emendata, ac Tibiis aucta fuere, ita, ut merito inter mundi miracula poni mereantur. Bernardus Germanus, qui anno 1480. Venetiis ſimilium labore vitam egerat, pedale Organis addidit, quo una cum digitis, pedes etiam cooperari poſſint. Ad hanc materiam Organum ſimul pertinet Hydraulicum, quod manuali, & ſecreto ſive venti receptaculo erat inſtructum, in eo tantum ab aliis diſcrepans, quia ventus in iſto non per folles, ſed per aquæ depreſſionem cauſatur: hujus deſcriptio ab Herone (10) & Vitruvio erat valde obſcura nobis relicta, hinc eruditior quiſpiam pro majori ejus claritate ſequentem incidi curavit figuram.




Ita-

Itaque superior pars demonstrat arcam seu aeris receptaculum pluribus provisum foraminibus ad tabulas insigendas, infra sunt tria vasa ex cupro, utraque parte cum medio connexa, in medio positum altera duo magnitudine excedit, quia aqua implendum, estque fabre in forma medii circuli elaboratum, inversumque ad modum inversæ campanæ, medietatem hujus vasis penetrat una canna, tanquam via, qua ventus ad secretum perducitur, cœtera duo vasa a Tympanis inferius directa promovent per curvas cannas aerem in vas majusculum, ubi depressione aquæ ventus maxima vi per cannam in medio collocatam ad secretum deportatus in tubulas dividitur, quo mediante proportionatum quælibet producit sonum; (11) artificem hujus operis Ctesibium asserit esse Vitruvius, secundum Tertullianum (12) autem hoc Archimedis fuit artificium. Facta hac descriptione restant aliæ adhuc Tibiarum formæ explicandæ, quales sunt fistula, Monaulos, Buccina, in quarum arundinibus (13) plura aut pauciora per transversum reperiuntur foramina, nam antiquitus tot exigebantur tibiæ, quot exprimendæ essent toni, verum successive advertentes, unica hoc perfici posse Tibia, si hoc sufficientibus provisa sit foraminibus, earum numerum minuerunt, expertique sunt, quod sonus acutior emittatur per foramina ori inflantis viciniora, quam per distantia, item acutior per intensiorem spiritum, quam per remissum, imo ex eodem foramine produci etiam tonos disparatos, si foramina aut ex integro aut per medietatem solum digitis occludantur, (14) vel majora, vel minora sint foramina; in aliquarum orificio incluserunt lingulas, ut sonus ederetur suavior & clarior (15), affixerunt & alii Tibiarum extremitatibus largiorem cannam, qua sonus vehementior redderetur, qualem Ismenias Corinthi septem talentis comparasse legitur. Habent & Ægyptii propriam de Osiride (16) Tibiam, quæ, ut Pollux (17) testatur cum Claudiano Poeta (18), est multorum tonorum instrumentum: huc venit tibi Bombus (19) nuncupata raucum producens sonum, composita ex arundine integra, indigensque vehementiori spiritu, qua in Bacchi festis (20) uti consueverunt.

In Ægypto penes jam adductas alia etiam parva Ginglatus nomine in simplicibus adhibebatur melodiis, quamvis aliqui putent fuisse illam, quæ a Syriis (21) Gangris appellatur, quæve magnitudinem unius palmi non excedit, & ea solummodo ad melodias lugubres in festis Adodinis utebantur, apud Athenienses econtra simul Epulis inserviebat: aliam Tibiarum formam Typo mandavit Fortunatus Schachius, ut inspicienti patet



hoc præter septem ordinaria foramina in medio quoque permagnum, plerumque foraminibus habet nodum, quo factum, ut souus copiosior prodiret, isti adjectum est ligamen quodpiam ad illa obstruenda foramina, quo digiti attingere non possunt. Græci tandem faciebant Tibias diversæ speciei duplicatas, cum uno eodemque labio, ut hic ex antiqua memoria videndum



qui de his tractant, affirmant (22) eas suam originem in Phrygia sumsisse, cum Hyagnis Parens & Marsyæ instructor primus fuerit, qui has usurpavit, quem ipse Marsyas & Olympus sunt secuti; tunc temporis vero Tibiæ istæ nullius fuere considerationis, paucis item instructæ foraminibus, (23) modo scilicet Phrygio, quemadmodum ex Marsyæ fabula (24) colligendum, qui ob inventionem prænominati instrumenti de se nimium præsumens Apollinem Cytharistam provocaverat ad pugnam, & decumbens, cum Apollo seposita Cythara ad alia se dedisset, in quibus illæ nondum imbutus erat, suam Insolentiam in pelle luere est coactus. De reliquo tot veteres usi sunt tibiis, quot diversæ occurrebant melodiæ, nam in melodiis gravioribus seu Cantu Dorio seligebantur duæ tibiæ dexteræ (25) vocatæ, modi Lydii incinebantur duabus sinistris, utpote acutiori sono dotatis, in modo (26) Phrygio tanquam medio Doricum inter & Lydium audiebatur una dextera & altera sinistra Tibia, quæ ultima inscribitur Berencyntia, Mygdonica, & Ideica, cujus foramina erant numero imparia, atque adeo simplex, quod nunc unum, nunc

duo

duo, & nunquam plura, quam tria aut quatuor habuerit foramina: Thebanorum denique laudatur tanta dexteritas, quia in una, eademque Tibia diversas poterant canere melodias, Pollux præcipue Diodorum, & Pausonias Pronomum, (27) Apulejus cum Theophrasto Antigenidem in ea arte excellentem prædicat, de hoc ultimo Apulejus singulariter scribit, quod Melleus fuerit modulator, omnisque modi peritus modificator; potuit enim tibicen iste canere in sua tibia vel Ætolium simplex, seu jasticum varium, aut Lydium querulum, aut Phrygium religiosum, vel tandem Dorium bellicum, ad audientium stuporem: quam quæso admirationis causam veteri illi simplicitati dedissent recentiores hujus artis professores, qui non solum in modis memoratis, verum & in aliis centenis decantandis, sunt expeditissimi?

NOTÆ IN CAPUT QUARTUM.

(1) *Lucretii* Locus elegans est, & occurrit poemat. Lib. 5.

Ut Zephyri cava per calamorum sibila primum
Agrestes docuere cavas inflare cicutas.
Inde munitatim dulces didicesse querelas
Tibia quas fundit, digitis pulsata canentum
Avia per nemora ac sylvas saltusque reperta,
Per loca pastorum deserta, atque otia dia.

(2) Qui gentilium de inventoribus tibiarum titubationes penitius introspicere desiderat, is adeat Casp. Bartholini de tibiis veterum commentarium, qui l. 1. c. 3. hanc materiam diligentissime excussit. Addere lubet *Vossii*, viri eruditissimi animadversionem, quæ auctuarii vicem præstabit; ille in notis ad Catullum pag. 226. &c. Aliquos tibiam fuisse Phrygum inventum credidisse asserit, addens. *Et sane id ipsum confirmare videtur vocabulum. Non enim eorum probo opinionem, qui a tibiis gruum, aut aliorum animalium dictam putant? procul dubio tibia dicta a Tibiis, id est Phrygibus; nam Tibia olim dicta Phrygia, & Tibii iidem, qui Phryges. Hinc Tibii, seu Tibini modi pro Phrygiis, & Tibini sonitus Nonium ex Varrone,*

---- Sonitus matris Deum tonimus
Tibinos tibi nunc semiviri.

Telestes apud Athenæum L. 14. a Phryge gentis conditore repertas fuisse tibias significare videtur, ἢ φρύγα τεὺς καλλιπνόων αὐλῶν ἱερῶν βασιλῆα Αὐδόν, ὃς ἥρμοσε πρῶτος Δωρίδος ἀντίπαλον μούσης νομαιόλαν ὀμφὰν, πνεύματος εὔπτερον αὔραν ἀμφιπλέκων καλάμοις. Hactenus vir doctissimus. Attamen ex vocis etymologia adducta non amplius colligi potest, quam quod Phryges ante alias circumvicinas gentes tibiis cecinerint; & tibiarum cognitio ab illis ad Græcos & Latinos transierit.

* Fateor quidem in versione τῶν LXX. Locum Gen. 4. 21. Legi οὗτος ἦν ὁ καταδείξας ψαλτήριον καὶ κιθάραν. Adeo ut cuipiam videri possit voci כנור respondere ψαλτήριον & עגב verti per κιθάραν, Verum attendenti manifestum est vocabulorum in versione illa factam esse transpositionem; quoniam alias vox כנור sine dubio significet citharam, & ita fere semper ab iisdem interpretibus verti soleat. In duobus locis *Job.* 21. 12. & 30. 31. עגב vertunt ψάλμον. Sed Psalmo CL. αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν χορδαῖς καὶ ὀργάνῳ Ubi per ὄργανον vertitur.

(3) *Augustinus in Psalm. CL.* Organum, *inquit*, generale nomen est omnium vasorum musicorum, quamvis jam obtinuerit consuetudo ut organa proprie dicantur ea, quæ inflantur follibus; quod genus significatum hic esse non arbitror. Nam cum organum vocabulum Græcum sit, ut dixi, generale (sc. ὄργανον quasi ἔργανον, ab ἔργον opus) omnibus instrumentis musicis *conveniens*; hoc cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant. Ut autem organum dicatur, magis Latina & ea usitata & vulgaris est consuetudo.

(4) Eruditi legant hic doctissimum Illustris D. Cuperi Commentarium, quo Harpocratis effigies, & symbola explicat, ubi multis Eustachii locum illustravit. 141. 145.

(5) *Bartholinus in Tractatu de Tibiis l. 3. c. 6. Omnibus aliis melius illustrat insignis (apud Achillem Tatium l. 8.) Locus, quem ideo hic adjungam, prout verba latini interpretis se habent.* Fistula pluribus e tibiis compacta est, quæ singulis ex arundinibus constant. Atque arundines ipsæ omnes perinde ac tibia una sonum edunt: inter seque ita collocatæ sunt, ut altera alteri ordinatim adhæreat. Facies anterior posteriori similis habetur. Quoniam autem arundinum aliam alia excedit, illud scire oportet, altero ex capite quanto primam secunda superat, tanto secundam a tertia superari, cæterasque deinceps proportionem eandem sequi. Ex altero autem capite æquales inter se omnes esse: quæ omnium media est, ea longiore dimidio minor est. Eo autem ordine dispositæ arundines fuerunt ut æqualis estici concentus possit: Nam cum acutissimus sonus in sublime admodum feratur, gravissimus autem contra deprimatur, amboque extremas arundines alter alteram scilicet, sortiti sunt, interjacentes alias, quæ vocum intervalla moderarentur, constitui necesse fuit. Illæ enim sonos impares, sed tamen pro rata portione distinctos nactæ, acutaque cum gravibus temperantes, in causa sunt, ut extremæ inter se congruant sic, ut æqualis demum concentus efficiatur.

Idem eodem loco. Ab initio singulares fuere tubuli, mox bini cohærentes: qui numerus postremo crevit ad septenos usque, magnitudine omnes inter se impares, sed proportione certa. In summo, qua inflabantur æquales erant, inæquales, sed æqualiter, qua exit spiritus. Unde dispares describit. *Ovidius Metam.* Lib. 8.

Fistula disparibus paulatim surgit avenis

Et *Metam.* Lib. 2.
--- Dispar septenis fistula cannis.

Ubi & numerum tubulorum indicat, in quo consentit *Virgilius* Eclog. 2.
Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula, Damœtas dono mihi quam dedit olim.

Cera conjunctos fuisse Calamos testatur *Tibullus* Lib. 5. El. 5.
Fistula cui semper decrescit arundinis ordo,
Nam calamus cera jungitur usque minor.

Virgilius, inventorem addens, ita quoque inquit Ecl. 2.
Pan primus & cera calamos conjungere plures
Instituit: Pan curat oves, oviumque Magistros.

(6) *Locus Cassiodori ad Psalmum CL. Ita se habet.* Organum itaque est quasi turris, diversis fistulis fabricata, quibus flatu follium vox copiosissima destinatur, & ut eam modulatio decora componat, linguis quibusdam ligneis ab interiori parte construitur, quas disciplinabiliter magistrorum digiti reprimentes grandisonam efficiunt, & suavissimam cantilenam.

(7)

(7) Epigramma *Juliani* extat Vet. Epig. Lib. 1. cap. 86.

Καί τις ἀνὴρ ἀγέρωχος ἔχων θοὰ δάκτυλα χειρὸς
ἵσταται ἀμφαφόων κανόνας συμφράδμονας, αὐλῶν.

(8) *Isaaci Vossii Viri doctissimi, qui de Poematum cantu & viribus Rythmi eruditissimum scripsit commentarium, Sententia est. pag. 99.* Quod hodierni Organarij, si more antiquo loqui velimus, non sint vere organarij, sed ascaulæ seu utricularii, quomodo ab antiquis dicebantur (*inquit*) illi, qui utribus, follibus aut manticis ventum tibiis adspirabant quem admodum hodie sit in templis. Ridiculi enim sunt, (*ita pergit*,) qui hæc vocabula de iis accipiunt mendicis, quales vulgo cum corna musa, ut loquuntur, per plateas discurrunt, & non distinctos, sed continuos & inamænos prorsus cubito excutiunt sonos.

(9) *Conf. Dieterici Ant. Bibl. p. 131. &c.*

(10) Vid. Vossium de Poemat. cantu p. 100.

(11) Claudianus

Vel qui magna levi detrudens murmura tactu
Innumeras voces segetis modulatur ahenæ
Intonat erranti digito, penitusque trabali
Vecte laborantes in carmina concitat undas.

(12) *Tertull.* Lib. de anima. Specta portentosam Archimedis munificentiam: organum hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia sonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, & una moles erunt omnia: spiritus, qui de tormento aquæ anhelat, per partes administratur, substantia solidus, opera divisus.

(13) *Polluci* Laudatur onomast. l. 4. c. 7. *αὐλὸς πολύφθογγος, πολύκομπος, πολυκαμπής, πολύφωνος, πολυμελής* &c.

Ovid. Metam. 12.

Longave multifori delectat tibia buxi.

Lucret. Lib. 4.

Tibia quas fundit digitis pulsata canentum.

(14) *Quintilianus* l. 2. c. 3. Tibiæ eodem spiritu accepto alium clausis, alium apertis foraminibus, alium satis purgatæ, alium quassa sonum edunt. *Macrobius* de som. l. 2. c. 4. Nec secus probamus in tibiis de quarum foraminibus vicinis ori inflantis sonus acutus emittitur: de longinquis autem & termino proximis gravior. Item acutior per patentiora foramina, gravior per angusta. Et utriusque ratio una est, quia spiritus ubi incipit, fortior est (ac proinde concitatior) defectior ubi desinit &c.

(15) *Aristoteles* lib. *περὶ ἀκουστῶν*. Quod & perspicitur in tibiis: nam quæ secundarum lingulas habent obliquas, molliorem quidem illæ vocem edunt, verum minus tamen claram — in lingulis autem duriusculi vox & durior & clarior excitatur, si quis eas magis labris premat, quod violentiore impetu spiritus feratur.

(16) Eustathius ad illiad. 7. *Παρὰ Ἀλεξανδρεῦσιν ὁ μόναυλος Κάλαμος, Ὀσίριδος φασὶν εὕρεμα.* *Jubam* id asseruisse docet *Athenæus* Lib. 4. p. 175. *Euphorion* Athenæo allegatus paulo aliter refert: *τὸν μονοκάλαμον σύριγγα Ἑρμῆν: τινὰς δ' ἱστορεῖν Σεύθην καὶ Ῥωνάκην τοὺς Μυδούς.*

(17) *Polluci* describitur *πολύφθογγος αὐλός*. Onomast. L. 4. cap. 9. tit. p.

(18) Claudianus: Variosque modos Ægyptia ducit. Athenæus *Lib. 4. p. 176.* *Τῷ τ' ἤδη μοναύλῳ τὰς ἡδίστας ἁρμονίας ἀναμινυρίζει.*

(19) *Bombyces* eleganter describit Il. *Salmasius* in Exercit. Pliuian.

(20) Pollux Onomast. l. 4. ut supra.

(21) *Athenæus* lib. 4. p. 147. *Γιγγραίνοισι οἱ φοίνικες - - - - ἐχρῶντο, αὐλοῖς σπιθαμιαίοις τὸ μέγεθος, ὀξὺ καὶ γοερὸν φθεγγομένοις - - - - ὀνομάζονται καὶ οἱ αὐλοὶ γίγγροι ὑπὸ τῶν φοινίκων, ἀπὸ τῶν περὶ Ἄδωνιν θρήνων. Τὸν γὰρ Ἄδωνιν γίγρων καλεῖτε ὑμεῖς οἱ φοίνικες, ὡς ἱστορεῖ Δημοκλείδης,*

(22) *Apulejus* Florid. Lib. 1. Primus Hyagnis in canendo manus discapedinavit, primus duas tibias uno spiritu animavit: primus lævis & dextris foraminibus acuto tinnitu gravi bombo concentum musicum miscuit. *Plutarchus* de re Musica Ideos dactylos & Hyagnidem primum tibia cecinisse, post Marsyam ejus filium, & inde Olympum asserit.

(23) *Ovidius* lib. 6. Fastor.

Prima terebrato per rara foramina buxo,
Ut daret effeci tibia longa sonos.

Horatius Lib. 1. de arte Poet.

Tibia non ut nunc orichalco vincta tubæque
Æmula, sed tenuis simplexque Foramine pauco.

(24) Fabulam Marsyæ enarrant *Hyginus*: aliique:

(25) Salmasius in Solin. pag. 84. Dextera tibia gravem bombum emittebat, sinistra acutum tinnitum. Dextra & sinistra simul inflatæ ex acuto & gravi mixtum edebant concentum. Quare Dorius, qui gravissimus erat duabus dextris incinebatur: Lydius qui acutissimus duabus sinistris. Phrygius qui Dorio acutior, Lydio gravior, gravitate simul & acumine temperatus, dextra & sinistra tibia modulabantur.

(26) Catullus. *Multi raucisonos efflabant cornua bombos.*

(27) De Pronomo. *Pausanias* in Poeticis. *Athenæus* lib. 14. De diodoro. *Pollux ut supra*. De Antigenide *Apulejus*. Tibicen quidam fuit Antigenides, omnis voculæ melleus modulator, & idem omnis modi peritus modificator. Seu tu velles Æolium simplex, seu Jastium varium, seu Lydium quærulum, seu Phrygium religiosum, seu Dorium bellicum.

CAPUT QUINTUM.

De Instrumentis Chordis Instructis.

Tibias comitantur instrumenta illa, in quibus Chordæ extensæ aspiciuntur, quorum resonantia hominibus maxime arridet, sunt autem apta diversæ formæ corpora, atque ex varia materia confecta, a potiori tamen de lignea, quantum in hodiernum experimur. Horum autorem primarium Græci & Romani Mercurium fatentur, quem eadem de quo infra ad Nilum fluvium in Ægypto excogitasse, Apollinique dedicasse arbitrantur, *Homerus* in hymno ad Mercurium. *Lucianus* in dialogo Apollinis, & Vulcani. *Horatius* Carm. lib. 1. Od. 10.

Te canam magni Jovis, & Deorum
Nuntium, curvæque lyræ parentem,


pro more scilicet Ægyptiorum, qui cum Phœnicibus omnium rerum inventionem (1) soli adscribunt Mercurio, subintelligentes Theut, sive Canaan fi-

lium Cham, * quem, ut in prioribus fuit animadversum, omnia veterum artificia solicite edocuisse, scriptisve mandasse putant; at relictis his superstitiosis phantasmatibus ipsemet nobis Moyses veritatem pandit, (*Gen.* 44. 21.) dum Jubal Patrem canentium Cythara & Organo vocat: neque ambigendum, quin ars ista a Noe vel uno de suis filiis, quos secum in Arca habebat, conservata, & posthac fuerit propagata, eo magis, cum hæc instrumenta mox in Mesopotamia fuerint communia, ut exhibet historia de Jacobi fuga, quem Laban deprehendens sic est allocutus: *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut persequerer te cum gaudio, & canticis & tympanis & citharis;* (*Gen.* 31. 27.) imo vero apparet, dicta instrumenta jam Jobi temporibus, qui ante Mosaicam legem vixisse creditur, in summo extitisse flore, ait enim de filiis vanitati mundanæ addictis: *Tenent tympanum & Cytharam & gaudent ad sonitum Organi*, (*Job.* 21. 12.) De se ipso autem loquens edicit: *Versa est in luctum Cythara mea*, (30. 31.) Hisce testimoniis absque dubio præprimis est assentiendum, etiamsi Homerus Græcorum Poetarum antesignanus fabulis suis multos deceperit, ac si Mercurius similium autor fuisset instrumentorum, dum regredientes in suos meatus Nilo inter alia animalia etiam testudo relicta est, qua putrefacta nervi intra corium restabant extenti, quorum percussione Mercurius sonum aliquem sentiens nervorum loco chordas posuit, ad cujus imitationem tandem Cithara facta fuit: *Homerus* in Hymno ad Mercurium *vers.* 47. 51.


Πῆξε δ' ἄρ ἐν μέτροισι ταμῶν δόνακας
καλάμοιο,
Πειρήνας δὴ νῶτα διὰ ῥινοῖο χελώνης,
Αμφὶ δὲ δέρμα τανύσσε βοὸς πραπίδεσ-
σιν ἑῇσι
Καὶ πήχεις ἐνέθηκ' ἐπὶ καὶ ζυγὸν ἤραρεν
ἀμφοῖν
Επτὰ καὶ συμφώνους ὀίων ἐτανύσσατο χορ-
δάς.

Servius ad Georg. lib. 4. Cum regrediens Nilus in suos meatus variæ in terra reliquisset animalia, relicta etiam testudo est, quæ cum putrefacta esset, & nervi ejus remansissent extenti intra corium, percussa a Mercurio sonitum dedit, ex cujus imitatione Cythara composita est.


Præterea adverto, quod nec ipsa poetarum somnia in hoc conveniant, cum nunc testudinem, nunc Lyram, aut Cytharam pro primo hujusmodi ponant instrumento, quia scilicet Poetis atque Pictoribus omnia licere credentes cuncta nomina comiscuerunt, quam confusionem vitandi cuilibet suum proprium impositum est nomen. Itaque instrumenta chordis instructa fuere duplicis generis, alia cum chordis apertis sine intermedio corpore, & utraque ex parte digitis una, penna altera pulsabatur, speciale hujus nomen est Harpa; alia a Græcis parvi æstimata habet corpus concavum, super quod chordæ extendebantur, & unica tantum ex parte ludi solita Psalterii nomine gaudet. Harpa rotunda, seu circularis est ipsissima, quam Græci Lyram, Chelym, aut Mercurii testudinem appellant, fiebat enim vel in testudinis forma, vel ex ipsa dicti animalis testa, quæ Corio bovino cooperiebatur, in foraminibus anterioribus, duo missa sunt ligna, quæ denuo in extremitatibus transversim fuerunt unita, & per medium illius extendebantur chordæ, hujusmodi exemplar hic videre est



Apollinis harpa videtur a prioribus distinctissima, nam circumferentia in ea erat vel ex ligno, ebore, aut alia materia, in parte inferiori plana, seque solo stare potens; hujus annexum est corpus de Cupro una cum resonantiæ Tabula, & sæpissime auro, ac gemmis resplendens; binæ illius figuræ de Apollinis statuis in Britannia existentibus per Isaacum Vossium (2) fuere desumta



ex his una duplicem habet resonantiam, ex utroque latere erecta sunt lignea quasi brachia in superiori parte connexa, per medium extensas ostendunt chordas, quæ aut ex bombyce tenuissimo, aut animalium intestinis compositæ fuerunt, nam de ferro, cupro, vel metallo nondum erant in usu; Numerus chordarum in his



his quandoque ad quadraginta moderno tempore ascendit; Antiquissima tamen harpæ forma Græcorum non ultra septem affixas habebat chordas, uti etiam trium tantum chordarum Apollinis harpam fuisse demonstratur ex Numismate Neronis, aliove simili de Megara, sique veteres istam cum pluribus præsentarunt chordis, non alia da causa id factum, quam ad significandum, eum Patronum esse Musicorum. Denominatur & alia lyra vel harpa Lesbia, quæ simul Lesboum Barbiton inscribi assuevit, hanc Ovidius poeta Romanus (3) Arioni tribuit, sed verius Sperling, (4) eam ab aliquo in præfata urbe nato Terpandro dicto inventam esse affirmat, illius vero corpus describitur fuisse adeo commodum, ut facili negotio trasportari quiverit, unde autem veniat, quod ista instrumenta diversas acquisierint denominationes, aliaque describantur fuisse forma. Ratio est, quia Græci cunctis suis instrumentis, si habebant aliquam cum extraneis similitudinem, peregrina quoque iis imposuerunt nomina; Chordarum denique, quæ attinent numerum, ac variationem, Scriptores non conveniunt; Censorinus ait, quod Chrysostemis trium chordarum Citharæ a lino acceptæ quartam adjiecerit, Terpander quintam, Timotheus sextam & septimam addiderit chordam: Ex opposito Plinius & Suidas Terpandrum harpæ de septem, Simonidem de octo, Timotheum de novem chordis autorem fuisse asserunt. Solus Plutarchus, Harpam septem chordarum jam ante Terpandri adventum extitisse censet, concedendo, quod eam vocibus amplificarit, inque meliorem redegerit ordinem. Phrynis Citharædus Mitylenus primus Harpa a quinque chordis dicitur usus, quive propterea prœmium Athenis reportavit. Timotheus Milesiensis Philippo Macedoniam regente novem, decem, ac pluribus sonabat chordis. Inter alias Harpas memoratu dignas recensentur tanquam majores Magades, quæ viginti, aut unam & viginti habuit chordas, Epigonion quadraginta, atque Simikion triginta & quinque chordis erat provisa; Benigno Lectori itaque aliquot numismatum antiquorum species impræsentiarum exhibentur, in quibus varias prænominatarum Harparum species considerare licebit

Penitius inspicienti se hic offerunt duæ Harpæ a tribus chordis, in quarum una Apollo Actius supra Neronis monetam est expressus, aliæ duæ repræsentantur cum quatuor chordis Imperatoris Carcallæ una, Calcedoniorum altera, duæ quinque chordarum, primam ex his tenet clarissima Cantatrix illa Sapho Lesbia, secunda est in manibus Citharædæ alicujus, & monstratur in numismate Furiæ Sabinæ Tranquillinæ Gordiani Imperatoris conjugis, binæ incisæ sunt in Moneta de Coa & Calcedonia cum chordis sex; est etiam alia a septem chordis, cujus delineatio jam superius erat ostensa, aliæ duæ cum chordis octo in æreo nummo Imperatorum Antonini Pii ac Galieni videndæ: duæ item cum novem chordis Actiensium & Calcedonensium, aliam a decem, atque cum duodecim chordis alteram ostendit Perinthiorum numisma. Cæterum hoc instrumentum tractandi modus erat diversus, quidam sonabant utraque manu, alii unica solum, communiter vero Harpa ambabus ludebatur manibus (5) sinistra chordas carpendo, dextera plectro pulsando, quod ex duro ligno aut ossibus constabat Elephanti. Nunc quæret nonnemo, quomodo in Harpa vel Cythara omnis generis melodias cujuscunque toni producere quiverint? ad quod respondetur, quamlibet Harpam habuisse quandam tabulam resonantiæ taliter in medio dispositam, ut facile negotio ad libitum denuo amoveri poterat, huic itaque tabulæ, dum opus erat tonum variandi chordas digitis sinistræ manus tabulæ impresserunt, digitis autem manus dexteræ pulsabant: puto mihi illos hoc tali modo præstitisse, ut nunc solent Violinistæ ac Liutistæ. Hujusmodi ergo instrumenta, quive in istis experti fuerunt, singulariter a Romanis æstimati erant; *Titus Livius Hist. Dec.* 4. *l.* 9. Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est: primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas & alia textilia & quæ tum magnificæ supellectilis habebantur, monopodia & abacos Romam advexerunt. Tunc *Psaltriæ Sambucistriæque* & convivalia ludionum oblectamenta addita epulis. Nam revertentes ex Castris Asiaticis una cum pretiosissimis mobilibus, simul fidicinas, tibicinas, psaltrias, sambucistriasque secum abduxerunt pro majori suarum Epularum solatio; ex istis unam sequens præsentat figuram marmori alicui antiquo Romæ Insculpta.



Normam similium Epularum describit Plautus (6) tanquam testis de visu, scilicet lectos habebant paratos ebore & auro superbos, Babylonica peristromata, sella & tapetia in illos omnes commesturi ad usum antiquorum se conferebant, copioso famulatu cincti reficiebantur resonantibus prædictarum fœminarum instrumentis.

Jam etiam pauca adferam de Psalterio, (7) a Græcis Magadis vocato, quod in majus & minus dividitur, solisque digitis (8) absque penna pulsari solitum, hujus corpus est concavum ad similitudinem Violini, Leuti, Cymbali, & si corpus habeat oblongum & non adeo latum, nominatur Græce (9) pectis, id est psalterium minus: istud una cum aliis instrumentis pridem in Oriente fuit notum, sicut testatur historia trium puerorum, qui mandatis iniquis a Nabuchodonosore Rege latis nolebant obtemperare suam adorando statuam, clamabat etenim præco: *In hora, qua audieritis sonitum tubæ, & fistulæ & Cytharæ, sambucæ & psalterii &c. (Dan.* 3. 7.) (10) Psalterium minus a Persis ad Bractrianos, *Telestes Seluntinus Apud Atheneum l.* 14. *p.* 626.

> Τοὶ δὲ ὀξύφωνοις πηκτίδων Ψαλμοῖς
> Κρέμον Λύδιον ὕμνον.

Lydios, Phrigiosque pervenit, ex quo apud Græcos harpæ formam induit, sonum producit suavem & acutum, proin ad stylum musices Lydium opus profecto aptissimum. Sopater Parodus *apud Athenæum lib.* 4. *pag.* 185.

> Πηκτὶς δὲ μυσῆ γαυελῶσα βαρβάρῳ
> Δίχορδος, εἰς τὴν χεῖρα πῶς κατεσάθη?

Anaxilias λυροποιὸς *apud Athenæus lib.* 4. *pag.* 183.

> Ἐγὼ δὲ βαρβίτυς, τειχόρδυς πηκτίδας
> Κιτάρας, λύρας σκινδαψὺς ἐξηρτυόμεν.

Anaxiles artificiose talia elaborabat Instrumenta, ut ipsemet gloriatur, quod pectis, Barbiton, harpa, lyra atque scindapsus opera sint suarum manuum visu pulcherrima; Euphorion Magadim seu

Psal-

Psalterium Musicæ annumerat Veteri: Aristoxenus vero illud fuisse instrumentum peregrinum, existimat: *Hæc Athenæus Commemorat. lib. 4. p. m. 182. E. F.* Εὐφορίων δὲ ὁ ἐπιεποιὸς ἐν τῷ περὶ Ἰσθμίων; οἱ νῦν φησὶ, καλȣμένοι ναβλισαὶ καὶ πανδȣρισαὶ καὶ σαμβυκισαὶ καινῷ μὲν ȣδενὶ χρῶνται ὀργάνῳ: τὸν γὰρ βάρωμον καὶ βάρβιτον..... καὶ τὴν μάγαδιν καὶ τὰ τρίγωνα καὶ τὰς σαμβύκας ἀρχαῖα εἶναι.... Ἀριςόξενος δ' ἔκφυλα ὄργανα καλεῖ φοινικας, καὶ πηκτίδας καὶ μαγάδιδας, σαμβύκας τε καὶ τρίγωνα. Anacreon Poeta se psalterium de triginti chordis possedisse jactat; *Anacreon apud Athenæum lib. 14. p. m. 634. C.*

Ψάλλω δ' εἴκοσι χορδαῖσι μάγαδιν ἔχων.

Telestes e contrario adducit, a se visum quinque chordarum psalterium, *Telestes in Hymenæo Dithyrambico apud Athenæum libr. 14. p. m. 737. A.*

Ἄλλος δὲ ἄλλαν κλαγγὰν ἱεὶς κερατόφωνον,
Ἐρέθιζε μάγαδιν ἐν πενταῤῥάπτῳ χορδᾶν ἀριθμῷ
Χεῖρα καμψιδιαύλον ἀναςροφῶν τάχος.


ex quibus colligendum, cuncta psalteria cum quinque aut pluribus constructa chordis, fuisse dicta psalteria majora sive Magadis, cujus inventio ab Anacreonte Lydiis tribuitur, unde Mulieres Lydiæ eo ludentes Psaltriæ sunt nominatæ, *Athenæus lib. 14. pag. 634. F.* ἡ μάγαδις ὄργανον ἐςὶ ψαλτικὸν, ὡς Ἀνακρέων φησὶ τε εὕρημα, διὸ καὶ τὰς Λυδὰς ψάλτριας φησὶν εἶναι, ὁ Ἴων ἐν τῇ Ὀμφάλῃ διὰ τȣ́των.

Ἀλλ' αἱ Λυδαὶ ψάλτριαι παλαισθετῶν
Ὕμνων ἀοιδοὶ, τὸν ξένον κοσμήσατε.

qualis hic est depicta.



Præsens ergo Imago ex Neroniano sigillo desumta fœminam Psalterium a quinque chordis manu solum dextera sonantem exhibet: sinistra tenet corpus excavatum seu Magadim, in cujus medio foramen est resonantiæ, vulgo Rosa nuncupata. (11) Græci dum iis cantus productior nauseam creasset, huic se instrumento totos dederunt, ita, ut illud quadraginta adauxerint chordis, ac ipsum etiam corpus in harpæ transformando figuram nomen imposuerunt Epigonium, derivatum ab ejus autore Epigonio. Huc spectat Instrumentum a Persis Barbitos vocatum, quod juxta Græcos Terpander Lesbius mundo invexit, atque ab iis in harpam trium chordarum versum fuit, certior vero opinio est, violinum extitisse orientale, cum Golius illud plectrum vel arcum habuisse dicat



fuit quoque Persiis (12) instrumentum quoddam cum tribus chordis ex boum nervis, nomine Pandora. Troglodythi hoc confecerunt ex lauri ligno, & in Festis Daphniticis illius erat usus; hic non est prætereundum, quod veteribus consuetum erat non omnia simul & semel commiscere instrumenta, sed eligebantur, quæ ad invicem correspondebant, ut Nablia cum Magade (13), Sambuca cum Trigone, Barbiton cum Pandura. Quare Sambuca Babylonica depingitur in triangulari forma a tribus chordis diversa longitudinis & densitatis a (14) Parthis, ac Troglodythis inventa, (15) Aristides Quintilianus vocat eam Instrumentum effœminatum, eo quod acutissimum edat sonum, ista fuit a Græcis (16) æque in Citharam transmutata, quam deinceps λυκροφοίνικαν σαμβυίκαν. (17) Sambucam Phæniciam harpiatam denominarunt.

Ultimum locum inter instrumenta extranea tenet Nablium Hebraicæ נבל. Cujus ante Samuelis tempora nunquam in sacro Codice facta erat mentio, *1. Sam. 10. 5.* ipsimet Gentiles annuunt, quod illam a Pheniciis hæreditarint: Controvertitur autem, an ad tibias, vel ad ea, quæ chordis sunt provisa, pertineat instrumenta, *Philemon* in Adultero apud Athenæum *l. 4. p. m. 175. D.*

Ἔδει παρεῖναι Παρμένων αὐλητρίδ', ἢ
Νάβλαν τὴν ὁ δενάβλας τί ἐςιν.
Οὐκ οἶδας ἐμβρόντητε σύ, Μὰ Δί οὔ. τί φῂ
Οὐκ οἶσθα νάβλαν· ȣ̓δὲν ȣ̓κ οἶσθα ἀγαθόν.
Σὺγ ȣ̓δὲ σαμβυκίςριαν.

ulti-

ultimis hisce computandam fore, omnium fere communior est sensus: Nam *Sopater* in Mystaci Servolo. *Apud Athenæum ibid.*

> Νάβλας ὢ ἄρθροις γραμμάτων, οὐκ ἀ' μελής
> Ω᾽ λωτὸς ὢ πλευροῖσιν ἄψυχος παγὶς an παγὲς?
> Ε῎μπνυν ἀνίει μῦσειν· ἐγρέτω δὲ τις
> Τὸν ἡδονῆς μελῳδὸν ἀ' άζων χόρον.

Idem ibidem.

> --- οὔ τε Σιδώνυ νάβλα.
> Λαρυγτοφώνος ἐκκεχόρδωται τύπος.

Euphorion Nablistas Panduristas inter & Sambucistas numerat; Josephus istam ab Harpa non distinguit, demto solo, quod in hac decem chordæ penna pulsentur, at duodecim chordæ in Nabla carpantur digitis,

Ovidius de Arte Amandi, *l.* 3.

> .... *Disce etiam duplici genialia Nablia palma*
> *Vertere, conveniunt dulcibus illa jocis.*

pro meliori captu libuit adjicere, quandam Nablæ effigiem, quæ alicui marmori reperta fuit incisa, de qua Hieronymus Alexander Italus in hujus seculi principio scripserat.



Ornamentum, quo Nabla aspicitur cincta, palam ipsius summam aliquando fuisse existimationem, ostendit. Pars inferior est æqualis psalterii ex cavo, at corpore occluso cum apertura modica constantis cordæ octo tot correspondentes tonis per medium videntur extensæ, ut tamen corpus immediate non tangant: (sic enim tonus supprimeretur:) suppositum est ligneolum aliquod in transversum. Igitur totum hoc opus super Bacchi collocatum est poculum ad significationem, Deum hunc absque Nablæ sonitu nullatenus contum esse: leoninæ herculis pelles columnis appensæ indicare volunt, istum Heroem quondam Musicæ fautorem: (si superstes foret:) instrumentum hoc etiam nunc taliter honoraturum: Mercurius fundamentum per lapides eidem consecratos, atque coronam fructibus & foliis inflexam cum duobus serpentinis sustentat baculis, quia, etiamsi globeæ fuerit autor Harpæ, nihilosecius præfatum quoque opus magni haberet. Apollo item, cujus imago in supremo sita est loco, utut veterum harparum agnoscatur inventor, hoc non obstante Nablam in suam acceperit tutelam: tanta antiqui veneratione Musicalia prosequebantur instrumenta, quibus fuse explicatis finem impono & ad alia magis curiosa enucleanda progredior.

NO-

NOTÆ IN CAPUT QUINTUM.

(1) Jamblich. *de Mysteriis Ægypt. ait;* Scriptores Ægyptios putare omnia inventa esse a Mercurio. Eusebius *de Præp. Evang. Lib. 1. cap. 9. ex Philone Byblio.* Quod Sanchunjathon satis intellexerit omnium, qui sub sole sunt, principem Thaautum literas invenisse, & librorum scriptionem cæpisse.

Plato *in Phædro* Theuth inventas a se artes Arithmeticen, Geometriam, Astronomiam, literas &c. exhibuisse Thamo, ut inter Ægyptios dividerentur.

Cæsar *de Bello Gallico Lib. 7.* Galli Mercurium Deum maxime colunt, hunc omnium inventorem artium ferunt.

* Josephus *Ant. Lib. 1. cap. 3. de Nepotibus Patriarchæ Seth.* Excitatis duabus columnis, utrique sua inventa inscripserunt: ut si lateritiam diluvio contingeret deleri, lapidea superstes hominibus discendi copiam faceret, & quæ inscripta continebat, spectanda exhiberet. Ajunt lateritiam illam ab ipsis positam, quæ & usque ad hoc tempus durat in terra Syria.

(2) *Vossius* de Poemat. cantu & viribus rythmi. pag. 97.

(3) *Ovidius* L. 11. Fast. vers. 82.

Lesbida cum domino seu tulit ille Lyram.

Horatius. Odar. L. 1. Ode. 1.

-- -- -- Si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polymneja
Lesboum refugit tendere Barbiton.

(4) *Sperling* Diss. de Furia Sabina p. 97. Videtur mihi illam quam Terpander reperit Citharam, paucis adeo chordis instructam proprie *Barbiton* fuisse dictam, nam & Pindarus & Athenæus τερπάνδρον *dixeruut* βάρωιτον *reperisse* ἀντίφθογγον τῷ παρὰ Λυδοῖς πηκτίδι. Locus extat apud Athenæum L. 14. p. m. 635.

(5) Asconius Pedianus citatus Cl. Vossio ad Catullum pag. 144. *Cum canunt citharistæ utriusque manus funguntur officio. Dextra plectro utimur, & hoc est foris canere, sinistra digitis chordas carpit, & hoc est intus canere. Difficile autem quod Aspendius citharista faciebat, ut non uteretur cantu utraque manu; sed omnia, id est universam cantionem intus & sinistra tantum manu complecteretur.* Addit Vossius. Illa autem sinistra manus latebat post Magadem, ubi erant gradus, quibus ab uno sono ad alterum ascensus est, aut descensus: Futiles enim sunt, qui existimant in veterum lyris singulas chordas, singulos tantum admisisse sonos, & non plures, uti fit in harpis vulgaribus, quas lyras Barbarorum vocat Fortunatius & ante illum Diodorus Siculus.

Quintil. Lib. 1. Inst. Orat. cap. 12. An vere citharœdi non simul & memoriæ, & sono vocis, & pluribus flexibus serviunt? cum interim alios nervos dextra percutiunt, alios læva trahunt, continenti probant; ne pes quidem ociosus, certam legem temporum servat & hæc pariter omnia.

Pollux lib. 4. cap. 9. *Athenæus* lib. 4.

(6) *Plautus* in Sticho Act. 2. Scen. 3. vers. 53. --- 57.

Di. Lectos eburatos, auratos. GE. Accubabo regie.
Di. Tum Babylonica peristromata, Solla & tapetia.
Advexit nimium bonæ rei. GE. Hercle rem gestam bene.
Di. post, ut occepi narrare, fidicinas, tibicinas, Sambucinas advexit secum forma eximia.

(7) *Apollodorus* Μάγαδιν vocat ψαλτήριον apud *Athenæum* lib. 14. p. m. 636. F.

(8) *Plutarchus* (apud Sperlingium pag. 75.) De Lacedemoniis ita perhibet: ψάλτην ἐπιδημήσαντα ἐζημίωσαν, ὅτι δακτύλοις κιθαρίζει.

Hesychius in voce μαγάς. Σανὶς τετράγωνος ὑπόκυφος δεχομένῳ ἐφ᾽ ἑαυτῇ τὰς κιθάρας νευράς, κ᾽ ἀποτελοῦσα τὸν φθόγγον.

(9) *Athenæus* lib. 14. Ex Aristoxeno & Menachmo. Πηκτὶς δὲ καὶ μάγαδις ταυτόν.

Athenæus lib. 14. Ex Aristoxeno refert. Τὴν μάγαδιν κ᾽ τὴν πηκτίδα χωρὶς πλήκτρυ διὰ ψαλμῦ παρέχεσθαι τὴν χρείαν.

(10) Locus Diogenis Tragici, qui est Œnomaus, apud Athenæum *lib.* 14. *pag.* 636. Ita se habet.

Κλύω δὲ Λυδὰς Βακτριάς τε παρθένυς
Ποταμῷ παροίκυς Α᾽λυϊ, Τμωλίαν θεὸν
Δαφνόσκιος κατ᾽ ἄλσος Α᾽ρτεμιν σέβειν.
Ψαλμοῖς τριγώνων πηκτίδων τε Περσικῶν
Α᾽ντιζύγοις ὁλκοῖς κρεκύσας μάγαδιν ἔνθα Περσικῷ
Νόμῳ ξενωθεὶς αὐλὸς ὁμονεῖ χοροῖς.

(11) Pindarus in Suo ad Hieronem Scholio apud Athenæum *lib.* 14. *pag. m.* 635. *B.* Μάγαδιν appellat ψαλμὸν ἀντίφθογγον, διὰ τὸ δύο γενῶν ἅμα κ᾽ διὰ πασῶν ἔχειν τὴν συνωδίαν ἀνδρῶν τε κ᾽ παίδων. Plura in hanc rem subjungit ibidem Athenæus.

(12) Vid. Maibomii notas ad Nicomachum p. 45.

(13) Notante Stephano in voce Σαμβύκη.

(14) *Euphorion* apud Athenæum lib. 14. p. 633.

(15) *Aristides* ex Editione Meibomii pag. 101.

(16) *Athenæus* lib. 4. pa. 175.

(17) *Athenæus* Ibid.

CAPUT SEXTUM

De Instrumentis Crepitantibus.

PEnes fusius jam relata instrumenta habuerunt veteres etiam diversa strepitosum causantia sonum, qualia leguntur fuisse Cymbala, crotala, & tympana: talium Autorem Olympium Phrygium Marsiæ discipulum quidam esse autumant, verum ut semper, Majorem Sacra Scriptura in omnibus meretur fidem, in qua refertur, Laban Syrium ad Jacob dixisse: Genes. 31. 27. *Voluisti nec indicare mihi, ut persequerer te cum gaudio, & Canticis, & Tympanis & Citharis*, item de Davide & Israel, *qui ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & Citharis, & Lyris, & Tympanis & Sistris, & Cymbalis.* Quibus patenter evincitur, ejusmodi Instrumenta pridem esse introducta: Jobo etiam memorantur. Præterea *Exod.* 15. 20. fit mentio. *Sumsit ergo Miriam Prophetissa soror Aharon tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis:* Ad hæc spectant simul strepitus flagellorum, & sibili (1) scabilorum, (2) qui compositi sunt ex duabus colligatis tabulis buxeis in forma plantæ pedis, ita, ut inductione vel pedis impositione comprimi, aut laxari potuerint, in his erant

duo

duo foramina, unum pro recipiendo aere, alteri inſerta fuit fiſtula, qua aer pedis calcatione eliſus ſibilum reddidit: præminentiam vero omnium dictorum ob ſoni dulcedinem habent Cymbala, quorum reliquias ex Gottorum, Vandalorumque devaſtatione reſtantes Laurentius Pignorius collegit, ac inſpiciendas orbi tradidit.



Sunt ergo Cymbala ad ſimilitudinem Globi per medium diviſi interius vero excavata, foris rotunda, & in qualibet eorum parte Manubrium eſt affixum, ut ſcilicet commodius teneri ac dirigi valeant: Materiam, quod concernit, ex qua ſint compoſita, probabilius talis fuerit, de quali noſtræ factæ ſunt Campanæ, ſeu ex metallis mixtis, propterea iſtæ ſuam a Cymbalis trahunt originem: Tinnitum cauſarunt varium pro diverſitate pulſus, aliquoties enim partes a diametro collidebantur, aliquando ex obliquo. Præter iſta Ægyptiorum quoque conſideranda veniunt crepitacula, quorum alia ſunt circulo ſimillima, alia ovalia, iiſdem innectebantur minores adhuc annuli, qui ad manuum agitationem hinc inde diſcurrendo ſtrepitum excitaverunt: Item alio quodam fuerunt uſi inſtrumento in triangulari forma, in cujus medio poſita erant laminarum fruſta, quæ tamen potius furioſum reddebant tumultum, quam ſonum Muſicalem: Similium formæ ex antiquis acceptæ fuerunt Numiſmatibus.





Aliud ſingulare crepitaculum Ægyptiis proprium, & prioribus diſſimile deſcripſit ante citatus Pignorius, quale etiamnum Romæ aſſervatum eſſe auditur; Confectum autem eſt ex laminis Cupreis, per circumferentiam cavam conjunctis, quodve transfixa habet tria ferramenta, in eorum extremitatibus cum ſerpentinis, atque retortis munita capitibus: in parte ſuperiori ornatus loco inſertum gerit monſtrum aliquod deforme faciem præſeferens hominis, & corpus felis. Ægyptiaca fuerat ſuperſtitio, ſtrepitu hujuſce Machinæ malignum propulſari ſpiritum Typhonem nominatum: crediderim autem omnes canes cum felibus eo poſſe fugari, ſcilicet quando iſtud nunc in unam, nunc in alteram agitatur partem, ſer-

ſerpentina capita laminas concutiunt, ac eodem motu repetitis vicibus prægrandem faciunt ſtrepitum, hoc inſtrumento Cleopatra Ægyptiorum Regina millites ſuos ad bellum animavit.

Virgilius.

Regina in mediis patrio vocat agmina ſiſtro.

Idem inſerviebat Sacrificulis diebus luctus.

Lucanus Ægyptios affatus.

Nos in Templa tuam Romana recepimus Iſin,
Semideoſque canes, & ſiſtra jubentia luctus,

Et quem tu plangens hominem teſtaris Oſirin.

Auſonius.

Iſiacos agitant Maneotica ſiſtra t..multus.

Silius Italicus.

Certabant rauco reſonantia tympana pulſu.


Auſonius L.

Tentis reboant cava tympana tergis.

Catullus.

Plangebant aliæ proceris tympana palmis.

Delineatio illius hic proponitur.



Tympana temporibus illis fiebant alia majora, minora altera in forma vaſis oblongi, ſuperius & inferius pelle contecta vitulina, in ipſo corpore fecere aliquod parvum foramen pro recipiendo aere, ſupra pelle inferiorem intenſa eſt chorda, repercutiendo fortiora excitans murmura: quæ vero prioribus erant minora, vocabantur manualia, horum circumferentiæ campanulæ vel annuli ſunt aſſixi, atque a ſolis Virginibus, unius tantum manus palma fuerunt pulſata, cum econtra prædicta duobus ligneis flagellis intonari ſolebant,

NOTÆ IN CAPUT SEXTUM.

(1) *Iſaacus Voſſius* in Catullum p. m. 225. Notat, *in Thyaſis Bacchi & Cybeles, cantui & harmoniæ inſerviſſe iſtiuſmodi flagellorum ſtrepitus:* quem ibi lege.

(2) *Idem Ibid. p. 292. De Scabilis*. Compingebantur illi e duabus tabulis buxeis æqualibus & ejuſdem prorſus figuræ ac ſit planta pedis. Hæ tabellæ ea fere ratione, quæ æoli ſeu folles conjunctæ erant corio plicatili, ita ut adductione, aut impoſitione pedis comprimi & laxari poſſent: habebant vero duo foramina, quorum unum admittendo aeri inſerviebat, alteri vero inſerebatur fiſtula ærea, aut ferrea, per quam aer preſſione pedis eliſus ſibilum ederet.

CAPUT SEPTIMUM

De Virtutibus ac Effectibus Musicæs antiquæ.

GEntiles perpendentes Musicæ vires non erubuere eidem aliquam tribuere Divinitatem, credebant enim auditorum animos per eam excæcari, ac moveri posse, quo velint, imo putatitios eorum Deos esse Musicos, atque fautores Musicorum, ita quidem, ut eorum Cœli omni privati sint solatio ni Musicorum Chori integri continuo eisdem adstarent, secundum illos facile inferri posset, cœlos pro solis Musicis esse creatos; (1) quibus autem rationibus tantam Musicæ attribuendi vim sint ducti, probabiliter fuerint sequentes, quia tonorum varietas, maximam habet cum passionibus sympathiam, nam etiam istæ diversis subsunt mutationibus, aliquando enim reperiuntur intensæ, aliquando remissæ, modo in summo, medio, modo in infimo existunt gradu, ideo & Melodiæ taliter fuerunt dispositæ, qualiter conditio erigebat auditorum, sicque spes erat effectum consequendi intentum, exemplis & experientia id ostenditur: Nam (2) Plebs rebellans Musica paci restituebatur Doria, quemadmodum Achillis furor (3) quem adversus Agamennonem gesserat, cessavit. (4) Alexander econtra magnus Musica Phrygia ad arma est incensus, (5) eodem stylo plurimos mæro plenos in furiam actos refertur, (6) Spartanis sæpius in bello succumbentibus, ad unicam fistulæ sonitum novæ creverunt vires: (7) Asclepiades Musica mediante morbis auxiliabatur, unico Musices remedio certis intoxicatis subveniri eruditissimus testatur. Kircherus, ut & Homerus eadem pestem depullisse Græcos tradit; mirandos itaque Musices effectus veteres experti omnem Juventutem in ea curarunt institui, in quem finem antiqui compositores varios ejusdem modos ex aliis collegere regionibus, (8) ut ex Lydia Lydium, ex Phrygia Phrygium, a Græcis Dorium, de Lucretia Lydium mixtum, hos inter Dorius Modestus, seu Religiosus in seriis, ac morum Regulis est applicandus, Lydius muliebris ad recreandos animos in festivis usitatus, Lydius mixtus tristis adhibebatur in luctu; quilibet autem ex allatis modis proprio notatus erat signo, pro Dorio ponebant literas E. G. B. E. Phrygius significabatur per D. F. A. D. Lydium expresserunt literis C. E. G. C. Mixto annexæ fuerunt literæ B. D. F. b. Modi extravagantes incipiebant una quarta altius suis principalibus. (9)

Ultra dictos modos Musicales diversa habuere tonorum genera: (10) e. g. Diatonicum antiquissimum cujus quartæ ex duobus & medio constant tono, Chromaticum ob nimiam mollitiem una cum Enarmonico sensibus admodum ingrato est abolitum, (11) Chromatici autem quartæ comprehendebant duo semitonia cum tertia minori, etiamsi dicatur, unum semitonium solum tertiam de tono possidere partem: postmodum Olympus autor dicitur modi harmonici; cujus quartæ duo semitonia cum tertia habent majori, quæ tamen semitonia tantummodo quartam unius toni efficiebant partem, hujus usus erat in Mensura festinantiori, Chromatici vero in lentiori: hic bene advertendum, non omnem melodiæ vim ex sola dependere Musica, sed vel maxime ex ipsa Poematis compositione, quod enim huic deest, illa supplere nequit: (12) Nam stylus Dorius pede indiget spondeo nuncupato, ut nempe incedat morose, Phrygius tanquam varie discurrens pedes requirit breviores: compositor enim suum genium in tonis disponendis sequi libere non potest, sed accomodare se carmini obligatur, hac de causa Poesis Musices agnoscitur basis & fundamentum: unde in Græcia Poetæ a potiori simul erant & Musici, (13) quos inter præcipui laudantur Archilochus, Polymnestus, Simonides, Pindarus, Alecman, Stesichorus, Mimnermus, cum aliis Melicis, Lyricisque Poetis: tradunt aliqui Scriptores, Poetis famulare cantorum fuisse munus, nunc vero, dum Musicorum nomen ad Cantores transiit, fieri contrarium, & Cantui inservire Poesim. Græcorum demum Musicorum solertia eo contendit, ut verba & syllabæ sine mutilatione aut fractione (14) atque sine protractione intelligibiliter, ac clare canerentur, in summa Cantus cum Poemate ad amussim concordabant, quia non tantum sufficit aures sono replere, nisi & animo satisfiat auditorum sensu verborum (15). Etenim nimia verborum festinatio, commistio aut productio fastidium potius quam attentionem parit; hunc in finem cuilibet notæ ac syllabæ suum assignabant tempus, (16) unum syllabæ tribuebatur breviori, duo syllabis longioribus, & quandoque quot erant syl-

ſyllabæ, tot etiam appoſitæ ſunt notæ: dein rariſſime abſque cauſa urgenti majora poſuerunt intervalla: (17) Vetuſtiſimum quoque Græcorum ac Hebræorum morem Cantus frequentebatur contrapunctatus, id eſt, ſi aut uno ceſſante alter Cantum inchoat, aut plures ſimul ſibi invicem involando vel concertando canunt, quo Cantus genere ſuos præſertim coluerunt Deos; ad hunc locum pertinent Cantus illi alterni, quales Sacadas a tribus componebat vocibus, in tot dividendo partes, ita ut primus idipſum cecinerit ſtylo Dorio, ſecundus Phrygio, tertius Lydio modo.

Homerus *Iliad.* I. *verſ.* 604.

> Μȣσάων θ' ἃι ἄειδον ἀμειβόμεναι ἐπὶ καλῆ.

Virgil. *Ecl.* 3.

> *Vis ergo inter nos, quid poſſit uterque viciſſim*
> *Experiamur?*
> *Incipe, Damœta, tu deinde ſequere Menalca.*
> *Alternis dicetis, amant alterna camœnæ.*

Addatur Calpurn. *Eccl.* 9.

> *Tuque prior Coridon tu proximus ibis Amyntha.*

Statius Papinius I. *Thebaid.*

> — *Paulatim Alternis in verba, minaſque*
> *Cunctantur.*

Catullus in Epithalamio Thetidis & Pelei repræſentaturus parcas alternis canentes, ait.

> *Talia Diviſo fuderunt carmine fata.*

Theocritus. *Idyll.*

> — ἐμὶν δὲ τὺ βȣκολιάσδευ
> Ἔν ποθ' ἓν, ἄλλωθεν δὲ γὔποχείνοιτο μενάλκας

Vid. Voſſium ad Catullum *p. p.* 239. 240. Plutarchus *de Muſica*.

Monachi in Græcia, ut refert *Teodorus Mopſueſtenus*, cujus locus citatur a *Niceta Choniate* in Theſ. Orthod. fidei *lib.* 3. *cap.* 30. tales compoſitiones vocarunt antiphonas, quas ex Syriaco in Græcum tranſtulerunt idioma: Item aliud genus Cantus vocatur concentus, ſeu Græce ſymphonia, quando plures concinentes idem, ſed diſpari voce v. gr. acuta, media & gravi proferunt: Vocem uniſonam adhibuerunt veteres in rebus ſeriis, at in nuptiis, victoriis, feſtivitatibus auditæ ſunt plures concertare voces. Huic autem materiæ convenit, ut aliqua de conſonantia tonorum inſerantur: Toni ergo inter ſe connexi alii bonam, alteri econtra malam auriumve offenſivam formant reſonantiam, primæ autem nomen eſt conſonantia, alterius diſſonantia; huic diſſonantiæ malo obviando antiquitus conſonantes duplicis fuere ordinis, ad quæ capienda notandum, quod vox cantans aſcendendo ſeptem compleat tonos, octavus proprius eſt ſecundæ voci ultra aſcendere potenti, & venit nomine octavæ, ſeu Diapſon, huic accedunt aliæ binæ conſonantes, ſcilicet quinta & quarta; quinta ſive Diapente intra ſe continet cum ſemitonio tres tonos, quarta vel Diateſſaron duos tonos atque ſemitonium: facilius ad captum demonſtrabitur hoc in exemplis: ex diſtantia *Ut* uſque in *Fa*, quæ efficit quartam, item ſupra ex *Fa* in *Ut* fit quinta, illorum optima eſt conſonantia, utpote octavæ viciniora, non tamen ſæpius cum octava reiteranda: ſecundi ordinis conſonantes ſunt tertia major & minor, una cum ſexta majori & minore, illa complet tertiam minorem, hæc majorem, cum iſta diſtinctione, quod ſexta inter ſex contenta gradus quatuor tonos cum medio, & tertia minor tres tonos cum duobus ſolum complectatur ſemitoniis.

Pluries allegatus (18) Pythagoras primus inter Græcos Compoſitor de Samos inſula oriundus, ſapientia Ægyptiorum & Chaldæorum illuſtris Regno Romanorum antiquior eandem tonorum conſonantiam, occaſione, qua malleorum fabrilium audiret pulſus, invenit: nam adverterat illos, qui erant majoris ponderis, graviorem, & qui minoris, acutiorem cauſaſſe ſonum, hujus periculum facturus domi plures chordas æqualiter longas ac denſas (19) extendit immiſſis ponderibus diverſis, qua experientia deprehendit nunc duas chordas concinere ſuper tertium, alias vero ſeſquitertium & ſic de cæteris. Major difficultas ſuberat in excogitandis conſonantiis ſextæ majoris in $\frac{3}{5}$: ſextæ minoris in $\frac{5}{8}$: tertiæ majoris in $\frac{4}{6}$: atque minoris in $\frac{6}{5}$: iſtas autem noſtri Anteceſſores nullo modo annumerabant conſonantiis perfectis, (20) quamvis eaſdem ut ſecundarias applicarint: ſi quando autem dicatur, illos habuiſſe ſeptem conſonantias, ſubintelligendus eſt uniſonus tanquam prima & maxima conſonantia. Veteres præterea etiam aliam adhibuerunt

runt consonantiam, at in sola Musica instrumentali usitatam, quo casu vocum consonantiam parum curabant.

Ambigunt tandem quidam, utrum antiquis assuetum fuerit, sicut in isto seculo passim contingit: (omnibus quatuor uti vocibus:) id affirmare videtur Aristoxenus, (21) quia Tibias in quatuor diviserunt tonos, quot nempe voces erant humanæ, utpote Discantus, Altus, Tenor, & Bassus: Restat ex hoc nova solvenda quæstio, an omnibus prædictis etiam simul & semel usi sint, (22) cum Pollux asserat, Tibias illas adhibitas fuisse pro diversitate saltantium, aliam pro Virginibus, aliam pro adolescentibus, alteram pro viris; sed hoc non obstat, quo minus omnes potuerint simul adhiberi pro integra quadam complenda Musica, uti revera secundum communiorem Atheniensium ritus fuit, festum annuum Panathenæum in Minervæ venerationem diversarum Tibiarum resonantia sanctificare.

NOTÆ IN CAPUT SEPTIMUM.

(1) *Augustinus* Conf. 10. 33.

(2) *Plato* de Republ. lib. 3. *Suidas* ad Phrasin μετὰ λέσβιον ᾠδὸν.

(3) *Plutarchus* de Musica.

(4) Plutarch. 2. Orat. de Fortuna Alexandri.

(5) Ex Rhodigino. Idem *Damonem* fecisse testatur *Galenus* de Dogmatibus Hippocratis & Platonis libr. 9. cap. 5. Et *Martianus Capella* ex Editione Meibomii p. 178.

(6) Justinus lib. 3. c. 5. Et *Pausanias* in Messeniacis.

(7) *Censorinus cap.* 12. *Et Martianus Capella l.* 9. De usu Musices in Medicina multi quoque multa notarunt. Athenæus Lib. 14. *Morbis auxiliari Musicam Theophrastus .... scripsit Plutarch. de Mus.* Ex Homero Græcos pestem cantu depulisse tradit: Ac Thaletis Cretensis exemplo probat, qui Lacedemonios Musica a grassante peste liberavit.

(8) *Athenæus* Libr. 14. *Cassiodorus de Musica.*

(9) *Meibomii* Notæ ad Ptol. Introd. Mus. p. 59.

(10) *Ptolemæus* Harmon. Lib. 3. c. 11. *Polybius* libr. 4. *Luc. Apulejus* Florid. libr. 1. *Lucianus* de Saltatione p. m. 914. *Cassiodorus* Ibid. ut supra.

(11) *Macrobius* in somnio Scipionis lib. 2. cap. 4. Enarmonium ob nimiam difficultatem, Chromaticum ob nimiam mollitiem jam pridem ab usu recessisse asserit. *Plutarchus* de Musica. Enarmonicum genus, eo quod sensui ingratum esset, repudiatum asserit.

(12) Athenæus lib. 14. Καταφρονητέον οὖν τῶν τὰς μὲν κατ' εἶδος διαφορὰς οὐ δυναμένων θεωρεῖν: ἐπακολουθούντων δὲ τῇ τῶν φθόγγων ὀξύτητι καὶ βαρύτητι ... Δεῖ δὲ τὴν ἁρμονίαν εἶδος ἔχειν ἢ πάθους ἢ ἤθους. Confer Aristidem Quintil. pag. 98.

(13) Joh. Baptista Donius lib. 1. de pr. M. V. pag. 40. Quanto meliori conditione fuerunt antiquiores apud Græcos Musici, qui omnes fere poetæ illustres extiterunt: quam qui postea secuti sunt, ad hodiernum usque diem. Cum vero poetas simul ac musicos fuisse dico, minime existimare vos oportet, in altera duntaxat facultate eximie præstitisse: in altera mediocriter tantum. Plerique illorum utramque sic coluerunt, ut simul extiterint & præstantissimi Musici & Poetæ absolutissimi. Talis fuit Archilochus jambici carminis princeps, & musicæ adeo peritus, ut complura ad eam spectantia invenisse dicatur. Tales Polymnestus, Simonides, Pindarus, Alcman, Stesichorus, Mimnermus, cæterique vetustiores Melici ac Lyrici Poetæ. Talis etiam Sappho Poetria celeberrima: nec tantum Sapphici carminis; sed etiam mixtolydiæ harmoniæ inventrix. Magnum sine dubio subsidium mutuo sibi præstant poesis, ac musica facultas: adeo arctis quippe vinculis inter se connexa, & ab eodem fonte, ac spiritu oriundæ.

Adstipulatur Isaacus Vossius, in erudita dissertatione de Poematum cantu &c. pag. 80. Quamdiu Musicæ periti fuere poetæ & scripsere carmina, quæ fidibus & cantui aptari potuere, tamdiu iidem fuere poetæ & musici. Vile & abjectum tum fuit cantorum munus, utpote qui poetis inservirent, quorumque totum studium circa id solum versaretur, ut poeticos numeros, seu gravibus seu acutis, seu tremulis modulis prout carminis ratio exigeret, adstringerent. Nunc vero, postquam Musicorum nomen ad cantores transiit, cantui servit poesis. Vix ullum hoc tempore canticum reperias, quod bene se habeat, nisi verba alicui cantilenæ veteri sæpe & obsoletæ alligentur. Nam nisi, prout ratio exigit, cantus verbis aptetur, nihil numerorum, nihil quod affectus moveat officia pleraque erunt distorta & inæqualia, cum hodierna poemata numeros non admittant. Cantores tamen, & contrapunctistæ hodierni, qui auribus sane non carent, licet sæpe cerebro non multum valeant, omnia sibi licere existimant in corripiendis aut producendis ad libitum syllabis, in torquendis aut lacerandis vocabulis, ne incommodus sit cantus. Videatur porro *Vossius* l. cit. pag. 126.

(14) *Plutarchus* de Musica. *Veteres .. a fractis cantilenis abstinuerunt.*

(15) Plutarchus *de Musica ex versione Xylandri.* Sensum & intelligentiam oportet concurrere in dijudicandis Musicæ partibus: ut neque præeant sensus, quod accidit præcipitibus: neque a tergo relinquantur, quod usu venit tardis. Contingit aliquando in sensibus utrunque, ut ob naturæ inæqualitatem & ante currant, & tardius æquo veniant. Hoc ergo adimendum est sensui: ut possit æquali cursu comitari intellectum. Semper enim est necesse, tria hæc una in auditu incidere: sonum, tempus & literam seu syllabam. Fiet autem ut e sono, ejusque ingressu harmoniam, e tempore rythmum, e litera aut syllaba id quod dicitur intelligas. Quæ cum simul procedant, simul etiam sensus ea excipere debet.

Hanc Veterum consuetudinem multis defendit Cl. Vossius lib. de Poem. cantu & viribus Rythmi pag. 81. & seq.

(16) *Gaudentius* Harm. introd. pag. 3. χρόνος μὲν οὖν ἐστι, κατ' ὃν μακροτέρως ἐν πλείονι χρόνῳ: καὶ βαρυτέρως ἐν ἐλάττονι φθεγγόμεθα, ἵνα δὲ καὶ ὁ ῥυθμὸς φαίνηται χώραν ἔχων. κατὰ δὲ τὸν χρόνον τῶν φθόγγων δεῖ τὰ μέρη ῥυθμίζεσθαι.

Vossius de Poem. cantu &c, pag. 90. Ex ipso carmine & pronunciatione syllabarum palam fiebat, quantum temporis unaquæque nota vel syllaba exigeret. Non Musicis tantum, sed & cuivis e plebe notissimum erat, quænam syllabæ longæ, & quæ item breves essent. Et pag. 127. Constans & inviolata apud veteres semper ea permansit lex ut brevis quæque syllaba uno, longa vero duobus contineretur temporibus. Si quis exemplum velit; is adeat *Buchanani* Psalterium ex editione Nathanis Chytræi; qui opera M. Statii Olthovii Osnabrugensis variis carminum generibus certas melodias aptari fecit: ubi hæc veterum lex ad unguem observata fuit.

(17) *Vossius* de Poemat. cantu pag. 95. In communi sermone vox ut plurimum intra diapente subsistit, ita ut neque plus tribus tonis cum dimidio intendatur, neque majori intervallo infra communem loquendi modum deprimatur, quemadmodum & Dionysio Halicarnassensi annotatum. In diverbiis vero & dramatico cantu, licet aliquanto latius licitum sit

exſpatiari, non temere tamen tranſiliendum eſt hoc intervallum, ſed demum ſi ira, indignatione, gaudio aut dolore ſubito vox excitanda aut eadem languore, triſtitia, faſtu & oſtentatione fuerit ſubmittenda ... In dithyrambicis & choris tragicis alia eſt ratio, quippe cum majorem exigant ornatum, opus non eſt ut tam arctis limitibus cantus contineatur. Tenendus interim & hic modus, cavendumque in primis, ne etiam nimium hic ſubſultet ſonorum varietas. Ut enim in diverbiis deleri non debet communis ſermonum character & imago, ita in choris obſervandum præcipue, ne canticorum excedat ratio.

(18) *Jamblichius* libro de vita Pythagoræ cap. 29. Τῶν δ' ἐπιστημῶν ἐχ ἥκιστα φασὶν ἀυτὸς Πυθαγορείυς τιμᾶν μυσικήν τε κὴ Ἰατρικὴν κὴ μαντικήν.

(19) *Cenſorinus* de die Natali cap. 10. De Pythagora ait. Chordas æque craſſas, parique longitudine diverſis ponderibus tetendit; quibus ſæpe pulſis, nec phtongis ad ullam ſymphoniam concordantibus, pondera mutabat, & id identidem frequenter expertus, poſtremo deprehendit, nunc duas chordas concinere id, quod eſt διὰ τεσσάρων; cum earum pondera inter ſe collocata rationem haberent, ut tria ad quatuor; quem phthongum Arithmetici Græci ἐπίτριον vocant, Latini ſupertertium. Ad eam ſymphoniam, qua διὰ πέντε dicitur, ibi invenit, ubi ponderum diſcrimen in ſeſquitertia eſt proportione, quam duo faciunt ad tria collato, quod ἡμιόλιον appellant. Cum autem altera chorda duplo majore pondere, quam altera tenderetur & eſſet διαπλασίῳ locus, διὰ πασῶν ſonabat. Conf. *Macrobium* in ſomn. ſcip. l. 2. c. 2.

(20) *Joh. Bapt. Donius* de Præſt. Muſ. Vet. p. 61. &c. *Voſſius* de poem. Cantu p. 88. Verum quidem, veterum nonnullos perfectis conſonantiis non annumeraſſe hæc intervalla; agnoviſſe tamen, & locum convenientem illis adſignaſſe clare ſatis colligi poteſt ex Porphyrii & aliorum de Muſica ſcriptis. In cantu vero adhibitas fuiſſe veluti ſecundarias quaſdam conſonantias ſatis docet Plutarchus ἐν τῷ περὶ τῷ EI ἐν Δέλφοις cum dicit τριημιτόνιον κὴ δίτονον μελωδητόν. Senariæ vero utræque, ſeu hexachordo majori & minori, locum quoque dedere. Ariſtoxenus, Dionyſius, Eratoſthenes & alii, ut teſtatur Ælianus in hypomnematis ad Timæum Platonis, cum dicit illos octo conſtituiſſe conſonantias annumerato videlicet uniſono, veluti prima & maxima omnium conſonantia.

(21) *Ariſtoxenus* ex Edit. Meibomii p. 20. Τάχα γὰρ ὁ τῶν παρθενιῶν αὐλῶν ὀξύτατος φθόγγος πρὸς τὸν τῶν ὑπερτελείων βαρύτατον μεῖζον, ἂν ποιήσειε τοῦ εἰρημένυ τρὶς διὰ πασῶν διάστημα.

(22) *Athenæus* lib. 4. p. mihi 176. Ἀλλὰ κὴ περὶ αὐλὲς εἰσὶ μυσικώτατοι, ὀυ μόνον τὲς παρθενίυς καλυμένυς, κὴ παιδικὲς, ἀλλὰ κὴ τὲς ἀνδρείυς, ὄιτινες καλῦνται τέλειοί τε κὴ ὑπερτέλειοι. *Pollux* lib. 4. cap. 10. Τοῖς μὲν παρθενίοις αὐλοῖς παρθένοι προσεχόρευον. Τοῖς δὲ παιδικοῖς, παῖδες προσῇδον, οἱ δὲ ὑπερτέλειοι αὐλοὶ, προσεφθέγγοντο ἀνδρῶν χοροῖς. *Idem* ibid. Ἀυθήνησι δὲ κὴ Συναυλία τὶς ἐκαλεῖτο, Τυμφωνία τὶς αὐλητῶν ἐν παναθηναίοις συναυλήντων. Οἱ δὲ, τὴν συναυλίαν εἶδος προσαυλήσεως ὄιονται ὥς τε αὐλῳδίαν. *Agrippa* de Vanitate Scient. cap. 17.

CAPUT OCTAVUM

De Muſices uſu in Sacrificiis.

NEmo indignetur, ſi primos Poetarum vices egiſſe Theologorum dicere præſumam, quia cultum Deorum ſuorum mediante Poeſi promovere satagebat; Verſus ac carmina vero illorum laudes, & miracula comprehendentia hymnos vocarunt, quibus componendis Linus, Orphæus, Muſæus cum aliis potiſſimum inſummebant tempus; Ideoque Doctrina honoris Divini præcipua poeſeos Græcorum eſt materia; unde etiam iſti cognomen ſortiti ſunt vatum ſeu prophetarum, credebant enim, nullam Doctrinam Divinam verſibus poſſe mandare abſque ſingulari, ac ſupernaturali auxilio: Quapropter Euſtathius (1) Clemens Alexandrinus. Secreta expendens Idololatriæ inquit, Orpheum, Melampum, Muſæum, Arionem Methymnæum, Amphionem Thebanum, Eumolpum Thracium, Licium Odeum, Anteum, Callimachum, & qui ſunt ejuſdem farinæ Poetæ, qui Doctrinam Deorum ſuorum, vel potius Idolorum hymnis comprehendere, Duces fuiſſe, qui plebem ſuper Muſices prætextu in Idololatriam traxerunt, nam ipſa Juventus tales Cantilenas cultum Divinum ſimulatum continentes memoriæ imprimere, nec non in Epulis ſub virtutis ac temperantiæ ſpecie cantare debebant: (2) Græci denique his verſibus pro Deorum diſtinctione, quorum Encomia ennarrabant, diverſa tribuerunt nomina, alia nuncupabantur Carmina calatoria, averruncalia, aſſamenta, hypingos, dithyrambos, julos, Adonidia &c. quæ occinebantur in feſtis Deorum principalibus, Carmina vero, quæ tempore ſacrificiorum ſunt cantata, Proſodion, (3) hyporchemata, & (4) Staſimon fuerunt inſcripta. Scopus item, qui Idololatris iſtis in præfatis Cantilenis erat præfixus, varius fuiſſe refertur, juxta Platonem: (quanta Inſania) per illas Deorum animos ob plurimas negotiorum cauſa evagationes recolligere intenderunt: at Epictetus ſanioris mentis, propterea & Chriſtianus dictus, quamvis in re fuerit Ethnicus, dicit, convenire, ut Deus honoretur, eidemque gratiæ pro beneficiis acceptis reddantur: Principales iſtiuſmodi cultus promotores extiterunt Philemon Delphicus qui Apollinis, Dianæ ac Latonæ Natales exaravit, primus quoque tripudia circa Delphicum fanum inſtituit, & Pericles, (5) ut Solemnia Athenienſium Panathenæa vocata, cantionibus, choris ſaltationibuſve comixtis celebrarentur, autor fuit; tota conſequenter Muſices ſcientia quondam in Græcia ſoli Deorum venerationi dedicata erat, *(6)* unde etiam Cantores oportuit eſſe Sacratos,

tos, quod ex inſcriptione Græca, quam Sacrificulus ſupremus Idoli Serapis ſub Marco Aurelio poſuit, colligitur, in qua Aurelius Phæbus & Solonius Œdotus conſecrati Cantores adducuntur; præter hos etiam conſtituta fuit Tibicinum Societas, qui ſuas tubas in Feſto Magno (7) Tubiluſtrii decima tertia Martii Romæ benedicebant: Uti conſtat ex *Varrone*, *Feſto* & *Ovidio* Faſt. lib. 2. verſ. 829.

Summa dies e quinque tubas luſtrare canoras
Admonet & forti ſacrificare Deo.

Societas item fiſtulis ludentium, de quibus extat Romæ vetus inſcriptio tenoris ſequentis: (8) Cæſari M. Aurelio Antonino Pio S. M. hoc opus dedicant Populi Romani Fiſtulatores, qui publicis intereſſe ſolent Sacrificiis: hoc Collegium Feſta Benedicendarum Fiſtularum decima quarta Junii (9) Romæ peregit, quibus terminatis in Minervæ templo congregabatur. Teſtantur ſimul aliæ, antiquæ literæ etiam Societatem Sonatorum & Harpiſtarum Romanos habuiſſe. Antiquis Germanis, ac Gallis erant ſpecialiter quidam conſecrati, dicti Bardi, (10) qui ad ſtudium Carminum adſtringebantur: Nunc quædam de uſu inſtrumentorum in ſacrificiis uſitatorum veniunt dicenda.

Igitur Tuba (11) utebantur ad tempus ſacrificii denuntiandum, atque præſentes animandos Proceſſioni, qua animalia offerenda circumducebantur: (12) Apulejus talem deſcribens proceſſionem ait, tibicinas magno Serapo dicatos fuiſſe in comitatu cum tubis obliquis ad aurem porrectis dexteram, familiarem templi, Deique modulum ludentes, prouti exprimitur in ſequenti figura, quam ex Marmore Veteri deſumtam conſtat



hic ſe præſentant duo laureati tibicines in Sacerdotali veſtitu, quorum quivis ſuam habet tubam, quarum altera in formam deſinit ſerpentis, hi Suem fructuum Deæ Cereri offerendum comitantur. Tibiarum uſus fuit, in Sacrificiis, Ovidius *Faſtor. lib.* 4.

Temporibus veterum Tibicinis uſus avorum
Magnus, & in magno ſemper honore fuit.

Cantabat Fanis, cantabat tibia ludis.
Cantabat mæſtis tibia funeribus.

fanis, ludis & funeralibus, præcipue, dum (13) thure incenſis altaribus Muſices director choros ordinaret, fiſtulatoremve æquali tono canere juberet, ut quaſi duplicatis votis Deorum voluntas firmaretur: ſervabatur autem in talibus ſacrificiis modeſtia exactiſſima excluſis ſingulis tripudiis ac clamoribus, de hoc columna Trajani iſtam præbet figuram



Fræ-

Frequenter vero Tibiæ *Censorinus do die Natali cap.* 12. Nisi grata esset immortalibus diis Musica profecto ... nec cibicen omnibus supplicationibus in sacris ædibus adhiberetur. Conf. *Macrobium in somnio Scipionis lib.* 2. *c.* 3.

Horatius *de Arte*.

> *Musa dedit fidibus divos puerosque deorum ... referre,*

Idem *lib.* 3. *Od.* 11.

> *Tuque Testudo resonare septem*
> *Callida nervis*
> *Divitum mensis & amica templis.*

Tibiæ Testudo, ac Cythara jungebatur: sic legitur, in insulam Delos turmatim convenisse Græcos festa Apollinis Cynthii peracturos, ubi saltationibus (14) ad horum instrumentorum sonum hyporchemata cantando Sacrificia fecerunt, & in Sacrificiis ludos Romanos antecedentibus Cytharam cum Tibia adhibuerunt, quemadmodum patet ex sequentibus duabus figuris Monetæ Imperatoris Domitiani incisis.



Adest hic ipse Imperator lauro coronatus incensum igni imponens, ex alia parte Tibicem unacum Cytharista. Numisma alterum non præsentat sacrificium, quia signum est, quod sæpius, pluribusque in locis sacrificia cum antefactis confecta sint instrumentis: Eundem etiam Ritum tenuisse Orientales, testem agit Nabuchodonosoris historia; in Processionibus econtra, postquam Divina erant finita, præter Cytharam ac Tibiam etiam tympanis, cymbalis & crepitaculis utebantur: Catullus *in Epithalamio Thetidis & Pelei*.

> *Horum pars tecta quatiebat cuspide thyrsos:*
> *Pars e divulso jactabat membra juvenco,*
> *Pars sese tortis serpentibus incingebant,*
> *Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,*
> *Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani,*
> *Plangebant alii proceris tympana palmis,*
> *Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.*
> *Multi raucisonis efflabant cornua bombis,*
> *Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.*

Ovid. *Metamorph.* 4.

> *Quacunque ingrederis clamor juvenilis, & una*
> *Fœmineæ voces, impulsaque tympana palmis,*
> *Concavaque æra sonant longoque foramine buxus.*

Sidonius *cap.* 5. *vers.* 496.

> *. . . . Rotat Enthea Tyrsum.*
> *Bassaris & maculis Erythrea Nebrides horrens*
> *Excitat Odrysios ad Marcida tympana mystas.*

quod confirmatur ex Bachi festis: Idolum istud de Assyriis ad alios quoque pervenit populos, asserunt enim Nimrod Babylonici Regiminis Fundatorem Bachi hæreditasse nomen, quasi diceretur Barchus, quia filius erat Chus; hic est ille Belial, cui Babylonica gens quotidiano, abundantissimo cibu & potu providere debuit, & die eidem consecrato summo mane Sacrificium resonantibus omnis generis instrumentis peragebat, non secus, ac si eum a somno quo per antecedentem oppressus fuit ingluviem, suscitare vellet, in ipsa processione primo portabatur Urceus vino repletus, foliisque cinctus, post hircus sacrificandus, tandem Cistam figis refertam bajulans; noctem versus inter varia instrumenta gaudia invaluere, tunc saltando, canendo, Tympanis, Cymbalis, Tibiis ludendo maxime alter sexus quasi obsessus circumagebatur: talium bachanalium modum effigies in Neronis & Antonini Pii numismate ostendit.



In

In una earum currus, quem duæ tigrides Bacho dicatæ vehunt, aſpicitur; a ſiniſtris incedit fiſtulator geminam habens tibiam, currui inſidens præſefert Bachum mero plenum, director beſtiarum eſt Sacrificulus Bachi, præſaltat Faunus, quem ſequitur debacchator aliquis. In figura oppoſita præcedit Tympaniſtria, dein æqualis memorato tibicen cum alio, qui cornu ſonat obliquum, a latere ipſemet Bachus una cum ſibi devoto, ex iſtis non difficile poterit erui, quantæ in Bachi Venerationem factæ fuerint exhibitiones.

NOTÆ IN CAPUT OCTAVUM.

(1) *Euſtachius* ad odyſſ. pag. 1710. τὸ δὲ τερψάμενος κὴ πλείονα εἰδὼς, τὸ τέλος ἐςὶ τῆς ποιήσεως, ἧς ἀρετὴ σοφίζειν μετ᾽ ἡδονῆς. *Clemens Alexandrinus* Protrept. pag. 3. Προσχήματι μυσικῆς λυμηνάμενοι τὸν βίον ἐν τέχνῃ τινὶ γοητείας τὺς ἀνθρώπυς ἐπὶ τὰ εἴδολα χειραγωγῦσι πρῶτοι.

(2) Athenæus ex edit. Caſaub. 626. Παρὰ γῦν μόνοις Ἀρκάδων οἱ παῖδες ἐκνηπίων ἄδειν ἐθίζονται κατὰ νόμον τὺς ὕμνυς κὴ παιᾶνας, οἷς ἕκαςος κατὰ τὰ πάτρια τὺς ἐπιχωρίυς ἥρωας καὶ Θεὺς ὑμνῦσι. *Et pag.* 626.. Ἀλλὰ μὴν οἱ ἀρχαῖοι κὴ περιέλαβον ἔθεσι καὶ νόμοις τὺς τῶν Θεῶν ὕμνυς ἄδειν ἅπαντας ἐν ταῖς ἑςιάσεσιν, ὅπως καὶ διὰ τύτων τηρῆται τὸ καλὸν καὶ σωφρονικόν. Conf. *Polybium* Hiſt. lib. 4. cap. 21. Tacitus *de Moribus Germanorum*. Celebrant carminibus antiquis (quod unum apud illos memoriæ & annalium genus) Tuitonem Deum, terra editum, & filium Mannum, originem gentis conditoreſque.

(3) Proclus *in* χρηςομαθίᾳ *apud Photium. c.* 239. Proſodion dicebatur hymnus, cum ad aras, aut templa accederent, & in acceſſu ad tibiam canebatur. *Idem ibid.* Hyporchema vocant carmen cum ſaltatione decantatum. *Adde* Lucianum *Tom.* 1. *pag.* 918. Nulla in Delo ſacra ſine ſaltatione & Muſica: cum tibia chitaraque tripudiabant. Cantilenæ hiſce choris conſcriptæ hyporchemata vocabantur.

(4) *Scholiaſtes Ariſtophanis in Ranis*. ςάσιμον μέλος, ὃ ᾄδυσιν ἱςάμενοι ὀν χορῷ ταί, Plutarchus *de Muſica*.

(5) Ejuſdem *Pericles*.

(6) Plutarchus *de Superſtitione*. Epictetus *lib.* 1. *cap.* 16. Ariſtides Quintilis *addatur pag.* 65. Muſica certe divini hymni & venerationes ornantur: Feſta item propria, urbiumque celebres conventus exulant. *Plutarchus* de Muſica ex verſione Xylandri. Apud antiquos Græcos ne notam quidem ajunt Muſicam, quæ Theatris inſerviret: totam ſcientiam illam Deorum venerationi inſerviſſe. *Maximus Tyrius* Sermon. 21. III. *Cuperi* Harpocrates ex Sponio pag. 153.

(7) *Merula de* Sacrificiis pag. 94.

(8) *Merula* de Sacerd. pag. 53.

(9) Excerpta Cl. Grævii ex Sponii Itiner. p. 15. 36. *Merula* de Sacerd. p.

(10) *Ammianus Marcell.* Bardi quidem fortia virorum illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus, cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt. *Strabo l.* 4. Βάρδοι μὲν ὑμνηταὶ καὶ ποιηταί. *Diodorus Siculus* l. 5. Εἰσὶ δὲ παρ᾽ αὐτοῖς καὶ ποιηταὶ μελῶν, ὓς βάρδυς ὀνομάζυσίν: ὗτοι δὲ μετὰ ὀργάνων ταῖς λύραις ᾄδοντες, ὓς ὑμνῦσιν ὓς δὲ βλασφημῦσι.

(11) *Euſtathius* in Homerum ad Iliad. Σ. Δευτέρα ἡ τρυγγύλη παρ᾽ Αἰγυπτίοις, ἣν Ὄσιρις εὗρε, καλυμένη φασὶ χνοῦν. Χρῶνται δὲ αὐτῇ πρὸς θυσίαν καλῦντες τὺς ὄχλυς δὶ αὐτῆς.

(12) *Apulejus* lib. 11. Ibant & dicati Magno Sorapi Tibicines; qui per obliquum calamum ad aurem porrectum dextram familiarem Templi Deique modulum frequentabant. *Du Choul* Verbandeling van den Gods dienſt der Heyden. pag. 312.

(13) *Diomedes* Apud Salmaſ. Exerc. Plin. p. 88. *Cum aulis paribus*, thure incenſis altaribus, Muſicus choros geminis greſſibus explicaret, & equipedi ſono tibicen ſpondaulium canere juberet; ut duabus longis melodiis quaſi duplicibus & jugibus votis proſpera Deorum voluntas firmaretur.

(14) *Lucianus* de Saltatione pag. m. 918.

CAPUT NONUM

De certis Inſtrumentis in Rheæ vel Cybele Sacrificiis adhiberi ſolitis.

CYbele ſeu Rhea Dea illa dicitur, quam plurimi Poetarum Jovis volunt eſſe parentem, etiamſi Deorum Mater apud omnes ferme audiatur gentiles; iſtis vero nominibus de vicino honorata eſt monte, in quo eidem cæcus populus libare ſolitus erat, inter tales quoque montes numeratur Dindyme in Phrygia prope civitatem Peſſinunte ſitus, in cujus adorationem eximium ibidem ſtructum fuit templum, item montes Berecynthus & Cybelus ad ejuſdem dicati ſunt cultum. Arbitrantur Scriptorum aliqui, eam eſſe Saturni conſortem, Jovemque illius filium, atque per iſtum ſubintelligi Cham filium Noe, ſic, ut per Saturnum ipſe Noe fuerit deſignatus, ac per Cybele uxorem Noe: itaque Sacrificiorum tot & cum tanta ſolemnitate in ejus honorem factorum cauſam dant, hoc fuiſſe gratitudinis ergo ob præſtitos in Jovis educatione ſollicita labores: forſitan Ethnici ſibi timebant, ne & in illos Noe maledictio, qua Cham filium ſuum caſtigavit, recidat, ideo Saturnum finxerunt ſenem infantium cunis inſidiantem, & pertinaces in ſua credulitate ſomniabant, quod, dum Cybele eſſet gravida, ad Cretam inſulam ſe contulerit, ac in montis Idæ caverna ſuum effuderit fœtum, at redux Saturno Viro ſuo veritatem præ timore occultans, ſe

In

se lapidem genuisse dixerit, atque infantem pro educatione Viciniæ ejusdem incolis Keretis ac Cretensibus nuncupatis commendasse: *Virgilius*.

Creta Jovis magni, medio jacet Insula Ponto,
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ.
Centum urbes habitant magnas, uberrima regna:
Maximus unde Pater (si rite audita recordor)
Teucrus Rhæteas primum est advectus ad oras,
Optavitque locum regno. Nondum Ilium & arces
Pergameæ steterant, habitabant vallibus imis.
Hinc Mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra:
Idæumque nemus; hinc fida silentia sacris
Et juncti currum Dominæ subiere leones.

Asserunt nonnulli hunc populum ex genere fuisse Philistæorum, qui omnem in educando Jove impenderunt diligentiam, & Cretæ insulæ postmodum Candiæ nomen obtinuisse, ex qua omnium gentium Dii ortum suum duxerunt, superstitioni huic obstinanter inhærentes, ut simul successores tanti recordarentur beneficii, quolibet anno certos instituebant dies, quibus Cybele maximo coleretur cultu: *Virgilius* 9. *Æneid.*

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia *cantum*,
Tympana *vos*, buxusque *vocant Berecynthia matris*
Idææ, sinite arma viris & cedite ferro.

Phrygii pro certo crediderunt, suos Parentes in eadem insula, ac ex eodem genere oriundos cultum istum secum in Trojam transtulisse. Romani se, quod a Trojanis orti sint jactantes insignem anno 550. urbis conditæ Attalo Phrygiorum Regi miserunt legationem, Reliquias antecessorum suorum asportandi causa, eo quod sybillarum litteræ, oraculumve Delphicum id præcipiat; Navigatione ista secum nigrum reportarunt lapidem: *Prudentius*.

Nudare plantas ante carpentum scio
Proceres togatos, Matris Idææ sacris,
Lapis nigellus, evehendus essedo,
Muliebris oris clausus argento sedet
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis.
Almonis usque pervenitis rivulum.

lapidem, quem Magnetem fuisse aliqui sentiunt, & ab inhabitantibus Mater nominabatur Deorum: hoc denique Sanctuarium, etsi minimi fuerit ponderis unica scilicet manu portabile, summa cum pompa in Civitatem advenerat, pro quo in Palatino monte Junior Brutus fanum construi curavit: Romani hac simplici lapidis forma non contenti, illum statuæ argenteæ fœminam præsentanti inseruere. Hujus etiam Deæ sacrificuli Galli fuerunt dicti, eorumque præfectus Archigallus, qui se ipsos eo membro, quo viri sunt in testimonium continentiæ privarunt ad exemplum cujusdam juvenis, Attys nomine, quem ipsa Cybele facto eidem prævio puritatis servandæ voto Sanctuario præfecerat suo:

Ovidius Lib. Fast.

Protinus inflexo Berecynthia tibia *corau*
Flabit, & Idæa festa parentis erunt.
Ibunt seminares, & inania tympana *tundent.*
Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.
Ipsa sedens molli comitum cervice feretur
Urbis per medias exululata vias.
Scena sonat, ludique vocant. Spectate Quirites
Et fora Marte suo litigiosa vacent.

Claudianus lib. 1. in Eutrop.

Vel si sacra placent, habens pro Marte Cybelen,
Rauca Celenæos ad tympana *disce furores,*
Cymbala *ferre licet, pectusque illidere pinu,*
Inguinis & reliquum Phygiis abscindere cultris.

Istis etiam constitutis certis diebus a Romanis legibus panem ostiatim colligendi erat permissum, quod privilegium nulli alteri fuerat concessum: Festa prænominatæ Deæ consecrata quotannis a vigesima quarta usque vigesimam septimam Martii, hoc est, per quatuor continuabantur dies, primus fuit dictus dies sanguinis, & vere sanguinolentus, quando se ipsos percussionibus inhumanis vulnerabant, eorum furiis imiscebatur strepitus tympanorum, ac Cymbalorum, pro-

proximo die celebrarunt festa hilaria. Tertius vacabat magis idoneos se reddendi pro die quarto & ultimo, quo solemnissime Cibeles imago ad flumen Almon, in loco, ubi in Tyberim effluit, vehebatur, quam studiose lavarunt, & suis sacris tergebant pannis; multi tantam in hoc festo habuere devotionem, ut nudis pedibus processionem comitarentur, & præcipue hoc festo præter alia audiebatur instrumentum Megalesia, quæ est Tuba curva Berecynthia nuncupata, verum non solummodo in ante memoratis festis, sed & in omnihus necessitatibus, ut singularis a Romanis Cybele invocabatur auxiliatrix, potentissimam credentes cum ipsos quoque genuerit Deos.

Virgilius lib. 10. Ænead.

> *Alma parens Idæa Deum, cui Dyndyma cordi*
> *Turrigeræque urbes, bijugique ad fræna leones,*
> *Tu mihi nunc pugnæ Princeps, Tu rite propinques*
> *Augurium, Phrygibusque adsis pede, Diva, secundo.*

PARS SECUNDA

In qua agitur de iis, quæ de Psalmis Davidis, aliorumve Psalmistarum Divinorum memoranda occurrunt.

CAPUT PRIMUM

De Titulo, sive Inscriptione libri Psalmorum.

ODÆ Sacræ, nobis sub psalmorum nomine a Græcis proponuntur ea de causa, quia simul ad (1) Musica Instrumenta cani solebant. Unde volunt, certum Instrumentum chordis instructum, atque cantui humano associatum psaltyrion Græce vocari, pariter fœminas cantus inter sonantes (2) psaltrias esse nuncupatas: *Hinc Augustinus* inquit: *psallere non est simpliciter canere, sed ad Musicum Instrumentum.* Unde Lexicon vetus ψάλλω. *Nablizo*, *Psalmizo*. Conf. *Drusium* ad 1. *Cor.* 14. 15. Item *Isidorus* psalteria inter species Cytharæ enumerat, de qua plura parte priori membro quarto egimus. Paulus ad *Ephesios* 5. 19. discrimen ponit inter purum cantum ac psalmodiam, dum ait: *Loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis, & in canticis Spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino:* Ex quo apparet, plura requiri ad psallendum, quam requiratur ad canendum, scilicet juxta glossam, quod psallere importet simul elevationem mentis ad Deum (3). Itaque Odæ Sacræ in Novo Testamento psalmorum veniunt nomine, ut legitur apud *Lucam* 24. 44. *Quæ scripta sunt in lege Moysi & prophetis & psalmis de me.* Cum econtra aliæ Canticorum tantumodo gaudeant titulo, quo innuitur illas non solum fuisse pro Cantu institutas, verum etiam, ut ad Musica adhibeantur Instrumenta; quemadmodum patet ex diverso Levitarum ordine, quorum alius erat Canentium, alius Sonantium. Quam vero ob causam non omnes Sacræ Odæ psalmi vocantur, sed tantum aliquæ earum Hebraico nomine מזמור *Mismor*, id est psalmi inscribantur. Rationem ponunt Interpretes, quia Mismor circumcidere uti legitur *Esai.* 15. 6. significat, sive continere intra mensuram ac certas regulas, consequenter iis solis nempe psalmis convenit, ut in certo ordine, accurrate ad mensuram juxta Musices artem una cum aliis Instrumentis canantur. Econtra Hebræi psalmis Canticorum nomina imponunt, uti constat ex *Psal.* 33. 3. 59. 18. *Amos* 5. 23. *Cantic.* 2. 12. unde *Ps.* 27. 6. legitur אשירה ואזמרה ליהוה. Eo quod majori ex parte Divinas contineant laudes (4), aut saltem ob præcipuum Deum laudandi finem sint instituti, dicuntur תהלים quibus Rex David populum ad Numinis Divini venerationem magis inflammare intendit. Verum apud Græcos diversa Cantica sortiebantur Nomina, ut Hymni, (5) quorum usus apud gentiles non solum in templis, sed in epulis frequens erat, quatenus mediantibus illis passiones inordinatæ coercebantur; quia illorum Hymni, & Cantus admodum erant obscæni, plurimisque superstitionibus referti, hinc Christiani pietate præditi Davidis

vidis psalmos canere consueverunt secundum illud: *Non laudat Deum, qui canit, quod non spectat ad Divinam laudem*: Hinc in Epist. ad *Ephes.* 5. 18. 19. *Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed implemini Spiritu Sancto; loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino*: Imo Judæi post sumtum Agnum Paschalem psalmum centesimum decimum tertium una cum quinque sequentibus cantare sunt soliti, quod Canticum vocatum est Magnum Alleluja. Legitur quoque in Novo Testamento, Christum Dominum dictis Deo Patri laudibus cum Discipulis in montem Oliveti secessisse; Uti legitur *Matth.* 26. 30. *Et hymno dicto*. Item legitur *Act.* 16. 25. Paulum & Silam media nocte orasse, ac Deo laudes cecinisse: quid vero omnes hæ laudes continebant, nisi psalmos, quos passim omnes temporibus illis memoria retinuerunt?

Sunt autem etiam aliqui ex psalmis sub שיר Cantici Nomine: quæ vero Cantica inter se differunt, quædam enim canuntur cum arte minori, alia in Tono acutiori, aut graviori, quædam cum Instrumentis, alia absque illis. Principaliter vero solum illis psalmis Cantici nomen attribuitur, qui antiquo stylo communi ac simplici cantantur, etsi propterea psalmi esse non desinant, nam omnes a Levitis aliis quoque Instrumentis interludentibus alta cani solebant voce. At ex qua causa legatur *Psal.* 48. 66. 83. 87. 88. 108. שיר מזמור; & *Psal.* 30. 65. 67. 68. 75. 76. 92. מזמור שיר, atque etiam in Græcis atque Latinis inscriptionibus quandoque hæc nomina simul confundantur: ψαλμὸς ᾠδῆς *Psalmus cantici*, aut econtra ᾠδὴ ψαλμȣ͂ *Canticum psalmi* explicant *Hilarius*, *Euthymius*, *Chrysostomus* cum *Basilio*, quod Titulus prior talem indicet cantum, qui instrumentis inchoatur, & a cantoribus prosequitur, posteriorem vero a Cantoribus intonari & primum postea per sonatores solere finiri: aliorum opinio est, in lingua Hæbraica, ejusdem esse significationis dicere: *Psalmum cantici* vel *Canticum psalmi*. (6)

Habent demum Psalmi penes inscriptiones allatas insuper alias: Omissis minus necessariis solius psalmi septimi (7) Schiggajon venit exponendus titulus: Schiggajon interpretatur quasi quædam inadvertentia, aut sui ipsius oblivio, vel animi abreptio. Censent graves viri, indicari per hunc carmen (8) erraticum inæqualibus, atque variatis constans pedibus, eo quod Sacer Poeta versus, prout ei a Spiritu Sancto dictabantur, expresserit, nec carminis lege fuerit adstrictus. Itaque omnes psalmi in unum congesti sunt librum, hinc liber psalmorum seu juxta Hæbreos acervorum liber est dictus, dum coacervati plures in eo inveniuntur cantus: hoc non obstante liber psalmorum antiquitus quinque constitit partibus, unde & nomen accepit parvi pentateuchi, in parte prima continebantur quadraginta & unus psalmus, in secunda triginta & unus, in tertia & quarta septendecim, denique quinta pars quadraginta quatuor complectebatur psalmos: ita *Haggaon Obadjach*, addit, quamlibet partem per Amen, seu Alleluja fuisse terminatam: Eandem quoque psalmorum divisionem admittit in Ecclesia Græca *Gregorius Nissenus*, cui alii contradicunt ex eo, quia non quinque sed unus psalmorum dicitur liber. Ita sentit *Hilarius* Præf. in Psal. *Nos secundum Apostolicam autoritatem librum Psalmorum & nuncupamus, & scribimus. Ergo neque secundum quosdam Hebræos quinque libri dicendi sunt*. At parum refert, nam idem semper sonat, sive dicatur liber psalmorum constans quinque partibus, sive quinque psalmorum partes, quæ unum conficiunt librum.

NOTÆ IN CAPUT PRIMUM.

(1) Gregorius Nyssenus Tract. 2. in Psalm. *Ψαλμός ἐςιν ἡ διὰ τȣ͂ ὀργάνȣ τῆ μυσικῆ μελωδία* Basilius M. in Psalm. 29. *ὁ ψαλμὸς λόγος ἐςὶ μυσικὸς ὅταν Εὐρύτμως καὶ τὰς ἁρμονικὰς λόγȣς πρὸς τὸ ὄργανον Κρȣ́ηται.* Euthim Præf. in Psalm. *Ψαλμὸς μὲν κυρίως ὁ μετὰ ὀργανικȣ͂ ψαλτηρίȣ ἐμμελῶς ἐκφωνȣ́μενος.*

(2) De Psaltriis. *Horatius lib.* 14. *carm. odo* 13. *Macrobius Saturn. lib.* 2. *cap.* 1. Sub illorum supercilio non defuit, qui Psaltriam intromitti peteret, ut puella ex industria supra naturam mollior, canora dulcedine & Saltationis lubrico exerceret illecebris Philosophantes. *Quintilianus Inst. Orat. lib.* 1. *c.* 10. Nec Psalteria ipsa dicas etiam virginibus probis recusanda.

(3) *Aretius H. L.* Videtur hic locus etiam ad convivia pertinere, in quibus Veteres Hymnos Deorum & facta Heroum recitabant, quæ res variis fabulis fuit confusa & contaminata, ideo piis præscribit alias cantiones, sc. Psalmos hymnos & odas sacras. *Et Bullingerius in eundem locum.* Nihil hic agitur de cantu Templorum sed de eo, qualia esse debeant Christianorum convivia. Id enim occulta qua-

quadam antithesi cum gentium conviviis docet. Gentium consuetudinem *Feithius* in antiquitatis *Homer. lib. 4. cap. 4.* Nobis ita eruit. *Cæterum tritus*, inquit, *fuit vulgo Musicæ usus in conviviis .... Unde Homerus citharam conviviorum sociam apellat.* Φόρμιγγός δ' ἦν δαιτὶ θεοὶ πόιησαν ἑταίρην Odiss. 15. 1. *Quod laudat Diogenianus apud Plutarchum* symp. lib. 4. cap. 8. *Ita vero & Pindarus* Olymp. Od. 1. διὰ παίζομεν γίλαν ἄνδρες ἀμματράπεζαι, *Horatio etiam Testudo. Grata nunc & divitum Mensis & amica Templis.*

(4) *Augustinus in Psalm.* 143. Hymnus scitis quid est? Cantus est cum laude Dei: si laudas Deum & non cantas, non dicis hymnum. Si cantas & non laudas Deum, non dicis hymnum. Si laudas aliquid, quod non pertinet ad laudem Dei, etsi cantando laudes, non dicis hymnum. Hymnus ergo tria ista habet, & canticum & laudem & Dei.

(5) *Istam gentilium consuetudinem sic Feithius in antiq. Homer. lib. 4. cap. 4. eruit.* Cæterum *inquit*, tritus fuit vulgo Musicæ usus in conviviis ... unde Homerus citharam conviviorum sociam appellat, φόρμιγγος δ' ἦν δαιτὶ ποίησαν ἑταίρην. Odyss. 15. 1. Quod laudat Diogenianus apud Plutarchum Symp. *lib.* 7. *cap.* 8. Ita vero & Pindarus Olymp. *Odo* 1. διὰ παίζομεν φίλαν ἄνδρες ἀμφί δ' ἀματράπεζαι. Sic Horatio dicitur testudo Grata nunc & divitum mensis & amica Templis.

(6) *Gerhardi apud Sontagium pag.* 549. Non absurda B. Gerhardo annot. ad Psalm. 3. 1. Videtur conjectura vocantium mismor schir ψαλμὸν ᾠδῆς cum a Psalmodia fieret initium, & huic prostremo responderent symphoniaci ἀντιφωνοῦντες voce. At schir mismor ᾠδὴν ψαλμῷ; cum ab Hymno initium duceretur, cui responderit Psalmorum ἀντιφωνία.

(7) שגיון est formæ נקיון *a* נקה *innocentia Psalm.* 26. 6. הגיון *ab* הגה *meditatio. Psalm.* 9. 17. *a* כלה כליון *consummatio. Jes.* 10. 22. ita quoque hic שגיון שגה *a* venit pro *aberratione* ab incepto cursu q. per inadvertentiam, & abreptionem animi.

(8) Sontagius *pag.* 237. Gravissimi autores existimant notari hac voce oden erraticam, non uno metrorum genere: sed varie intercurrentibus & inæqualibus versibus, aut ut loquitur B. Gerhardus annot. Psalm. 3. Strophis, antistrophis & epodis constantem (perinde ac si a nostris jam ex sapphico, jam phaleuco, jam hexametro, jam pentametro, jam anapæsto, jambo, aliove pede ac versu, carmen aliquod componeretur) forte, quia affectuum vehementia in Davide certæ carminis legi adstringi se non passa est propter tentationem afflictionumque variarum paroxismos: sed modo huc, modo illuc saltum veluti fecit, prout spiritus in ipso luctans, nunc hujus, nunc illius generis metra suggerebat. Adde quod hujus carminis Hebræi ratio, non Κατ' ἀλήθειαν, sed κατὰ δόξαν modo: non ὄντως, sed φαινομένως erratica vocaretur; etenim, quibus illa parum cognita aut perspecta fuit, in ea erratum fuisse facile sibi persuasum habuere. Quemadmodum ex vulgi opinione de Pindaro canit Horatius. Illum *numeris ferri lege solutis. lib. 4. Carm. Od. 2. Alstedius in Triumpho Biblico cap.* 16. שגיון Ode erratica sive varia *H. E.* Psalmus decantandus tono instabili: ita ut שגיון sit nomen cantionis certæ speciei, ad varios & instabiles modos sive tonos factæ, quæ usurpabatur in magnis animi perturbationibus & angustiis, ubi uni rei sermoni & tono non insistitur, sed ab alio ad alium transcurritur.

CAPUT SECUNDUM

Societas Poetarum sub Davidis Regimine.

Quemadmodum major pars, aut omnino liber psalmorum integer Juda sceptrum tenente originem duxit, ita tunc quoque clarissimi Poetarum extiterunt, qui huic Divino operi dedere operam, ad quod perficiendum homines cœlesti lumine illustratos fuisse necesse erat: quæ tempora arti huic singulariter favebant, dum in eadem excellentes ad summos evecti fuere honores; similibus etenim scientiis delectantur Principes, cantu & sono recreari soliti.

Itaque facultates istæ Davidem ex Judæ stemmate Regem primum, cantus & Poeseos amantem, Patrem propagatoremque obtinuerunt. In cujus Aula certus Poetarum numerus erat constitutus, quos inter Rex ipse primatum tenuit. Vir utpote, cujus Natales & vita una cum actibus Heroicis per longum in Samuelis libris, 1. *Sam.* 23. 1. *Dixit David filius Isai. Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius Psaltes Israel. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam*: ac Regum Cronicis enarrantur, hujus persona neminem latere potest. Ex tribu Juda enim, cui sceptrum promissum fuerat anno quadringentesimo sexto post transmigrationem de Ægypto, in Bethlehem natus, & quadringentesimo septuagesimo septimo juxta computum præcedentem septuagesimo ætatis suæ anno in Jerusalem obdormivit: fuit natu minimus Isai, natura parvus, qui ad vigesimum quartum usque annum suæ ætatis Patris sui gregem pascebat, ubi a Samuele Dei mandato in Regem est unctus, ab eoque tempore baculi pastoritii loco gladio accinctus, qui Goliath Philistæo occiso exercitui Præfectus fuit, cumque ob insignes reportatas victorias ab invido Saul diversimode ad mortem quæreretur, triennali sibi consuluit fuga, at illius morte secuta, triginta agens annos supra Juda in Hebron, & elapsis septem annis, dum Isboseth filius Saulis a suis esset trucidatus, super Israel ac tandem in Jerusalem triginta tribus regnavit annis.

Caput itaque præfatæ Societatis Poetarum Rex hic ipsemet fuit, & quamvis Regni negotiis implicatus, nihilominus ad psalmorum librum componendum se accinxit, utpote ab incunabulis Musicæ & Poeseos assuetus, unde & in Saulis aula pro Musico habitus est pe-

peritissimo, quo exercitio in tot se erigere contendebat persecutionibus, ac talem omnium de se comparavit existimationem, ut non immerito Divinus audiatur Psaltes, cujus scripta a spiritu Divino dictata fuisse, inficias ire nullus poterit. Secundo sui Regiminis anno, seu quadringentesimo quadragesimo quinto post Israelis a servitute Ægyptiaca liberationem, postquam Sacerdotibus ac Levitis arcam fœderis in Davidis asportandi urbem datum erat mandatum, selegit Levitas cantus & soni peritos ad celebranda isthæc solemnia: Constituti ergo fuere Levita Heman filius Joel & ex suis fratribus Asaph filius Berechiæ, ex filiis Merari & eorum fratribus Ethan filius Kusajæ, isti ob suam præcipuam in hac Poeseos arte eminentiam Regis inter adoptati sunt consultores. Heman Levita fuit ex genere Kahath & inchoando ab Israel vigesima tertia persona: Chron. 6. 33. 38. *Heman cantor filius Johel, filii Samuel, filii Elcana, filii Mahath, filii Amasai, filii Elcana, filii Johel, filii Azariæ, filii Sophoniæ, filii Tahath, filii Assir, filii Ebiasaph, filii Corah, filii Isbar, filii Cold, filii Iizar, filii Caath, filii Levi, filii Israel.* Interim huic non parvus accessit honor, dum legitur, eum Nepotem fuisse Samuelis Prophetæ, ac Judicis in Israel, cui summa præerat laude ad Regnum usque Saulis, quive pro Saule Davidem in Regem unxit. Caldaica interpretatio hujus loco alterum ponit Heman, Ezrahitam scilicet, qui oriundus est ex Ægypto, nomenque sortitus de aliqua Palæstinæ Provincia, nam sicut districtus a Bethlehem usque Rama Ephrata nominabatur, unde Zuph illius antecessor Ephraita dictus fuit. Antefatus denique Heman spiritu donatus erat prophetiæ, hinc & Davidis adscriptus est consiliariis, 1. *Chron.* 25. 5. *Heman* חזה *Prophetæ, seu consiliarii regis in sermonibus Dei.* Nihil enim Rex tum in temporalibus, tum spiritualibus attentare præsumpserat inconsulto Deo, eapropter cuncta nobis relicta ab eodem scripta plena sunt Mysteriis ac Dogmatibus Divinis. Asaph ex Tribu Levi decimus quintus, 1. *Chron.* 6. 39. 43. *Assaph filius Barachiæ, filii Simea, filii Michael, filii Basajæ, filii Melchiæ, filii Achanai, filii Asaja, filii Etlem, filii Sima, filii Jeth, filii Gersom, filii Levi,* qui pariter nomen cantoris Principis κατ' ἐξοχὴν obtinet, uti videre est 2. *Esd.* XII. 45. *Quia in diebus David & Asaph ab exordio erant Principes constituti cantorum,* imo & Prophetæ, qui comune cum Heman donum accepit spirituales ac divinas componendi cantiones, ut patet ex hoc, quod Rex Ezechias cantoribus præceperit, Dominum laudandi per verba Davidis & Asaph Prophetæ, 2. *Chron.* 29. 30. *Præcepitque Ezechias Principibus Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David & Asaph Prophetæ.* Huic tanquam autori duodecim appropriantur psalmi. Ulterius his annumerandus venit Ethan pari modo Ezrahita & decimus quartus in ordine Levi, 1. *Chron.* 6. 44. *Ethan filius Chusi, filii Abdi, filii Meluch, filii Hasadiæ, filii Aubaziæ, filii Hilchiæ, filii Amasai, filii Bani, filii Somei, filii Moholi, filii Musi, filii Merari, filii Levi:* Hic adeo sapientia excelluisse dicitur, ut Salomoni æquiparari potuerit, uti constat ex 1. *Reg.* 4. 31. *Et erat sapientior cunctis hominibus, sapientior Ethan*: quare & ipse inter prophetarum chorum collocatur. Certum est, Ethan unum ex primis fuisse Cantoribus, 1. *Chron.* 15. 16. *Dixitque David principibus Levitarum, ut constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nabliis videlicet & lyris, & cymbalis, ut resonaret in excelsis sonitus lætitiæ; Constitueretque Levitas, Heman filium Joel, & de fratribus suis Asaph filium Barachiæ, de filiis vero Merari fratribus eorum Athan &c.* qui una cum Heman & Asaph Arcam fœderis cum Musica solemni comitatus est, nec non unus inter illos, qui a Davide postquam arca Domini requievit, Magistri Cantus & Musicæ sunt constituti usque ad ædificationem Templi in Jerusalem.

Verum, unde veniat, quod in sequentibus officiorum distributionibus nomen ipsius non amplius memoretur, cum tamen luce clarius sit, eum tunc temporis adhuc fuisse superstitem, incredibile namque est hunc virum, qui sapientia Salomoni non cessit, oblivioni subito esse datum; adhæc sicut Asaph ad dexteram serviebat Heman, ita illum ad sinistram servisse notatur: securior horum ratio videtur, ejus nomen post Arcæ depositionem fuisse mutatum ex Ethan in Jeduthun, quemadmodum servi Moysis Hosea in Josua: forsitan etiam hoc contigerit tum, quando magis magisque innotuit illius profunda scientia ac legum cognitio, cum Jeduthun indicet Virum confessionis, idest, qui Dei nomen in cantu Deo conveniente serio confitetur: unde perspicuum est, cur se ipsum in sui Cantici inscriptione Ethan, econtra in canticis sibi impositis ad serviendum filiis suis Jeduthun nominet? hoc humilitas exigebat, ut nomen honorificum deponeret, at in præsentia Davidis & Asaph optime conveniebat, eum suo condecente nomine aliis innotescere.

CA-

CAPUT TERTIUM

De Poetis & Scribis, qui psalmos Composuere.

EXtra omne dubium est, Regem David Principem Poetarum, & Psalmistarum esse: Etenim ipsemet in ultimis vitæ suæ temporibus fatebatur maximo sibi fuisse solatio, quod Israeli propter suos psalmos charus & acceptus sit, & revera, potiores psalmi ipsius nomen præfixum habent, eique tanquam principali autori attribuuntur, (1) nec minus in novo Testamento adducuntur & citantur aliqui psalmi sub Davidis nomine, ita Christus apud Mathæum ait: *quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Similiter in actibus Apostolorum. David enim dicit in eum: *providebam Deminum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.* Itaque ab omnibus David agnoscitur ut Primarius scriptor Psalmorum, qui & Cantica composuisse dicitur, quæ a Levitis cantari sunt solita: *Præcepitque Ezechias & Principes levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, & Asaph.* Sunt autem aliqui psalmi de ipsa Davidis persona tractantes, alii de Christo Domino, quicumque vero ita inscripti sunt: psalmos ipsi David, ab aliis lucubratos Davidis personæ fuisse aptatos censendum est, etsi non defuerint, existimantes omnium psalmorum autorem esse David, cujus sententiæ subscripserunt *Augustinus*, *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Euthimius* cum *Beda*: contra dicimus illos, qui alterius nomen in principio gerunt, ut psalmus Moysis, Salomon, Asaph, Heman, Ethan &c. non Davidi esse adscribendos, cum in novo Testamento, quando in genere de hoc libro loquitur, nullibi illud Davidi attribuitur, sed simpliciter de psalmorum libro tractatur, ut videre est apud Lucam: *Et dixit ad eos, hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est adimpleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me:* & in actibus Apostolorum sic legitur: *Scriptum est in libro psalmorum: fiat commoratio eorum deserta &c.* hujus opinionis sunt *Hieronymus* in Epistolis ad Cyprianum & Sophronium. Item *Hilarius* in præfatione super psalmos, quod confirmatur ex supra allegatis, dum Ezechias mandaverat Levitis, *ut laudarent Dominum sermonibus David & Asaph*: ubi perspicimus, alios psalmos ab Asaph quoque fuisse compositos, consequenter etiam alii Heman & Ethan aliisque Prophetis sunt adscribendi, quorum nomina aliquibus psalmis sunt præfixa.

Attamen, quamvis David non sit omnium Psalmorum scriptor censendus, nihilosecius credendum est, illum omnibus aliis plures composuisse, cum etiam illi plures attribuantur, qui nec nominis nec inscriptionis alicujus initium tenent: pro cujus regula, ut suum cuique tribuatur, Hebræi dicunt, illos psalmos, quibus nulla inscriptio est apposita, iis esse adscribendos, qui paulo ante memorati fuere, usque in eum psalmum, quo nomen alterius autoris præferatur: (2) Sanior & probabilior sententia videtur illorum, qui judicant non solum illos esse Psalmos Davidis, qui eidem sunt inscripti, sed & illos, qui absque titulo sunt, (3) sicut testantur discipuli in actibus Apostolorum de secundo Psalmo: *qui Spiritu Sancto per os Patris nostri David pueri tui dixisti: quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? adstiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum & adversus Christum ejus:* Hic clare perspicitur, hunc psalmum sine titulo inveniri in Scriptura, & ipsos Discipulos Christi eum Davidis esse confiteri: sequitur, omnes quotquot sine inscriptione reperiuntur, Davidi esse appropriandos. Dico itaque secundum Scripturam psalmos sequentes Davidi tamquam autori appropriandos esse scilicet omnes a primo usque ad quadragesimum nonum exclusive, & a quinquagesimo inclusive usque ad septuagesimum primum exclusive, ab octogesimo tertio usque octuogesimum sextum inclusive, dein incipiendo a nonagesimo usque ad centesimum decimum octavum exclusive, postmodum incipiendo de Canticis graduum omisso centesimo vigesimo sexto usque centesimum quadragesimum quartum inclusive una cum ultimis quinque Alleluja, cæteri aut Heman, Asaph, Ethan vel aliis adjudicantur prophetis. Ex dictis constat Davidem potiorem ac principalem psalmorum extitisse compositorem, nec audiendi sunt quidam Hebræorum fabulantium psalmos ante tempora Davidis exaratos fuisse. Etenim ante Davidem nomen Syonis erat igno-

ignotum, nec Jerusalem civitas Dei fuit constituta, at non obstante in psalmis legitur: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob, & Jerusalem, quæ ædificatur ut Civitas &c.* Imo probabilius videtur etiam, quod etiam Davidi adscribenda sit oratio Moysis, cujus materiam quidem de Moyse sumtam versibus ligavit: si enim hujus autor Moyses agnoscendus esset absque dubio illam suo libro una cum aliis inseruisset, sed ibi non invenitur, sequitur, eam Davidis fuisse laborem, & solummodo ratione materiæ transumtæ Moysis orationem dici, sicque loquendum respective de aliis erit, e.g. de psalmo Salmonis, non quod Salomon hunc composuerit, sed ipsemet David per Salomonem verum subintelligendo Salomonem alludendo ad Chistum venturum. Adhæc plurimorum opinio non est rejicienda, existimantium etiam illorum psalmorum solum Davidem fuisse autorem, qui titulum præfixum gerunt Jeremiæ, Ezechielis, Zachariæ, filiorum Core, Jonadab &c. nam rationem illorum titulorum ac inscriptionem fuisse volunt, quia prænominati psalmi a dictis prophetis solebant populo illi præcini, aut a Levitis ad illorum mandatum fuerint in certis diebus decantati. Addit demum *Gregorius Nyssenus*, Hæbreos ex invidia inscriptiones psalmorum mutasse, aut omisisse ne in certam Mysteriorum cognitionem veniamus. Ὅσας τοίνυν ἐκεῖνοι τῶν ἐπιγραφῶν κατενόησαν ἔνδειξιν τινα περιέχειν τοῦ μυστηρίου ταύτας οὐ παρεδέξαντο. Advertendum ultimo est, cur in fine septuagesimi primi psalmi addatur: *defecerunt laudes David filii Jesse*, non esse intelligdndum, quasi sequentes sint ab aliis facti, sed solum terminari illos psalmos, quibus comprehendebantur certæ orationes atque laudes Dei.

NOTÆ IN CAPUT TERTIUM.

(1) *Huetius Dem. Evang. pag.* 334. Existimat Synopseos autor, quicumque Psalmi ita inscripti sunt: τῷ Δαβὶδ hoc est ipsi David, ab aliis lucubratos Davidis personæ fuisse aptatos. Sententiam hanc refellit Augustinus *de civitate Dei lib.* 17. *cap.* 14. Sospitatoris ipsius oraculo, qui Psalmum CIX. (*juxtu Hebræos CX.*) Davidi tribuit, cum inscriptus sit ipsi David.

(2) *Hieronymus proœmio in Malachiam.* Qui Psalmi titulos non habent, eorum esse dicimus quorum priores Psalmi nominibus prænotati sunt. *Hilarius de Authoribus Psalmorum.* Qui Psalmi deinceps sine autorum superscriptione succedunt, ejus esse existimandi sunt, qui anterioris Psalmi Autor inscribitur, usque in eum Psalmum, quo nomen alterius Autoris præferatur.

Aben Ezra.

אולי הם לדוד שאין כתוב בראשם שם אדם

(3) *Bugenhagius in Psalm.* 72. *in fine.* Ego puto Psalmos Davidis esse, qui Davidi inscripti sunt; illos quoque, qui absque titulo sunt, ut testantur discipuli. Act. 4. de Psalmo secundo.

CAPUT QUARTUM

De causis quibus Sacri Poetæ ad psalmorum Compositione inducebantur.

PRæsuppositis Davidem una cum pluribus aliis fuisse Prophetas, nec artem esse humanam ipsam prophetiam, sed, ut loquitur Petrus: *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines*, hinc quod ad psalmorum elucubrationem se deserit David, causam impulsivam non fuisse aliam, quam Spiritus Sancti instinctum est tenendum, & quidem tempore maxime conveniente, dum populus ignorans ad inumeros declinaret errores. Notum est sacros Poetas vixisse adhuc; quando Moysis Tabernaculum exstitit, ubi Deus per quatuor sæcula sacrificiis diversis quærebatur, nam lex sacrificiorum præscribens cœremonias umbra fuit futurorum & juxta Paulum: *Corpus autem Christi. Ignorantes enim Justitiam Dei, Justitiæ Dei non sunt subjecti.* Ideoque Cæca illa gens per figuras in cognitionem veritatis inducenda erat. Simplicioribus necessarii fuerunt homines illuminati, a quibus Mysteria difficiliora enuclearentur, quod factum est Davidis psalmis, qui per Levitas populo præcinebantur, hic etenim satis manifeste de futuro Messia, seu Christo & Mysteriis ejus plurima expressit, & quamvis prius ille promissus fuerit Tribui Judæ, sicut legitur in libro Genesis: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est*, postmodum tamen Domui Isai, ac Davidis generatio Illius fuit concessa, & quidem se-

secundo sui regiminis anno in Jerusalem, dum sermo Domini ad ipsum esset factus dicens: *Ipse ædificabit domum nomini meo, & ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in Patrem, firmaboque solium Regni ejus super Israel in æternum*, David scilicet figura fuit Christi & Regni illius: legitur namque apud Jeremiam: *Servient Domino Deo suo & David Regi suo, quem suscitabo eis:* Itaque pro David veteris testamenti alius David nempe Christus ex ejus stirpe erat nascendus, qui non solum Rex & Propheta, verum etiam Salvator totius universi nominandus sit, qui devastatis cunctis inimicis quietem ac pacem perpetuam suis providebit: hæ & similes revelationes plurimum jam tunc innotuerant, ac populo prophetizatæ sunt: an non merito illis temporibus ad cognitionem similium mysteriorum clariorem inducendam prophetæ spiritu Divino impulsi se accinxerint? Nam hi in Moysis libris, quidquid ad fidei, spei, & charitatis erectionem necessarium erat, invenerunt, ibi plurima morum legerunt præcepta ita, ut *Moyses* juxta Paulum *fidelis erat in tota domo ejus tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant, quæque eventura omnia*: Etenim in novæ Ecclesiæ instructionem scripta fuere: In his demum Scripturis, prophetiis, & legibus Sancti prophetæ scrutandis, meditandis, ac cognoscendis totos se impenderunt, testem de se ipso agit David: *In lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte, & erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet, & omnia, quæcunque faciet prosperabuntur*. Similes viri erant prophetæ, qui in legibus Divinis optime instructi, illas devotissime sunt ruminati, tenentes Dei præcepta, *desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum; & dulciora super mel & favum*. Ipsemet denique David Rex secundum illud Deuteronomii: *Et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum & custodire verba, & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt:* David inquam Deuteronomium propria descripserat manu, quatenus secum semper haberet exemplar Divinorum præceptorum, in quibus meditandis continuo delectabatur, quemadmodum plurimis in locis de se ipso testem agit dicens: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis; concupivit anima mea desiderare justificationes tuas, in omni tempore, & meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi:* Sufficientem namque materiam Davidi ac prophetis ministraverant liber Genesis Moysis & similes, ex qua die ac nocte meditando innummeras colligebant vivendi leges, atque majorem identidem carpebant Mysteriorum secretorum notitiam, atque de futuris magis magisque illustrati scribendi copiosam inde hauserunt scientiam. Nam ex diversis locis in libro Genesis colligebant venturum Messiam: Nempe Christum verum Deum & hominem, sic ubi legebant: *Et ait Deus ad Abraham: Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen ejus Isaac: Item Ego sum Dominus Deus Abraham Patris tui & Deus Isaac, benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ:* Pariter in Deuteronomio futurum Messiam agnoscere poterant, cum scriptum sit: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: Ipsum audies*. Pariter Materiam Davidi & prophetis de futuro Ecclesiæ statu scribendi subministrabant verba illa libri Regum: *Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum, convertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel;* Simili modo Ecclesiam unam & visibilem præfiguratam habuere per arcam Noe, per Civitatem Sanctam Jerusalem, quodque Deus Suam Ecclesiam custoditurus sit, noverant ex libro Exodi: *Et habitabo in Medio filiorum Israel, eroque eis Deus*. Item: *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam*. SS. Eucharistia quoque illis præsignabatur per Manna, de quo Moyses ad populum ajebat: *Iste est panis, quem Dominus dedit Vobis ad vescendum*. Hæc & similia, quæ spectabant ad Novi Testamenti fidem, atque ad informandam futuram Ecclesiam ansam illis dederant ejusmodi materias psalmis inserendi, ut populus eorum continuo cantu a præteritis abduceretur erroribus, ac justis imbueretur præceptis ad credenda ea, quæ tot ante sæculis in figuris solummodo fuerant proposita, utque omne tædium propulsaretur, atque corda psallentium ad majorem fervorem deique laudem excitarentur, in plurimis David hæc verba inseruit: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & psalmum dicam: Exurge gloria mea, exurge psalterium & cythara*. Itaque præcipuus finis, quem sibi præfixerat David in componendis psalmis, fuit laus Dei, ac salus populi, quia eidem non tantum erat potestas data ad regendum populum, sed etiam ad cultum Dei promovendum, ac conservandum, suorumve salutem procurandam, quod exequi voluit non solum-

lummodo in vita, verum & post suam mortem, dum ad exemplum cunctorum delinquentium psalmum illum de pœnitentia agenda exaraverat, ut qui peccantem illum sunt secuti, etiam sequantur pœnitentem, sæpius hunc ruminando, & Deum orando: *Ne projicias me a facie tua, cor contritum & humiliatum Deus non despicies &c.* Regius item psaltes non absque causa voluit, ut a Levitis ante faciem Dei psalmi canerentur secundum ordinem Musices, imo additis Instrumentis, eo quod Musica, de qua in primo libro egimus, corda penetret hominum, & majorem excitet attentionem, nam animus tristis aut aliqua passione inordinata gravatus minus ad devotionem est dispositus. Hilarem enim datorem diligit Deus: dicitur etenim væ illis, qui cum tristitia Deo serviunt, ut videre est Deuteronomii libro: *Et venient super te omnes maledictiones, eoquod non servieris Domino Deo tuo in gaudio, cordisque lætitia.*

CAPUT QUINTUM

De Ordine ac Dispositione Psalmorum.

Sicut a summæ eruditionis ac integritatis Viris psalmi compositi erant, ita pariter iidem hominibus maximæ fidelitatis custodiendi fuerunt commissi. Ex his quidam a cantoribus primariis diebus Sacrificiorum ac festivis cantari consueverunt, hujus ordinis sunt quinquaginta septem omnes a primis temporibus in Templo conservati: alii compositi fuerunt ad populi ædificationem atque modo simili præfatis Cantoribus consisi ac in Templi Cubilibus servati, tamquam res ad Dei honorem spectantes; hic advertere licet, quod certo certius plures ibidem reperta fuerint omnium psalmorum exemplaria in primis pro tot ibidem existentibus Cantoribus, dein alia exemplaria populo tradenda commodius domi suæ addiscenda, inde non est stupendum, psalmorum usum ad nostra usque tempora esse derivatum. Quamvis enim opus istud una cum aliis Sacris Scriptis maxime periclitatum in devastatione Jerusalem, ubi omnia igni erant tradita, & verosimilius non pauci tenent, sit originalia fuisse combusta, quemadmodum legitur in libro Esdræ: *Positum est sæculum in tenebris, & qui inhabitant in eo sine lumine, quoniam lex tua incensa est, propter quod nemo scit, quæ a te facta sunt, vel quæ incipient opera:* At horum opinioni se opponit, quod testatur liber Esdræ Canonicus, ubi ait: *Congregati sunt universi populi, Sacerdotes & Levitæ ad Esdram scribam, ut interpretaretur eis verba legis, & invenerunt scriptum in lege, præcepisse Dominum in manu Moysi.* Concedimus hoc non obstante, plurima Diaria, & aliqua Salomonis Cantica, & similia hominum opera, tunc fuisse incensa, non vero admittendum, Deum voluisse permittere, ut opera ab ipsomet inspirata ac dictata perirent vel oblivioni perpetuæ darentur, verbum enim ejus in æternum manet, & supponendo, illa fuisse combusta aut deperdita, Sancti Scriptores profecto non sine dolore hujus amissionis mentionem facerent, ac quis illos tam incurios judicet, quod non plura similium exemplaria secum haberent, uti Daniel exemplar prophetiarum Jeremiæ possedit: dein absque ullo dubio SS. illi Viri prævidendo periculum omnia Scripta Sacra profecto in locum securum deposuerunt, quorum custodia specialiter iis fuerat comissa: Hujus rei veritatem demonstrat ipse psalmus centesimus trigesimus sextus, quod secum habuerint cantica Sion, cum adhuc in Babylone essent atque illa cantari præciperentur: *Interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, & qui adduxerunt nos: hymnum cantate nobis de Canticis Syon.* Sentiunt aliqui psalmos in unum esse collectos temporibus Machabæorum, postquam Israel diversimode ab Antiocho affligebatur, qui templum Domini spoliaverat, atque Divinorum librorum exemplaria, quæ ad manus ejus devenere, igni tradiderat, hac ducti ratione, quod psalmi quidam videantur loqui de persecutione Israelis sub Antiocho, ac propterea hos primum tunc fuisse compositos; at contrarium probabilius censetur, cum plurimi ex iis prophetico spiritu facti de futuris temporibus, imo & de præsentibus modernis prædicant, inde minime concludendum est, nostris eos fuisse exaratos seculis: adhæc transpositores Græci, qui ante illa tempora calamitosa exstiterant, non solum tunc illos transportarunt, sed etiam Poetis antiquioribus adscribunt, concordantibus inscriptionibus Hebraicis, quibus psalmi vocantur Asaph, Denique testi-

stimonium hujus nostræ opinionis habetur in secundo Machabæorum libro, ubi clare legitur; *Inferebantur autem in descriptionibus hæc eadem, & ut construens Bibliothecam congregavit de Regionibus libros & prophetarum & David & Epistolas Regum. Similiter autem & Judas ea, quæ deciderant per bellum, quod intulit Antiochus, congregavit omnia.* Plerique hanc collectionem attribuunt Esdræ Scribæ, ut videre est octavo Nehemiæ: *Attulit ergo Esdras legem coram multitudine virorum & mulierum, & legerunt in libro legis Dei distincte.* Demum constat, duobus annis post Babylonicam captivitatem filios Asaph iterum sumpsisse ordinem cantus juxta Davidis institutum, quod nobis in libro Esdræ declaratur his verbis: *Fundato igitur a cœmentariis templo Domini steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum tubis & Levitæ filii Asaph in Cymbalis, ut laudarent Deum per manus David Regis Israel.*

Tandem restat inquirendum, in quem ordinem psalmi temporibus succedentibus sint redacti, cum hactenus fuerit ostensum, a quonam ac a quibus iidem una cum aliis divinis scriptis collecti sint. Nemo potest dubitare, quod in psalmorum collectione ordo Historiarum non sit observatus, neque quæsitus, secus plures ex iis alio in loco poni debuerant, qualia sunt: *Psalmus David, quem cantavit Domino pro verbis Chusi filii Jemini post annos triginta quatuor*, qui tamen erat annus trigesimus primus sui regiminis in Jerusalem, similiter psalmus trigesimus tertius, primus ponendus erat, si consideretur ordo Historiæ, quando David immutavit vultum suum coram Achimelech & dimisit eum & abiit, qui propterea spectat ad fugam David a facie Saul, quæ contigit vigesimo octavo ætatis suæ anno, & tribus annis ante Saulis obitum, ac suæ ad coronam elevationis, & sic de cæteris loquendum, ac judicandum erit, psalmos nullatenus dispositos esse juxta ordinem, quem exigebat ipsa historia, quæ in illis exprimitur: unde vero ortum duxerit hæc psalmorum commistio, non difficile erit eruendum, eoquod Levitæ non singulis diebus totum psalterium cantaverint, sed juxta circumstantiam temporis, ac sacrificiorum conditionem modo hunc, modo alium decantare soliti fuerint, ac demum a successoribus in unum librum collecti, prout secundum temporum diversitatem ab antecessoribus sunt traditi, nam antiquitus certi psalmi conjuncti servabantur pro festis majoribus, alii pro ordinariis diebus, ita ut non omnes sub unius, sed diversorum cantus præfectorum custodia constiterint.

CAPUT SEXTUM

De Arte Poetica, juxta quam Psalmi fuere compositi.

Discrimen, quod occurrit inter orationem ligatam ac Prosam, in eo consistit, quia in sermone non ligato verba libere volant, at in ligato constricta manent in certa mensura, adhæc Prosa nullatenus sub regulas Musices cadit, verum ipsi versus, stylus item poetarum verbis & syllabis utitur æqualiter desinentibus; psalmos legenti clare constabit, in illis verba immisceri brevia, ac desinere in syllabas quasi æquales, ut hanc ob causam sine gravi incommodo cantui mensurato queant accommodari, & non abs re, quoniam ad publicum Dei servitium fuere destinati, atque omnibus seculis ita fuit consuetum; ars poetica non obscure in psalmis exprimebatur per commata, quibus unus sensus cum brevitate possibili distinguitur ab altero, quod plurimum in Musica æstimari solet, imo ait Josephus Hebræus, Davidem psalmos composuisse in diverso metro, aliquos Trimetros, alios Pentametros, *Joseph. Ant. l. 7. c. 12.* Ἀπηλλαγμένος δ' ἤδη πολέμων ὁ Δαβίδης καὶ βασιλείας ἀπελαβὼν τὸ λοιπὸν τῆς εἰρήνης, ᾠδὰς εἰς τὸν Θεὸν καὶ ὕμνους συνετάξατο, μέτρου ποικίλου. Τοὺς μὲν γὰρ τριμέτρους. Τοὺς δὲ πενταμέτρους ἐποίησεν. Ejusdem opinioni se subscripserunt *Philo Eusebius Cæsariensis, præpar. Evang. lib. 1. cap. 3.* Origenes *apud Hieronymum in præf. ad Chron. Eusebii, Cyrillus Alexandrinus lib. 7. s. 2. contra Julianum. Disciplinarum* (dicebat) *studium in liberalibus artibus exercitatio, non ut Hebræorum sunt rudia & barbara, quamvis malus Eusebium velit esse quædam apud eos hexametra: Hieronymus in Epist. ad Paulinum. Et Præf. in Jobum.* Verum Davidem modernum stylum pangendi versus non adhibuisse suis in psalmis intelligenti constat, iis namque temporibus maxime attendebatur, ne res Divinæ stylo vano, ac scientiam sapiente humanam

nam proponerentur, sed illo, quo plus ad devotionem animi excitarentur, & non curiositati locus daretur; Nam Deus sublimia despicit, in rebus etenim Divinis non verba, sed sensus verborum est attendendus. Est etiam magna diversitas inter linguam Hebraicam, qua antiquis temporibus ferme cuncta fuerant scripta, ac inter Græcam & Latinam, impossibile namque est verba Hebraica mensurari juxta pedes Græcorum vel Latinorum, quoniam eorum pronuntiatio non nisi lente fieri potest, quod repugnat moderno poeseos stylo: hinc antedictus Josephus, dum loquitur de carmine trimetro & pentametro forsitam intelligit mensuram pedum more Græcorum & non Hebræorum, quibus satis erat, si versus certum verborum numerum comprehenderent. Scriptor quispiam tacito suo nomine, vult in psalmis reperiri versus Punicos, eo quod plurima in iis immista sint Punica verba, quoniam hoc probare præsumit ex Plauto, in cujus Punicis versibus artem aliquam poeticam subesse crediderat, cujus sententia nullatenus subsistere potest, quamvis enim carminibus Plauti poesim aliquam inesse præsupponamus, ex hoc tamen non sequitur, eandem reperiri in Davidis psalmis, qui duobus quasi seculis ante vixerat: ipsimet Judæi sincere fatentur, se ab Arabibus poeseos accepisse scientiam: dein prænominatus Scriptor non erubuit dicere, in psalmis ex scriptorum inadvertentia verba quædam esse omissa, quibus positis, aut mutatis carmina formalia præsentarentur: quis Scriptores illos sanctos tantæ incuriæ absque gravissimæ injuriæ nota arguere præsumat? accedit, quod pridem defectus similes deprehendi poterant; cum durante Hebræa Republica singulis diebus psalmi fuerint cantati: Testatur etenim Hebræus Josephus illis ab Agrippa concessum fuisse vestes portandi Sacerdotales, nec non modum edocendi cantus, ex quibus apparet, quod sex circiter annis ante devastationem Jerusalem ordo canendi psalmos adhuc fuerit in usu; quomodo ergo credendum, in hoc libro, de quo tot exstabant exemplaria, quæ ad invicem quotidie confrontebantur, tantos incurrisse errores, nec esse emendatos? Itaque intolerabilis, tanquam scandalosa & præsumptuosa rejicienda est ante memorati scriptoris opinio qui non sine ratione suum occultaverat nomen: tandem exemplaria psalmorum in cunctis Hebræorum Sinagogis inventa sunt, atque a principio Christianismi omnibus temporibus fuere in oriente Christiani ejusdem linguæ periti ad quorum manus illa antiqua exemplaria devenerant, quæ fideliter ab ipsis erant transposita; dum ergo antiqui versus cum hodierna poetica arte non concordant, hanc ob causam non sunt spernendi, neque inferendum, illos non esse versus; 1. nam, ut in omnibus, ita & in carminibus faciendis etiam istis temporibus alius atque alius inolevit mos; (1) imo ipsemet Scriptor non nominatus admittit psalmos consistere in versibus, quoniam lingua Hebraica, in qua prius fuerant compositi, plurimis pollet verbis æquali modo desinentibus, quod antiquitus sufficiens erat hujusmodi carmina ad Cantus mensuram ordinandi, qui usus semper floruit, antequam mensura pedum a Græcis introduceretur: 2. *Poema nemo dubitaverit imperito quodam initio fusum, & aurium mensura & similiter decurrentium spatiorum observatione esse generatum: mox in eo repertos fuisse pedes; scimus quoque primarios sapientiæ Musica antistites exstitisse, apud quos hymnos soluta oratione compositos reperimus*: Quibus testimoniis ad nostrum propositum addit *Olaus Borichius*: *Æstimanda est Hebræa poesis, non tam ad normam Græci, latinive metri, ut cui potius leges definire potest, si velit, quam ex vocum symmetria, syllabarum numero, & accentuum ratione*: Sic *Hieronymus* pro Hexametris habuit Hebræorum dodecasyllabas, pro Saphicis hendecasyllabas, pro Jambicis octo syllabas, illo nempe ævo non cuncti versus pares seu æquales habuere syllabas, sed aut plures aut pauciores, quorum exempla infinita sunt in sacris Canticis, in quibus aut excedens numerus grata modulationis celeritate absorbetur, aut deficiens suavi vocis variatione completur. (2)

NOTÆ IN CAPUT SEXTUM.

(1) *Quintilianus* Lib. 9. cap. ult. Poema nemo dubitaverit imperito quodam initio fusum, & aurium mensura & similiter decurrentium spatiorum observatione esse generatum: mox in eo repertos pedes. Addit *Cœlius Rhodiginus*. Lib. 7. Cap. 5. Primarios sapientiæ musicæ antistites existere, apud quos hymnos soluta oratione compositos reperimus: videlicet apud Trismegistum in Poemandro & Platonem in Symposio & Phadro. *Olaus Borichius* Differt. 1. de Poetis pag. 3. Æstimanda est Hebræa Poesis, non tam ad normam Graji Latinive metri, ut cui potius leges definire potest, si velit: quam ex vocum symmetria syllabarum numero & accentuum ratione: Atque ita Hieronymus pro hexametris habuerit sententias Hebræorum dodeca syllabas, pro saphicis hendeca-syllabas, pro jambicis octo syllabas. Quod si uberiorem cum Græcis comparationem desideres, accedit Augusta illa & a plebe submota dictio sacrorum vatum quam Poesis Græcanica imitatur, raro assequitur.

(2) *Buxtorfio* in Thesauro p. m. 129. Hemistichium excedentis numeri quando alterum hemistichium plures syllabas habet alterum pauciores: Exempla fere infinita sunt, & sic fere cantica omnia sacra descripta extant, in quibus aut excedens numerus grata modulationis celeritate absorbetur; aut deficiens suavis vocis variatione, minuritioneve quadam completur & perficitur.

CAPUT SEPTIMUM

De Ornatu ac Sapientia, quæ in Psalmis reperitur.

HUic psalmorum libro, omnes poetarum Græcorum æque, ac Latinorum fabulæ atque arrogantia cedere debet, sunt ibi omnia virtutum præcepta, (1) commonefactiones de Providentia, comminationes de sceleratorum pœnis, promissiones de justorum præmiis ac protectione. Illis insertæ sunt ferme omnes dignæ notatu historiæ veterum, ut traderetur memoria Antecessorum posteris, & simul pœnarum ac defensionis exempla in conspectu essent; pleni inquam sunt Divina sapientia, magni ab omnibus faciendi, quia utiles vitæ & moribus, gaudium & hilaritatem spiritus (2) legenti afferentes, quibus olim harmoniæ sunt additæ ad ciendos animorum motus accomodatæ: plurimi poetarum veterum non nisi immunditiis, superstitionibus, mendaciis, sua carmina deturparunt, ut nullus absque evidentissimo animæ periculo eos legere possit; at Divinus psaltes non nisi salutiferas in suis carminibus affert materias, ibi agit de omnibus, quæ credenda sunt, proponit omnia salutis remedia, enarrat stupenda Dei opera, ac singula divina beneficia, invitat Creaturas omnes ad laudandum, magnificandumve Creatorem; terrorem incutit obstinatis, erigit pusillanimes, lætificat tristium corda, ad spem excitat desperatos, commiseretur afflictis, confortat infirmos, modo introducit ipsum Deum loquentem, modo ipse loquitur cum Deo, nunc agit personam peccatoris compuncti, aliquando mendici eleemosynam exigentis, modo personam regis, aliquando servi induit figuram, verbo; ut omnibus omnia fieret, ut omnes cujuscunque status, conditionis vel sexus utiliter eos legere, ac ad propriam salutem adhibere queant, hos psalmos conscripsit, eam ob causam nunquam ad prophanas aut turpes adhibendi sunt cantilenas, in iis enim non nisi Divinum omnia dicta revera spirant, quibus immediate opposita sunt poemata gentilium, (3) quibus enarrantur Deorum suorum furiæ, libidines, bella, pugnæ, prælia, vulnera, credendo pictoribus atque Poetis omnia licere, qui propter hanc rationem merito de omnibus Bibliothecis, Musæis projiciendi atque oculis honestis abscondendi, ne eorum falaciis juventus implicetur, aut imunditiis animi eorum deturpentur fucata sub specie hauriendi inde ornatum sermonis: quod periculum nullatenus subest in psalmis, ubi ornatus sermonis conjunctus semper videtur cum summa honestate, in quibus nihil Deo aut Christo injuriosum reperitur, atque legentium vel audientium mentes ad non modicam sanctitatem instituuntur; penes honestissimam, quam tractant materiam legentibus simul afferunt gustum, dum omnes, quæ poeticæ sunt artis ibi servantur conditiones, sapientiam nempe Divinam decentes: etenim in psalmis invenies varietatem, quæ delectat, gravitatem materiarum, præsentationem more pictorum, diversarum personarum, facta & dicta Heroica, ornatus sermonis ac verborum, quemadmodum Augustinus ad propositum affert: *Mutationes personarum in sanctis scripturarum inveniuntur libris*; pariter Hieronymus addit: *personarum mutatio, & maxime in prophetis difficilem intellectum facit, quæ si suis in locis & causis, temporibusque reddantur, plana fient, quæ* vi-

videbantur obscura: his addo *Riveti* verba dicentis *in Psalm.* 2. Est Psalmus dramaticis similis, quia non unius personæ continuam orationem continet; sed varias personas loquentes introducit, quorum tamen nomina non exprimit, quo fit, ut Psalmus obscurior videatur: sed personis designatis & collata cum eventu prophetia, plana erit & jucunda sententia; quid jucundius erat Davidi, dum dixerat: *Psallam spiritu, psallam & mente, exurge psalterium & cythara, exurgam diluculo, delectatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus:* quinam ergo ipsum Davidem atque alios ad continuandos, & promovendos psalmos moverit, nisi ipsa suavitas ac dulcedo, quæ in iis continetur, sermonis? unde vero tantam duxerit amænitatem, quam ab ipsomet spiritu Divino eos dictante, omnia dixerim, dum affirmo psalmos compendium esse sapientiæ, scientiæ ac sanctitatis, quibus occulta ac supernaturalis inest virtus, cujuscunque animum permovendi aut ad admirationem, exultationem, compassionem, gratitudinem, contritionem, Dei & proximi amorem, sicuti legentis exigit conditio, ibi tamquam ex fonte unusquisque haurire potest, quod ad animæ salutem, ac vitæ requiem conducat, modum & formulas orationum inde omnis generis inveniet, quidquid demum pia mens, sive pro informatione, sive consolatione desiderabit in libro psalmorum copiosissimam habebit materiam, quam die ac nocte juxta exemplum Davidis in cubilibus suis meditari poterit, sicque Divinæ comunionis particeps fieri.

NOTÆ IN CAPUT SEPTIMUM.

(1) *Christophorus Carlovvitz.* Epist. ad Casp. Peucerum. Cum interrogaretur Politianus, quid de Davidis Psalmis judicaret, respondit. Ego illa antiqua poemata plena sapientiæ esse video. Sunt ibi omnia virtutum præcepta, sunt commonefactiones de providentia, comminationes de sceleratorum pœnis & promissiones de justorum præmiis & protectione. Insertæ sunt & veteres historiæ illius gentis, & ut traderetur memoria vetustatis posteris, & simul pœnarum & defensionis exempla in conspectu essent. Hanc sapientiam magni facio, utilem vitæ & moribus, & figuras in sua lingua concinnas esse existimo: & olim harmoniæ additæ sunt ad ciendos animorum motus accommodatæ. Sed in Pindaro res eædem dulcius enarrantur, & exemplis splendidius illustrantur.

(2) *Horatius* de Poeta.

> *Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os*
> *Magna sonaturum, do nominis hujus honorem.*

Masenius in palestra poetica lib. 1. cap. 1. Poema homini simile est quod suo quodam corpore atque anima constet. Quarum partium, licet anima nobilior sit, vocis tamen appellatio potius corpori adhæsit, ut quod in sensus sese primum infert. Mortuo corpori hominis etiam vox tribuitur: Poeta, qui sine fabula (id est confictione) tanquam sine anima, condit poemata, nomen non amittit. Et cap. 4. Fictionem animam esse Poesios, solaque hujus gratia absolutum censeri Poetam non modo Aristoteles & Horatius sua in arte tradidit: sed & Plato in Phœdone statuit, ποιὰν μύθες, fabularum artificem esse *Horatius* de arte poetica.

> *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci*
> *Lectorem delectando, pariterque monendo.*

(3) *Cicero de natura Deorum lib.* 1. Poetæ ipsa suavitate nocuerunt qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt deos, feceruntque ut eorum bella, pugnas, prœlia, vulnera videremus: odia præterea, discordias ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortalesque ex immortali procreatos.

Lucianus inter alia in Jove Tragœdo: ubi cogitur quispiam Homerum aliosque Poetas in hunc morem excusare. Ἀλλ᾽ ὦ θαυμάσιε, ποιητὴν μὲν ἀγαθὸν Ὅμηρον γενέσθαι, πάντες σοι συνομολογήσουσι. Μάρτυρα κ᾽ ἀληθῆ περὶ τῶν τοιούτων, οὔτ᾽ ἐκεῖνον, οὔτε ἄλλον ποιητὴν οὐδένα. Οὔτε γὰρ ἀληθείας μέλειν αὐτοῖς οἶμαι, ἀλλὰ τοῦ κηλεῖν τοὺς ἀκούοντας. Καὶ διὰ τοῦτο μέτροις τε κατᾴδουσι, κ᾽ μύθοις κατηχοῦσι, κ᾽ ὅλως ἅπαντα ὑπὲρ τοῦ τερπνοῦ μηχανῶνται. Post hæc pluribus frigida eorum commenta subjungit & false irridet. *Horatius* de arte Poetica.

> - - - *Pictoribus atque Poetis*
> *Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.*

Horatius ibid.

> *Ficta voluptatum causa sint proxima veris,*
> *Nec quodcumque volet, poscat sibi fabula credi.*

CAPUT OCTAVUM

De Dignitate ac Excellentia psalmorum libri.

Demtis Mosaicis scriptis nullum in veteri Testamento reperimus librum, qui integram divinam contineat sapientiam sicuti liber psalmorum, ut omnino altera possit nominari lex, cum non tantum omnia Mosaica contineat præcepta, sed simul eadem sapientissime declaret; selectionem materiarum in illa comprehensarum paulo ante adduximus, scilicet doctrinam fidei,

dei, inductionem ad vitam Christianam, ennarrationem salubrium historiarum, ac prophetiarum, quæ ad fidem pertinent, sic ad Dei cognitionem inducit psalmus: *Dixit insipiens in corde suo:* ubi refutatur error Atheistarum, & econtra Dei existentia confirmatur in illo psalmo: *Deus quis similis erit tibi?* Item psalmo nonagesimo quinto; de Dei Essentia agit psalmus nonagesimus sextus, ubi asseritur, Deo nec in cœlo, nec in terra quidpiam posse comparari, cujus magnitudo incomprehensibilis est, æternus, omnipotens, omniscius, ubique præsens, justus, sanctus, summe bonus, benignus, ac misericors Dominus, mysterium item SS. Triadis non obscure nobis proponitur in psalmo trigesimo secundo, primo, & quinquagesimo: sique animum advertimus ad opera Dei, in psalmis omnia exponuntur ut in illo: *Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum & terram*, item distincte in psalmo: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* in quo omnes Creaturæ ad Factorem suum magnificandum adhortantur: in hoc libro item proponitur triplex generis humani status, scilicet peccati, in quo omnes concepti fuere, excepto Christo Domino, status gratiæ, & status gloriæ, primum ipsemet psalmista de se confitetur: *In peccatis concepit me mater mea.* Secundum affirmat, dum ait: *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, quod nemo extra Deum efficere potuit, nempe Christus verus Messias carnem humanam assumendo, ac pro peccatis nostris Deum placando sua amarissima passione, quemadmodum psalmistes asserit: *De ventre matris meæ Deus meus es Tu, ad Te clamaverunt & salvi facti sunt*, qui factus est pro nobis homo inter mortuos liber. Tertius status gloriæ ab eodem Propheta omnibus manifestatur, ubi dixerat: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum: quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus Te?* In psalmis denique via omnibus recta ostenditur, per quam ambulare debeant, & sic in gloriam intrare queant, infallibilis autem ad salutem via est ipse Christus, qui de se ait: *Ego sum Via, Veritas, & Vita, estote perfecti, sicut & Ego perfectus sum*: Exemplum ipse nobis in Monte monstravit: *Præceptum Domini lucidum*, ait David, *illuminans oculos, in quo custodiendo retributio multa.* Qui itaque ad Regnum illud pervenire voluerit, viam mandatorum Dei inquirat, quibus psalmorum liber abundat, imo omnia decem Dei præcepta hic repetita videntur, quorum tria ad Deum, septem ad proximum spectant, ac inprimis demandatur, Deum super omnia esse æstimandum, cui nemo similis, ipsum super omnia amandum, eidemque semper adhærendum; in quantum hic Dei amor respicit voluntatem, producit obedientiam, qua eam homo fideliter, ac promte adimpleat, dum Dei amor majestatem intuetur Divinam, quæ cuncta disponit sapienter, coram illa se prosternit, ac humiliat, cujus respectu fumus ac umbra est omnis hominum gloria, si contemplatur Dei potentiam, qui & animam & corpus perdere potest in gehennam, sancto repletur timore, atque totum se justissimis illius submittit judiciis, sicque a peccatis retractus, firmius bonis insistit propositis, neque propterea in pusillanimitatem declinat, sed maxima in Deum fiducia viribus omnibus saluti intendit propriæ; quando oculos conjicit ad ejus sanctissimum nomen, cui omnis debetur honor, in ejusdem errumpit laudes, super omnia extollendo; dum recordatur finis suæ creationis, nempe ut Deum laudet, eique serviat, ac tandem salvus fiat, agnoscit se adstrictum tanquam servum erga Dominum suum, attendendo, ne vel unum transgrediatur mandatum. Unde tales Dei famuli libenter de Divinis tractant, identidem se præsentant in Dei atriis, frequentes fundunt orationes, eorum conversatio est in cœlis, hi sunt fructus, quos devota psalmorum lectio generat, qui penes obligationem, quam homo habet erga Deum, simul inculcant sanctum sui ipsius amorem, quid enim proderit, si aliorum curam gesserit, & animæ propriæ detrimentum patiatur? Hinc ut Deo in omnibus possit placere, animam suam excolere student omni virtutum genere, eradicare inordinatas passiones, transitoriis non aliter uti, nisi quantum necessaria sunt ad præsentis vitæ conservationem, qui se ipsum sancto prosequitur amore, non avet primas cathedras, neminem spernit, dum vanitates hujus sæculi animo occurrunt, cupit dissolvi, & esse cum Christo; tandem ex iisdem psalmis doctrinam de proximo diligendo eruit: Misertus sum, ait Regius Propheta, *super Egenum & pauperem:* Ideo quivis sibi ipsi easdem regulas applicare poterit, ne proximo ullum nocumentum sive in bonis animæ, corporis, sive famæ aut fortunæ inferat, neque associando se illis, qui proximum circumvenire conantur, succurrendo egenis, afflictis, captivis modo, quo potest meliori, remittendo inimicis offensas, in viam veritatis reducendo errantes, conversando sin-

ſincere, nemini adulando, neque ullum temerarie judicando, nulli invidendo ſuam fortunam, brevi amando poſt Deum ſe ipſum, deinde proximum, ut quæ ſibi ipſi velit fieri, faciat & proximo ſuo.

Præterea pſalmorum libro non modicum addunt ſplendorem principales hiſtoriæ ab origine mundi in iis contentæ, ibi nobis ad memoriam revocatur opus creationis univerſi, lapſus humani generis & hujus exterminium, adventus Meſſiæ, de Abraham uſque ad populi introdu-ctionem Joſua Duce in Canaam, de liberatione Iſraeli de Ægypto uſque ad Davidis Regnum, abductio Joſephi in Ægyptum, ejuſque ſtemmatis multiplicatio, ac poſt Joſephi mortem oppreſſio, de illis, quæ populo in Eremo acciderant, de inſtitutione Paſchatis, de columna ignea & Nube, quæ Iſraeli iter per deſertum monſtraverat, de pluvia coturnicum & Mannæ, miracula Moyſis, ac Tabernaculi fabrica ibidem ſunt legenda; agitur quoque in pſalmis de arca fœderis, de Regibus, Judicibus, Legibus Cæremonialibus tunc temporis uſitatis, præter hæc reperiuntur ibi prophetiæ de futuro ſtatu utriuſque Teſtamenti Eccleſiæ, quod unus ex ſemine David in Regno ſit ſucceſſurus, & templum reædificaturus, nec non Regni ſceptrum conſtanter pene Davidis ſucceſſores ſit perſeveraturum, ex eodem genere Meſſiam, mundi Redemtorem eſſe naſciturum, quem Judæi non accepturi ſint, ut ob eorum cordis duritiam urbs ac templum fuerit deſtructum, eorumque loco ex gentibus novi Teſtamenti Eccleſia ſit fundata, ut nec totus Infernus contra eam queat prævalere: In ſumma dignus eſt ſacer hic liber, ut nuncupetur Theſaurus cœleſtium arcanorum, atque breviſſima ad cœleſtem Beatitudinem manuductio.

CAPUT NONUM

De Divina in Pſalmis autoritate.

Benevolo Lectori hucuſque propoſuimus ea, quæ ſpectant titulum, ſive inſcriptionem libri Pſalmorum, de Societate Poetarum Sacrorum, de Compoſitoribus hujus libri, nec non cauſas, quibus ii fuere ad illum exarandum inducti, de illius ordine ac diſpoſitione, de poeſi in illo contenta, de hujus ornatu ac ſapientia, dignitate tandem atque excellentia, unicum reſtat, ut non omittamus his annectere de Divina hujuſce autoritate. Nos Chriſtiani nullatenus in dubium poſſumus revocare librum pſalmorum aliis ſacræ Scripturæ libris eſſe annumerandum, cum in toto ſacro Codice nihil ſit inſertum, quod a Deo non eſſet dictatum, pſalmos ab ipſomet Divino ſpiritu Davidi, viro juxta cor Dei, fuiſſe inſpiratos per decurſum probavimus: Nam qui ex Deo eſt, de Deo loquitur, David in ſuis ſcriptis non niſi Divinas veritates, Dei laudes, & quidquid ad Dei exaltationem ſpectare poteſt, vel ad fidelium ædificationem, hoc ipſe unice intendit. Inſuper patenter in illis Deum loquutum, evidenter patet, cum Regius pſaltes prophetico ſpiritu ea prædixerit, quæ longum poſt annorum curſum accidere: Ipſimet ethnici judicarunt, neminem hominum abſque aſſiſtentia altiori vel unicum poſſe componere verſum, qua ex cauſa Poetas ſanctos nuncuparunt, quis edicere præſumat, pſalmos ſolius hominis eſſe figmentum? cum & Plato dicat verſus, componere, non eſſe humanam inventionem, ſed donum Dei gratuitum, ſi ille hoc de vana audet affirmare poeſi, eo fortius pugnabit pro ſacris verſibus pſalmorum, in quibus nihil fabuloſum, nihil ſuperfluum, nil vanum, nihil contra rationem, nil contra bonos comprehenditur mores, ea ſolummodo continentes, quæ ad piam memoriam, quæ ad ſolius unius Dei laudem, quæ ad animarum cedant ſalutem.

Igitur intolerabilis eorum eſt malitia, qui pſalmos mutilando, aliumque in ordinem redigendo pretioſiſſimum hunc librum invertere contendunt, nec non illorum, qui ſacris illis verbis ad nugas, ad turpia ad ſuperſtitioſa abuti non formidant: Deus, uti alios Prophetas, ita & Davidem excitavit in Prophetam, qui de natalibus ac paſſione prophetaret Chriſti, hinc videmus ipſum ſæpius loqui in perſona ipſius Chriſti Domini, *ſupra dorſum meum flagellaverunt peccatores, diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem:* Ideo iſta quoque ſuo tempore erant adimplenda, quemadmodum Chriſtus citans Davidis pro-

prophetiam ad Apostolos dixerat: *Necesse est adimpleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & psalmi de me.* Si ergo ita scriptum fuit ab initio, quod in æterno Divino consilio fuerat statutum, non poterat scribi, nisi Deo dictante; unde de Divina in psalmis autoritate nulli fidelium est ambigendum, quam ipsimet Successores Apostoli & Evangelistæ innixi fidei veritates prædicando confirmarunt, sæpius sacrum Psalmistam, ut divinum adducendo Prophetam, per quem Deus nobis est locutus. Ita S. Paulus suam doctrinam psalmorum allegatione confirmat, dumque testatur, totam Scripturam Sacram à Deo esse, ac proficuam ad doctrinam, emendationem, castigationem & justitiam; Nemo præsumit, illum psalmorum voluisse excludere librum; pariter Evangelistis pluries inservierunt prophetiæ ex psalmis desumtæ; Christiani ergo nomen in vanum gerit, qui psalmos inter scripta divina admittere tergiversatur, cum Apostoli falli nequiverint, postquam Spiritus Divinus super eos requieverat, cujus assistentia totum illuminavere orbem Divinam propagando veritatem.

Sanctus Paulus non absque fundamento Hebræos nominavit fideles librorum veteris Testamenti custodes, quibus specialis a Deo commissa erat eorum Custodia, ut posteris iidem traderentur: Christus in suo adventu malos legis interpretes increpaverat, utque scripturas inspiciant, adhortaverat, tamquam sinceros ac veros omnium illorum testes, quæ de ipso erant vaticinata. Igitur omni post Davidem tempore hic liber existebat psalmorum. Notandum hic venit Judæos sua Scriptura Sacra in tres dividere partes, in prima libri ponuntur Moysis, in secundo prophetæ, atque in tertia psalmi una cum cæteris libris Sacri Codicis continentur, ubi videmus etiam librum psalmorum tanquam Dei verbum continentem specialem apud illos quoque obtinuisse locum. Quæritur incidenter, quibus ex causis Hebræorum Ecclesia psalmis ad Divinum usa sit cultum? Ratio datur tum, quod viventes adhuc Prophetæ hoc inculcaverint, imo præceperit tamquam de mandato Dei, tum quod generaliter statutum fuerit Deo cantandi laudes, magis vero idoneas non fuisse, præter psalmos, quibus Divinæ exprimerentur benedictiones, utpote ab ipsomet dictatæ Numine, (1) Samaritani prophetias Davidis & Prophetarum acceptare nolentes merito ab Hebræorum Synagogis fuere exclusi, qui nullum præter Moysen agnoscere voluerunt Prophetam dicentes calumniose, reliquas prophetias mera hominum esse inventa, Samuelem quoque cum ceteris magia fuisse infectum, at similibus Calumniis objiciendum; si aliorum sanctorum prophetarum prophetiæ non fuissent veræ, si ea, quæ in psalmis sunt contenta, essent vana figmenta, pridem Deus obstitisset, nec tot prodigiis approbasset; necesse est, ut similes malevoli, incarnationem secundæ in trinitate personæ, ejusque passionem ac mortem, existentiam cœlestium gaudiorum, atque tormenta negent infernorum, quæ cuncta in sacris illis complenduntur prophetiis, non a tenebrarum principe, sed a Spiritu Dei dictatis, atque ut talem ipsum Psalmorum librum esse venerandum concludimus.

NOTÆ IN CAPUT NONUM.

(1) *Hotting.* in Antimor ex Patricide pag. 24. *Samaritani a Judæis separati fuerunt, rejicientes & conculcantes Prophetias Davidis & prophetarum, dicentes post Mosen nullum esse Prophetam.* Adde, quas *Jobus Ludolphi* edidit, epistolas Samaritanorum ubi ipsi pag. 11. Profitentur fidem suam in hunc modum. *Non legimus nisi legem . . . Est nobis quoque liber Josuæ filii Nun. Non autem legimus libros Prophetarum Judaicorum.* Conf. Notas pag. 21. *Idem* ibid. Ex Chronico Samaritano cap. 41. pag. 115. Testatur Chronicon referre, discordiam inter filios Pinchasi & Sacerdotem Eli ob sacerdotium fuisse exortam. Unde pium illum senem Eli calumniose traducit & tanquam famosissimum Magum, qui infinitas Magia sua corraserit divitias, calumniantur. Impingit ipsi, quod sacrificia, contra Dei mandatum obtulerit, cultumque Sacrum Schiluntem schismatico ausu transtulerit. Quin & ipsum virum Dei Samuelem magicis artibus imbutum fuisse blasphemè deblaterat.

PARS

PARS TERTIA

Ordo Cantus, quo Levitæ utebantur.

CAPUT PRIMUM

De antiquis Cantoribus & Sonatoribus.

POesim cantus ergo inventam fuisse in prima ostensum est parte, quod autem omnibus quoque seculis non desuerint, qui se cantui, aliisque dederint Musicis artibus, inficias ire nullus valet: Cunctis liberum erat (dummodo animum applicare voluerint, ac tempus ipsis impendere) se in honestissimis hisce facultatibus aut ad propriam voluptatem, aut aliorum commodum. A primis annis juvenculæ, quæ claras habuere voces in publicis congressibus ad cantum instituebantur, cujus frequentia non solum Syros inter, (a quibus plurimas cantatrices Romani desumebant:) verum & apud Judæos laudatur, ut Sacer testatur Codex: *Sumsit ergo Maria Prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino* (*Exod.* 15. 20.). Sic filia Jephte occurrit patri in Maspha domum suam victori revertenti *cum tympanis & choris: Jud.* 11. 34. Pari modo in victoriis Saul & David: *Egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis in tympanis letitiæ & in sistris; & præcinebant mulieres, ludentes dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia.* (1. *Sam.* 18. 5.) Reduces item de Babylonia præter servos ac servas ducentos quadraginta quinque secum duxerunt cantores & cantatrices. (*Nehem.* 7. 67.) Imo etiam Regibus, Ducibus ac Principibus in more fuit, comitatum habere Musicorum, quod ex Psalmistæ colligitur textu (*Psal.* 68. 27.) *Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus, in medio juvencularum Tympanistarum.*

Sub Rege autem Davide præprimis Musica floruit, quia ipsemet in omni Musicæ genere præeminebat. *Qui canitis ad vocem Psalterii sicut David*, (*Amos* 6. 5.) pluraque per illum nova in lucem prodierunt instrumenta: hic aliquo instrumento musico adhuc juvenis, dum pasceret gregem patris sui, fastidium solitudinis mitigare consueverat, animum Saulis contra se excandescentem sua harpa vel cithara mansuefecit, tandem ad thronum elatus musicam pro unico habuit solatio, ita quidem, ut plures in aula cantores ac cantatrices numerarentur; hoc desumi potest ex responso Berzellai, quem Rex in domum suam recipere volebat, ille autem ob senectutem se degravatum sentiens, dixit: *Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei, ut audire possim ultra vocem cantorum, atque cantatricum?* (2. *Sam.* 19. 35.) Quemadmodum vero, quæ in Aula usurpantur, brevi plures imitantur, propterea alii & alii huic se impenderunt arti, quos inter fuere Levitæ, quibus tempus superfluum erat, dum ob maximum eorum numerum non singuli quotidie Divinis adesse tenebantur, nec curis domesticis implicati fuerunt, quia decimandi jus a Deo aquisierunt: Levitæ igitur, qui electi sunt a Domino ad portandam Dei Arcam & ad ministerium Divinum, primam sua in hac arte peritiam palam feeerunt, quando Arca Dei ex domo Obededom in Jerusalem transferebatur, ob quam Solennitatem rite obeundam: *Dixit David Principibus Levitarum, ut costituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nabliis videlicet, & lyris & cymbalis, ut resonaret in excelsis sonus lætitiæ: Constitueruntque Levitas. Heman filium Joel, de fracribus ejus, Asaph filium Barachiæ: de filiis vero Merari, fratribus eorum Ethan filium Casajæ, & cum eis fratres eorum: in secundo ordine, Zachariam, & Bani, & Jaziel & Semiramoth, & Jabiel: & Ani, Eliab, & Banajam, Maasiam, & Mathathiam, & Eliphalu, & Maceniam, & Obededom, & Jebiel Janitores. Porro Cantores Heman, Asaph, & Ethan, in cymbalis æneis concrepantes: Zacharias autem, & Oziel, & Semiramoth, & Jabiel & Ani, & Eliab & Maasias, & Banajas, in Nabliis arcana cantabant. Porro Mathathias, & Eliphalu, & Macenias & Obededom, & Jebirl, & Ozaziu, in citharis pro octava cantabant Epinicion. Chonenias autem Princeps Levitarum, prophetiæ præerat, ad præcinendam melodiam: erat quippe valde sapiens* (1. *Chron.* 15. 16.). Rex itaque

Deo dictante statuit etiam Divina altaris ministeria celebrare in cantu, quem in finem novum ordinem Deo sacratorum cantorum ex Levitis instituit, ac constantem arcæ designavit habitationem, aliquos Levitas elegit: *Constituitque coram arca Domini de Levitis, qui ministrarent, & recordarentur operum ejus, & glorificarent, aut laudarent Dominum Deum Israel, Asaph principem, & secundum ejus Zachariam &c.* (1. *Chron.* 16. 5.): *Ut stent mane ad confitendum & canendum Domino, similiterque ad vesperam tam in oblatione Holocaustorum Domini, quam in Sabbatis, & Calendis, ac reliquis solemnitatibus* (1. *Chron.* 24. 30.); Neque omnibus temporibus unicuique permissus erat ad altare accessus, quod privilegium tantummodo erat penes tribum Levi. Alterius ordinis erant Asaph princeps, Zacharias cum pluribus, qui super Organa Psalterium & lyras, cymbalaque fuerant ordinati, ut antea retulimus; aliorum officium exigebat, ut in solis sacrificiis præsentes forent; alii tubis ac tympanis præerant: Similis partitio musicorum ac munerum sacrorum perseverabat toto Davidis tempore, crevitque cantorum numerus ad quatuor millia. Magistri Judæorum Levitas quidem solos pro cantoribus agnoscunt, alios autem sonatores dicunt extitisse famulos Sacerdotum, aut ad minimum Levitarum propinquos; *Locus est in Thalmud Tract. Erachin cap.* 2. §. 4. ועבדי כהנים היו דברי רבי מאיר ר' יוסי אומר משפחת בית הפגרים ובית צפריה ומאמאום היו משיאין לכהונה רבי חנינא בן אנטיגנוס אומר לוים היו : Quia vero ob tantam copiam difficulter decens in cultu Divino servari poterat ordo, hinc David ad finem vitæ totam domum Levi numerari curavit, melioremque in ordinem redigi, unicuique parti ministerii assignando tempus, ut sacer exprimit textus: (1. *Chron.* 24. 1.) *Porro filiis Aaron hæ partitiones erant: filii Aaron: Nadab & Abiu, & Eleazar, & Ithamar, & divisit eos David secundum vices suas, & ministerium: Numerati scilicet sunt Levitæ omnes a triginta annis, & supra & inventa sunt triginta octo millia virorum, ex quibus in ministerium Domus Domini distributi fuere viginti quatuor millia. Quatuor millia janitores & totidem psaltæ canentes Domino in Organis* (1. *Chron.* 25. 7.); *qui erudierant canticum Domini, erant ducenti & octoginta filii Asaph, Heman & Idithum distributi sunt in Cymbalis, Psalteris, & Citharis* (ibid.). In summa viginti quatuor erant ordines divisionum, hinc non nisi vigesimam quartam temporis partem in Jerusalem insumendam habuerunt, residuum domi se in exercitio cantus ac Psalmorum impendere poterant. Electio ista sorte fuit facta (1. *Chron.* 24. 31. 25. 8.), unde quivis sua sorte & ordine contentus esse debebat ad omnem vitandam confusionem.

Distinguendum autem est inter ordinem cantus Davide superstite, quo Templum nondum fuerat erectum, ministeria ante Templi constructionem ab una parte præstabantur in Jerusalem, ubi erat Arca Dei, ab altera in Gibon, ubi restabat Tabernaculum: priorum Cantorum præses dicitur Asaph & Zacharias, posteriorum Heman ac Idithum: prioris ordinis dispositio initium sumsit statim post Arcæ adventum in Civitatem David, & qui solemnitati huic præsentes fuerunt, aliis præficiebantur, nempe sub Assaph & Zacharia quatuor Nablistæ & tot Psaltes ordinati sunt, sub Heman atque Idithum tres Nablistæ ac tot Citharistæ: tandem magistrorum solertia ac instructione plurimi alii creati sunt musicis quatuor scilicet millia virorum, quos rex ultimo anni sui regno in magistros ac discipulos distribuit. Magistri curam habuere, ut cantus divinus in sanctuario apte excolatur, dum prævia melodia discipulis tradebatur, ac sæpius in illa sollicite instruebantur, ne imparati, ac re non prævisa confusi, suo munere male fungantur, quo neque Deus honoratur, neque populus ædificatur.

Familia demum Asaph, Heman ac Idithum inservierunt usque ad Babylonicam captivitatem: nam inter reversos de captivitate mentio fit etiam istorum scilicet: (2. *Chron.* 2. 41.) *Cantorum filiorum Asaph, centum viginti octo* (*Vid. Nehem.* 7. 45.) Et fundato templo Domini de novo (*Esdr.* 3. 10.) *steterunt Sacerdotes in ornatu suo cum tubis & Levitæ concinebant in cymbalis ut laudarent Deum per manum David regis Israel, & concinebant in hymnis & confessione Domino*. Cum Esdra quoque de Babylone Jerusalem ascenderunt filii Idithum: (*Ibid.* 7. 7.) Ipse Ezechias constituit cantores. Ibid. *Constituit quoque Ezechias in domo Domini cum cymbalis, & psalteriis, & cytharis, secundum dispositionem David regis, & Gad videntis, & Nathan prophetæ*. Pariterque Josias (2. *Chron.* 35. 15.) *Porro cantores filii Asaph, stabant in ordine suo juxta præceptum David & Asaph, & Idithum prophetarum regis*. Et *Nehem.* 12. 45. *Quia in diebus David & Asaph ab exordio principes erant constituti cantorum*. Juxta Hebræorum sententiam ad minimum duodecim esse debebant in sug-

ſuggeſtu : *Thalmud in Tractatu Erachin cap.* §. 6. אין פוחתין משנים עשר לוים עומדין על הדוכן : Ultra hunc numerum poterant aſcendere in infinitum : ratio eorum eſt, quia David cuilibet ordini duodecim præpoſuerat magiſtros, qui in viginti quatuor ordines multiplicati efficiunt ducentos & octoginta octo præſides; merito igitur numerus iſte fuit diſpoſitus ad duodecim tribus Iſrael, quorum nomine Levitæ Dei concinebant laudes, ſicut Chriſtus Dominus duodecim elegit Apoſtolos, qui verbum Dei per univerſum prædicare debebant omnibus tribubus & populis & nationibus, quorum præcurſores Levitæ extitiſſe videntur, hi quidem ipſimet Deum canendo laudaverunt, illi alios ad unum Deum cognoſcendum laudandumve extimularunt.

Primitus nullus in cantoris officium conſecrabatur ante vigeſimum completum annum. (1.*Chron.* 23.) neque ultra quinquaginta in eo retinebatur annos, ne laus Dei per defectum vocis deformis fieret, & hoc conſuetum fuerat durante Moſaica lege, quod econtra ſub Davide Rege immutatum eſt, (1. *Chron.* 23. 24.) *Hi filii Levi in cognationibus & familiis ſuis, principes per vices, & numerum capitum ſingulorum, qui faciebant opera miniſterii domus Domini a viginti annis & ſupra: Dixit enim David: requiem dedit Dominus Iſrael populo ſuo, & habitatoribus Jeruſalem uſque in æternum: Non erit officii Levitarum, ut portent ultra tabernaculum, & omnia vaſa ejus ad miniſterium*. Minorennibus propter vocis ſuavitatem licuit ſimul cantare cum ſenioribus, ita tamen, ut extra atrium & locum, qui pro ſolis Sacerdotibus deſtinatus erat, conſiſterent, his etiam interdicebatur, ne atrio ſancto ſe appropinquarent, vel alia tractarent inſtrumenta, ſed in omnibus magiſtrorum a ſubſint directioni: *Talmud in Tract. Erachin cap.* 2. §. 6. אין קטן נכנס לעזרה ולעבודה אלא בשעה שהלוים עומדים בשיר ולא היו אומרים בנבל ובכנור אלא בפה כדי ליתן תבל בנעימה רבי אליעזר בן יעקב אומר אין עולין למנין אין עומדים על הדוכן אלא בארץ היו עומדים וראשיהן מבין רגלי הלוים וצוערי הלוים היו נקראין: 2.*Chron.* 31. Ezechias ordinavit, ut Sacerdotibus per familias, & Levitis a vigeſimo anno & ſupra, per ordines & turmas ſuas fideliter cibi, de his, quæ ſanctificata fuerant, darentur, ſed & filiorum Aaron per agros & ſuburbana urbium ſingularum, diſpoſiti erant viri, qui partes diſtribuerent univerſo ſexui maſculino de Sacerdotibus & Levitis; ſingularis itaque habebatur vigilantia, ut Dei miniſtrorum neceſſitatibus ſufficienter proviſum eſſet, qui enim altari ſerviunt, de altari vivere neceſſe eſt; hinc Dei mandatis obtemperaturos ſe filii Iſral pollicebantur in domo Domini ligna, primogenita terræ, primitiva univerſi fructus omnis ligni de anno in annum, primitiva pecorum, boum, ovium Sacerdotibus, qui miniſtrabant in domo Dei, primitias ciborum, libaminum & poma omnis ligni, vindemiæ & olei, ipſi Levitæ decimas acceperunt ex omnibus civitatibus, ne cogerentur ſibi ipſis providendo domum Dei deſerere, ideoque graviter luerunt, qui in horum adminiſtratione infideles ſunt reperti. *Præcepit etiam populis habitantium Hieruſalem, ut darent partes ſacerdotibus & Levitis, ut poſſent vacare legi Domini. Quod cum percrebuiſſet in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias vini & olei, mellis quoque, & omnium, quæ gignit humus, decimas obtulerunt; Sed & filii Iſrael & Juda, qui habitabant in urbibus Juda, obtulerunt decimas boum, & ovium, decimaſque ſanctorum, quæ voverant Domino Deo ſuo &c. Sed & filiorum Aaron per agros, & ſuburbana urbium ſingularum diſpoſiti erant viri, qui partes diſtribuerent univerſis ſexui maſculini de ſacerdotibus, & Levitis*. Extat aliud exemplum: 2.*Chron.* 31. 4. *Et primitias ciborum noſtrorum, & libaminum noſtrorum, & poma omnis ligni, vindemiæ quoque & olei afferemus ſacerdotibus ad gazophylacium Dei noſtri, & decimam partem terræ noſtræ Levitis. Ipſi Levitæ decimas accipient ex omnibus civitatibus operum noſtrorum; erit autem ſacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, & Levitæ efferent decimam partem decimæ ſuæ in domo Dei noſtri, ad gazophylacium in domum theſauri; ad gazophylacium enim deportabant filii Iſrael, & filii Levi primitias frumenti, vini, & olei: Zacharias filius Jonathan, filius Semei, filius Mathania, filius Michaja, filius Zecur, filius Aſaph, & fratres ejus, Semeja Azare, & Milalai, Gilalai, Maai, Mathameol, & Jada Hanani cum muſicis inſtrumentis David, viri Deis & Ezra Scriba ante eas &c. & Maaſia, & Semnia, & Eleazar, & Uzi, & Jochanan, & Malchia, & Selan, & Ezer. Nehem.* 12. 34.

CAPUT SECUNDUM

De Cantorum & Sonatorum habitationibus.

CUM Levitarum hic Ordo tantummodo duabus septimanis, (demtis festivitatibus majoribus) per annum in Jerusalem servire obligatus fuerit, ideo isti majorem temporis partem extra Civitatem insumserunt: Ante captivitatem Babylonicam quidem illis ad habitandum datæ sunt civitates quadraginta octo cum suburbanis a cunctis tribubus ut expresse declaratur in Sacra Scriptura: (*Jos.* XXI.) Postquam vero Roboam multas construxisset urbes, omnes Sacerdotes & Levitæ ad eum confluxerunt, atque relinquentes suburbana & possessiones suas ad Judam & Jerusalem transierunt, eo quod Jeroboam & posteri ejus eos abjecisset, ne Sacerdotio Dei fungerentur 2. *Chron.* 11. 13. *Sacerdotes autem & Levitæ qui erant in universo Israel venerunt ad eum de cunctis sedibus suis, relinquentes suburbana, & possessiones suas, & transeuntes ad Judam & Hierusalem, eo quo abjecisset eos Jeroboam, & posteri ejus, ne sacerdotio Domini fugerentur.* Levitæ vero & Cantores, qui ex Babylonia redierant, ad dedicationem muri Jerusalem fuere convocati: *Congregati sunt filii Cantorum de campestribus circa Jerusalem, & de villis Netuphati; & de domo Galgal, & de regionibus Jeba, & Azmaveth, quoniam villas ædificaverunt sibi cantores in circuitu Jerusalem;* (*Neh.* 12. 28. 29.) Prætera Sacerdotes Levitæ a Regibus & Principibus requisiti fuerunt ad Insolitas, ac inassuetas cæremonias obeundas, ut patet (2. *Chron.* 20.) exemplo regis Josaphat, qui antequam castra moveret contra filios Moab & Ammon, ac Syros, statuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum: (2. *Chron.* 20. 19.) *Porro Levitæ de filiis Caath, & de filiis Core laudabant Dominum Deum Israel voce magna in excelsum. Cumque mane surrexissent egressi sunt, per desertum Thecne, profectisque eis stans Josaphat in medio eorum dixit. Audite me viri Juda, & omnes habitatores Jerusalem; credite in Domino Deo vestro, & securi eritis, credite prophetis ejus, & cuncta evenient prospera; Deditque consilium populo, & statuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, & voce consona dicerent, Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus, cumque cepissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon & Moab, & montis Seir, qui egressi fuerant: Reversusque est omnis Juda Hierusalem. Ingressique sunt Hierusalem cum psalteriis, & citharis, & tubis in domum Domini.* Alterum exemplum extat: (*Nehem.* 12. 29.) *In dedicatione autem muri Jerusalem requisierunt Levitas de omnibus locis suis, ut adducerent eos in Jerusalem, & fecerunt dedicationem, & lætitiam in actione gentiarum, & canticis, & in cymbalis psalterii & cytharis.* Solitam autem habitationem Levitarum, tempore ipsis determinato ad servitium se detinuerunt non longe a templo absfuisse certius est, nam quos illa septimana ordo tetigit, diu noctuque occupati fuere, propterea commodius vicini Templo degere illo saltem tempore poterant; extra scilicet interiorem portam constituta fuerunt gazophilacia seu cameræ pro Cantoribus versus Aquilonem, aliæ pro Sacerdotibus versus meridiem, in quibus sua necessaria asservabant: Instrumenta Musica seponebantur a Levitis in cellulis paratis infra atrium, ubi appensa sunt in trasiibus, ne damnum paterentur: *In Thalmude Tract. Middoth. cap.* 2. §. 6. ולשכות היו בעזרת ישראל ופתוחות לעזרת הנשים ששם הלוים נותנים כנורות ונבלים ומצלתים וכל כלי שיר: *Ad quæ verba doctissimus l'Empereur. Hæc verba satis feliciter enarrat R. Schemaja cum inquit.* Profunditates sive speluncæ erant sub isto (*atrio Israelis*) eæque apertæ versus atrium mulierum altitudine illorum XV. graduum. *Cum itaque singuli gradus fuerint dimidii cubiti, receptacula, sive conclavia ista septem cubitorum cum dimidio altitudinem habuisse necesse est: adeo ut commode ea, ab atrio mulierum ingredi & instrumenta musica seponere Levitæ potuerint.* Glossa *ad Judæ Leonis Templum lib.* 2. §. 39. *Instrumenta ista in cellis illis circumquaque ad domum erant suspensa in uncinis fixis in trabibus quæ dicebantur Malbanim: Neve damnum acciperent, involvebantur linteis.*

Constitutum simul locum habuerunt, dum una cum musica sacrificium fieret, ut clare ostendit S. Biblia: *Sibi autem & Sacerdotibus postea paraverunt; nunc in oblatione holocaustorum adipum, usque ad noctem Sacerdotes fuerunt occupati; unde Levitæ sibi, & Sacerdotibus filiis Aaron* In-

paraverint novissimis. Porro cantores filii Asaph, stabant in ordine suo juxta praeceptum David, & Asaph, & Heman, & Idithum Prophetarum regis (2. *Chron.* 35. 14.). Ante templi constitutionem Asaph cum sibi subjectis cantoribus steterunt ante Arcam in Jerusalem; in conspectu Arcæ ministraverunt Domino jugiter per singulos dies & vices suas: (1. *Chron.* 16. 37.) *Reliquit itaque ibi coram arca fœderis Asaph & fratres ejus ut ministrarent in conspectu arcæ jugiter, per singulos dies & vices suas.* Postquam autem fabrica Templi fuit terminata, situs Cantorum erat ante Altare versus Orientem; ita Sacræ Litteræ: *Tam Levitæ, quam cantores, idest, qui sub Asaph erant, & qui sub Eman, & qui sub Idithum, filii & fratres eorum, vestiti byssinis, cymbalis, & psalteriis, & citharis concrepabant, stantes ad orientalem plagam altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis* (2. *Chron.* 5. 12.). Quoad istas stationes notandum, quod cantores habitarint in atrio interiori, seu in latere portæ respicientis ad Aquilonem: *Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem & facies eorum contra viam australem, una ex latere portæ orientalis, quæ respiciebat ad viam Aquilonis, & dixit ad me: Hoc est gazofylacium, quod respicit viam meridianam, Sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi. Porro gazophylacium, quod respicit ad viam Aquilonis, Sacerdotum erit, qui excubant ad custodiam Altaris* (*Ezech.* 40. 44.), Atrium vero fuit in latitudine & longitudine centum cubitorum: *Et mensus est atrium longitudinis centum cubitorum, & latitudinis centum cubitorum per quadrum, & altare ante faciem templi* (*Ezech.* 40. 48.), Atrio exteriori (quod a facie portæ inferioris, usque ad frontem atrii interioris extrinsecus centum erat cubitorum:) fuere cameræ triginta. Altare æneum ante faciem templi viginti habuit cubitos in longitudine & viginti in latitudine, decem in altitudine; inter Altare & Atrium in plano viginti duo mensurabantur cubiti ad novem pro gradibus, qui simul faciunt unum & trigita cubitos, hoc spatium tantum Sacerdotibus concedebatur, qui Templum intrare & egredi debebant, reliquum spatium cantores occuparunt, quod fuit inter altare & atrium Israelitarum versus ortum, & non nisi undecim habuit cubitos, seu tertiam atrii partem; hinc ne Sacerdotes & Levitæ in suis laboribus & gressibus impedirentur: extremo hujus atrii loco cantores sunt positi, ita tamen, ut versus orientem altaris respicere potuerint; pro cujus meliori captu in præsenti figura videre est atrium sacerdotum cum templo, altari & statione cantorum.

Vid. Fig.

Hæc notanda aptius in sermone ad Lectorem addentur. Cæterum non est incredibile, cantorum stationem loco celsiori fuisse sitam, dum scriptura hoc confirmat in libro (*Nehem.* 9. 4.) dicendo: *Surrexerunt autem super gradum Levitarum Josue & Bani &c.* quod tamen potius est intelligendum de loco paulo altiori, qui unico tantum gradu a communi distabat pavimento. Ideoque & in Synagogis Judæorum Cathedræ habentur, id est locus elevatior, ut a populo facilius videantur, & intelligantur, uti & actores in Theatris elevati super alios aspiciuntur: a pari discurrendum venit de Cantu sive quacunque Musica, etenim Sonus in sublimi se longius extendit: a tergo Cantorum paries ex lapidibus erectus erat, ne etiam ibi a populo incommodum paterentur; sentiunt quoque alii hunc circuitum tecto fuisse instructum contra solis splendores, pluviarumque injurias, nisi, quod probabilius videtur, quod superior pars super columnas fuerit inædificata, ac sub illis ipsis Orchestra sufficiens habuerit spatium, consequenter nullo opus erat tegmine, quemadmodum in typo apparet præsenti. Interea aliæ adhuc circumstantiæ intercurrunt; nam Judæi intra duas portas orientales in atrio extremo sua festa faciebant, grates Deo referendo pro singularibus beneficiis; qui locus, postquam muris fuerat circumdatus, atrium dicebatur mulierum: Hebræi volunt, quod Levitæ super gradus interioris portæ steterint, per quos in atrium ascendebatur Israelis, atque ibidem solitos esse psalmos cantare graduales.

CA-

CAPUT TERTIUM

De temporibus, quibus viginti quatuor cantorum ordines sua peragebant munera.

QUilibet ex viginti quatuor ordinibus cantorum suum habuit definitum tempus, quo instante versus Jerusalem ascendere, & ante Dei conspectum sistere se debebat: vices itaque mutabantur singulis septem diebus inchoando in Sabbato, ut liquet ex mandato Jojadæ Pontificis, quando unxit Joas in Regem Juda, dicentis: *Tertia pars vestrum, qui veniunt ad Sabbatum, Sacerdotum & Levitarum, & Janitorum, erit in portis: tertia vero pars ad domum Regis & tertia ad portam, quæ dicitur fundamenti, nec quispiam alius ingrediatur domum Domini, nisi Sacerdotes & qui ministrant de Levitis: fecerunt ergo Levitæ, & universus Juda juxta omnia, quæ præceperat Jojada Pontifex; & assumserunt singuli viros, qui sub se erant & veniebant per ordinem Sabbati, cum his, qui impleverant Sabbatum, & egressuri erant; siquidem Jojada Pontifex non dimiserat abire turmas, quæ sibi per singulas hebdomadas succedere consueverant* (2. *Reg.* 11. 5. 7. 2. *Chron.* 23. 4. 8.). Uno ordine ergo exeunte alter intrabat, ac mutatis vicibus unus alteri successit, non tamen illis licuit ipso egredi Sabbato, quia Judæis hoc die iter facere est prohibitum.

Elapsis viginti quatuor hebdomadibus seu centum sexaginta octo diebus inter tot ordines repetebantur de novo vices; ex quibus colligitur quemlibet ordinem in Jerusalem bis saltem in anno comparere debuisse, excipiendo tria Festa principalia, quæ omne masculinum ex Israel ibidem celebrare obligabatur. *Josephus* Hebræus ait Davidem ordines distribuisse juxta tribus, nam postquam Sacerdotes a communi plebe separasset, inter illos viginti quatuor numeravit familias, sexdecim scilicet ex Eleazer, & octo ex Ithamar familia, hinc decernebat, ut una tribus simul per octo dies serviret de Sabbato in Sabbatum; pariter etiam in viginti quatuor partes divisit Tribum Levi: *Josephus Antiq. Jud. lib.* 7. *cap.* 11. Διεμέριστε δὲ αὐτὰς κατὰ πατριάς, καὶ χωρίσας ἐκ τῆς φυλῆς τοὺς ἱερεῖς, εὗρε τούτων εἴκοσι τέσσαρας πατριάς, καὶ ἐκ μὲν τῆς Ἐλεαζάρου οἰκίας ἑκκαιδέκα, ἐκ δὲ τῆς Ἰθαμάρου ὀκτώ. Διέταξε δὲ μίαν πατριὰν διακονεῖσθαι τῷ Θεῷ ἐπὶ ἡμέρας ἑκτὰ, καὶ ἀπὸ Σαββάτου ἐπὶ Σάββατον. Verum quidam judicant, Sacerdotes & Levitas (salvo tamen ordinario præscripto ministerio:) potuisse aliis quoque temporibus templum accedere ad præstandum aliis auxilium ad sacrificia offerenda, ne in majoribus solennitatibus unus ab altero impediretur, ut in paschate, ubi plura millia agnorum mactari solebant, dum Levitæ sanguinem interceperunt, ac Sacerdotibus super altare effundendum tradiderunt.

Igitur prædictus ordo vicissitudinis in continua perseveravit consuetudine, neque licuit uni agere officium alterius sub pœna mortis; dixi in continua, ex quo minime infertur, publicum Dei servitium a Davide usque ad Sacrificiorum cessationem nunquam fuisse intermissum: contrarium namque ex Divinis & humanis monstratur historiis: impietas Nabuchodonosoris atque Antiochi fecit, quo minus cultus ille exerceri quiverit, sed quando fuit instauratus, prior ordo fuit observatus: Certum item est, cantores tanto fuisse numero, ut simul omnes stare ac servire non potuerint: superfluum etiam erat, omnes fatigari, dum duodecim tantum solitum præstare poterant obsequium; hinc ipsi quoque inter se subdividebantur, quatenus hoc die isti, sequenti vero alii inservirent. Si familia illa consistebat septem partibus, quælibet unum sortiebatur diem; si ex quinque, tunc duabus unus, & tribus duo assignati erant dies; inter novem divisiones intra quatuor dies officia peragebantur in matutino & vespertino sacrificio; iste ordo constitutus fuit inter Sacerdotes, propterea non dubitandum, eandem divisionis normam Davidem quoque circa cantores esse secutum. Cum autem quotidie fierent sacrificia, ideo cantorum aliquos omnibus diebus præsentes esse oportebat, qui mane ac vesperi cantum sacrificiis jungerent: sic enim legitur, quod Rex David imperaverit, ut sub Asaph & fratrum suorum inspectione semper sufficiens ad manum sit numerus canentium ante Arcam in principio & ad finem diei. Ad hunc ergo ordinem clarius exprimendum, consulto breviter Hebraicas sacrificiorum cæremonias impræsentiarum apponendas duximus.

Itaque ante solis ortum ad galli cantum ii, qui sacerdotis munere fungi debebant, ad

ad balneas se purificandos contulere, ac iterum induti præstolabantur præsidis adventum, cui pulsanti januam conclavis, in quo pernoctaverant, aperuerunt, & una candelis accensis simul templum circumeundo visitarunt, altera pars dimidia a dextris, alia a sinistris incedebat usque ad pistorum conclave, quod situm erat apud portam orientalem, hos excitarunt pro coquendis panibus ad sacrificium, posthæc ingrediebantur locum consiliorum, ubi per sortem cuivis munus suum indicatum est: prima sors cecidit super illos, qui altare mundare ac purificare debuerunt, qui etiam festine exeuntes cineres amovere, ligna apportarunt, eaque accenderunt: quod factum in prima aurora: dum interim reliqua officia sortiebantur, janitores summitatem ascenderunt templi consideraturi ortum solis, statimque agnus afferri præcipiebatur ex conclavi, interea alii vasa requisita asportarunt, quando denique sol in toto visus fuit splendore: (quod tempus proprium erat sacrificii:) apertis portis tuba canebatur ad convocandos Levitas & eos, quibus comparendum erat ad hunc cultum; præparaturi lampades intrarunt per atrium templi & mox, dum istas valvas reserari sentit mactaturus, agnum occidit & præparavit: qui sanguinem patina excepit, primus se versus altare vertit, illudque aspersit: alii agno sacrificato pellem detrahentes, illum in partes scindebant, quas in altaris scala consperserunt sale, relinquebant usque ad finem orationem, quæ cum maximo fiebat obsequio, cujus tenor erat sequens: O Domine Deus noster, tu nos æterno dilexisti amore, tu Pater & Rex noster magnam, multiplicemque nobis exhibuisti misericordiam amore Patrum nostrorum, qui tibi fideles erant, quosve in vitæ principio imbuisti, etiam nobis sis propitius, o Pater, o vere Pater misericordiarum, misericordissime, miserere nostrum, da cordibus nostris agnoscere, intelligere, obtemperare, addiscere, aliosque instruere, atque adimplere cuncta legis tuæ verba in amore; illumina oculos nostros per tua præcepta, & fac, ut corda nostra mandatis adhæreant tuis, præpara illa ad tui amorem ac tui nominis timorem. Quibus absolutis tempus advenerat thuris adolendi: itaque sacerdos cum aliis thuribula deferentibus templum accessit, in media via pulsarunt Migrephah, seu vas cupreum, ut congregarentur omnes sacerdotes & cantores ad melodias; ad vocem supremi præsidis exhortatoriam sacerdos obtulit incensum, reliquis sacerdotibus, in atrio existentibus, retrocedentibus, qui cum toto populo Deum deprecabantur pro sacrificii acceptatione, quo transacto partes agni igni sunt datæ, quamdiu illæ arserunt, cantus prosequebatur una resonantibus tubis, ac reliquo populo in terram prostrato. 2. *Chron.* 29. 27. 28. *Cumque offerrentur holocausta super altare, cœperunt laudes canere Domino, & clangere tubis, atque in diversis organis & omni autem turba adorante cantores, & ii, qui tenebant tubas, erant in officio suo donec compleretur holocaustum.* Advertendum autem est, quod Cantoribus per Sudarium aliquod a Vice-Pontifice altiori in situ existente signum sit datum ad inchoandam melodiam prævio cymbalorum strepitu: (*Tamid. cap.* 6. §. 8.) באו ועמדו אצל בן ארזא אחד מימינו ואחד משמאלו שחה לנחך: והניף הסגן בסודרו והקיש בן ארזא בצלצל ודברו הלוים בשיר: (*Joma cap.* 6. §. 8. *Gemarah in Succa fol.* 51. *col.* 2.)

Præter communia sacrificia etiam alia in usu fuere, scilicet in solemnitatibus magnis utpote Sabbatis & Noviluniis, hinc si solemnius esset festum, eo festivior erat musica, cæremoniæ quoque singulares, ac cantus variabantur: *Eccles.* 47. 11. 12. *Et stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos, & dedit in celebrationem decus, & ornavit tempora usque ad consumationem vitæ, ut laudarent nomen sacrum suum, & amplificarent mane Dei sanctitatem:* pro conditione Circumstantiarum & Sacrificiorum, vel enim Deum in illis laudaturi erant vel gratiæ agebantur pro acceptis Beneficiis, aut pro obtinendis. Rogaverunt aut Deum placare intenderunt, seu anniversaria Dei mirabilium celebrarunt, unde diversa festa prædicta sortita sunt nomina, Sabbati, Paschæ, primitiarum, hebdomadarum, messis, Tubarum, Expiationis, ac Tabernaculorum, in quibus magnum canebatur alleluja.

In aliis extraordinariis oblationibus sacri cantores Deum glorificare ac magnificare debuerunt suis cantionibus particularibus; post Templi dedicationem majestas Domini illud replevit eadem hora, qua Musica inchoavit ad Deum glorificandum: non fiebat minima oblatio sine Musica, quem in finem cantores identidem paratos esse decuit.

CA-

CAPUT QUARTUM

De Vestibus Canentium.

VEstimentorum usum honestatis causa introductum, nullus ambigit; ante peccatum quidem Protoparentes nostri non adverterant, se esse nudos, postquam vero ex ligno interdicto comederunt, suam nuditatem in instanti contegebant consuendo folia ficus, Dominus Deus vero fecit Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos. Tempus tandem homines edocuit ex lana linove texere fila, quibus vestes sibi pararunt. Præcipuum etiam linum extiterat illud, ex quo confectum fuit velum templi Salomonis, ex hyacintho scilicet, purpura, cecco & Bysso intextum, maximæque æstimationis censebatur linum Ægyptiacum; communi plebs utebatur, Magnates econtra & potentes subtilissimo sunt vestiti lino, ut Pharao in signum Regii favoris Joseph Stola induit Byssina: *Genes.* 41. 42. *Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stola byssina.* David quoque erat indutus veste byssina 1. *Chron.* 15. 27. *Porro David indutus erat stola byssina.* Pariter & Mardochæus, uti constat *Æster.* 8. 15. Dives Epulo Byssinis indutus vestimentis adducitur in Evangelio. Byssus est tenuissimi lini genus, ortum suum trahens ex Achaja, hanc prærogativam habens, quod constanter albedinem suam retineat: *Luc.* 16. 19.

Deus Moysi præcepit, ut Sacerdotes linea tunica induerentur: *Exod.* 28. 39. 40. Salomon togas Sacerdotibus fieri curavit ex lino subtili una cum decem millibus purpureis cingulis, & pro Levitis cantoribus ejusdem generis & qualitatis, ducenta millia esse confecta asserit *Joseph. Antiquit. lib.* 8. *cap.* 2. Τὰς δὲ ἱερατικὰς στολὰς ἐκ βύσσου κατεσκεύασε, καὶ ζώνας εἰς ἕκαστον πορφύρας μυρίας... καὶ στολῶν τοῖς ὑμνῳδοῖς τῶν λευιτῶν ἐκ βύσσου μυριάδας εἴκοσι. Non tamen idem licuit Levitis, qui semper stolis byssinis induti fuere. 1. *Chron.* 16. 27. *Porro David erat indutus stola byssina, & universis Levitæ qui portabant arcam, cantoresque, & Chananjah princeps prophetiæ inter cantores.* 2. *Chron.* 5. 12. *Tam Levitæ quam cantores, id est & qui sub Asaph erant, & qui sub Heman, & qui sub Idithum filii, & fratres eorum vestiti byssinis.* Ad significandam puritatem, ut dicitur: *Apoc.* 9. 14. *Hi amicti sunt stolis albis, & sequuntur agnum, quocumque ierit*; unde & angelorum apparentium, vestes post Christi Resurrectionem, *albæ fuere, sicut nix*, hic enim color cælestibus habitatoribus est proprius, quare Ministris in Templo Dei etiam albus vestitus maxime conveniebat: Ipsimet quoque Ethnici eundem omnibus coloribus prætulerunt, ut cecinit: *Ovid. Amor. lib.* 3.

> *More patrum sanctæ velatæ vestibus albis*
> *Tradita supposito vertice sacra ferunt.*

Idem Fast. lib. 4.

> *Alba decent Cererem, vestes Cerealibus albas*
> *Sumite nunc pulli velleris usus abest.*

Omnes Sacrificuli, viri, & mulieres & musici in albis vestibus incedebant, dum Isidem Ægyptiorum Deam processione celebrant, eundemque morem in Syria tenuerunt, (*Apulejus Metamorph. lib.* 2.) Jam veniendum ad vestimenta in particulari: mandatum fuit Moysi a Deo, quatenus faceret fœminalia linea, quibus operiant carnem turpitudinis suæ, a renibus usque ad femora; non dubitatur legem eamdem observasse Davidem & Salomonem quoad Cantores, quos æque decebat honestissimos appropinquare Dei Templo; dein Sacerdotes habuerunt stolas seu tunicas oblongas ex bysso ad pedes usque ligatas per medium & in brachiis, intentas auro, hyacintho, purpura & cocco, ut supra allatum: Cantores libellum supplices dederunt, juxta *Joseph. l.* 3. *c.* 8. ad Regem Agrippæ, ut easdem cum Sacerdotibus portare possint vestes. Annuit cum suis Consiliaris Rex, ut psalmorum Cantores depositis suis prioribus vestimentis Sacerdotalia linea deferre queant, sicut cupierunt; aliis item templi ministris concessit, quod cantum laudum addiscere possent: quæ statua elapsis seculis semper illicita habebantur; non tamen etiam prius Cantorem inter Sacerdotum byssum fuit distinctio, nisi in factura, seu forma, nam pro Sacerdotibus erat byssus retortus & textus cum certis figuris, propterea paulo strictior,

pro

pro cantoribus vero erat factus vulgari modo absque ornatu, hinc prior forma vestis perplacuit. *Josephus pag. mihi* 74. Ἔστι δὲ τοῦτο τὸ ἔνδυμα ποδήρης χιτὼν περιγεγραμμένος τῷ σώματι, καὶ τὰς χειρίδας περὶ τοῖς βραχίοσιν κατεσφιγμένος ὃν ζωννύνται κατὰ στῆθος ὀλίγον τῆς μασχάλης ὑπεράνω.

Matronarum cultus apud Romanos stola potissimum ad pedes celebratur:

Tibullus.

> *Sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos*
> *Impediat crines, nec* Stola *longa pedes.*

Horatius Serm. sat. 2.

> *Ad talos demissa stola.*

Ovidius Libr. 2. de Arte.

> *Este procul vittæ tenues, insigne pudoris*
> *Quæque legis medios instita longa pedes.*

Marcellus *docet matronas uti solitas stola ad imos pedes defluente, quam instita assuta, hoc est tenuissima fasciola ambibat.*

Rader. ad Martialem p. m. 680.

Xenophon *Cyropæd. Libr.* 8. *Stolæ munus esse docet.* Συγκρύπτειν εἴ τις τι ἐν τῷ σώματι ἐνδεὲς ἔχοι, καὶ καλλίστους καὶ μεγίστους ἐπιδεικνύναι τοὺς φοροῦντας.

Verosimile est Cantores quoque superindutos esse Ephod lineo, quia & David ante arcam Dei sic indutus incedebat. Quæ concernunt capitis velamina, Sacerdotes & Levitæ semper secundum Hebræorum morem tectis capitibus divinis intererant ministeriis, nec non ipsemet Pontifex ad sanctum sanctorum accedebat tecto capite. Ista consuetudo in hunc usque diem apud Orientales ac Judæos viget, eandemve ab Ænea in Italiam olim introductam esse tradit Virgilius: *Helenum introducit Æneæ hunc capitis amictum commendantem, ne post appulsum in Italiam Phrygium hunc morem mutare vellet,*

Æneid. *Lib.* 3.

> *Purpureo velare comas adopertus amictu,*
> *Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum*
> *Hostilis facies occurrat & omnia turbet.*
> *Hunc Socii morem sacrorum, hunc ipse teneto.*
> *Hac casti maneant in religione nepotes*

Conf. *Plutarchum* de Q. Romanis.

Curtius Libr. 4. *Ille in candida veste verbenas manu præferens Capite Velato, præibat preces Regis.*

Silius Italicus.

> *Velatus corpora lino,*
> *Et Pelusiaco præfulget flamine vertex.*

Ex *Plauto* ad eundem ritum confirmandum addi possunt duo testimonia quorum unum ex *Amphit. Act.* 1. *Scen.* 1. *Invocat deos imortales, sibi auxilium ferant, manibus puris, capite operto.* Alterum ibid. Act. 3. Scen. 1. *Quis hic est, qui operto capite Æsculapium salutat?* Sacrificuli Africani Pelusiaco induti Bysso eodemque, verticem involverunt: Pariter asserit S. Codex, Aaroni & filiis ejus Mitras fuisse confectas cum coronulis suis ex Bysso: utrum vero Sacerdotum & Cantorum vittæ unius fuerint formæ, nos latet.

Judæi sentiunt, quod omnes pontifices præter vittam etiam schedas memoriales in fronte gerere debeant, Cantores vero a lege hac esse exemtos: earum usus frequens erat illis, qui pii & sancti videri ab hominibus cuperent, quorum Christus sæpius arguit hypocrisim: *Matth.* 23. 5. *Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus, dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* Obligationem itaque præfatam Hebræi dicunt inde oriundam, ex præcepto Dei. *Deut.* 6. 8. *Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos.* Exod. 13. 9. *Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, & ut lex Domini semper sit in ore tuo.* Satisfacturi autem prædicto præcepto Judæi scripserunt atramento ad hoc specialiter præparato, literis quadratis in duabus pergameni schedulis, adhortatoria illa Dei verba, quas ambas schedas complicatas, & nigro vitulino inclusas corio per modum pyxidis facto super sinistrum brachium ligarunt, taliter, ut ligamen per totum brachium circum volvendo usque ad manus extremitatem in superiori parte medii digiti finiretur: alteræ capsulæ includebantur quatuor textus separatim scripti, a foris illa notata erat littera Schin, & circum frontem alligari solita: Igitur has duas coriaceas thecas appellant res præparatorias, eo quod sint quasi Instrumenta orationis: cum ergo in eorum sacrificiis variæ commiscerentur preces, nemo sine his ausus est comparere, si juxta *Maimonidem Thephilin cap.* 4. 13. sacerdotes laboribus, & Levitas in cantu occupatos una cum Israelitis in Tem-

plo ſtantibus excipias, quos omnes hic Magiſter ab hoc præcepto excuſat.

De his transeamus ad ſacrum pavimentum videndo, quali obſequio illud Hebræi fuerint proſecuti: itaque ſecundum eorum traditionem nec Sacerdotibus, neque Levitis calceis indutis Sanctuarium ingredi erat conceſſum, ſed antequam atrium aſcenderant, iis ſe ſpoliarunt, ac nudi pedes intraverunt in ſignum demiſſionis erga ſummum Regem inter Cherubinos habitantem; uti quondam in flamma ignis de medio rubi incombuſti ipſemet Deus Moyſi ajebat: *Exod.* 3. 5. *Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtat, terra Sancta eſt.* Et *Joſ.* 5. 15. *Solve* (inquit) *calcementum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtat, ſanctus eſt. R. Bar Nachman in Schemoth Rabba Parraſ.* 2. כל מקום שהשכונה נגלית אסור בנעלת דסנדל וכן ביהושע עשל נעלך: וכן הכהנים לא שמשו במקרש אלא יהפים. Herodotus *Lib.* 2. 37. *Et* Philoſtratus *in vita Apollonii. cap.* 8. Apulejus *Metamorph. lib.* 2. *ait. Zachlas adeſt Ægyptius, propheta primarius .... hunc juvenem linteis amiculis intectum, pedeſque palmeis baxeis indutum, & aduſque deraſo capite producit in medium.* Et lib. 10. Iſidem deſcribens *pedes ambroſios tegebant ſoleæ palmæ victricis foliis intextæ.*

Docet aliquis ſcriptor, etſi contra Chriſtianorum comunem ſententiam, quod Sacerdotes ac Levitæ veſtimentorum ſuorum normam a Sacrificulis hæreditarint Ægyptiacis, eo quod ob populi contumaciam, inclinationemve ad Ægyptiorum mores Deus ad hoc conſenſum præſtiterit: Huic ſententiæ non poteſt ſubſcribi, ipſiſmet Dei verbis directe oppoſita reſpuenda ac propulſanda eſt: nam de Pontificalibus ornamentis Exodi principio trigeſimi noni capitis expreſſe legitur: *De hyacintho vero, & purpura, vermiculo ac byſſo, fecit veſtes, quibus indueretur Aaron, quando miniſtrabat in Sancto, ſicut præcepit Dominus Moyſi.* Et in Levitici libro caput octavum ita incipit: *Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen dicens:* ubi per decurſum omnes Aaronis & filiorum ejus veſtes determinantur; conſequenter Sacerdotes & Levitæ in veteri Teſtamento ab ipſo Deo, mediante Moyſe deſignatas habuere veſtes: adhæc etiam accedit in pluribus diſcrimen, ſcilicet: quia Sacerdotes ac Hebræorum Cantores in Sacro pavimento ſtabant, ſuiſque officiis, fungebantur nudis pedibus, e contrario Ægyptiaci papyracæis uſi ſunt ſoleis, quibus palmarum folia inſeruerunt; in Judaiſmo ſacerdotibus inhibitum fuit Capillos, aut barbam radere, Ægyptiaci vero omni triduo toto capite & corpore tondebantur. *Herodotus lib.* 2. 37. Sacerdotes, excepto ſolo Pontifice, fuere candidis induti veſtimentis, Sacrificuli autem utebantur quidem lineis, at coloribus, dracones, leones, monſtraque præſentantibus varie tinctis, & hujuſmodi veſtium genus nuncupabatur Olympiaca Stola: *Apulejus Metamorph. cap. undecim. Plutarchus in libro de Iſide & Oſiride.* Itaque ex nulla prudenti ratione poteſt erui, quod Sacerdotes ac Levitæ, Ægyptiorum ritus aut veſtimentorum formam fuerint imitati.

Sacerdotibus ergo & Levitis albæ veſtes in veteri teſtamento uſuales erant in gloriam & decorem, quibus Moyſes fratrem ſuum Aaron & ejus filios ad Dei mandatum veſtivit, ut ſacra teſtatur Scriptura; ad gloriam quidem, quia illis temporibus color iſte maximi eſt habitus; imo & a Primatibus ac Magnatibus uſitatus; ad decorem quia facili negotio lavari aut immutari poterant, ut ſemper mundi ad cultum quiverint comparere divinum.

CAPUT QUINTUM

De Cantus materia, ejuſque electione.

QUi maturius expendit locum, quo cantus excolendus erat, inferet, quemcunque cantum loco nullatenus convenire, ſed ut locus erat ſanctus, quem Majeſtas inhabitavit Dei, & ob arcæ Dei, ac propitiatorii præſentiam, ſic etiam ſanctum decuit eſſe cantum, non niſi laudes, benedictioneſque continentem divinas: ad hoc enim Muſici iſti fuere conſecrati, ut conſtat ex Davidis ordinatione, *qui conſtituit coram arca Domini de Levitis, qui miniſtrarent & recordarentur operum ejus, & glorificarent atque laudarent Dominum Deum Iſrael;* Eorum ſcilicet officium exegit, ut mirabilia Dei enarrarent, ut Deum pro populo deprecarentur, bona depoſcerent, mala averterent, gratias pro acceptis beneficiis redderent, & in cunctis eum benedicerent, ad quæ digne exprimenda non ſuffecerunt

runt verba hominis induſtria excogitata, verum opus erat Spiritus Sancti inſpirationibus; de Deo enim locuturus, ex Deo, ut loquatur, neceſſe eſt; quales ſermones ipſis per prophetas advenerunt, quibus tanquam a Deo dictatis ſunt uſi; quos inter præcipui fuere Davidis pſalmi. Hinc ſicut graviter interdictum erat profanum aſportare ignem ad altare, ita ſimiliter in atriis Divini palatii cantilenæ forenſes exulare debuerunt, propterea conſtituti fuere magiſtri cantus, qui vi ſui muneris habuerunt idoneas diverſarum materiarum cantiones, quas addiſcendas junioribus prævie dederant, compendium autem ejuſmodi cantus Divina providentia in iſtud uſque tempus conſervatur in S. litteris ſub nomine libri pſalmorum Davidis, ut prius animadverſum: in hoc enim reperiuntur cantica læta, triſtia, orationes, gratiarum actiones, doctrinæ ſalutares, remedia tentationum, laudes Dei; in ſumma quidquid ad Dei honorem ad propriam proximique cedit ſalutem, in hoc unico theſauro habebis.

Nihilominus, cum rerum abundantia difficilem ſoleat reddere earum electionem, ideo requirebatur magna prudentia aptas ſeligendi materias pro conditione dierum, feſtivitatum, animorumque, quorum cauſa canebatur, ad quod diſcernendum ſingulariter præfecti cantus attenderunt: *Nam mala aurea ſunt in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo*, ait Spiritus Sanctus, (*Prov.* 25. 12.) econtra *acetum in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo* (*ibid.* 25. 20.), ſeu triſtitia obruto: & ob hanc rationem conſtituti fuere viri prudentes ac eruditi, qui cantui invigilarent, quorum unus fuit Chonenias Princeps Levitarum, qui celebratur in S. Scriptura, tanquam valde Sapiens, *Chonenias autem princeps Levitarum prophetiæ præerat ad præcanendam melodiam, erat quippe valde ſapiens* (1. *Chron.* 15. 22.). Item Heman, Aſaph ac Ethan, qui ex inſtinctu ſpeciali Spiritns Sancti ad hoc munus ſunt vocati, quibus deficientibus alii, qui maxime idonei fuere inventi, ſuccedebant, qui ab inſtructione & doctrinis ſuorum anteceſſorum nunquam receſſerunt, ideoque illis ſeculis cultui Divino copioſe erat de ſimilibus muſicæ peritis proviſum, nec unquam, Deum adverſus eos fuiſſe in materia Muſicæ conqueſtum, legitur; neque de illis dici poterat: *Iſti labiis me honorant, cor autem eorum longe eſt a me*, ſed illi, quod canebant, mente ad Deum erecta pertractarunt. Quod etiam pro certis diebus præſcripti fuerint aliqui ritus cantoribus ac Muſicis, probatur ex ſcriptura Davidem voluiſſe, ut in novilunio tubis clangeretur, & determinatus pſalmus in Sabbatis, alius in templi dedicatione cani debebat & ſic de pluribus, cui etiam unanimiter Judæi aſſentiuntur dicentes Eſdram ex Prophetarum conſenſu ordinaſſe in Synagogis, quæ pars legis populo quotannis prælegenda ſit, & quænam certis anni temporibus in templo ſint decantanda: hæc vero non aliud probant, quam quod conſuetudines ſuorum anteceſſorum renovarint, non autem immutarint: propterea hujus temporis Hebræis modica fides aut nulla eſt adhibenda, utpote quorum cultus totus ab Iſraelitico eſt diverſus, ac ſuperſtitioſus; hinc eorum teſtimonia accurate cum antiquis illis conſuetudinibus, ac cœremoniis ſunt conferenda, antequam pro veris aſſumantur.

Cantores quamprimum ſacerdos libamen effudiſſet, durante ſacrificio per ſeptimanam ſemper alium cecinerunt pſalmum, & ſabbato illum, qui inſcriptus eſt pro hoc die; magnum alleluja, quod Judæi ſex comprehendunt pſalmis, canere aſſueverunt Levitæ in paſchate in ſacrificio agnorum; die Pentecoſtes in atrio, & in feſto Tabernaculorum per octo continuos dies: poſt Judæ Machabæi tempora Judæi in hyeme celebrarunt octo diebus feſtum dedicationis Templi incipiendo a vigeſima uſque ad vigeſimam ſeptimam menſis Chisleu, ubi æque de die iu diem præfatum a Levitis canebatur alleluja. Pſalmi graduales (ſic dicti, quia in quindecim gradibus portæ orientalis, quæ ſita erat inter virorum ac mulierum atrium, decantati fuerunt, non tantum a Levitis, verum etiam ab aliis muſices gnaris poſt veſpertinum Sacrificium adjunctis Citharis, Nablis, Cymbalis, aliiſque diverſi generis inſtrumentis in feſto canebantur Tabernaculorum. Itaque de his & ſimilibus nil certum affirmare poſſumus, cuncta namque ex traditionibus accepta referimus, de quibus ſatis, nunc autem agendum eſt de inſtrumentis temporibus illis uſitatis.

CAPUT SEXTUM

De Instrumentis in Sacrificio, & interioribus atriis quondam usitatis.

HActenus cantores fuimus contemplati in atriis Israelis, atque eorum ordinem, locum, vestes, & cantus consideravimus materiam, restat etiam tractandum de eorum Musicis instrumentis, quibus Dei templum ornarunt. Igitur in musica Ecclesiæ Judaicæ occurrunt primo argenteæ tubæ, de quibus sacer codex in libro Numerorum 10. 1. 10. sequentia proponit: *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem, quando movenda sunt castra, cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis. Si semel clangueris, venient ad te Principes, & capita multitudinis Israel, si autem prolixior, atque concisus clangor increpuerit, movebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam, in secundo autem sonitu & pari ululatu tubæ, levabunt tentoria, qui habitant ad meridiem, & juxta hunc modum reliqui facient, ululantibus tubis in profectionem, quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit & non concise ululabunt, filii autem Aaron Sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris, si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes, qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum; si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis & pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestri:* Hujus instrumenti autem forma describitur a *Joseph.* Antiq. lib. 3. cap. 2. Εὗρε ϗ̀ βυκάνης τρόπον ἐξ ἀργυρεῖς ποιησάμενος, ἐςι δὲ τοιαύτη. Μῆκος μὲν ἔχει πηχαῖον ὀλίγῳ λεῖπον. ςενὴ δὲ ἐςὶ σύριγξ αὐλȣ̃ βραχὺ παχυτέρα, παρέχȣσα δὲ εὖρος ἀρκȣ̃ν ἐπὶ τῷ ςόματι πρὸς ὑποδοχὴν πνεύματος εἰς κώδωνα ταῖς σάλπιγξι παραπλησίως τελȣ̃ν. Ασώσρα καλεῖται κατὰ τὴν ἑβραίων γλῶσσαν. Sequens prænominatarum tubarum effigies desumta fuit ex arcu Triumphali Imperatoris Titi Vespasiani, uti conspicitur in prædicti arcus latere interiori,



Inspiciuntur hic duæ tubæ, Mensa & Candelabrum aureum, quæ Romam tanquam victoriæ signa de Jerusalem reportatæ, cum summa allata sunt pompa; opinantur quidam, hanc fuisse panum propositionis tabulam, atque candelabrum, quod in templi sanctuario erat positum; alii econtra asserunt, omnia una cum templo, igne fuisse consumta, antequam Romani montem Templi ex integro possederint; ii vero, qui autumant, ea fuisse asservata in Camera atrii extra Templum, etiam concedunt, eadem in Romanorum potestatem incidisse; quidquid demum concludemus, hoc non obstante, verum semper remanet

net istam tubarum imaginem coincidere cum descriptione a *Josepho* superius data. Materia, ex qua constabant, fuit argentum, quod proprie coveniebat ornatui tabernaculi, ubi cuncta ex Regio fuerunt splendore: argentum etiam aptum habetur pro meliori resonantia, atque ad distinctionem aliarum tubarum ex una Massa, כמק מקשה, fusoria scilicet arte sunt factæ; tales solum duas fuisse liquet ex allato textu, cui tamen non repugnat, quin plures simul tubæ in templo potuerint servari, saltem posteris temporibus, sicut revera in dedicatione templi sub Salomone centum & viginti Sacerdotes tubas inflabant; ad Altare antem lex non pauciores duabus, nec plures centum & viginti admisit; in interiori atrii spatio nullus præter Sacerdotes de Aaronis stemate tubas clangere audebat, & dum in Sacrificiis tubis canere opus erat, in gradibus Altaris, non vero in loco Cantorum, id peragebant.

Sonum geminarum tubarum describunt fuisse duplicem, fractum seu tremulum, & non fractum seu continuum; in Deserto igitur per sonitum continuum unius tubæ prima capita vocabantur, per eundem sed duabus tubis expressim populus fuit congregatus. Sonitus fractus unius tubæ profectionem populi indicabat, & ejusdem duarum tubarum sonitu ad prælium sunt adhortati. *Numer.* 10. 1. 10. *Locutusque est Dominus ad Mosen dicens. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus congregare possis multitudinem, quando movenda sunt castra: Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis: Si semel clangueris venient ad te principes, & capita multitudinis Israel; si autem prolixior, atque continuus clangor increpuerit movebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam. In secundo autem sonitu, & pari ululatu tubæ levabunt tentoria, qui habitant ad meridiem, & juxta hunc modum reliqui facient ululantibus tubis in profectionem; quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, & non concise ululabunt; Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis; eritque hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Si quando habebitis epulum & dies & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, ut sint vobis in recordationem Dei vestris, Ego Dominus Deus vester.* Dum tandem in Canaam provincia quiescerent, usus tubarum potiori ex parte fuit abolitus, etsi adhuc in castris & proclamationibus novi electi Regis iis fuerint usi. At in Sanctuarii atriis frequenter tubas adhibuerunt, ut Hebræi testantur, septies in die sonitum tubarum esse auditum: in aurora, dum janitores ad suam vocabantur stationem; in cantu cultus antemeridiani & vespertini, quando cantores pausarunt, tribus semper vicibus, diebus item solemnibus pluries clanxerunt.

Tubas sequuntur Buccinæ Hebraice שופר, Grece κερατίνη, quæ in modum cornu alicujus sunt fabricatæ, ex qua materia fuerint confectæ primitus, est incertum; usus eorum, non nisi in actionibus communibus erat, vel ad denuntiandum quidpiam novum; earum clangor auditus est, dum Salamon in Regem fuit electus: *Et unxit Salomonem, & cecinerunt bucina* (1. *Reg.* 1. 39.), item: *Misit autem Absalon exploratores ad universas tribus Israel dicens: Statim ut audieritis clangorem buccinæ dicite. Regnavit Absalon in Hebron* (2. *Sam.* 15. 10.) Solebant inflari in castris, si periculum imminebat: buccinis quoque istis in Neomenia seu novilunio cani præcipiebatur. *Claugetis in novilunio buccina* (*Psal.* 81. 4.), & Jubilæi anno, ut sacra exprimit Scriptura: *Clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra, sanctificabisque annum quinquagesimum & vocabis remissionem cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipse est enim Jubilæus* (*Levit.* 25. 9.) Tubæ ac Buccinæ non fuerunt usitatæ ad psalmodiam ob nimium earum strepitum, ne sonus vocum & chordarum supprimeretur, quo minus audiri ac percipi potuissent.

Est tibiarum genus modestum, suavioremque reddens sonum, cantui præ omnibus concordantem; cujus proprium nomen est, חליל *tibia*, de hac fit mentio 1. *Reg.* 1. 41. *Jamque convivium finitum erat; sed & Joab audita voce tibiæ, ait: Esai* 30. 29. *Canticum erit vobis, sicut nox sanctificata solennitatis, & lætitia cordis, sicut qui pergit cum tibia ut intret in montem Domini ad fortem Israel. Jerem.* 48. 36. *Propterea cor meum ad Moab quasi tibiæ resonabit, & cor meum, ad viros muri fictilis dabit sonitum tibiarum.* LXX. transtulerunt in *c. l.* 1. *Esaiæ*, μετ' αὐλῶ & *Jerem.* ὥσπερ αὐλὸς βομβήσει: *Psalm.* 5. 1. dicitur נחילת, & *Psal.* 13. 1. מחלת. Tibiæ fiebant ex calamis, aut ligno perforato; ex his constabat fistula septenaria

ria

ria Pastorum, non tamen omnes calami aptii habentur, sed ii, quibus internodia sunt longa, recta, & concava: præprimis laudantur a Plinio, qui veniunt ex Bæotia vicina Orchæmenio urbi, quæ provincia sæpius aquis est circumdata, hinc ex paludibus post novem annos elapsos prædicti colligebantur calami, ex quo gemina præsertim composita fuit fistula. Gingria Syriaca prælonga erat fistula ex una facta arundine, eaque usi sunt ad lugubres cantilenas, profundiorem etiam ad murmurantem sonum edidit. Verum in Templo fistulæ non passim incinebantur: duodecim solummodo diebus per annum fuerunt auditæ, quando scilicet agnus Paschalis in primo & secundo mactabatur mense, sic etiam primo Paschatis ac Pentecostes die, in octavo festi Tabernaculorum, duæ numero fuerunt vel ad summum duodecim, nunquam plures: *Erachin cap.* 2.

De his pergimus ad instrumenta illa, quorum frequentior, cantui accomodatior usus erat, nempe quæ chordis seu ovium nervis sunt instructa, inter quæ primario se offert Cythara vel potius moderno stylo Harpa dicta, de qua in prima parte egimus: forma istius quandoque conspiciebatur quandrangularis, aut triangularis, quæ ultima ordinarie a Pictoribus, incisoribusque Davidi solet adjungi: collocatur autem longior angulus deorsum, & duo anguli breviores sursum, medio etiam hujusce trianguli chordæ videntur extensæ: In S. Hieronymi operibus exstant epistolæ ad Dardanum, in quibus mentio fit de singulari aliqua Harpa ad Hebræorum usum, quæ figuram Græcæ litteræ delta præsentat cum viginti quatuor chordis. *Kircherus* exhibet eandem ita, ut chordas continuo breviores ascendendo propter corporis inæqualitatem extensas habeat. Triangularis itaque nomine venit Sambucæ, quæ propterea a psalterio & nabla distinguitur. De hac fit mentio *Dan.* 3. 7. *Posthæc igitur statim ut audierint omnes populi sonitum tubæ, fistulæ, & cytharæ, sambucæ, & psalterii &c.* Ex materia similia instrumenta fuerint facta, indicat historia Salomonis, ubi legitur: *Classis Hirram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna Thyina* Amuggim *multa nimis, & gemmas pretiosas; fecitque Rex de lignis thyinis fulcra dodomus Domini, domus Regiæ, & citharas, lyrasque Cantoribus: non sunt allata hujuscemodi ligna Thyina, neque visa usque in præsentem diem* (1. *Reg.* 11. 12.). Igitur & Harpa ex pretioso Indiæ elaborata fuit ligno; cujus sortis illud fuerit, Scriptores in diversas eunt sententias, aliqui dicunt fuisse de cypresso, cedro aut pino, quibus Libanus, (teste *Diodoro Siculo lib.* 19. *cap.* 18.) Sydonem versus abundabat, ex pineo ligno illa instrumenta constructa esse, verosimilius nobis apparet: alia enim ob suam gravitatem modicam causare poterant resonantiam, quemadmodum & omne corpus durum, ac firmum omni caret idoneitate ad efformandum sonum, sed potius ad excitandum adhibentur strepitum, ut aurum, cuprum, argentum, stannum, imo etiam æs, quod percussum quidem sonum sublimiorem efformat, tamen prænominatis instrumentis non est accomodum; dum ergo dicitur, ejusmodi opera confecta esse ex electro, (1) auro &c. Intelligi debet de solo accidentali ornatu, quo circumdata fuere; non autem de ipso corpore principali, quod, ut levissima constet materia, necesse est.

Numerum chordarum *Josephus* Hebræus, *Antiq. Jud. lib.* 7. statit ad decem, aitque talem Harpam plectro fuisse pulsatam, quæque similitudinem habuit cum Harpa Græcorum, qui ex una parte chordas digitis carpebant, ex altera plectro sonuerunt. Rabbini (*Schilte Haggibborim*) asserunt novem quotidie de illis fuisse in orchestra cantorum usitatas, in festis vero majoribus numerus earum ad libitum poterat augeri. Præter Harpam Regius psaltes aliud quoque introduxit instrumentum, quæ Nabla a Græcis nuncupatur, alii Nablam Sidoniam appellant, alii Psalterium fuisse autumant: expositores denique alteri lautæ nomen imponunt, eoquod corpore sint simillimæ; hæc ex eadem formabatur materia, qua Harpa fuit composita; nam hæc duo Instrumenta communiter simul in S. Biblia conjuncta leguntur.

Quæ concernunt istorum operum chordas, ait *Josephus* sæpius citatus, in hoc nablam ab Harpa discerni, dum hæc decem chordas, illa vero duodecim habuerit tonos, quia æque in tribus chordis tot inveniri queunt toni. Nam ex supposito, nablam tantum habuisse tres chordas, quarum quævis ab altera per quintam erat diversa, poterant ergo in qualibet mutando digitos quatuor produci toni, consequenter in tribus chordis duodecim, & sic una quinta octavam ascendere, quæ & minoris citharæ nomen fuit sortita: viceversa psalterii nomine venit cithara major, quæ decem chordis fuit provisa, de qua Rex David ait: *in psalterio decem chordarum psallam tibi:* Ideoque etiam in hac digitorum variatione plurimi exprimi poterant toni, quadraginta

ginta ſcilicet ſi quatuor pro una computemus chorda, quod nullatenus repugnat, nam apud Græcos quoque quadraginta chordarum extitiſſe prima parte diximus: Pſalterium, ait, Eccleſiaſticus ſuavem facit melodiam, hinc non ſolum adhibitum fuit ad gratias Deo reddendas pro beneficiis, verum & in Epulis frequenter uſitatum fuit. Hinc *Eſaias* 5. 12. *Cythara, & nablium, & tympanum & tibia, & vinum in conviviis veſtris*. *Amos* 6. 5. *Qui canitis ad vocem nablii: Ovidius* vocat *genialia nabla*. Nablium LXX. aliquando *ψαλτήριον*, aliquando *ὄργανον* interpretantur. Conſtabat eadem materia ac Harpa uti legitur 1. *Reg*. 10. 12. *Pſal*. 33. 2. legitur בנבל עשור זמרו לו. LXX. interpretantur *ψαλτήριον δεκάχορδον*. Veteres nablam cum pſalterio ob ſingularem ad invicem harmoniam jungere conſueverunt, & Hebræi quotidie duas Nablas una cum novem Harpis ad communes Templi cæremonias adhibuere. Miſna *Erakin c*. 2.

Cymbala in cantorum ſtatione fuerunt uſitata, uti conſtat 1. *Chron*. 15. 19. בםצלתים נחשת להשמיע *Concrepantes in cymbalis æneis*. *Joſephus Antiq. lib*. 7. *c*. 10. lata & magna fuiſſe ſcribit, *Κύμβαλατε ἦν πλατέα, ϗ μεγάλα χαλκέα*. In Talmud *Erakin pag*. 10. deſcribitur צלצל שני כלים מכים זה על זה: memorantur *Pſal*. 150. הללוהו בצלצלי שמע LXX. interpretantur *κυμβάλοις εὐήχοις*.

Migrepha juxta *Kircherum* campanæ formam præſeferebat: hujus ſonitu ii, quibus incubuit, ſe ad Templi præparabant obſequia, immundi autem uſque ad portam retrocedebant, de quo plurimas Hebræi conſcripſere fabulas, quas abſque ulteriori indagatione tranſimus, unice addendo, quod, ut Thalmudiſtæ ipſimet fatentur, organum hydraulicum nunquam in atria, aut ipſum Templum ſit illatum, ob rationem, ne Muſicæ ſuavitas impediretur. *Erachin* pag. 10. *b*. ר"ש בן גמליאל אומר הרדולים לא היה במקדש מאי הרדולים אמר אביי טבלא גורנרנא מפני שקולו ערב ומערבב את הנעימה:

NOTÆ IN CAPUT SEXTUM.

(1) Joſeph. Antiq. Jud. *lib*. 8. Plinius *lib*. 33. *Ubicumque quinta argenti portio eſt in auro, electrum vocatur*. Servius *in Virg. adverſum*. Tum leves ocreas electro auroque recocto. *Eſt electrum triplex, unum ex arboribus, quod ſuccinum vocatur. Aliud quod naturaliter invenitur. Tertium quod fit de tribus auri, & una argenti, quas partes ſi naturale reſolves, invenies. His adde teſtimonium* Juſtiniani in Inſt. Tit. de rerum diverſione. *Si diverſæ materiæ ſint, & inde propria ſpecies factæ: ut ex auro & argento electrum*.

CAPUT SEPTIMUM

De Melodiis Cantus in Templo uſitatus.

Minime ambigendum eſt, Levitarum cantum in templo fuiſſe etiam ſuavem & artificioſum, cum ſupremus muſicæ magiſter rex David jam tunc in arte hac peritiſſimus extiterit, & omnem dederit operam, ut Levitæ quoque optima in illa jacerent fundamenta, ipſemet non ſolum carmina, verum etiam melodias eorum compoſuit, eaſque artificioſas, quibus malum a Saule ſpiritum recedere coegit, dum in cythara ſua diverſas ſonaret melodias. Hebræorum itaque muſica ab illis temporibus non modicum accepit ſuavitatis ornatuſque incrementum, ut in Regum aulis plurimum fuerit æſtimata: ita Salomon inter regias ſuas delicias ſimul numerat cantores atque cantatrices; *Feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum* (*Eccl*. 2. 8.); Nec mirandum, quia apud Græcos canendi & ſonandi facultas ſummopere floruit. Harmonia vero nihil eſt aliud, quam vocum, tonorumve conſonantia, quæ auditum demulcent ob ſuam ſuavitatem. In prima parte oſtenſum fuit, Græcos tria habuiſſe Muſices genera, nempe genus Diatonicum, Enarmonicum & Chromaticum; ex his naſcitur quæſtio, utrum omnia hæc etiam Davidis temporibus in cantorum choro fuerint familiaria; extra controverſiam inprimis eſt, genus Chromaticum: (quod variis floſculis eſt immixtum:) nondum fuiſſe notum, cum dicatur, quod illud Timotheus Mileſius regnante Alexandro Magno prima vice introduxerit, cui reſtitit reſpublica Lacedæmoniorum publico edicto, ne præſumeret idem in eorum pro-

provincia promovere. Generis Enarmonici, quæ cantui etiam quartam interponit toni partem, æque Græci invenerunt, ideoque nec hujus uſus Davidi innotuit: igitur pro temporibus Davidis unicum reſtat genus Diatonicum, tanquam vetuſtiſſimum, omnibus ſeculis a cunctis obſervatum gentibus, quæ in una quarta duos tonos, una cum medio comprehendit, in quo Muſica ſufficientem obtinet materiam animos recreandi.

Apud Græcos antiquis jam temporibus tres diverſi inveniebantur modi cantandi, Dorius ſeu modeſtus ad excitandam & conſervandam pietatem, Lydius triſtis pro funeribus, Phrygius effœminatus pro choræis ac feſtis, qui omnes etiam in cantu Hebræorum & Levitarum moderate fuere adhibiti, nam horum cantus erat modeſtus & gravis: cum ſumma namque reverentia & attentione in templo, non alia, niſi quæ de Deo ejuſque mirabilibus agerent, cantabant: quem ſtylum unice Rebuspublicis admittere volebat Plato: fuit & hilaris, cum & vindemiantes canere aſſueverant pſalmos ad Deum laudandum, triſtis dum pro ſuis tranſgreſſionibus pænitentiales pſalmos aut graduales profunda melodia concinerunt.

Voces etiam in duas diviſere ſpecies, quarum una acutior pro juvenibus, altera profundior erat pro toto choro: hoc quoque advertendum eſt circa inſtrumenta, per nablam vox exprimebatur acutior, per pſalterium ſive harpam profundior. Denique qua melodia quilibet pſalmus fuerit cantatus, ipſoſmet latet Judæos, qui nec ullum in eorum cantu ſervant ornatum, aut harmoniam, quam poſt templi deſtructionem amiſerunt, quod, teſte Abarbenele, ipſimet libere fatentur, quid mirum? Si ſimul etiam vetuſtas cæremonias, legeſque reliquerint. Quomodo autem antiquitus melodias conſervaverint, aliiſque communicare potuerint, difficile eſt explicandum: quidam dicunt, hoc deſumtum fuiſſe ex inſcriptione cujuſcunque pſalmi, poſthac vero in Babylonica captivitate inſcriptiones eſſe deperditas: ſed meræ iſtæ ſunt fabulæ: etenim inſcriptiones non aliud indicant, quam materiam, de qua tractant: alii volunt accentuum ſignis indicatum eſſe, qualiter melodia in tonis aſcendat, vel deſcendat, quodve Muſici illi conſecrati in hoc ſpecialiter fuerint imbuti: at nec hoc ſubſiſtit, etenim ſi ita res eſſet omnia verba, in ſacro Codice accentibus ſignata cani oporteret, ſed iis tantum monſtratur longitudo, aut brevitas ſyllabarum, commata vero & puncta interpoſita oſtendunt ſenſum conſtructionis, abſque iis enim immutaretur ſcripturæ ſenſus: ſequitur proin, antiquas pſalmorum melodias temporum injuria penitus oblivioni eſſe datas. Præterea veteres melodias invenerunt, ut ſerius auditores ad ſubjectum attenderunt materiæ, nam dum inſipide aut ſine guſtu canebatur, faciliter eorum animus alio divagari poterat, item curarunt, ut verba per decurſum recte pronuntiarentur, & finale longiori exprimeretur melodia. Conſonantiam item vocum magni habebant, quod mirari licebit, inter tot cantorum, inſtrumentorumve, diverſas voces, ac ſonos, qui in templo Dei reſonarunt, quin tamen in minimo audientium aures fuerint offenſæ, quivis in certa diſtaatia ſuum habuit aſſignatum locum, eædem voces, ejuſque generis inſtrumenta ſimul fuere unita. Hi canebant in octava, alii in quarta, aliqui cecinerunt in tertia, alteri in ſexta, omneſque ad unam eandemque menſuram, & quidem concertando, aliis ſilentibus iſti involarunt: Hebraicæ quoque traditiones referunt, pſalmos fuiſſe cantores alternatim, finitiſque tribus pſalmis tubas eſſe inflatas, aut aliis inſtrumentis ſuavia facta ſint intermedia, ut cantores reſpirare potuerint, in quem finem parati adſtabant duo Sacerdotes cum argenteis tubis, quarum ſonitu populi devotio renovabatur, qui mox toto corpore ſe in terram proſtravere; *Tamid. cap.* 7. על כל פבק תקיעה ועל כל תקיעה השתחוי; poſt terminatam unam cæremoniam variabant muſicam, ita ut ubi prius aut ſolæ humanæ audiebantur voces, aut inſtrumenta, nunc ſola occupata fuerint inſtrumenta, vel una ſimul cum vocibus jungerentur; propterea, quod productum fuit ſola voce humana, cantilena dicebatur, ſi conjuncta erant inſtrumenta, pſalmi nomen accepit: præter iſtas variationes etiam menſuras mutarunt, unum in æquali, alterum in triplo cantando, hinc venit, quod aliqui pſalmorum periodi & verſus ſint breviores, alii econtra longiores. Varie demum interpretantur verba illa: *Secula, ſeculorum, amen*, quæ aliquoties in pſalmis occurrunt, nam dicunt illis ſignificari animæ ſuſpirium, vel ſignum admirationis, aut quod melodia tunc ſit varianda, vel omnibus ſit pauſandum, aut econtrario voces ſint exaltandæ, ut auditores denuo ferventiores in ſuo cultu proſequantur, verum, cum prædicta verba ordinarie ultimum teneant locum, hinc fruſtra finita pſalmodia ad devotionem eriguntur ad-

adstantes: his ergo Interpretationibus non fidentes dicimus, illis verbis solos tibicenes fuisse admonitos, ut dum illa verba occurrerunt, ipsi tubarum sonum exaltarent, quo & populus ad majorem incitabatur fervorem, necnon signum ad sequentem variandam melodiam erat datum.

ATHANASII KIRCHERI
LIBER PHILOLOGICUS
De sono artificioso sive Musica, ejusque prima institutione, ætate, vicissitudine, propagatione.

PRÆFATIO.

EXaminatis in præcedenti libro atque juxta ordinem naturæ discussis singulis iis, quæ ad soni vocisque genesin quovis modo spectare videbantur; ordinis ratio modo postulat, ut ad sonum artificiosum sive Musicam dissertationis nostræ filum extendamus, quam eo prorsus modo, quo illa in hominum animis adolevit, persequemur. Sciendum autem Musicam in primis *statim* mundi incunabulis in varia illisione corporum, *uti & in* animalium vocibus, veluti quædam sui jecisse *seminarii* fundamenta; quæ deinde rerum omnium finis Homo altius excolens, in fabricam omnibus numeris absolutam eduxit; Ut enim sonus simplex vocem, ita vox simplex vocem sive sonum harmonicum (veluti compositionis rerum elementa quædam) antecessit; de cujus quidem harmonici soni origine, ætate, propagatione, vicissitudine, præsertim apud Hebræos & Græcos hoc libro disceptare constituimus. Et ne Lectoris avidum animum longiori prolusione suspendamus, propositam nobis materiam ab ovo, ut dici solet, auspicabimur.

CAPUT PRIMUM.

De Musicæ Inventione.

IN hoc mundano rerum theatro, nihil sono magis obvium; Is tamen uti adhuc nunc, ita etiam primævæ jam mortalium genti variam dedit inventionis suæ occasionem oportunitatemque; Atque in primis ventorum, uti & quorundam animalium sibili, quos primi illi mortalium per campos hinc inde dispersi identidem percipiebant, primam quoque occasionem dederunt fabricæ fistularum, quas ad similitudinem naturæ ex avena, arundine, tibiis gruum, aliisque cavis plantarum thyrsis efformabant; Concavorum vero corporum sonitus strepitusque, variam pulsatilium Instrumentorum supellectilem peperit, uti postea videbitur.

Cum enim primævi mortalium, ut plurimum, rusticæ ac pastoritiæ vitæ operam darent, ibique sua figerent habitationis tentoria; ubi pinguia occurebant pascua; & loca aquis irrigua, & consequenter juncis, arundinibus, papyris, similibusque fistulosæ prolis germinibus referta; fieri non potuit, ut gens tota die plerunque otiosa, sine aliqua mentis relaxatione consisteret. Verisimile igitur est hos homines ex dictis fistulosis thyrsis primum lituos sibi varios formasse, & quidem non minori, quam hoc tempore pastores, ceterosque rusticam vitam agentes

tes facere videmus, artificio; & forsan etiam majori, utpote qui tum ingenio adhuc erant vegetiori. Cum præterea iidem primi mortales fabrilem artem (utpote sine qua humani generis societas periret) ut plurimum callerent; fieri sane non potuit, quin ex casuali subinde diversorum corporum collisione inter laborandum non varios sonitus ac strepitus subinde excitarent; unde admodum probabile est, eos hac occasione in variam pulsatilium instrumentorum notitiam pervenisse ea prorsus ratione, uti nobis hodierno die subinde adhuc contingit. Musica igitur non a Græcis, aut Ægyptiis, aut Chaldæis, sed a primis ante diluvium hominibus primam habuit suæ inventionis originem; imo si omnes homines e mundo jam tollerentur præter paucos pueros rerum ignaros, hosce tamen tum necessitate cogente, tam casu & experientia cum tempore in varias inventiones humano generi necessarias incidere posse nihil dubito; inventiones enim rerum homini insitæ sunt, nec libris solum discuntur, sed & intellectu aliqua insigni necessitate cogente, vel casu, aut experientia vel genii suggestione eruuntur; Musicam igitur jam a principio fuisse, præterquam quod Sacræ Literæ id luculenter testentur, ipsa etiam ratio dictat, ut dixi; Certe *cap.* 4. *num.* 21. Geneseos Musicorum instrumentorum inventio Jubali aperte adscribitur his verbis:

שם אחיו יובל הוא היה אבי כל
תפש כנור ועוגב:

Et nomen fratris ejus Jubal ipse fuit Pater tractantis sive pulsantium Cytharam & Organum, ubi 70. habent οὗτος ἦν ὁ κατιδείξαν ψαλτήριον ϗ κιθάραν; *hic fuit qui monstravit primus psalterium & Cytharam*. Qualia vero fuerint instrumenta ab ipsis inventa dicitur in Capite de Musica Hebræorum. At vero post diluvium Ægyptii primi fuerunt perditæ Musicæ instauratores. Hi enim a Chamo & Mesraimo filio ejus instructi Musicam in tantum illustrarunt, ut vel ab Ægyptio verbo Moys Musica etymon suam sumserit, eo quod ad stagnantes Nili paludes, occasione arundineæ, papyracæque sobolis (ex qua lituos suos efformabant) ibidem copiose repullulascentis, inventa ac instaurata sit. Verum vide quæ fusius de hoc argumento in Prodromo Copto tractavimus. Ab Ægyptiis autem postmodum ad Græcos, ab his ad Latinos aliasque Nationes traducta, nullo non tempore magnos progressus fecit. Quid vero unaquæque Natio proprie circa hanc facultatem invenerit, quemque in Musica modum servarit in peculiaribus locis docebitur.

CAPUT II.

De objecto Musicæ ejusque subalternatione & quod Musica sit vera scientia speculativa.

Omnis facultas ordine naturæ objectum aliquod circa quod primario versetur, præsupponit; Objectum Mathematicæ absolutum & adæquatum est quantitas terminata, quæ uti duplex est continua & discreta, ita duplicem quoque Facultatem parit, Geometricam & Arithmeticam. Utraque quantitas denuo spectari potest vel absolute, simpliciter & per se, vel relative aut in ordine ad aliud; priori modo purarum Mathematicarum, posteriori mixtarum constituit objectum; In quantum vero utraque se tenet ex parte materiæ præbet materiale objectum commune tam puris, quam mixtis scientiis; in quantum autem ex parte formæ, formale constituit objectum, cujus officium est scientiam, quæ circa illud occupatur, ab omnibus aliis distinguere; Hoc pacto formale objectum Opticæ est linea visualis; Musicæ, numerus sonorus, circa has enim affectiones, nulla alia facultas præterquam Optica & Musica versantur. Nam licet tam Optica quam Geometria pro materiali objecto suo communi habeant lineam, attamen Geometria eam sub alia ratione ac formalitate considerat, quam Optica: illa enim ut extensam, Optica vero ut etiam visualis est, lineam considerat; quæ quidem formalitas, ut dictum, est Opticæ formale objectum, per quod tam a Geometria, quam ab omnibus reliquis scientiis distinguitur. Similiter tam Arithmetica, quam Musica habent pro objecto communi numeros. At Musica sub alia formalitate illos considerat, quam Arithmetica; nimirum pro ut sunt sonori, seu pro ut dicunt certas proportiones sonorum; per quam formalitatem Musica, tanquam per formale objectum, differt ab omnibus aliis scientiis. Quid autem sit iste numerus sonorus, ut formalis objecti ratio hujus scientiæ plenius innotescat, restat explicandum.

Numerus igitur sonorus late sumtus nihil aliud est, quam numerus certam ad voces sonosque relationem dicens, qui & artificiose in corpore sonoro reperitur; Stricte vero sumtus relationem dicit ad intervalla tantum consona, quæ nil aliud sunt, quam certæ proportiones ac formæ quæ-

quædam consonantiarum primo loco in Musica consideratæ. Quas quidem rationes in una solum chorda inquirebant primi Musici, reperiebantque tantam esse quantitatem soni chordæ, quantus erat numerus partium, in quas illa dividebatur; nota igitur chordæ longitudine ac partibus, in quas secabatur, de distantia gravis & acuti infallibile judicium formabant: Ita in chorda quapiam divisa bifariam ex sono unius partis comparato ad sonum totius chordæ, luculenter in notitiam deveniebant intervalli sive vocis diapason (quam vulgo Octavam vocant) hancque consonantiam in dupla proportione, juxta sc. divisarum partium analogiam, consistere, necessario inferebant; eo quod se haberet sicut duo ad unum.

Cum vero ex tardo motu gravis, ex celeri vero acutus sonus nascatur, aliud inferebant; nimirum dimidiam divisæ chordæ partem ad integram duplo celerius tremere, ita ut si millies tremat integra, bis millies tremat dimidia; Idem judicium de ceteris omnibus consonis & dissonis intervallis formabant, quæ omnia fusius hic examinarem, nisi ea secuturis libris reservassem. Atque hinc patet quod uti voces & soni sunt quasi intervallorum harmonicorum materia; ita numeri & proportiones forma sunt eorumdem, ex quorum additione resultat tandem numerus sonorus verum & formale objectum Musicæ; licet autem omnia corpora producendis sonis apta sint, non tamen illa semper, nisi ad unam certam & determinatam formam harmonicam reducantur, consonantiis generandis idonea sunt.

Atque hinc inferimus primo Musicam esse subalternatam scientiam; Quod ut intelligatur; Notandum scientias alias esse principales, alias minus principales, Principales dependent a generalibus principiis lumine naturæ aut cognitione sensuum notis; ex quibus suas conclusiones deducunt; Sicuti sunt v. g. Geometria & Arithmetica, dicunturque subalternantes; Minus principales vero sunt, quæ præter illa principia lumine naturæ nota vel sensuum ope acquisita; assumunt etiam pro suis principiis conclusiones jam a scientia Principali demonstratas; Et licet idem commune objectum materiale cum Principali habeant; tamen in hoc ipso subjecto seu objecto communi considerant certam quandam perfectionem seu formalitatem a qua præcipue suam specificationem accipiunt (ut paulo superius dictum de Optica respectu Geometriæ) cui tam ratione Principiorum quam subjecti seu objecti subalternantur.

Hoc igitur posito patet etiam Musicam esse scientiam Arithmeticæ subalternatam; quod ita probatur. Tria ad subalternationem alicujus scientiæ ex dictis requiruntur. Primo scilicet idem objectum materiale tam subalternanti, quam subalternatæ commune; Secundo eadem utrique, quibus in conclusionibus formandis utantur, principia communia & ut insuper subalternata assumat pro suis principiis conclusiones a subalternante factas; Tertio ut subalternata Objectum commune consideret, ut affectum certa quadam perfectione ac formalitate, quæ sit ejus specificationis fundamenum ac basis; At hæc tria inveniuntur in Musica; Ergo &c. Primo enim numerum utrique communem considerat. Deinde Principiis utitur ab Arithmetica acceptis. Denique numerum non præcise & per se, sed ut certa sonoritatis perfectione affectum, seu numerum in corporibus sonoris elucescentem considerat; dum videlicet exhibet sonos habentes datos quoslibet acuminis & gravitatis gradus; dum dato quolibet sono, alios in data proportione variatis nimirum longitudine, ambitu, tensione, & corporum sonantium densitate, invenit; dum denique datos quoslibet numeros sonoros numerat, addit, subtrahit, dividit, multiplicat &c. Porro si sonoritas hæc lineis numero explicabilibus applicetur (quemadmodum nos in Geometria nostra harmonica præstitimus) erit Musica non tantum Arithmeticæ, sed & Geometriæ subalternata, habebitque objectum formale lineam sonoram, ut in Echosophia fusius probabitur.

Patet igitur quomodo Musica sit subalternata scientia. Patet quoque eandem non puram Mathematicam, sed mixtam esse, inter Arithmeticam vel Geometriam & Physicam intermediam. Patet denique Musicam esse proprie ac stricte dictam Scientiam, eo quod subalternetur, ut dictum, Arithmeticæ & Geometriæ. Cum igitur hæ subalternantes sint proprie dictæ scientiæ (ut docte & solide demonstrat Blancanus in Locis Mathematicis Aristotelis) sequitur & subalternatas esse tales, cum utantur iisdem principiis & insuper Musica procedat vere modo scientifico. Nam tria adhibet principiorum genera, nempe Definitiones, Postulata, & Axiomata, ex quibus tandem perfecta scientia nascitur, ut fuse in libris posteriorum probat Philosophus; Et definitiones quidem sunt perfectæ & essentiales, ut sunt definitiones, quas tertio libro proposuimus. Ut v. g. *Intervallum harmonicum est spatium intensionis & remis-*

remissionis capax &c. Intervallum multiplex duplum sive diapason, est spatium harmonicum majus, minus bis continens &c. Intervallum multiplex triplum, est spatium harmonicum majus, minus ter continens, & sic de ceteris; quæ sunt definitiones essentiales, & aliter se habere non possunt, imo æternæ veritatis, ut alibi demonstramus, necessariamque cum natura rerum connexionem habent. Axiomata quoque sive Pronunciata in Scientia Musica sunt, Propositiones per se ac lumine naturæ notæ. Ut: *Quicquid harmonice metitur alterum, metitur & mensuratum ab illo &c. Compositum harmonicum in ea resolvitur simplicia ex quibus componitur &c. Quicquid metitur detractum & residuum, metitur & totum;* Et similia plura de quibus alibi ex instituto. Postulata sunt: *Data æquali chorda, quæ spatii ad spatium proportio est, est & soni ad sonum*. Et similia, ex quibus certissimas conclusiones, ut in toto hoc opere passim videre est, formamus. Unde tandem concludimus Musicam vere & proprie scientiam esse dicendam.

CAPUT III.

De divisione & definitione Musicæ.

MUsica latissime sumta nihil aliud est, quam discors concordia vel concors discordia variarum rerum ad unum aliquod constituendum concurrentium, de qua in ultimo libro fuse tractabitur; estque vel naturalis vel artificialis; Naturalis complectitur totam naturam rerum harmonice dispositam, sive quod idem est, Musica Mundana, continet, cœlorum, elementorum, mixtorumque admirandam harmoniam. Ad hanc Musica quoque humana revocatur, quæ consistit vel in compositione corporis harmonica, vel in sensuum tam interiorum quam exteriorum miro ordine, dispositione ἐυκρασία & concordia, uti suo loco dicetur.

Artificialis est vel organica vel harmonica: Organica continet instrumentorum sub triplici ordine Pneumaticorum, Encordorum, Pulsatiliumque artificiosam fabricam, usumque, de quibus integro libro V. tractamus ex professo; Harmonica Musica est, quæ mediante sensu & ratione considerat differentias sonorum, modulationum, consonantiarum, de qua quatuor integris libris scil. *Tertio*, *Quarto*, *Quinto*, *Sexto:* varie tractamus.

Nonnulli Musicam dividunt in speculativam & practicam; Unde & Musicus theoricus ille dicitur, qui excluso sensu, sola tatione quæcumque in harmonica Musica occurrere possunt, judicat; Practicus vero qui solo sensu innitens, causam suæ operationis ignorat qua talis, unde tanto practico theorico nobilior est, quanto scientia arte eminentior; uterque tamen imperfectus juxta illud.

Bestia non cantor, qui non canit arte, sed usu.

Solus itaque perfectus Musicus est, & dici debet, qui Theoriam praxi jungit, qui non tantum componere novit, sed & singularum rerum rationem reddere potest; ad quod tamen cum dignitate præstandum, omnium pene scientiarum notitia requiritur; scilicet Arithmeticæ, Geometriæ, Proportionum sonorum, Musicæ practicæ tam vocalis, quam instrumentalis, Metricæ, Historicæ, Dialecticæ, Rhetoricæ, totius denique Philosophiæ absoluta cognitio, adeo ut Musicam in rigore sumtam, nihil aliud esse definiamus, quam *Sonorum harmonicorum, in quocumque genere occurrentium perfectam scientiam*, cujus in hac Musurgia universali sive Arte Magna Consoni, & Dissoni archetypon quoddam ponimus; Verum his καθολικοτέρως præmissis, jam singula ordine exequamur, a varia variarum Gentium Musica initium facturi.

CAPUT IV.

De Musica antiqua Instrumentisque Hebræorum, & qualia illa fuerint.

INventum chordarum uti facile fuit, ita quoque vetustissimum esse & primævorum temporum nemo dubitare debet; cum enim nihil adeo necessarium sit, quam filorum ad varia compingenda usus; omnis autem quorumcunque filorum extensio gratum quendam sonum excitet; ex varia autem tensione chordarum varii nascantur soni, nihil facilius fuit viris Musurgis hac experientia prius edoctis, Instrumenta tandem omnis generis adinvenire; & quidem Cytharam polychordam ante diluvium fuisse Sacræ nos docent Literæ, decachordo quoque Psalterio Davidem usum liber Regum psalmorumque testatur; Ut igitur qualitatem conditionemque hujusmodi apud Hebræos quondam usitatorum Instrumentorum penitius rimarer, quotquot habere licuit Rabbinorum Commentarios Thalmudicorumque operum, de iis tractantium Volumina, serio volvi & revolvi, ut quid de vera dictorum Instrumentorum forma in tanta Autorum confusione sentiendum esset, in fonte cognoscerem;

rem; Quid igitur profecerim curioso Lectori hoc loco communicare constitui.

Inter ceteros igitur Hebræorum Autores exacte hujusmodi Instrumenta tractat Autor Schilte Haggibborim; qui Sanctuarii diversa Musica instrumenta fuisse ait numero 36. quorum omnium pulsandorum Artifex fuit David; verba adjungo:

יזכור ששה ושלשים כלי נגון שהכירו בהם דויד המלך

Memoratur David 36. Instrumentorum musicorum pulsandorum notitiam habuisse; & ibidem:

ושני ועשרים סני זמרה שידע בם דויד המלך ע"ה בבית הקרש ויכתוב מאמר שלם בתנאי הזמרה המלאכותית


Id est: scripserunt Patres nostri quod cantica & sonationes domus Sanctuarii fuerunt plurimæ: memorant enim 22. diversa instrumentorum genera, quorum omnium pulsandorum notitiam tenebat Rex David, pax super eum. Et Saadias in Danielem illi 36. Instrumentorum peritiam tribuit. Tractatus Aruchin Talmudicus 34. eorundem numerat. Quæ omnia ut ex confusione sua in ordinem harmonicum redigantur a polychordis, quæ Hebræis נגינות *Neginoth* appellantur, ordiemur.

§. I.

De Instrumentis Hebræorum Polychordis, sive נגינות *neginoth.*

Neghinoth Hebræorum instrumenta, quæ manu vel bacillis aut plectro pulsantur, fuisse, vel ipsum verbum נגנה quod idem est ac pulsare satis superque declarat; Schilte haggibborim ita ea describit cap. 4. הם כלי עץ ארוכים ענולים וחללים מתחתיתם שהיו להם ג' מתרים של גידו או מעי בהמה כשהיו מנגנים בהם היו גורדים המתרים עם קשת מתוקן בשערי זנבי סוסים משוכים בחזקה נקרא הכלי הזה בלשון יון התריקורדון ובלאט-טינו תריפידיוז Et *Neginoth*, inquit fuerunt instrumenta lignea longa & rotunda & subtus ea multa foramina tribus fidibus constabant ex intestinis animalium, & cum vellent sonare ea, radebant fides cum arcu compacto ex pilis caudæ equinæ fortiter astrictis, in græco dicitur *trichordon*, in latino *trifidium*. Instrumenta vero *Neginoth* fuerunt Psalterium *Nablium*, Cythara sive quod idem est *Assur*, *Nevel*, *Kinnor*, *Maghul*, *Minnim*, de quibus singulis breviter aliquid dicendum est.


מנים Minnin מחול Machul



Psalterium Davidicum quale fuerit, nemo recte adhuc definivit, credunt aliqui non tam fuisse instrumentum, quam certa quædam harmonia genera denotare, & vocis, sonique modulationem; Josephus duodecim sonos id habere tradit ac digitis carpi. Hilarius, Didymus, Basilius, Euthymius omnium vocant organorum musicorum rectissimum nihil in se perversum continens, aut obliquum, quod in superiori parte pulsaretur: Unde videtur cavo testudinis caruisse; Augustinus ait manibus portari percutientis, & ex superiori parte habere testudinem, illud scilicet lignum concavum, cui chordæ innitentes resonant, sicuti Cytharæ habent inferne. Hieronymus describit hoc organum in modum quadrati clypei cum 10. chordis; Hilarius idem vult esse quod *Nevel*, sive *Nablium*, certum enim est Psalterium chordis instructum fuisse, & psallendi verbum significat, Suida teste, summis digitis chordas carpere; Magna Musicorum pars, ipsi similitudinem Harpæ nostratis tribuit, quam & passim ejus imagini appingere solent triangulari forma, quam Apollodorus apud Athenæum vocatam ait μάγαδιν, Aristoteles τρίγωνον, Suidas Sambucam. Quo fit, ut in psalterio chordæ inæquales essent, quod & de Sambuca Porphyrio in vetere lexico tradit. Nonnulli idem esse hoc psalterium ac *Nablium* ex illo Ovidii 3. de arte, dicunt:

Disce etiam duplici genialia nablia palma
Verrere, conveniunt dulcibus illa modis.

Huic consonat quod Schilte asserit, ait enim *Nebel* instrumentum fuisse fidicinum fidibusque 22. in tres octavas fuisse diremtum; *Asur* autem chordis 10. *Kinnor* 32. *Machul* 6. *Minnim* 3. aut 4. constitisse fidibus: *Nevel* instar trapezii fabricatum, *Kinnor* vero ad instar hodiernæ Cytharæ similitudinem; *Machul* & *Minnim*, ut Violam & Chelym. Verum ne in instrumentis *Negginoth* recensendis fusior sim, hic ea ex antiquo codice Vaticano depromta Lectori communicanda duxi, ubi psalterium sub forma A exhibetur, *Cinnor* sub B *Machul* sub C *Minnim* sub E *Nevel* sub I refertur.



Mersennus vero Cytharam novam & antiquam sub alia figura determinat. Apparetque eam similitudinem habuisse nostræ Harpæ in trisdiapason per tres octavas 24. chordis distinctam. Qualis vero fuerit mysticum illud decacordon, triplicis mundi harmoniam referens, tum alibi, tum in Musica nostra hieroglyphica fusius describetur.

Haghniugab instrumentum fidicinum (cujus mentio fit in Thargum tam *Onkelos*, quam *Uzielidis*,) erat *Cheli* majori, quam vulgo *Viola gamba* vocant, haud ab simile, & 6. chordis constabat. Vide R. Hannasse cap. 10. Schilte haggibborim; confunditurque passim cum *Machul*; differunt enim tantum in numero chordarum.

§. II.

De Pulsatilibus instrumentis Hebræorum.

INstrumentis *κρυστοῖς* sive pulsatilibus Hebræi usi fuerunt teste Schilte haggibborim, ubi hisce verbis ea describit: וגם ידעו הששנים המחלת השושן ערות המשרקיתא הקתרוס השבברא חפסנדרין הסמפונייא המגרפה דערכין והאורדבלוס והטבלא גותגנא העווב התף המנענעים צלצלים ודומהים: Id est Patres nostri noverunt ex instrumentis, *Haschusanim*, *Hammechilath*, *Haschbusangnaduth*; *Meshrakitha*, *Hakithros*, *Haschabra*, *Hasphanderin*, *Hamingnanghin*, *Hasimphunia*, *Hamagrepha Thalmudica*, *Haordaulus*, *Hatabla gutgana*, *Haiugab*, *Hataph*, *Hamingnangin*, *Hazalzaloth*; & similia de quibus singulis.

I. De Tympano Hebraico
תוף *Toph dicto*.

Tympanum Hebraicum ab Ægyptiis originem suam habuisse Author ex Schilte haggibborim: והכוהנים המצריים בפרט היו משתמשין בכלי התוף בבירת האלילם שלהם הנקראת אם כל אלילים והיא המכונת אצלם ריאה ויסטא שהיא יסוד הארץ ואבינו יקבלוהו מהם: Sacerdotes enim Ægyptii potissimum utebantur tympano in delubro magnæ Matris Deorum, quæ Dea Vesta dicitur & fundamentum terræ indicat. (En figuram ejus ex citato Autore,)

quod

תוף



N

quod diversam a modernis figuram habuisse Rabbi Abraham Hannasse testatur; Ait enim illud similitudinem navis habuisse, sive lintris, unde & a Græcis Cymbalum sit dictum, est enim Græcis Cymbalum nihil aliud, quam instrumentum musicum instar Cymbæ: ait præterea, hoc instrumentum fuisse pelle animalis obductum, deinde plectro instar pistilli aut virgæ ferreæ vel æneæ fuisse pulsatum ictu nunc forti nunc remisso, sonis jam inspissatis & frequentibus, modo raris & obtusis non secus ac in nostris tympanis fieri solet. Verum similitudinem ejus una cum allegatione textus citati Autoris hic adjungendam duxi:
נקרא התוף כימבאלון מפני צורתו שהירה דומה לספינה קטנה הנקראת בלשון יון כימבא ונקרא כימבלון מפני שהוא דומה לספינה קטנה בלי מחסה שלמתכת כמושל נחשת או של מתכרת אחרה ארוכה וצרה בראשה ובסופה ורחבה והלולה מעט באמצעיתה

II. מחול *Machul.*

In superioribus instrumentum *Machul* inter fidicina numeravimus ex mente quorundam Hebræorum. Quamvis Abraham Hannasse illud nequaquam fidicinum, sed pulsatile fuisse manifestissimis argumentis demonstrasse se putet, ait enim illud idem fuisse, quod Systrum Ægyptium aut κρῦσμα Græcorum; fuisse autem circulum multis tintinabulis circumdatum ex ferro, ære, argento, auro fieri solitum; Sed verba ejus audiamus:
והנה המחול נקרא בלשון יון סיסטרום או ברוסמאו בלשון לאטינו טינטינאבולום כלי של נחשת או של כסף או זהב שהוא ענול ודומה לטבעת גדול פתוח מכל צדדוי שכצר שלו סביב סביב שהוא רחב כמו שלשה אצבעות חיו קבועים פעמונים ובהקשת הענבלין בזוגין חיו משמיעים קולות שלשמחה

מחול



O

Verum nos comparatione facta melius forsan dicimus, hujusmodi Systrum inter instrumenta, quæ dicuntur *Zalzsaloth & Minangnghinim*, id est inter ea, quæ multis tintinnabulis constant, adnumerari posse.

Neque enim hujusmodi instrumentum ulla ratione respondet Systro Ægyptiorum;

rum; Nam uti nos fuſe in Muſica noſtra Hieroglyphica oſtendimus, erat Syſtrum inſtrumentum ferreum non campanulis inſtructum, ſed ferreis circulis cum manubrio, quo agitato triſte quoddam murmur oboriebatur ex colliſione annulorum ferreorum tum inter ſe, tum cum ferreis, aut æneis, quibus inſerebantur, tigillis; quorum formam & rationem myſticam fuſiſſime deſcriptam reperies in Oedipo noſtro, in libro de Muſica Hieroglyphica Ægyptiorum. Ad hujus tamen ſimilitudinem fabricatum fuiſſe Syſtrum Hebræorum ſive *Thoph* hinc inducor, quod hujuſmodi Syſtro Virgines in connubiis Syſtrorum tripudiis paſſim uterentur; ut in Exodo & libro Judicum de Maria Sorore Moſis, & Jephte Filia legimus, & adhuc in Palæſtina uſum hujus Syſtri permanere, a teſtibus fide dignis accepi.

III. עצי ברושים *Gnetſe Beruſim.*


Quid aut quale hoc inſtrumentum fuerit neminem, qui recte id deſcripſerit ex Rabbinis inveni; quidam id confundunt cum *Crotalis*, nonnulli idem eſſe volunt quod ruſticum inſtrumentum vulgo dictum *Gnaccari*. Alii cum Syſtro confundunt. Solus R. Hannaſſe veritatem attigiſſe videtur, dum illud his verbis deſcribit: אך עצי ברושים הם לפי דעתי כלים מיוחדים משמיעים קול הברה בלתי נכונה אל הזמרה והם שני כלי עץ של ברוש שהאחד מהם הוא דומה למכתש או למרוכה קטנה נקרא מורטאריולום אמנם הכלי עץ האחר הוא דומה לעלי קטן הזרת ארכו בלבד ארוך הוא ועגול ופאמצעיתו הוא דק מעט ובשני ראשיו יתר גס ודומה לכפתור או לתפוח הבררים והשני כלים האלה יהו בלשון יון כרותלון ובלעץ נאקארי.

Gnets Beruſim prout cognoſcere potui ait illa erant inſtrumenta unita, ſonantia vocem claram, ſine tamen harmonia, ut in aliis inſtrumentis fidicinis fieri ſolet; Sunt enim in ſubſtantia nihil aliud quam duo ligna Abiegna. Quorum unum ſimile eſt mortariolo, alterum ſimile piſtillo parvo, longo & rotundo, in cujus medio eſt manubrium parvum, & in duobus capitibus ejus eminebant nodi quidam quaſi grandine guttati, qui vero ea pulſabant accipiebant mortariolum in manu ſiniſtra, & cum piſtillo in manu dextra percutiebant ſemel ſupra oram mortarii & ſemel ſupra os ejus cum duobus extremis capitibus piſtilli, ſemel quidem cum uno extremo piſtilli & ſemel cum altero. Dicunturque Græcis, & Latinis *Crotalum*, Italis *Gnaccari*.



IV. מנענעים *Minagnghinim.*

Non minor inter Autores de hujus nominis ſignificatione controverſia eſt; Quidam id pro pſalterio, alii pro Cymbalo, multi pro Crepitaculis puerorum ſumunt. Thalmudicus tractatus *Aruchin*, dicit eſſe inſtrumenta, quæ per vehementes eorum commotiones ſphærulas in ſe ipſis concutiunt, varioſque per os ſtrepitus emittunt. Omnium optime id explicat Hannaſſe loco citato, his verbis: הכלי הזה הוא של אחד של עץ מרבע וחלק שבראש יש לו בת יד לאחז אותו בו ועל הטף מזה ומזה יש הטירות עץ ענולות כדוריות תחוכות בשלשלת ברזל או במתר קנבוס בתוך חף וכשמנענעים הדף ויקשבו בכידורים האמורים ישמיעו קול של למרחוק Inſtrumentum hoc, inquit, eſt tabula quædam lignea quadrata in cujus capite manubrium eſt apprehenſioni aptum, ſupra tabulam vero hinc inde ſunt globuli lignei aut ænei catenæ ferreæ aut etiam ſupra tabulam extenſæ chordæ ex cannabe inſerti, & cum percutitur tabula, globuli illiſi tum inter ſe tum cum tabula ſonum edunt clariſſimum ex remoto perceptibilem.



R


Ma-

Magraphe Tamid, fuit diversum instrumentum, ab instrumento *Magraphe d' Aruchin*; illud erat instrumentum pulsatile, quo ad Templum convocabantur populi, adeo vehementis soni, ut Hannasse dicat in Jerichuntina Civitate audiri potuisse; Cujus vero figuræ fuerit & quomodo tam portentosum sonum ederet, nemo est qui explicet; ajunt tamen fuisse positum in fundo Jerosolymitani templi, locumque ita fuisse arcuatum, ut vox hujus instrumenti in arcuata tholi superficie varie reflexa, multiplicataque eum sonum, quem vel in Jericho percipere possent, excitaret: erat autem instrumentum ad Sacerdotes & Levitas convocandos, eosque qui immundi erant in foribus templi sistendos institutum: certe si conjecturis rem expedire liceat, dicerem profecto hoc instrumentum simile quid habuisse cum campanis nostris majoribus, quas in remotissima distantia audiri, vulgo notum est. Quid vero fuerit *Magraphe d' Aruchin* dicetur paulo post.

§. III.

De Instrumentis Pneumaticis Hebræorum.

משרקיתא




S

I. MAsrakitha, a sibilo quem faciebat, sic dictum instrumentum erat πολυκάλαμον sive multorum calamorum, qui simul ligati & in ligno quodam in formam Thecæ adaptato gradatim infixi disponebantur, calami vero aperti supra, infra pellis obductione certo quodam ligno obturabantur, eratque instructum manubrio quodam, a quo dilatata cista paulatim in angustum spatium coarctabatur; Instrumentum applicabatur labiis & insufflatione facta digitorum foramina e latere nunc claudentium nunc aperientium ope varius percipiebatur sonus pro ratione longitudinis, aut latitudinis brevitatisque fistularum, vel etiam pro insufflationis intensione. Unde colligo hoc istrumentum idem prorsus fuisse cum Syringe sive heptaulo Panos; ut paulo post patebit.

II. Sampunia, a græco ni fallor συμφωνία corruptum vocabulum, cujus fit, uti & præcedentis mentio Cap. 3. Dan. his verbis Chaldaicis: די בערנא די תשמעון קל קרנא משרוקיתא קיתרס שבכא פסנתרין וסמפונחא וכל זני זמרא. Hoc est: *tempore quo audietis vocem cornu, fistulæ (polycalami) Cytharæ, Sambucæ, Psalterii, & Symphoniæ & omnis generis musicorum* &c. cui respondet Græca versio, ἵνα ὡς ἂν ἀκούσητε τῆς φωνῆς τῆς σάλπιγγος σύριγγος τε καὶ κιθάρας, σαμβύκης τε καὶ ψαλτηρίου καὶ συμφωνίας. καὶ παντὸς γένους μουσικῶν. Ubi pro voce cornu, Græca lectio habet φωνῆς τῆς σάλπυγγος id est voce tubæ, Sampunia igitur accipitur pro fistula non simplici; sed qualem Schilte haggibborim describit; erat enim instrumentum δίαυλον duarum fistularum, intra quas medius ponebatur uter rotundus ex pelle Arietis aut Vervecis, in quo duæ dictæ fistulæ inserebantur, una sursum, deorsum altera vergente; quando vero superior canalis insufflabatur, uter spiritu repletus, compressusque fistulæ inferiori aerem subministrabat, qui pro clausura vel apertura foraminum in ea dispositorum, obstetricantibus digitis varios parturiebat sonos: cujus figuram alibi ponimus; unde patet id fuisse prorsus simile nostro utriculo, quo Pastores & Rustici passim utuntur; & mirum sane est, in Italia in hunc usque diem hoc nomine, Zampugna pastorale, appellari.

III. מגרפה דערוכין *Macraphe d' Aruchin*, erat instrumentum musicum Thalmudicum, simile nostris organis Ecclesiasticis; pluribus enim, ut Schilte haggibborim docet, constabat fistularum ordinibus, animabaturque a follibus L M; habebat præterea foramina & taxillos per II. notatos singulis fistulis correspondentes, qui organædi ope pressi apertis ventorum claustris, miram sonorum præstabant varietatem; figuram ejus hic ut potuimus delineavimus.

מגרפה Secundum descriptionem R. Hanasse.



De Fistulis & Lituis.

Fistulæ Hebræis usitatæ triplicis generis erant; primo cornibus animalium in fistulas adaptatis utebantur: uti habetur 1. Paralip. cap. 25. Secundo utebantur certo quodam genere tibiarum, quas itidem ex animalibus sibi assumebant, ut Gruum Ciconiarum &c. Tertio instrumentis in morem cornu Tauri vel Capreoli recurvis quæ prope orificium gracilescentia, continuo paulatim incremento ad alterum usque extremum dilatabantur; prorsus similia nostris, quas Cornetto vulgo vocant, tibiis; Nonnulli tamen hoc instrumentum cum eo, quod אבוב *Abub* vocant, confundunt; Erat autem אבוב fistula quædam, qua Levitæ in sacrificiis utebantur; Sed ut dixi חליל *Halil*, אבוב *Abub*, & קרן *Keren* passim tum in sacris, tum profanis literis confunduntur.

Variarum fistularum passim in Sacris Literis fit mentio, quæ tamen semper ad unam ex dictis tribus speciebus revocari possunt.

אבוב Abub, קרן Keren, חליל Halil.



Fit quoque mentio certi instrumenti in Thalmudicis, quod Rabi Hannasse אורחבלוס Orthaulum vocat; & nihil aliud erat, quam Organum Hydraulicum; ut corruptum vocabulum ostendit; non enim Orthaulus, sed ὕδραυλος recte dicendum est; Verum de hoc cum alibi ex professo tractemus, ejus descriptioni diutius inhærere nolui. Visis itaque instrumentis Hebræorum, jam modum psallendi iisdem usitatum percurramus.

§. IV.

§. IV.

De usu Instrumentorum Musicorum apud Hebræos.

NUllum dubium est, quin Musica Hebræorum tempore Davidis, & Salomonis fuerit perfectissima, cum enim David a puero Musicum ageret, eaque mirum in modum afficeretur, fieri certe non potuit, ut eam ad altiorem dignitatis gradum elatus, non omnibus modis promoverit; Salomon vero infusa imbutus scientia, uti aliarum omnium rerum, ita vel maxime musica a Deo instructum fuisse credi debet; quomodo enim Divinum illud ædificium juxta harmonicarum proportionum regulas omnibus numeris elaboratum, sine maxima musicæ scientia peritiaque fieri potuerit, non video; certe omnia templi vasa miro ordine distributa, tum maxime instrumenta musica summo artificio elaborata cum maxima varietate & sapientia condita fuisse, solus is nescire poterit; qui ordinem & dispositionem singularum rerum, in mirifica hac & divina fabrica occurrentium, non intellexerit. Certe Josephus Salomonem, inquit, instrumentorum musicorum, quæ nabla & cynniræ dicuntur in usum hymnodiarum ex electro confecisse quadraginta millia; ubi pro cynniris, nihil aliud intelligitur nisi *Kinnor*, quod quale fuerit supra dictum est; Ex quo luculenter patet, musicam Salomonis nostram multis parasangis superasse; neque credi potest innumerabilem summa sapientia constructorum instrumentorum musicorum supellectilem seruisse tantum ad inconditos quosdam, & artis omnis expertes sonos producendos; Sed præstantiam horum instrumentorum, Musicorum Organædorumque ingenium & peritiam, prorsus æquasse existimandum est; Mirus igitur Cantorum Phonascorumque ordo, mira chororum distributio, mirus hymnorum harmonicis modulis adaptatorum, consensus: neque verisimile est, instrumenta unius alicujus chori omnia unisonam vocem, sed miro ingeniosoque contextu, acutis gravibus vocibus harmonice temperatis, πολυποίκιλον harmoniam reddidisse. Neque enim decebat, a tanto templi mystici ordine, rerumque mira dispositione, laudes Deo, per organa musica persolvendas, dissonare; Præterea non quævis instrumenta, quibuslibet laudibus & ceremoniis; Sed diversa diversis teste Schilte haggibborim respondebant. RR. Calonimus & Hannasse 10. diversa generis spiritualia cantica recitat, quibus totidem diversa instrumenta destinabant; verba hujus sunt sequentia: בעשרה מיני זמרה ישבחו את יהוה בנגון ונצוח במזמור בשיר בהלל בתפילה בברכה בהודאה באשרי בהללויה hoc est in 10. diversi generis instrumentis, laudabunt Deum cum instrumentis quæ serviebant rebus arduis exprimendis; secundo, Rebus ad victoriam pertinentibus, tertio, Psalmis Deo recitandis; quarto, Canticis amorosis; quinto, Laudibus divinis; sexto, Orationi & fiduciæ mentis in Deum; septimo, Benedictionibus; octavo, Confessionibus; nono, Beatitudinibus; decimo, Tripudiis animi deservientibus; quibus nonnulli adjungunt: דינה זכירה משכיל אל תשחת שיר ידידות עלמות מכתם שגיון נחילות עדות יונת אלם רחקים.

Quæ quidem nomina sunt Tituli psalmorum; diversis itaque animi affectibus excitandis diversa adhibebantur instrumenta; Ad Laudes divinas in animi hominum excitandas, adhibebant omnis generis fistulas; Ad hymnos Confessionis & gratiarum actionis; *Nablia* psalteria similiaque, ad gaudia & tripudia spiritualia excitanda: Tubis, *Maghiloth*, *Magrephis*, *Zalzalim*, utebantur. In Templo vero dum solennia peragerentur non omnes promiscue intonabant, sed veluti in choros distributi Cantores alternantibus modulis concinebant. Voces enim, ut Calonimus recte ait, certis instrumentis majoris strepitus acutiorisque soni (uti Tubis, Trombonibus) Cymbalis, non miscebantur; ne vehementis pulsatilium strepitu suffocatæ, vim verborum perderent; sed nabliis, mitiorisque soni organis adjungebantur; Nonnunquam sola instrumenta fidicina, interdum pnevmatica; subinde κρουστὰ, alternis choris tantum percipiebantur, sæpe tum inter se tum vocibus mista ad majorem varietatem constituendam concertabant; Choragum omnium agebat ipse Regius Propheta Psalmorum Autor, ex quibus ipse quosdam proprio ore cecinit; Erant enim si Sixto Senensi credimus, & a Davide constituti quatuor millia canentium in organis; inter quos præcipui erant tres, qui juxta eum in templo canerent cantica in Cytharis, Psalteriis, & Cymbalis, videlicet Eman, Idithum, & Asaph: quem Esdras testatur laudasse Deum per manus Davidis Regis, hoc est Psalmis manu David Regis conscriptis.

§. V.

De Musicis Celebrioribus apud Hebræos.

ASaph filius Barachiæ princeps Cantorum præsonantium cymbalis æneis ac laudantium Dominum, ministrantiumque in conspectu Arcæ, qui & ipse ex mente Interpretum, quosdam psalmos composuisse putatur.

Eman Ezraita, Cantor filius Joel de filiis Caath, cymbalis & tuba peritissimus ipsique Ethan eruditione & sapientia quodammodo par, composuisse putatur psalmum octuagesimum primum cujus initium est, *Domine Deus salutis meæ*, quem quia filiis Core cantandum præbuit, tam suo, quam ipsorum nomine inscripsit.

Ethan Ezrachi filius Assaiæ de filiis Merari cymbalis æneis concrepans tanta sapientia præditus, ut teste libro Regum nemo unquam mortalium excepto uno Salomone illo fuerit sapientior; fuerunt & Cantores insignes 3. filii Coreh, Asir, Elcana, Abiasaph, Psalmis componendis occupati.

Idithun cantor eximius, & Cytharædus præstantissimus, quem multi cum Orpheo confundunt. Cum itaque tales & tanti essent, Divinarum laudum choragi; imo scientia ad canendum sonandumque divinitus imbuti; æquum est, ut eos non rudi & impolita vocum confusione, sed hymnos suos summo artificio & ingenio compositos, pari vocum excellentia, decantasse credamus. Fuisse autem complures alios præsertim tempore Regis Salomonis, excellentissimos phonascos; penes quot erat chori divinitus instituti potestas, nullus dubitare debet; decebat enim sapientissimum mortalium, musica sapientissima, & omnibus numeris absoluta; omni Græcorum posterorumque musica & excellentior, & concitandis affectibus efficacior; Qualis autem illa fuerit, aut quibus notis expressa, ne sciremus, temporum nobis invidit vetustas.

CAPUT V.

De Musica Davidis.

HIS ita præmissis operæ pretium saltem fuerit, ut paulo profundius stylum modumque in hymnis componendis a Davide observatum hoc Capite discutiamus.

§. I.

Utrum Psalmi Davidici soluta oratione, an vero carmine conscripti sint, & quo genere carminis?

REfert Philastrius Brixiensis fuisse Hæreticos, qui Davidem profanarum ac Secularium cantilenarum fuisse compositorem assererent, qui error & Paulo Samosateno attribuitur. Anabaptistæ nostro hoc seculo ajunt librum Psalmorum non a Davide, sed a recentioribus quibusdam Judæorum post mortem Christi fuisse conscriptum. Ipsum tamen sacrosanctum Dei Evangelium psalmos allegans, facile eos refutat; Sunt alii qui existimant metricum scribendi genus esse molle & profanum & ad fabulas duntaxat componendas aptum, aut ad varios & impuros affectus iræ vel amoris delineandos adinventum, neque persuadere sibi possunt aliquos sacros libros unquam poetice conscriptos esse; Quin & hanc ob causam librum Job, fuerunt qui putarent non esse historiam veram, sed figmentum Tragico-comædum Hebræorum; Verum nostrarum partium erit, hanc iniquam censuram prorsus abolere; & ex omnigena eruditione ostendere, Davidem, non alio nisi metrico stylo, suos psalmos composuisse.

Neque desunt primo irrefragabilia Sacræ Scripturæ Testimonia, quæ id luculenter asserunt: *Sacerdotes stabant in officiis suis, & Levitæ in organis carminum Domini, quæ fecit David Rex, hymnos David canentes per manus suas*. Et 1. Esdræ 3. idem dicitur & 2. Reg. 23. elegans locus sic habet: *Hæc sunt verba novissima, quæ dixit David filius Isai, egregius psaltes in Israel*. Et Ecclesiast. 47. de Davide sic dicitur: *Stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos*. Sunt qui existiment, quoties in Scripturis de carminibus fit mentio, de psalmis Davidis intelligi, ut Ecclesiast. 44. *Laudemus viros gloriosos, &c.* Et *In pueritia sua narrantes carmina Scripturarum*. In *pueritia* enim *sua* videtur ibi legendum esse, non *peritia*, quamvis vox Græca, quæ ibi habetur utrumque significet. Amavit autem ab incunabulis & a pueritia sanctus David musicam piam (verba sunt August. epist. 131. ad finem) & in ejus studio nos magis ipse, quam ullus alius autor accendit.

Secundo ex concordi totius Ecclesiæ, & Patrum voce, asserentium Davidem divinum poetam, & ejus psalmos carmina esse, id ipsum concluditur. Unde in hymno

hymno de passione Domini, (cujus autor est Venantius Poeta Christianus) sic dicitur.

Impleta sunt quæ concinit
David fideli carmine

Et Sedulius in suo Paschali opere, sic ait:

Cur ego Davidicis assuetus cantibus, &c.

B. Hieronym. in prologo Bibliorum ad Paulinum, de Davide sic loquitur: *David Simonides noster, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus Chrystum lyra personat, & in decachordo psalterio ab inferis excitat resurgentem*, &c. Idem habet in Præfatione super libros Regum, & D. Ambros. præfatione in psalmos, de Davide carminum præcentore sacro, simul & de Moyse duorum carminum compositore, divina loquitur. De iisdem duobus Euseb. lib. 11. de præpar. Evang. cap. 3. dicit, eorum carmina esse hexametra, sive trimetra, sive tetrametra: & quæ ad dictionem pertinent, elegantissima, gravissima, & jucundissima esse: quæ vero ad sensum, nulli hominum scripturæ comparanda, ita ille. S. August. lib. 17. de civit. 14. & epist. 131. ad fin. *Omnes hi mire efferunt carmina Davidis, causasque, quæ ipsum ad condenda carmina pepulerunt, tractant*. His adjice S. Athan. in Synopsi de Davide præclare loquentem. Josephus lib. 7. cap. 10. David, inquit, perfunctus jam bellis ac periculis, & in altissima pace degens, vario genere carminum Odas, & hymnos in honorem Dei composuit trimetro versu, partim pentametro, instrumentisque musicis comparatis, docuit Levitas ad pulsum eorum laudes Dei decantare. Cassiodorus Prologo in Psalterium, cap. 15. ait omnem modum poeticæ loquutionis sumpsisse a divinis Scripturis exordium, nempe a Davide; Sicut & omnem aliam litteraturam ab Hebræis, ad Græcos, & Latinos derivatam, tradunt omnes. Certe ante Trojam conditam, ante Argonautarum navigationem, ante exordium Olympiadum; jam Moysem, jam Deboram, jam Matrem Samuelis, jam Davidem carminis leges ad amussim observasse, dum sua Cantica ad metricas leges composuerunt, luculenter patet; imo profanos autores multa hinc, teste Josepho, Justino, Origene, & Eusebio, mutuasse constat.

§. II.

De titulis Psalmorum.

Psalmos cum organis & instrumentis musicis decantari solitos tituli eorum satis declarant. Id patet ex locis Scripturæ, & Patrum relatis, maxime vero omnium ex ipsis psalmorum titulis, quorum plurimi voces quasdam habent, quæ ipsa Instrumenta musica significant, ad quæ decantandus erat psalmus talis vel talis; v. g. Psal. 4. titulus sic habet למנצח. *In finem*, *In carminibus*, *Psalmus David*. Vox, *In finem*, non uno modo sed variis explicatur a Doctoribus. S. Hieronym. vertit, Victori. Alii, Vincenti, ut Cajetanus. Victor autem hic loci significat, ut Hebræi existimant, Præfectum cantorum, *il Maestro di Capella*. Erat enim in choro, Davidis tempore Dux aliquis & Magister, qui regebat cantores alios, cui & excellentior erat vox, & exactior rei musicæ peritia: huicque dabat David psalmos canendos ad instrumenta musica. De hoc Victore (seu quem nos nunc vocamus Cantorem, a cantando: vel Choragum, quasi caput chori) sunt qui putent, in titulo psalmi quarti, intelligendum illud Habac. 3. *Et super excelsa mea deducet me Victor, in psalmis canentem*. Victor igitur idem est, quod Archimusicus, vel dux cantorum.

Quod vero sequitur in ejusdem psalmi titulo, *In carminibus*, multum nobis favet. Nam ex Hebræis multi putant, vocem Hebraicam quæ ibi habetur, significare certum Instrumentum musicum constitutum ad canendas res lætas, & triumphales. Unde totus titulus, qui apud nos sic habet: *In finem*, *In carminibus*, habent Hebræi. *Præfecto Cantorum*, *ad Instrumenta musica*. Rabbi Salomon in expositione tituli Psalm. 4. per hunc titulum significat conatum illum, quo se certatim cantores in cantando cum jubilo superare, ac vincere conabantur: omnes sic ex animo psallentes, ut quasi pro victoria contendere viderentur &c. Negari itaque non potest ad literam insinuari, psalmum ipsum, carmen esse: atque adeo tanquam carmen cantandum in Dei laudem, licet in sensu spirituali, & altiori vox: *In finem*, Christum, qui finis est, & Ecclesiæ mysteria, quæ in fine sæculorum gerenda erant, significet.

Rursus, Psalm. 5. sic habet למנצח הנחילות מזמור לדוד *Carmen Davidis lyricum*, *Præfecto Cantorum*. Ubi Vatab. ad hannehiloth: ait. Erat insigne aliquod instrumentum musicum, &c. commissus fuit

fuit igitur hic pſalmus Davidis præfecto citharædorum peritiſſimo, ut decantaretur ad hannehiloth. Et ita ſentit etiam Lyranus. Et titulus Pſalm. *6.* eſt pro החמונית Octava, id eſt, intenſiſſimo tono, & clariſſima voce: (in *ὑπερδιαπασῶν*) nam hæc vox octava, uti alibi oſtendimus, pueris, fœminis, viris promiſcue accommodatiſſima eſt, ut vel hinc pateat octavæ uſum quem *διαπασῶν* Græci vocant, olim jam uſurpatum fuiſſe. Hic pſalmus datus fuit præfecto ſymphoniacorum admodum inſigni, decantandus ad *Neghinoth*, inſtrumentum muſicum. Unde Chaldæus ſic vertit: *In laudem laudatario, citharaque octo fidium*. Et Pſal. *9.* Hebraice habetur על מוחל בן למנצח Pſalmus ad *Muthlabben*, id eſt, ad modos cantilenæ vulgaris, cujus initium erat *Muthlabben*. Et Pſalm. 21. titulus habet למנצח על אילת השחר *Carmen Davidis de cerva matutina*, id eſt, canendus ad modum cantilenæ vulgaris, cujus initium erat, Cerva matutina. Sic Vatab. nam & D. Hieron. etiam vertit, *Pro cerva matutina*. Fœlix, *Pro cerva auroræ*. Quæ omnia aperte exprimunt pſalmos ipſos carmina eſſe. Alioqui proſas orationes ad inſtrumenta muſica decantari, fateri debemus, quod pœne inſolitum eſt & abſurdum apud omnes Nationes. Sciendum enim eſt quod ſicut inter Poetas Comicos, Tragicoſque ſtatim in titulis comœdiarum ſignabatur Inſtrumenti genus quo decantandæ erant (videlicet, Tibiis paribus, vel imparibus, ut apud Terentium, Acta ludis Magalenſibus duabus tibiis: quod & notavit Eugubinus in titulo Pſal. 4. &c.) ita in Pſalmorum titulis certa nominantur Inſtrumenta ad quæ cantandi erant, ut oſtendimus.

Sed & Pſalm. 8. titulus præteriri non debet. Nam ſic habet: למנצח על הנתית *In finem pro Torcularibus*. Rabbi David putat, vocem Hebraicam, quæ ibi habetur ſcilicet, Githith, eſſe nomen Inſtrumenti muſici, ad quod canendus erat pſalmus ille. Alii, eſſe nomen Urbis Philiſtinorum, quæ vocatur Geth: eo quod in illa Civitate fuerit a Davide decantatus ille pſalmus: ſeu quod Inſtrumentum ad quod erat canendus, ex urbe illa eſſet adductum, ut apud Pindarum, Phorminx Doria. Ita enim Rabbi Salomon, ut & Lyranus hic. Addit & hic Cajet. eam citharam habuiſſe formam torcularis, & etymologiam ejus vocis a torculari ſumi. Unde 70. & D. Hieron. verterunt hic, Torcularia: Alii dicunt ideo nuncupari hunc pſalmum, *Githith*, quod traditus fuerit decantandus cuidam cantori filio Obededon Gethei. Ego arbitror fuiſſe dictum ab Urbe Geth in qua vigebat hujuſmodi melos, ſicuti Græci dicebant; Cantica *Doria*, *Lydia*, *Phrygia* a populis, apud quos erant in uſu; uſuſque hodie adhuc viget. Quamvis forſan etiam a torculari nomen acceperit, quod tempore torcularium, in feſto Tabernaculorum, paulo poſt collectas fruges, & expreſſas Uvas in torcularibus, cantari ſoleret: de quo Levitici 23. Nec eſt incommodum in gratiarum actionem pro feracitate anni, & ubertate vindemiarum, hunc pſalmum tempore torcularium cantari ſolitum, ſimul & Pſalmum 80. & 83. qui eodem titulo ſunt inſigniti, &c. Dummodo hæc in ſenſu myſtico altiora myſteria Chriſti & Eccleſiæ etiam ſignificent; quod ego non ſolum non damno, ſed potius vehementiſſime eos arguendos cenſeo, qui cortice illo literæ nudæ contenti, & ſiliquis paſti, verum cibum, qui in ſpirituali ſenſu præſtatur, abjiciunt.

Quid porro ſit vox iſta *Selah*, ſolet multum negotii faceſſere Doctoribus. Primo vox iſta in codicibus Hebræis nuſquam reperitur, (ut bene Cajet. in Pſal. 3. notat) niſi in Pſalmis (& quidem ſeptuaginta tribus vicibus) & in Cantico Habacuc cap. 3. ſemel. Inde redditur probabilis ſententia communis Hebræorum, quod ſit vox ad metri cantum pertinens. Unde quidam dicunt, per vocem illam ſignificari mutationem metri, ſive *διάψαλμα*. Alii mutationem cantus. Alii elevationem vocis. Alii pauſæ, vel ſilentii interjectionem, ſeu pauſationem Spiritus Sancti. Alii diviſionem ſententiæ, id eſt, finem unius, & exordium alterius. Alii, cujuſdam muſicæ varietatis exordium, &c. Atque ita fieri poteſt, ut omnes iſtæ ſignificationes in unum conglobatæ totalem & plenam hujus particulæ vim exprimant. Deducitur autem vox *Selah*, a radice *Salal*, ut Pagninus in Theſauro Linguæ Sanctæ notabant, a verbo *Sal*, & verbo *Salal*. Ubi ex Rab. Abraham dicit, vocem *Selah*, non eſſe ſignificativam, ſed directivam cantus, & deduci a verbo *Salal*, quod ſignificat exaltare, vel elevare, vel exaggerare. Quo circa Vatab. in majoribus 3. Pſal. Scholiis, ſic ait: Olim ſolebant cantores, quoties hæc vox occurrebat, vocem intendere, & exclamare, ac ſi dicerent; *O gravem calamitatem: videant eam & perpendant omnes amici noſtri*. Cajet. ſuper Pſ. 3. idem habet, & dicit, hanc vocem eſſe officioſam, id eſt, habere officium elevandæ, & producendæ vocis. Idem Rabbi Abenezra aſſerit. Ex quibus colligo, ele-

elevationem cantus, & intermissionem cujusdam silentii significari per hanc vocem, quod & in Italicis cantionibus per *piano*, *forte* exprimitur; Vel etiam isto vocabulo pausando intelligi ἄρσιν & θέσιν totius Musurgiæ moderatricem; de quibus vide me alibi fusius tractantem.

§. III.

De Acrostichis Psalmorum versibus.

NEscio sane quid musici mysterii lateat in eo; quod psalmi nonnulli, insigni sane artificio, ordine alphabetico conscripti sint. Qui scribendi stylus per literas alphabeti, ita ut unusquisque versus ab una litera, suo ordine incipiat, est modus proprius metrorum & carminum. Et quidem D. Hilarius super Psal. 118. tres tantum psalmos dixit esse acrostichos, id est, ordine alphabeti compositos, videlicet Psalm. 110. & 111. & 118. D. Hieron. in Epistola ad Paulam Urbicam, illis tribus addidit alium, videlicet 144. fallique dicit eos qui plures existimant esse tales. Ipsa tamen veritas Hebraici Psalterii certe præter illos, habet etiam Psal. 24. 33. 36. sed hic interpolato progreditur alphabeto. Quod observabat Cajet. super illos psalmos. Titelm. Jansen. Geneb. & Sixtus Senen. lib. 1. suæ Bibliot. verbo *Psalterium*. Hoc etiam alphabetario ordine conscripti sunt Threni Hieremiæ, & cap. 31. Proverb. quod appellatur, Metropædia Samuelis Regis. Ratio autem (quæ literalis esse videtur hujus compositionis acrostichæ) ea est, ut traditur a Rabbi David Kimchi, & a ceteris Hebræorum Doctoribus, ut Sixtus & alii advertunt. Quod Poetis Hebræis sit familiare & consuetum, ut carmina, quibus illustria quædam argumenta tractantur, juxta seriem alphabeti disponant, ut facilius memoriæ imprimantur, & impressa tenacius hæreant. Licet & id sit verum, quod D. Hieron. & veteres alii (ut notabat Genebr.) existimant, non sine magnis mysteriis, & Ecclesiæ Sacramentis, hac literarum serie digestos fuisse psalmos. Vide Hieron. in Epist. illa ad Paulam Urbicam, quæ incipit, Nudius tertius tom. 3. &c. Sed mea nunc non interest tropologias & anagogias, sed nudam literam persequi.

Similiter in hymnis Ecclesiæ habemus hujus rei exemplum: nam Presbyter Sedulius hymnum composuit alphabetice. Nam a litera A, incipit, hym. *A solis ortus cardine*, deinde B. *Beatus autor sæculi*. Et tertio, C. *Castæ parentis viscera*, *&c.* Cujus quidem hymni pars est ille, qui canitur in die Epiphaniæ, *Hostis Herodes impie*. Et deinde I. *Ibant Magi quam viderant*, deinde L. *Lavacra puri gurgitis*, & sic proceditur usque ad X. & Z. in Hymno non correcto.

Sed præterire non possumus id quod ab aliis tangitur, quid videlicet causæ fuerit, quod in illis commemoratis septem Davidicis psalmis, aliquando alphabeti ordo pervertitur. Nam in Psal. 24. duæ literæ omittuntur, scil. *Vau*, & *Koph*, a quibus nullus incipit versus. In Ps. 33. omittitur rursus litera *Vau*. In Psal. 36. a qualibet litera Hebraica incipit duplex versus, & interdum triplex; omittitur vero *Hain*: nam ab illa nullus incipit versus: & loco ejus bis ponitur *Zade*, vel *Tsade*. In Psal. vero 144. deest litera *Nun*, atque adeo etiam in Hebraico codice desideratur versus ille, qui ab illa litera incepturus erat: quamvis 70. interpretes de suo addiderint versum, qui illi literæ correspondebat, scil. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis:* ut integrum facerent versuum numerum. Quid hic lateat mysterii, aliqui tetigerunt, plures omnino præterierunt. Ego arbitror hunc defectum successu temporum ex varia exemplarium transcriptione irrepsisse, quidquid alii sentiant.

§. IV.

De tropis & figuris, atque arte poetica in psalmis latente.

REperitur præterea in hujusmodi psalmis totius poeticæ artis epitome; scil. veræ poeseos modi, *tropi*, *schemata*, *metaphoræ*, *hyperboles*, *allusiones*, *prosopopejæ*, *aposiopeses*, *apostrophes*, *epiphonemata*, *&c.* Et alia sive dictionis, sive sententiæ quam plurima ornamenta Poetarum, & versuum propria. Præsertim vero quæ ad dictionem pertinent, & sine rythmo, ac sine metro vix bene fiunt. Cum ergo in Davidis psalmis tam bene, tam apposite, & exacte fiant, dicendum psalmos ipsos esse vera carmina: nec solum vera, sed & elegantissima. Nam in psalmis multæ sunt figuræ poeticæ. Ut in primis Repetitio, ut Psal. 136. *Qui dicunt, exinanite, exinanite*. Et illud, *Qui dicunt mihi, Euge, euge*. Psal. 36. *Rex virtutum dilecti, dilecti*. Et Ps. 67. Qua figura similiter utuntur poetæ, ut Virgil.

> *Ipsa sonant arbusta Deus, Deus ille, Menalca.*

Item: Interpositio versus intercalaris, ad quod orationis genus, nisi ad metricum

cum

cum pertinet? Ut Psal. 105. *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum*. Et *Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur*. Quæ sexies in illo psalmo repetuntur. Et Psal. 117. *Confitebor tibi quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem*, sæpius iteratur. Et Psalm. 23. *Attollite portas, &c.* Bis etiam repetitur. Ut sexies in Virgilio, in Pharmaceutria, illud:

Incipe Mænalios mecum, mea tibia, versus, &c.

Et *Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim, &c.*

Similiter utitur Apostrophe, seu Conversione ad diversam personam, ut Psal. 136. *Filia Babylonis misera, &c.* Et Ps. 113. *Quid est tibi mare, quod fugisti? &c.* Sic Poeta:

Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.

Adhibet & Prosopopæjas frequentissime ut Psal. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*. Et Psal. 94. *Flumina plaudunt manu, &c.* Ita & Poeta:

Mænalus argutumque nemus, pinosque loquenteis
Semper habet, semper pastorum ille audit amores.

Denique (ut innumera alia omittamus) Reversio ad primum initii versum, ita ut extremus versus & primus psalmi sit idem, an non argumento est psalmum esse metricum? Ut Psal. 8. *Domine dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra*. Epilogus est, qui fuit procemium. Uti & in Psal. 102. & 103. Sic facit etiam Homerus in hymnis suis, & Theocritus, ut videbis in Eugubino in Psamum 8. in fine. Quæ non sine mysterio facta, arbitratur Euthymius. Nam sicut Christus (de quo in illo Ps. 8. erat sermo) tanquam per circulum, illuc unde venerat per incarnationem, reversus est per ascensionem: ita psalmus tanquam in orbem recurrens, in hoc ipsum desinit, unde sumsit initium. Hanc ob causam per *Mem* clausum, (quod quasi in orbem reductum, principio caret & fine) significatur Christi regnum perpetuum, contra totam naturam illius elementi Hebraici, quod apertum alias semper esse solet in initio & medio dictionis. Vide Isa. cap. 9. in verbo למרבה Multiplicabitur. Sed de hac probatione satis supereque dictum est.

§. V.

De diversis metris, quibus Psalmi conscripti sunt.

CErtum est Davidem Lyricum, Tragicum, Comicum, Satyricum, Heroicum, Dramaticum, Epithalamicum, Elegiacumque Poetam in omnibus se exhibere; juxta exigentiam materiarum; Jam enim canit heroice regnum Christi, & ejus victorias, & Sanctæ Ecclesiæ progressus & gloriam.

Jam canit Tragice, seu potius deflet casum Adæ, & humanæ conditionis miseriam, & Christi innocentissimi agni atrocissimam mortem.

Jam Satyrice invehitur in corruptissimos sui sæculi mores.

Jam Elegiace Epitalamium Christi & Ecclesiæ personat.

Jam suorum majorum, & antiquarum rerum memoriam suscitat, Heroice hæc decantando.

Jam demum divinas laudes intonat, omnesque mortales ad eas invitat, & excitat. Et etiam paranætice monet, & bonis imbuit moribus. Introducit interdum veluti in Comœdiam diversas personas: Jam Adam cum tota sua posteritate, suam deflentem sortem: Jam Christum de suis persecutoribus conquerentem. Jam Ecclesiam Sanctam circum quaque ab hostibus concussam, cœlestem implorantem opem. Jam hostes ipsos se ipsos ad flagitia cohortantes. Jam Deum eorum scelera vindicantem. Jam Christum de hostibus, gloriose triumphantem, &c. Jam loquitur autor solus, ut facit Virg. in Georg. &c. Jam more drammatico (ut fit in Eclogis,) solæ loquuntur personæ, quæ introducuntur. Jam mixtim, & Poeta, & interloquentes, ut aliquando in Eclogis, & in Æneide fit. Quæ tria genera enumeravit D. Isidor. lib. 8. Etymolog. cap. 7. in fine. Jam soliloquia, quibus animam suam alloquebatur & solabatur tacitus, quibus Deum mente precabatur, componebat, &c. Atque adeo nullum poematum & metrorum genus excogitari potuit unquam, in quo vates noster, cœlestisque Poeta David non esset diligentissime versatus.

Sed quæritur quo carminis genere dictos Psalmos scripserit? Hieronymus ad Paulam Urbicam, in Epist. quæ incipit. Nudius tertius, tom. 3. quosdam psalmos dicit, trimetro jambico constare, alios tetrametro jambico. Et duo prima alphabeta Threnorum Hieremiæ quasi sapphico metro, inquit, scripta sunt; Tertium alpha-

alphabetum trimetro, &c. Et in Præfatione libri Job, ait a tertio capite Job, usque ad 41. ait, Hexametros versus esse dactylo, spondæoque currentes. Et super Psal. 118. initio, sic ait: Refert Josephus, hunc Psalmum, & Deuteronomii canticum uno metro esse compositum, & putat Elegiacum metrum in utroque posse deprehendi: quod, scilicet prior versus sex pedibus constet, inferior uno minus in pentametrum finiatur: hæc ille. Rursus Josephus lib. 7. Antiquitatum cap. 10. ait trimetro versu, & partim pentametro compositos esse Psalmos Davidis. Præterea Eusebius Pamphili; sunt inquit etiam apud eos (Judæos) artificiosissima carmina, ut Moysis cantus ille magnus, & 118. Psalmus, heroico metro, quod hexametrum dicitur, componuntur. Sunt alia quoque trimetra & tetrametra: sed quæ ad dictionem pertinent elegantissime, gravissime, jucundissimeque composita sunt. Quæ vero ad sensum spectant, nulli hominum scripturæ comparanda, sunt &c.

Rursus D. Isidor. omnes psalmos apud Hebræos, metrico carmine compositos asserit. Nam in morem Romani Flacci, & Græci Pindari, nunc ait alii jambo currunt, nunc Elegiaco personant, nunc sapphico nitent, trimetro vel tetrametro pede incedentes. Et hæc sunt quæ apud Hieronymum, Josephum, Eusebium, Isidorumque omnigena litteratura præstantes viros reperire potui; nam Recentiorum Doctorum in hac re vetustissima, rationem habendam non esse putavi.

Ne vero nihil in re hac tam obscura dixisse videremur, visum mihi est operæ pretium jam allatis, aliqua adhuc, quæ lucem aliquam tenebris istis afferrent, annectere.

Dico igitur non esse existimandum Hexametros, trimetros, & sapphicos Hebræorum versus, esse ejusdem generis cum carminibus Poetarum nostratium eademque pedum qualitate, quantitate, ac dispositione constare; sed diversam esse dispositionem, situm, & ordinem pedum. Quia pervetusta illa Hebræorum poesis sæpe inter Dactylos, & spondæos, alios quoque pedes recipit, variato interdum etiam ordine sedium, in quibus apud nos collocari solent pedes. Quin D. Hieron. huic nostræ sententiæ multum favet, dum præfatione in Job, sic ait, de Hebraicis versibus loquens: Propter linguæ idioma crebro recipiunt alios pedes non earundem syllabarum, sed eorundem temporum, interdum quoque rythmus ipse dulcis, & tinnulus numeris pedum solutis; quod Poetis solis innotescere potest.

Ad rem igitur dico, Hebræos interponere solere, contra nostrorum Poetarum consuetudinem, suis carminibus rythmos, quosdam inusitatos quos simplex Lector intelligere non potest, sed solum metricæ artis peritissimus. Sane nec apud nos singula rythmorum genera eundem syllabarum numerum, ac eosdem fines carminum retinent, ut in Panglossia Musurgica ostendemus. Nec profecto absque ratione usurpant Hebræi hoc Poeseos genus; utpote quod mirum in modum polleat ad excitandos in hominum animis omnis generis affectus, ut satis constat ex Psalmis Davidis. Hic enim suis Poematibus admirandos prorsus ac pæne incredibiles effectus peperit.

Fabulæ sunt, & Poetarum commenta de Amphione, & Orpheo, quod lyræ sono sylvas & saxa moverint, fluvios decurrentes continuerint, feras edomuerint, & Euridicen Orpheus ab inferis revocaverit. Solus est noster hic alter divinus Orpheus, qui majora effecta vere fecit, quam illi falso de his fabulati sunt. Hic enim cythara sua petras fregit, sylvas flexit, fluvios affectuum rapidissime per præcipitia delabentes, cohibuit; feros & immanes animorum mores domuit: Cacodæmonem de multorum Saulorum animis exturbavit, atque dejecit. Neque unam tantum reduxit Euridicen, eamque continuo amisit, sed innumeras hominum animas e barathro inferorum abductas in auream illam omnisque ærumnæ expertem vitam ac lucem revocavit, &c.

Verum ne quicquam indiscussum relinquamus, hoc loco specimen adhuc quoddam dabimus, omnium eorum quæ huc usque dicta sunt, explicativum, in quo luculenter patebit, & psalmos fuisse metricos, & in Ecclesia Hebræorum fuisse metrico artificio cantatos; Apparet hoc artificium maxime in Psalmo 111. in quo singuli versus juxta literarum Alphabeti Hebraici ordinem digesti cernuntur, in quo subinde ὁμόφωνα subinde non; Interdum trimetra nonnunquam aliud & aliud Jambici genus reperies, sed totum negotium exemplo demonstrasse sufficiat. Sic igitur in Psalmis Davidicis multa multorum generum sunt carmina, multi versus, atque rythmi: quæ tamen non nisi a linguæ Hebrææ peritissimis penetrari possunt.

Specimen Poeſeos Hebraicæ in Pſalmo III. eluceſcentis.

א שרי איש יראת יהוה	Beatus vir qui timet Deum
ב מצותיו חפץ מאוד	In mandatis ejus volet nimis
ג בור בארץ יהודה זרעו	Potens in terra erit ſemen ejus
ד ור ישרים יבורך	Generatio rectorum benedicetur
ה וז ועשר בביתו	Gloria & divitiæ in domo ejus
ו צדקו עמדת לעד	Et juſtitia ejus ſtat in æternum
ז רח בחשך אור ל' שרים	Ortum eſt in tenebris lumen rectis
ח נוז ורחום וצדיק	Benignus miſericors & juſtus
ט וב ש חונז ומלוה	Bonus vir benefacit & commodat
יב לכל דבריו במשפט	Diſpenſabit res ſuas cum judicio
כי לעולם לא ימוט	Quia in ſæculum non commovebitur
ל זכר עולם יהיה צדיק	In memoriam perpetuam erit juſtus
מ שמועה רעה לא יירא	Ab auditione mala non timebit
נ כון לבו בטוח ביהיה	Rectum eſt cor ejus confidens in Deo
ס מוך לבו לא יירא	Fulcitum eſt cor ejus, non timebit,
עד אשר יראת כצריר	Uſque dum videat in hoſtibus ſuis
פ צר נתן לאביונים	Diſperſit dedit pauperibus
צ דקתו עמדת לעדת	Juſtitia ejus ſtat in æternum
ק רנו תרום בכבוד	Cornu ejus exaltabitur in gloria
ר שע יראה וכעס	Impius videbit & iraſcetur
ש ניו יחרוק ונמס	Dentibus ſuis ſtridebit & contabeſcet
ת אות רשעים תאבד	Deſiderium peccatorum peribit.

§. VI.

De Muſica moderna Hebræorum.

HActenus Veterum, modo hic breviter Modernorum Hebræorum Muſicam diſcutiamus; Ut Moderni Muſici Pſalmos, aliaſque lectiones in Synagogis melius peragant, certis accentibus muſicis utuntur, quos integro volumine deſcripſit R. Colonymus, quem vide; horum enim quiſque prout in ſublime circulariter attollitur, vel in imum deflectitur, vel ubique ſimili tenore compoſitus incedit, ita vel efficaciæ minus aut plus ponderis habere putatur. Quare ne in negotio a Capnione vel Munſtero tradito, diutius immoremur, hoc loco ſpecimen duntaxat quoddam exhibebimus accentuum notis Muſicis expreſſorum, quibus אשכנזים ſive Hebræi Germani & ex parte Itali ſuis in Synagogis utuntur. Utrum vero Hiſpani, aut Galli, orientaleſque Hebræi, alias vocum flexuras in dicto-


dictorum accentuum pronunciatione forment, necdum cognoscere licuit. Accentus itaque, ubicumque ponuntur, talem & talem clausularum processum cantoribus formandum esse, & non alium denotant; sunt autem Musici accentus sequentes.

Pinax Accentuum Musicorum.

שלשלת	Schilcheleth, Catena
סנלה	Segla, proprietas sive Botrus
חלשא	Talsa, Eradicator
פזר קטון	Pazer caton, dispersor parvus
קרני פרה	Karne pharah, Cornua Vaccæ
שני גרישין	Schene gerisin, duo Expulsores
יתיב	Iathib, sedens
פשטא	Pasta, extensor
קדמא	Kadma, Antecessor
זקף גדול	Zakeph gadol, Erector major
אתנחתא	Ethnachta, suspirium
זרקא	Zarca, sparsor
לגורמיא	Legormiah, exossator
רביע	Rabia, imminens
חביר	Tabir, fractor
טרחא	Torcha, labor
סוף פסוק	Soph pasuc, finis versus
פסוק	Pasuc, divisor
אזלא	Ezla, ambulator
מאריך	Maarich, protractor
שני הוטרין	Schene huterin, duo baculi
דרגא	Darga, gradus
חלישה קטנא	Talisa Ketana, eradicator parvus
סחפה	Sachpha, discus eversus
שפר מחופר	Schophar mechopher, cornu eversum
עלוי	Alui, sublimis
מכרבל	Mecarbel, cornu sustinens

Nota hoc loco accentus hosce musicos non ad canendum tantum, sed ad pulchram pronunciationem esse institutos, ut scias scilicet, ubi suspendere spiritum, quo loco versum distinguere, ubi comma figere, ubi colon apponere debeas, ubi versus claudatur, ubi incipiat, quid lentius, celerius, concitatius lenius denique ac temperatius tardiusque sit efferendum.

Clausularum, quas accentus exhibent, in Notis Musicis expressio.




Atque ex hisce facile lector intelliget rationem Musicæ Hebræorum tum antiquæ, tum modernæ. Nihil igitur restat nisi, ut tandem fusioribus hisce discursibus finem imponentes, ad alia nos conferamus.

CAPUT VI.

De Musica veterum Græcorum, corumque Instrumentis.

NEmo nisi iniquus forsan rerum arbiter, negare potest, omnes scientias, uti ab Hebræis primum partim ad Græcos, partim ad Ægyptios, ita & Musicam ad eosdem translatam ingentia nullo non tempore utrobique incrementa sumsisse; Quis enim curiosissima Græcorum ingenia continere poterat, quo minus fama illa per universum mundum de incomparabili tum Davidis, tum Salomonis sapientia sparsa, quo minus inquam eo se conferrent, ubi tanta erat rerum admirandarum facies, tanta cantatorum cantatricumque multitudo, tanta instrumentorum musicorum exquisitissimo ingenio constructorum varietas, tam inexhaustus denique omnium artium scientiarumque, potissimum vero tam exactæ rerum naturalium notitiæ Oceanum? Ubi totius humanæ sapientiæ residebat Oraculum Salomon. Certe Orpheum, Linum, Amphionem prima Græcæ sapientiæ lumina illinc omnia sua traxisse, facile hoc loco demonstrare possem, nisi hanc materiam exquisitiori argumento pertractandam Musicæ hieroglyphicæ reservassem. Quare hoc loco corticem tantum Musicæ Græcorum, instrumentorumque iisdem usitatorum exhibendam duximus, nucleo in peculiares hujus Musurgiæ tractatus reservato. Ad rem igitur.

Refert Boetius ex Nicomacho Geraseno, quod primum Instrumentum musicum fuerit a Mercurio (quem multi cum Hermete Trismegisto confundunt) inventum; Quis autem hic Trismegistus fuerit, cum in Oedipo fuse discutiamus, argumentum cæteroquin mirum quantum perplexum, hoc loco silentio supprimendum duxi; Erat autem hoc Instrumentum secundum mundanæ elementarisque musicæ analogiam quatuor chordis instructum; quo abdita quadam ratione harmonicam illam tetractyn in 4. elementorum constitutione elucescentem, denotabant, simulque omnes consonantias eodem exhibebant hoc ingenio; ut prima chorda ad secundam, id est hypate ad parhypaten, diatessaron; secunda ad tertiam, id est parhypate ad lichanon tonum, tertia ad quartam, lichanos scilicet ad Mesen alteram diatessaron; parhypate vero ad Mesen diapente, hypate denique ad Mesen diapason sonaret, ut in apposito exemplo patet; cujus mysticas rationes alibi fusius explicamus.



Hinc Mercurio multis post temporibus successit Coræbus filius Lydorum Regis qui cytharæ hermeticæ tetrachordæ adjunxit quintam chordam; cui postmodum Hyagnes Phryx Pater Marsiæ primusque Tibiarum autor sextam chordam adjunxit; Quam imperfectam deprehendens Terpander Lesbius eidem septimam ad 7 planetarum harmoniam denotandam, adjecit; Lycaon deinde octavam, id est 7 planetis, adjunxit firmamentum. Prophastus vero Periota, vel ut quidam volunt, Perinthus, nonam; Estiacus Colophonius decimam; Timotheus denique undecimam eidem addidit, crevitque chordarum augmentum in tantum, ut posteri non contenti numero chordarum hucusque recensito, ad 36 imo 46 chordas (uti Epigonius Ambraaciota fecisse legitur) ascenderint; Ex quo dein veluti seminario quodam, omnis generis, Lyræ, Cytharæ, Magades, pectites, Sambucæ, quas in libro sexto descripsimus, emerserunt. Hyagnes vero lituorum inventor, innumera polycalamorum genera inveniendorum aliis occasionem dedit; atque hæc breviter de instrumentis, qui plura desiderat, videat VII. librum ubi ex professo de iis tractavimus.

§. I.

De modo cantandi Græcis usitato.

PRimævi Musici non multorum Instrumentorum simul concordantium strepitu gaudebant, neque complurium vocum symphonia utebantur. Sed excitabant Auditorum animos varia voce ad sonum

ſonum Lyræ, aut tibiæ ſumma induſtria accommodata juxta illud.

Tu calamos inflare leves, ego dicere verſus.

Hoc pacto Homerus Cantantes Achillem, Femium, & Demodocum introducit, juxta hunc tenorem ſervabant quoddam Muſicorum genus, Rapſodum dictum, verſuſque Poetarum cantando recitare, & explicare ſolebant: hac ratione, Platone teſte, verſus Homeri interpretabantur ad ſonum Lyræ; Modulatio vero nunquam a duabus ſimul, ſed alternis intonationibus peragebatur, ita apud Theocritum Paſtores Daphni, & Menalca, & Virgilium Dameta, & Menalca alternis ludunt vocibus. Chorus vero dicebatur 50 circiter Lyricorum Poetarum cum Poemata ſua propria, tum laudes Deorum, eorumque, qui ex Olympicis ludis victoriam inſignem reportaſſent, decantantium congregatio; Atque pro decantatarum laudum præmio bove donabantur. In hujuſmodi quoque Choros Ruſticos diſtributos pro fructibus terræ conceſſis juxta altare victima inſtructum, & ad ſonum tibicinis Baccho vota perſolviſſe tradit Phornutus. Cum vero Poetæ ſubinde nimia animi contentione deficerent, in locum cantantis puer, teſte Livio, ſufficiebatur. Unde deinde conſuetudo hiſtrionum in theatris verſus Poetarum canentium inolevit, juxta illud Horatii:

Ignotum tragicæ genus inveniſſe Camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe Poemata Theſpis
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Pari ratione ſonante Cytharædo, & cantante Poema quodpiam, cæteri ſaltus, choreaſque agebant juxta Virgil.

Ingeminant plauſus Tyrii, Treoſque ſequuntur. Et alibi.
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.

Atque hoc pacto laudes ſuas perſolvebant.

§. II.

De Odis Lyricorum, & materia Poematum, & de legibus muſicalibus.

Dividitur Oda Pindarica in tres partes; Prima pars Odæ ϛροφὴ; Secunda ἀντιϛροφὴ; Tertia ἐπωδὸς dicitur, ſuntque verſus Lyrici, ad ſonum videlicet Lyræ, aut Cytharæ cantari ſoliti; Dicebatur, autem ſtrophe, quod dum illa pars caneretur, ſaltantes retroacti a dextra verſus ſiniſtram procederent; dum vero Antiſtrophe cantabatur contrarium modum in ſaltando tenerent ſaltatores; dum vero ἐπωδὸς ſonabat, tanquam feſſi, & veluti pauſa quadam interpoſita aliquantiſper iidem requieſcerent; atque hic modus ſaltandi in hunc uſque diem apud Cretenſes durat. Utebantur autem in hujuſmodi ſolemnitatibus Arcades Utriculo, Siculi Pectidibus; Cretenſes Lyra; Lacedæmonii, Tibiis, Cornibus Thraces, &c. Hos ſecuti Romani, in Comœdiis exhibendis Tibiis, & Calamis ſive fiſtulis utebantur; quas dextras, & ſiniſtras vocabant, horum enim opera proprietatem Comœdiæ addiſcebant. Nam quando Comœdia erat de re gravi, & ſeria, Aulædi ſiniſtro calamo gravem, & ſeveram exhibebant harmoniam; quando vero Comœdia erat feſtiva, jucunda, amœna, Aulædi ſiniſtro calamo materiæ congruam perſonabant harmoniam, ſcilicet, feſtivam, jucundam, amœnam, &c. Materiam denique miſtam; miſta harmonia decantabant.

Erant quoque hujuſmodi fiſtulæ duplicis generis, ſcilicet, Seranæ, & Phrygiæ; Seranæ dicebantur ob foraminum paritatem, pares; Phrygiæ contra ab imparitate foraminum dicebantur impares; Phrygia Varrone teſte, uno conſtabat foramine, Serana duobus; Nonnulli Plinio teſte calamis aquaticis ſeu arundinibus utebantur, quas certo anni tempore circa occaſum Arcturi ſecantes triennali exſiccatione peracta tandem in Aulos, & fiſtulas efformabant; ad quod faciendum ab ipſa quaſi natura invitari videbantur, quæ in arundinibus ita partes internodes diſpoſuit, ut per nodos reſectæ, ac in fiſtulas accommodatæ, ut longitudine, ita & ſono differant, & in ea quidem proportione, ut prima ſeu longiſſima fiſtula ad proximam uno præciſe tono variet, ad octavam vero ſonet diapaſon, & ſic loquendo de aliis intermediis. Verum de his conſule librum 7 ubi de his ex inſtituto agitur.

Porro argumenta muſicæ Veterum alia erant

erant Versus in laudes Deorum summo artificio, & ingenio, (cujusmodi, v. g. sunt hymni Orphei) compositi; alia laudes & Encomia hominum illustrium ex victoriis Olympicis, Pythiis, Nemeis, Istmiis insignium (uti Odæ Pindaricæ) continebant; Alia Epithalamios (uti Catulli Poemata) amores exhibebant; alia funerum, & luctus Neniarum materiam præstabant; cujusmodi erant Epidimiæ ad pestiferam contagionem profligandam institutæ, &c. Alii denique materias cantabant tragicas, comicas, aliaque similia plena gravitatis, severitatisque argumenta; hoc pacto Demodocus composuit gloriosa celeberrimorum hominum facinora, contentionem Ulyssis cum Achille, Veneris & Martis Apologum, Equum Trojanum, &c. Foemus adulterium Martis, & Veneris carmine cecinit, non ad incitandam, sed ad devitandum luxuriam, instituto. Ad horum exemplum scelestus Nero (ut Suetonius narrat) ad sonum Cytharæ larua obtectus Niobes decantabat Mythologiam, variisque tragœdiis intermixtis nunc Canacem referebat parturientem, modo Orestem Matricidam, jam Herculem furiosum, &c. Verbo materia quam canendo recitabant Antiqui, historiæ erant omnium earum rerum, quæ ab origine mundi usque ad ipsorum tempora contigerant, admirandarum.

In quibus non promiscua, & inconsulta; Sed Rhythmis versibusque harmoniæ congruis affectiones mortalium veluti moderabantur; Unde, & hujusmodi harmonicæ modulationes, non sine maxima ratione, & mysterio nomi, id est, leges dictæ sunt, quas mutare sub pœna gravissima non licebat, utpote eo fine institutas, ut ad sonum cytharæ, vel Lyræ incitatæ, & animum sua afficerent harmonia, & memoriam audientium ad eas firmius retinendas excitarent. Eruntque triplicis generis, quarum aliæ canebantur cythara, vel lyra, aliæ tibia, vel calamis sive fistulis; ultimæ utrique communi perficiebantur harmonia; Præterea præfatæ illæ modulationes sortiebantur diversa nomina, vel a populis apud quos vigebant, ut Ioniæ, Æoliæ, Bæotiæ, vel a Rhythmis, & versibus, ut Orthiæ, Trochææ, vel a modis, ut Acutæ, Tetraædiæ; vel ab Inventoribus, ut Terpandriæ, Hieraciæ, vel ab eventu, uti Pythia &c. Erat autem Pythia lex, cujus argumentum continebat certamen Apollinis cum Serpente Pythone, quod denominat fabulam cantilenæ nomen erat, Delona: eo quod Apollo nativus esset ex Insula Delo; eratque hæc lex Pythia, teste Polluce, divisa in quinque partes; quarum prima dicebatur Rudimentum sive exploratio; secunda Provocatio; tertia Iambicus; quarta Spondæus, quinta & ultima Tripudium sive triumphus; In prima parte Apollo Serpentis latibula locique ad pugnandum aptitudinem explorabat. Secunda parte modum exhibebat, quo Apollo Serpentem ad confligendum pugnandumque provocabat. Tertia parte canebatur ipsum certamen ad sonum fistulæ, quem *ὀδοντισμὸν* appellabant, quo formidabilis serpentis, dentes collidentis, sibilus exhibebatur. Quarta parte Victoria Apollinis narrabatur. Denique in ultima parte festa, choreæ, tripudia Apollinis de Victoria reportata instituebantur. Præterea erat Satyrica *σικιννὶς* dicta, quam Bacchus postquam ex India a se subjugata rediisset, instituit, eratque lex tibiaria, in qua Rhythmi, moduli, gestus, & harmonia juxta materiæ conditionem mutabantur.

Ex quibus omnibus hucusque dictis satis liquet, Musicam veterum Græcorum constitisse Rythmo, metro, instrumento, poeta & saltatione, quæ subinde omnes in una compositione concurrebant, subinde vero major dictarum rerum portio, &c. Patet etiam Poetam, & Musicum unam, & eandem personam sustinuisse; Orpheus & Linus Anphionque poesin musicæ conjungebant: Hesiodus poemata sua cantare consueverat ad certum virgæ laurinæ sonum, quem, teste Pausania, aerem percutiendo excitabat.

Pindarum Poetam, & Musicum fuisse patet ex inscriptione, quam in devastatione Thebarum, foribus domus Pindari inscribi jusserat Alexander Magnus his verbis: *Πινδάρȣ τȣ̃ μȣσοποιȣ̃ τὴν ςέγην μὴ κάετε*: *Domum Pindari Musici, ne cremetis.*

§. III.

De Instrmentis Musicæ apud Veteres.

CONstans, & unanimis omnium fere Mythologorum sententia est, primum Lyræ sive Cytharæ inventorem fuisse Mercurium filium Atlantis & Majæ; hic inventam post inundationem Nili Testudinem inductis chordis in Lyram instauravit, confectam Orpheo, vel ut alii dicunt Apollini donavit, loco cujus ab eo Caduceum retulisse fertur; cujus historiam tametsi aliter, ingeniosissime tamen, apud Homerum descriptam lector consulat, cum enim sint hæc trita non immoramur.

Ad figuram hujus lyræ quod attinet, certe in tanta antiquitatis caligine vix aliquid certi statui posse existimo, si tamen

men conjecturis standum, talis figuræ fuisse dixerim qualem in antiquis tum Romanæ Urbis monumentis, tum nummis medaliisque veterum superstitibus semper fere sub eadem fere figura inscriptam etiamnum in hortis Farnesianis, Mathæianis, Salustiis, Pincianis, Burghesiis, & Antiquario Justinianæo, jam in manu Apollinis, modo Mercurii spectabilem comperimus. Hyginius tamen differentem ejus figuram exhibet. Alii non figura tantum, sed & chordarum numero differentem faciunt; Ex his sunt alii, qui trichordam, alii tetrachordam, & heptachordam eandem faciunt. Nonnulli cum Amphionis Orphei, & Lini eam confundunt; at perperam; horum enim excellentissimorum Musicorum instrumenta haud dubie manubriis, ut nostra instrumenta constabant, neque video, quænam Musica sola plectri percussione hujusmodi instrumentis cum tam admiranda harmonia, qualem Autores describunt, a dictis Poetis exhiberi potuerit, sed in tanta confusione nos optimum esse rati sumus in 7. libro singulas figuras quibus eandem describunt ob oculos lectoris ponere, ut unusquisque, quod libuerit, de ea sentiat.

§. IV.

De Musicæ apud veteres argumento, & perfectione, & de signis, ac Notis harmonicis.

VIdentes porro Posteri Musurgi, Musicam a primævis Græciæ sapientibus conditam, oppido imperfectam, serio allaborarunt, ut eandem ad aliqualem perfectionem deducerent; Choragum egit Pythagoras Samius qui ex malleorum proportione primus tradidit, harmonicorum motuum proportiones, quas & numeris demonstravit, mundum harmonicum primus ostendit. Hunc secuti sunt postea Aristoxenes, Timothes, Euclides, Hippasus, Architas, Aristoteles, Plato, Timotheus, Thales Milesius, Philolaus, Eubolides, Nicomachus, aliique innumeri, quos apud Plutarchum vide; qui præcepta a Pythagora tradita excolentes, Musicam in eum evexerunt gradum, quem apud illius ævi Musicos Græcos viguisse, cum admiratione legimus. Nam hi ex chordarum variis sectionibus harmonicas proportiones ad aurium sensum explorantes, Musicam tandem exactissimis regulis exhibuerunt; Intervalla consona a dissonis removerunt primi, intervallis singulis nomina imposuerunt. Triplex Musicæ genus, diatonicum, chromaticum, enharmonicum repererunt; Tonorum sive troporum varietatem constituerunt, aliaque innumera præstiterunt cum tanta ingenii subtilitate, quam in hunc usque diem, & suspicimus, & admiramur. Verum cum rationem procedendi in singulis fuse in sequentibus libris describamus, illam tantum hic obiter indicare voluimus. Quos deinde secuti Quintilianus, Ptolomæus, Plutarchus, Albinus, Boetius, Augustinus, aliique tam Græci, quam Latini eam egregie variis subtilissimisque voluminibus, ut in progressu operis patebit, amplificarunt.

Qualem vero citati Veteres Græciæ Musici in signandis harmonicis proportionibus methodum modumque servarint, haud dubie curiosus lector nosse desiderabit; Certum enim est illos intervalla sua harmonica certis Notis non secus, ac nostro hoc sæculo moris est, indicasse; atque juxta hujusmodi notas, & cantum pronuntiasse, & instrumenta pulsasse. Varii varia tradiderunt hujus signa, sed male intellecta, ut postea videbitur. Ego certe ut illucusque penetrarem, nihil non intentatum reliqui; Excussis itaque tum Vaticana tum aliis Bibliothecis tandem varia hujus argumenti manuscripta detexi, quorum unum manuscriptum Græce Vaticanum Autore Gaudentio Philosopho. Alterum in nostra Bibliotheca, Autore Alypio Musico antiquissimo reperi, ex quorum collatione tandem musicam illam Veterem characteristicam non sine labore erutam, tibi integre in 7. libro Erotemate IV. exhibemus, quem locum consule.

CAPUT VII.

De moderna Græcorum Musica.

ECclesia Græcanica Musicam ab antiquis sapiente institutam, non excoluit tantum, sed & propaginem ejus longe lateque diffusam, posteris tradidit; Cum enim laus esset in Ecclesia Sanctorum, & ubique chori instituerentur virorum Religiosorum, diu noctuque Deum incessanter laudantium, Musicam tanquam perfectam psallendi amussim adhibuerunt; quin ne Gentilibus suis prædecessoribus inania Deorum Numina cantantibus in fervore psallendi cedere viderentur, ad Musicam in Choris Ecclesiarum magno decore peragendam, alias notas excogitarunt; quibus cantus Ecclesiasticos redderent, & meliores, & ad laudes Dei persolvendas accommodatiores; Atque hoc genus notarum præsenti hoc capite interpretari propositum nobis est, ne Lector quic-

quicquam in hac Musurgia desiderare possit rerum curiosarum, & si quandoque in libros Musicos hujusmodi notis conscriptos inciderit, clavem, qua ad Musicam dictis libris contentam pertingat, habeat. Desumpsi vero totam hujusmodi psallendi rationem ex libris græcorum partim vulgari græca, partim literali lingua conscriptis, quorum Autores diversi fuerunt; Melioris tamen notæ inter cœteros sunt Joannes Kucuzela, Chrysaphi, Naziz, aliique quos in Catalogo Autorum Musicorum vide. Pro primis itaque Musicæ Elementis, ex quibus reliqua notæ constituuntur, ponunt moderni vocum notas 14. Ex quibus octo sunt ascendentes, sex descendentes.

Ascendentes sunt hæ octo.

τὸ ὀλίγοι id est exigua
ἡ ὀξεῖα acuta
ἡ πελαασθὴ volatilis
τὸ κῦφισμα levitas
τὸ πελασθὸν volatile
τὰ δύο κεντήματα duo stimuli
τὸ κέντημα stimulus
ἡ ὀψηλή alta

Sex descendentes sunt istæ.

ὁ ἀπόςροφος Apostrophus
οἱ δύο ἀπόςροφοὶ duo apostrophi
ἡ ἀπορροή defluxus
τὸ κέυτημα ἀπόρροον stimulus defluxionis
τὸ ἐλαφρὸν vagum
ἡ χαμηλή Temperans



Ex hisce quædam corpora sunt; id est corporis rationem, quidam spiritus, id est, spiritus rationem habent. Corpora sunt sex ascendentia, duo vero descendentia; Corpora ascendentia sunt sex primæ voces, Oligon, ὀλίγον, petaste, cuphisma, Pelaston πελασθὸν duo centimata; Duo descendentes Apostrophi, duo συνδεσμοὶ id est duo vincula. Aporrhoe vero & corpus & spiritus rationem habet, gutturis enim uniformis motus ea suaviter exprimit, unde & melos vocatur. Sunt præterea spiritus 4. duo ex vocibus ascendentibus, & duo ex descendentibus. Ex ascendentibus sunt κέντημα & ὑφιλή. Ex descendentibus Elaphron & Chamile; Habent quoque hæc particularia signa voces, quas referunt signantque subjectis numeris græcis, ut sequitur.

τὸ ολίγον ᾱ. ἡ ὀξεῖα ᾱ. ἡπελασθὴ α. τὸ κῦφισμα ἀ

τὸ πέλασθον ι. τὰ δύοκεντήματα α. τὸ κέντημα β


ἡὑψηλὴ δυ̃ο ἀπόςροφοι ἀ, δυὸ ἀπόςροφοι α. ἡ ἀπορροὴ β

τὸ κράτημα ὀπόρροον ιϥ τὸ ἐλαφρὸν β. χαμηλῆ β.
β

Notandum vero hic quod omnes voces aſcendentes ſupponantur vocibus deſcendentibus.



α α α α β β Γ Γ δ δ



ἄφωνον

Subordinantur autem & ſpiritus aſcendentes, ut κεύτυμα ϗ υφηλὴ aſcendentibus corporibus id eſt τῶ ὀλίγω τῆ ὀξεῖα, ἡ πετασθὴ τῶ κυφίσματι, ut ſequitur.



β β β β Γ Γ δ δ δ δ δ



Similiter deſcendentes ſpiritus uti ἐλαφρὸν ϗ ἡ χαμηλὴ, & κράτημα ἀπόῤῥοον ιγ ſubjunguntur ſub ὁμαλῶ ⊣, & fit argiſyndeton. Aporrohe ɪ ſubordinatur ſub piaſmate & tunc fit σεῖσμα.

Signa vero mutationis Tonorum hæc ſunt.

Mutatio primi Toni, hoc ſigno mutatur. 

Mutatio ſecundi toni. 

Mutatio tertii toni. 

Mutatio quarti toni. 

Mutatio plagii primi. 

Mutatio plagii ſecundi. 

Mutatio Neana. 

Mutatio plagii quarti. 

Semitonium, ſive ſemivox. 


77 συνδεσμοὶ

Sunt præterea 3 media vocis ſigna magna otioſa 1∠ κράτημα

ll διπλὴ

ὀξάκισμα vero continet mediam vocem otioſam.

Magna ſigna muta ſunt, quæ dicuntur magnæ hypoſtaſes, oſtenduntque quantum in vocibus ſit immorandum; reſpondentque noſtris temporibus ſive quantitati notarum noſtrarum & tropis figuriſque Rhetorum.



ἴσον oſtendit plani tractus ſignum.

διπλὴ duplam vocis extenſionem.

παρακλητικὴ vocis ſuaviter inflexæ ſignum.

κράτημα vocis validæ ſignum.

λύγισμα vocis ſtridulæ ſignificatio.

κύλισμα vox verſatilis.

ἀντικενοκύλισμα plena verſatilis vocis expreſſio.

τρομικὸν vox tremula, ut in glottiſmis fit.

ἐκστρεπτὸν vox inverſa.

τομικρὸν σύναγμα vox apta & diſpoſita ad tremorem.

ψήφισον numerata vox.

γοργὸν velox, impetuoſa vox agilis

γοργὸν vivax, verſatilis terribilis

ἀργὸν otioſum

σταυρὸς Crux vox decuſſans aliam

ἀντικένομα inanis & vacua, ſive ſubmiſſa

ὁμαλὸν plane æqualis

θεματισμὸς ſtatio

θεματισμὸς ἔξω ſtatio extranea

παρακύλισμα verſatilitas impetuoſa,

ξηρὸν ſicca & arida vox

κλαῦσμα vocis fractio

χόρευμα tripudium

ἔναρξις nota principii

σύναγμα Collectio

πίασμα Correptio

βαρεῖα Gravis



ὀλίγον Exigua

ὀξεῖα Acuta

πετασὴ impetuoſa

κοῦφισμα Levitas

πελαστόν volatile

δύο κεντήματα duo ſtimuli

τζάκισμα diſtractio

δύο ἀπόστροφοι duo apoſtrophi

ἀργοσυνθετον nota ex Argo compoſita

γοργοσυνθετον nota ex Gorgo compoſita

οὐράνισμα a cælo ſic dicta

θὲς ϰ ἀποθὲς vicinum, remotum,

θέμα ἁπλοῦν poſitio ſimplex


Adnotatio

In Semæiologiam Græcanicam.

NOtant moderni Græci hiſce præſentibus ſignis idem quod Rhetores & Muſici, multiplici illo troporum, & figurarum apparatu; videnturque ex his plurima Veteribus Græcis uſitata, in ſuam muſicam derivaſſe; ita ξηρὸν vocem aridam ſignificat, ut fit in murmurantibus; οὐράνισμα a cœlorum volubilitate deſumpta voce, vocem volubilem ſignificat, cujuſmodi utuntur Eunuchi, dum clauſulas harmonicas, variis diminutionibus exhibent. σταυρὸς ſive crux denotat vocem oppoſitam, alteram quampiam inſtar crucis decuſſantem. Aporrhoe circuminceſſionem ſignificat, quando nimirum vox in ſeipſam reflectitur, ſuiſque motibus implicari videtur; pelaſton vocem diſtantem reducit, quam Kuphiſma acuit, & veluti celeriorem agilioremque efficit; πετασὴ vocis eſt impetus, ὀλίγον & ἴσον ejus parvitatem & æqualitatem ſonant. Verum, hæc omnia ex ſequentibus planius pateſient.

Præ-

Præterea dum volunt varia intervalla vocum referre utuntur hisce signis & intervalla quidem vocum ascendentium hæc sunt.



Literæ intervalla significant. Ut α significat unisonum, β significat intervallum unius toni, & sic de cœteris, diversa autem signa unius literæ significant valorem differentem notæ.

Vocum

Vocum vero deſcendentium valoriſque notarum ſigna ſunt.




De Tonorum clauſulis.

Habent præterea Græci moderni quædam vocabula, quibus omnem harmonicam modulationem exponunt, quæ prorſus noſtræ reſpondet Solmiſationi; ſuntque potiſſimum octo *Ananes*, *Neagie*, *Aanes*, *Neeanes*, *Aneanes*, *Neanes*, *Nana*, *Agie;* quibus revolutis revertuntur ad gradum unde proceſſerunt harmonicum; Sunt autem 8 tonorum moderatores, Ananes reſpondet primo tono, A quo ſi deſcenderis unam vocem, invenies plagium tetardum, ſcil. quartum; Si vero ab hoc unam vocem deſcenderis, invenies baryn ſive triton, tertium. Et ſi ab hoc per unam vocem deſcenderis invenies plagium deuteron id eſt ſecundum; & ſi ab hoc deſcenderis unam vocem, invenies plagium proton, primum. Si iterum ab hoc aſcenderis unam vocem invenies tonum deuteron, & hinc unam vocem ſi aſcenderis, invenies tonum triton, id eſt tertium; & hinc denique ſi unam aſcenderis habebis tonum tetarton id eſt quartum, & hunc ſequens vox dabit proton, id eſt primum tonum, & ſic de reliquis; Sciendum autem, quod a tono quocumque ſi deſcenderis, in voce mutatio fiat toni. Atque hoc pacto habentur octo toni demonſtrantes ſingulas voces, & voces ex mutatione tonorum. Si enim a tetraphonia, ſive a diateſſaron deſcenderis a prima quinque voces, invenies plagium tetardum ſive quartum tonum. Vocanturque 4 Authenti *κύριος* hoc eſt proprii, & 4 improprii *πλάγιοι* uti dictum eſt. Signa porro octo tonorum ſequuntur.

		Voces
ὁ πρῶτος λέγεται	δώριος	Ανανες ἦχος
ὁ δεύτερος	λύδιος	νεανες ἦχος
ὁ τρίτος	φρύγιος	Na Na ἦχος
ὁ τέταρτος	μιξολύδια	αγια ἦχος
ὁ πλάγιος τȣ̃ πρώτȣ	ὑποδώριος	ανεανες ἦχος
ὁ πλάγιος τȣ β.	ὑπολύδιος	νεεανες ἦχος
ὁ πλαγιος τȣ Γ.	ὁ βαρὺς ὑποφρύγιος	αανες ἦχος
ὁ πλάγιος τȣ̃ τετάρτȣ	ὑπομιξολυδιος	νεαγιε ἦχος


Verum ut hæc omnia luculentius pateſiant; totius Solmiſationis typum noſtris notis expreſſum ob oculos ponemus curioſi Lectoris.



Hæc quæ Græci tanto labore tantoque cum characterum apparatu disponunt, nos multo facilius, felicius, & brevius per octo replicationes, præcedentibus vocabulis indicatas, assequimur. Ut tamen Tyrones Græcorum facilius assequantur, vocum, tonorumque mutationes. Rotam quandam conficiunt in qua sequentia ponunt signa, iisque vocum in se ipsas revolutionem ostendunt, sed documenta ex Cucuzelo adscribamus.

Tonorum mutationes juxta Domini Joannis Magistri Cucuzeli dispositionem.

Exemplum notis nostris expressum.



Ostensa itaque methodo & ratione musicæ, qua moderni Græci in Ecclesiasticis suis canticis utuntur, nihil restat nisi ut paradigma quoque unum atque alterum applicemus ex libris hisce notis musicis refertis, depromptum exhibeamus, ut Lector curiosus artificium luculentius cognoscat.

ἀρχὶ τῶν κατ' ἠχῶν ἠχημάτων ἦχος πρῶτος.





Reſtabat modo ut de Ægyptiorum, Arabum, aliarumque Orientis gentium Muſica aliquid diceremus. Verum cum de ea in Oedipo Ægyptiaco fuſe & ex profeſſo tractemus, ne incrementum operis æquo grandioribus procedat paſſibus, eo Lectorem remittimus; Atque hæc ſunt, quæ de muſicæ inventione & propagatione tam Hebræorum quam Græcorum, dicenda putavi.

ATHA-

ATHANASII KIRCHERI
LIBER DIACRITICUS
De Musurgia Antiquo-moderna, in qua de varia utriusque Musicæ ratione disputatur.

PRÆFATIO.

SI ullam inter Philologos materiam, illam certe de Musica Veterum controversam reperi, circa quam uti variæ fuerunt nullo non tempore quæstiones agitatæ, ita tantam quoque confusionem successu temporum incurrit, ut in tanta disparium opinionum multitudine & varietate, quid sentias, vel cujus placito subscribas, dispicere vix possis. Quidam eam non tantum modernæ multis parasangis præferunt, sed & veluti humanæ sapientiæ apicem unice suspiciunt, & admirantur. Nonnulli contra eandem simplicem, vilem, pastoritiam, rusticamque nostræ minimæ comparari posse asserunt. Alii ingeniosam, & totius metricæ scientiæ fontem dum demonstrationibus ex musica petitis ostendere satagunt, negotium cæteroquin arduum tot terminis involvunt, tot verborum monstris intricant, ut nec ipsi quidem, quid velint intelligere videantur. Dici autem vix potest, quanto multi ingenii conatu nobis ejus præstantiam & excellentiam persuadere conentur; quanto zelo eiusdem instaurationem moliantur; quam sollicite alios in eorum sententiam trahere satagant, in hoc unicum intenti, ut abrogata moderna musica, quam ipsi præ veteri meras quisquilias & sordes asperitatesque inconditas æstimant, eidem veterem ingeniosissimam, movendisque affectibus aptissimam, (quam tamen qualis fuerit) non ostendunt, succenturient. Hanc maximam, atque in harmonico negotio incongruam ἀταξίαν cum sæpe mirarer, & plerasque memoratarum opinionum velitationes non aliunde, quam ex male intellectis Autoribus, antiquitatisque imperitia processisse notarem; quomodo tam dispares sententiæ conciliari possint, præterea qualisnam veterum musica vere, & proprie fuerit, quis instrumentorum, vocumque apparatus hoc libro opportune demonstrare decrevi, ut ex veteri musicæ cum moderna comparatione, unusquisque, quid sentiendum sit, judicare possit. Ad rem igitur.

EROTHEMA I.

Qualis antiqua Græcorum Musica fuerit, & in quo constiterit ejusdem, quam tantopere Autores commendant, excellentia.

MUltis itaque modis vetus Græcorum musica considerari potest. Alia enim musica erat, qua ad bene, riteque philosophandum; alia qua ad laudes, hymnosque Deorum in Templis, delubrisque, aut Heroum, victorumque triumphos in publicis theatris utebantur; alia denique quam animi gratia tum publico, tum privato exercitio in festis solennioribus, choreis, tripudiis, scenis exhibebant.

§. I.

De mystica Veterum Musica.

MUsica illa reconditior, diviniora ambitu suo comprehendens, proprie competebat philosophis, dicebaturque Aristotele teste cœlestis, naturam habens divinam, & pulchram mirandamque; Plutarcho venerabile studium, Diisque maxime acceptum, eorumque inventum, harmonia sancta, & divinum magnumque quid; & ut Psellus refert, musicam Veteres totum dicebant comprehendere universum. Cum nihil earum rerum, quæ existunt absque symmetria, atque proportione inveniatur. Unde omnem artem Atticos sub musicæ nomine comprehendisse Hesychius narrat; juxta Mercur. Trismegistum nihil aliud esse videbatur, quam cunctarum rerum ordinem scire; a Socrate quoque in Phædone descripta nihil aliud est, quam meditatio quædam philosophica, qua animus e corpore segregatur, neque usurpanda est Aristotile teste, unius utilitatis gratia, sed doctrinæ, & purificationis, vitandique otii causa; Quam Plato tanti faciebat, ut dicere soleret, eam non minorem in animam vim habere, quam aer in corpus. Hinc quidquid fere in tota philosophia Platonica reconditum est, ad musicas leges traditum cernitur; ponebat autem duplicem musicam, divinam unam in æterna Dei mente existentem, alteram in cœlorum ordine, & motibus, qua mirabilem quendam cœlestes globi, orbesque concentum efficere credebant; Unde Plutarcho testo, musicum instrumentum deorum manibus inserebant, cum nullum officium perinde diis convenire, quam concentum, & harmoniam arbitrarentur, sacris præterea adhibebant, quod ea humanos animos mira quadam vi concitatos ad divinam contemplationem erigeret.


Præ cœteris autem Pythagoras hanc calluisse legitur, subque harmonicis omnem abscondebat humanæ divinæque philosophiæ notitiam, quæ quibus fundamentis substiterit, operæ pretium me facturum existimavi, si pauci id explicarem præsertim cum nullibi in hoc opere id præstiterimus.

Et primus quidem Pythagoras, cum apud officinam ferrariam transiret, sonosque malleorum harmonice contemperatos advertisset, deprehendisse fertur differentiam sonorum esse ex magnitudine malleorum, ut magni graves sonos ederent, parvi acutos, cum autem inter magnitudines proprie spectetur proportio, ex mensuris malleorum proportiones facile advertit, quibus harmonica vocum intervalla constituerentur, & quibus dissona, quibus concinna, quibus inconcinna; statim autem a malleis ad chordarum transivit longitudines, ubi aures exactius judicant, quæ partes chordæ cum tota consonent, quæ ab illa dissonent.

Proportionibus autem repertis supererat, ut & causæ investigarentur, cur hæ proportiones concinna, suavia, consonaque intervalla vocum definirent; aliæ proportiones, dissona ab auribus abhorrentia, & insueta, & tandem conclusum, causas petendas a proprietatibus quantitatis discretæ, scilicet numerorum. Viderunt enim Pythagorici perfectas constitui harmonias, si chordæ æque tensæ proportionem habeant inter se longitudinis duplam, & si triplam, & si quadruplam habuerint, qualis est inter numeros 1. & 2. 1. & 3. 1. & 4. Rursum paulo imperfectiores esse consonantias chordarum quæ faciunt proportionem sesquialteram, sive hemiolam, & sesquitertiam, seu epitriton, quales inter numeros 2. & 3. 3. & 4. quæ quidem conjuncta faciunt proportionem duplam inter numeros 2. & 4. vel 1. & 2. minor vero inter 3. & 4. ablata a majori 2. & 3. relinquebat sesquioctavam inter 8. 9. & tantum deprehenderunt esse intervallum soni usitatissimum in omni cantu. Atqui numerus 8. cubus est de 2. & numerus 9. quadratum de 3. Jam igitur hi erant in promptu numeri 1. 2. 3. 4. 8. 9. Cum autem eadem unitas sit, & quadratum suum, & cubus; binarius vero quadratum suum haberet 4. & cubum 8. ternario etiam præter quadratum 9. adjunxerunt cubum suum 27. quod existimarent ad cubos usque progrediendum esse; propterea quod mundus totus, & vocalia omnia non superficiebus constarent inanibus, sed solidis cor-

corporibus. Denique ex hoc initio tanta coaluit horum numerorum opinio, eo quod eſſent primi eorumque quadrati, & cubi, ut Pythagorici totam philoſophiam ex iis cenſuerint concinnandam. Nam unitas repreſentabat ipſis ideam, & mentem, & formam; quia ut unitas individua eſt, eademque manet, & quadrate multiplicata, & cubice; ſic ideæ quoque indiviſibiles, & univerſales eſſent, & ſemper idem; itaque unitatem fecerunt ſymbolum naturæ identitatis; numeros vero cæteros ſymbola naturæ alteritatis. Binarius igitur alteritatem ſignabat, & materiam, quia diviſionem ille admittit ut & iſta, ut illa quadrate multiplicata fit 4. cubice 8. qui ſunt numeri diſtincti a 2. ſic materia inſtabilis, & multiformis eſſe poteſt. Alter binarius etiam animam ſignabat, quod cum mens immobilis ſit, aut motu uniformi, ſcilicet circulari gaudeat; anima contra multiplices motus a corpore excipiat, adque motus rectilineos magis familiariter ſe habeat. Denique ternarius notabat illis corpus compoſitum ex forma, & materia, ſicuti ternarius compoſitus eſt de 2. & 1. & quia corpora mundana tot habent dimenſiones, quot ternarius unitates, neque tantum ſymbola erant numeri trium principiorum, ſed & jam ipſa anima comparabatur ipſis ex hiſce numeris, eorumque proportionibus omnibus, & ſubdiviſionibus proportionum in ſeſquialteram, & ſeſquioctavam, ut anima vinculum mentis & corporis eſſet in ſua eſſentia, nil niſi harmonia exque harmoniis compoſita. Ad hoc dogma duxit illos procul dubio conſideratio iſta, quod anima delectetur tantopere rebus, quæ aliquas proportiones harmonicas magnitudine ſua formant, & continent.

Atque hinc celeberrima illa Tetractys Pythagorica (de qua fuſe in Decachordo Naturæ regiſtro IX. de muſica animæ a nobis tractatum eſt) fons perennis animæ humanæ, per quam Pythagorici jurare ſolebant;



Conſtituit hanc tetractyn 1. 2. 3. 4. 1. eſt principium numerorum 2. numerorum parium primus; 3. compoſitorum, & imparium primus; ducto 1. in 3. fit rectangulum trium, ut ex impari; ducto 2. in ſeipſum, fit quadratum, ut ex pari, cujus etiam in ſtructura longitudinem, & latitudinem decet eſſe pares, ſicuti in ipſius triangulo inæquales. Summa ex 1. 2. 3. 4. ut alibi docuimus, dat 10. & anima humana ultra 10. numerare non ſolet. Et ſicuti ſunt quatuor numeri, totidem ſcilicet, quot in quadro unitates; ſic etiam per eos quatuor ſpecies harmoniarum exiſtunt; inter 1. & 2. 2. & 4. diapaſon; inter 1. & 4. diſdiapaſon, qui pro 2. octavis ſumitur; inter 1. & 3. diapaſon cum diapente, quem habebant pro maxima ſyſtenatis harmonia, eſtque hic ſecunda; tertia inter 2. & 3. diapente, & quarta in 3. & 4. diateſſaron, neque plures ipſi agnoſcebant harmonias, quidquid enim ultra occurebat, jam ſuperfluum habebatur, & quod vox attingere minime poſſet: putabant enim vocem quamcumque non niſi diſdiapaſon, quam 1. & 4. numeri denotant, attingere poſſe. Hi igitur harmonici numeri 1. 2. 3. 4. ſimul uniti denarium præſtant, cujus hoc proprium eſt, quod colligatur ex unitate cujuſque continui multiplicibus uſque ad quaternarium. Fit enim triangulum numerale æquilaterum, cujus baſis quaternarius, vertex unitas genuinum animæ ſymbolum, ut in Arithmetica noſtra hieroglyphica oſtendetur. Hinc Pythagorici alium numerum ſummo ingenio deducebant, ſcilicet 36. quem nunc in trigonum æquilaterum, cujus baſis 8. modo in quadratum, cujus latus 6. jam in oblongum rectangulum efformabant, cujus longitudo 9. latitudo 4. vel cujus longitudo 12. latitudo 3. 4. enim ducta in 9. & 3. in 12. faciunt utrinque 36. porro hi numeri 6. 8. 9. 12. collecti in unum faciunt 35. quem numerum harmonicum, eo quod quatuor conſonantiarum ſpecies paulo ante indicatas contineret, appellabant; Hinc tetractys iſta propter uſum tam multiplicem conſideratione, & admiratione digniſſima habita eſt inter primas tranſtuleruntque eam non ad phyſicæ tantum, ſed & ad animæ contemplationem, & ad ethicam theologicamque doctrinam, ut citato loco docuimus; quamque Plutarchus haud incongrue quoque dixit.

Fontem naturæ quo turget vena perennis, ubi per unitatem denotabant mundum, per binarium, primam in eo multiplicitatem; per ternarium, vinculum & nodum connectendis rebus neceſſarium: impoſſibile enim eſt, ut duæ res ſolæ in unum coeant ſeorſim a tertio: per quaternarium denique numerum elementorum, quæ conjuncta conſtituunt 10. quo numero omnem notant totius Univerſi ornatum, quo Opifex rerum id ditavit. Verum cum hæc omnia fuſe in decachordo naturæ explicata ſint, diutius iis non immorabimur.

Vides igitur qualemnam sub hisce harmonicis numeris musicam abscondebant Pythagorici, eam videlicet quæ non tam vocibus, & instrumentis, quam mundanæ fabricæ scrutinio cumprimis serviebat.

§. II.

De Musica sacra Veterum.

QUalisnam fuerit veterum musica vocalis, Plato docet dialog. 7. de legibus, his verbis: *Musices prima lex sit, ut cantilenæ unæquæque ex gratiosis verbis constent; Secundo, ut preces fiant ad Deos, quibus sacrificamus. Tertio ut Poetæ veluti, qui sciant preces a Diis petitiones esse, diligenter animum advertant, ne fallantur, ut malum tanquam bonum petant, ita ut poeta præter civitatis leges, & justa aut honesta, aut bona nihil aliud faciat, & ut non liceat ipsi ea, quæ facta sunt, alicui privato prius ostendere, quam ipsis ad hæc designatis judicibus, ac legum custodibus ostensa fuerint, & placuerint: deinde Deorum hymni, & laudes, quæ societatem cum precibus habent, rectissime canantur, & post deos similiter ad dæmones, & Heroas cum laudibus preces fiant, prout hos omnes decent.* Ex quibus verbis aperte constat, hymnos olim in deorum honorem fuisse recitatos eo fere modo, quo hoc tempore in Ecclesiis alternis choris psalmi cantu pleno absque harmonioso vocum concentu peraguntur, & fuisse hanc cantandi rationem valde concinnam, & decoram, exactissimis tum temporis, tum nominum verborumque rite pronunciandorum legibus astrictam; unde & hujusmodi musicam canonicam Gellius vocat, quasi longitudinem, altitudinemque vocis emetientem, & longior quidem vocis mensura Rhythmus, altior melos dicebatur; conjungebaturque metricæ, per quam syllabarum longarum, brevium, mediocriumque junctura & modus congruus cum principiis geometriæ aurium mensura examinabatur; unde & liquet musicam, quemadmodum in secundo libro fuse quoque ostendimus, a poesi minime fuisse disgregatam, Plutarcho teste, qui musicæ cantibus rhythmum, tempus, & syllabam adsignat hisce verbis, *Sensum*, inquit, *& intelligentiam oportet in judicandis musicæ partibus concurrere, ut neque præeant sensus, quod accidit præcipitibus, neque a tergo relinquantur, quod usuvenit tardis. Contingit autem in sensibus utrumque, ut ob naturæ inæqualitatem & antecurrant, & tardius æquo veniant. Hoc igitur adimendum est sensui, ut possit imitari intellectum: Semper enim necesse est tria hæc una in auditum incidere: sonum, tempus, litteram, seu syllabam: fiet autem, ut e sono, ejusque ingressu harmoniam, e tempore rhythmum, e littera, aut syllaba id, quod dicitur, intelligat.* Hæc Plutarchus: ubi manifeste insinuat, musicam veterum fuisse ita ordinatam, ut unus duo, vel plures alternis hymnis rhythmica, sive metrica arte constructis, ita alternis choris concinerent, ut omnes & sono, & tempore, syllabarumque prolatione congruerent; quæ quidem musica ratione subjectæ materiæ diversa erat. Musica Platone teste dial. de legib. Athenis secundum quasdam species, & figuras divisa erat: prima hymni species ad Deos; huic alia contraria lamentationes, alia pæones, alia Dionysii ortus qui dythyrambus dicebatur, continebat: & alia Cytharædorum: alia Aulædorum: alia Lyricorum, quam de materia musica in ipsorum cantilenis recitabant, verum de varia h: : musica lege, quæ fusissime tradidimus lib. 2. diatriba de antiqua Græcorum musica. Nomi quoque, sive leges musicæ erant variæ, nihilque aliud erant, quam modus quidam cantandi, qui continebat concentum quendam determinatum, una cum determinato rhythmo, & metro, quas leges nemini fas erat mutare, aut eas innovare, sive in harmonia, sive in metro, aut rythmo; dicuntur etiam leges, eo quod ad sonum cytharæ leges, aliaque egregia quædam, & politica documenta recitarentur, ut sic mentibus facilius, dulciusque insererentur; quorum aliæ erant cytharisticæ, cantabanturque ad sonum cytharæ, aliæ tibiariæ ad cantum tibiarum aulædorumque aliæ mixtæ, quæ utrisque instrumentis adhibitis cantabantur.

Qualis præterea fuerit choraica, qualis in tripudiis, & festis solemnioribus fuerit Græcis in usu, fuse lib. 2. tractatum est.

EROTHEMA II.

Qualia, & cujus conditionis Veterum musicorum instrumenta fuerint.

DE hisce varie, & ex professo tractatum reperies in lib. 2. diatriba de musica antiquorum: verum cum ibi quædam, quæ ad discursus nostros maxime facere videbantur, omiserimus, hic ea inserere voluimus. Qualia instrumenta Græcorum fuerint, aliunde haurire non possumus, nisi vel ex Plutarcho, Polluce, Callimacho; aliisque citato loco adductis Autoribus, vel ex antiquitatum monumentis, tum hic Romæ, tum alibi super-

superstitibus; ut enim apud posteritatem rerum ab ipsis sapienter inventarum gloriam, laudem, ad mirationemque aliquam captarent, non libris, literisque tantum ea mandarunt, sed etiam partim lapideis tumulis, sepulchrisque, aliisque monumentis insculpta, partim æneis statuis adfusa ceu perennia ad immortalitatem perducere voluerunt; Spectantur innumera pene hujus farinæ monumenta, in diversis Romanæ Urbis Antiquariis, suburbanisque Viridariis. Est in hortis Matthæiorum in Monte Cœlio statua ad lævam intrantibus viridarium in fine latepatentis ambulacri ingens monumentum marmoreum, in quo Musarum figuræ cum diversis musicis instrumentis apud antiquos usitatis, & adeo affabre incisis spectantur, ut nihil dilicatius cerni possit; Videas hic diversas lyrarum, fistularumque, sive lituorum species una cum plectrorum ratione; videas & certa quædam instrumenta, quæ ego non male crepundia dixerim; verum ut ea unica synopsi contemplari possis, ea tibi sincere, & fideliter ex ipso prototypo exhibenda duxi in Icon. XI.

Lyram quoque Apollinis in eodem viridario heptachordam variis in locis ea prorsus ratione qua Iconismus presens exhibet, spectabilem reperies; videas quoque situm instrumentorum, quem ad ea sonanda adhibebant, solo plectro videlicet, nunc has nunc illas chordas in harmoniam concitando, nullumque, quod equidem miror, inter omnia reperies, quod digitis more nostrorum instrumentorum prematur, ut quæ canonibus, quos jugum, aut collum instrumenti appellant, caruerint: neque inter flatilia, seu pneumatica instrumenta ullum, quod tastatura constet, reperitur, præter unicam figuram, quam alibi exhibemus; ubi nescio quid organo nostro simile apparet, folles enim adsunt, adest & tastatura, etsi sine ullo palmularum discretarum vestigio, Fœmina organædam affectante, Inventa est hæc figura ante portam ligno rum, cuidam muro veteri inserta; multi nescio quid chymicum sub ea exhiberi suspicantur. Quicquid sit nulla prorsus cum nostris modernis instrumentis musicis convenire spectantur, ut vel maxime mirari liceat, veterum in instrumentis musicis simplicitatem, & imperfectionem; si enim aliquid melius habuissent, illud haud dubie pro innata ipsis ad nominis immortalitatem consequendam ambitione ubique tanquam admirabile quiddam tum scriptis mandassent tum monumentis insculpsissent; certe Hydraulicum illud organum, quod nobis Vitruvius describit, & nos in musica mechanica fuse una cum figura descriptum exhibuimus, adeo in multis imperfectum est, ut cum nostrorum solertia artificum musurgorum comparari minime possit. Utebantur autem veteres musici, ut plurimum lyra, quarum diversas species in Icon exhibuimus, comprehendebantque ea omnia instrumenta ἐγχορδα, sive fidibus instructa; deinde cythara, quod erat instrumentum sub trigoni forma in modum fere Harpæ nostratis, Hebræis Aschur, idest decachordon & Chaldæis pesanterin, sive psalterium, a quibus etiam mutuati videntur, efformatum; nam & antiquissimum instrumentum fuisse ipse Plutarchus dicit, tragœdiamque ætate multis seculis anteisse, plectroque, vel ambabus manibus incitari solitum: Deinde, ut plurimum diversis fistularum, tibiarum, lituorumque speciebus: ex quibus nunc una, nunc duabus in unum conjunctis, nunc pluribus tonatim dispositis (uti Panos syringa testatur) utebantur. Porro veteribus Callimacho referente, in more positum erat, ut ad sodalitium irent cum cythara, & hymnos laudesque cantarent: deinde erat lyra quæpiam, cujus usus ob mysticam quandam rationem, qua constabat, doctisfamiliarissimus erat, quam ideo inter epulas recusans Themistocles, habitus est indoctior. Porro lyram, quæ adhuc Alexandri Magni tempore, teste Plutarcho, Cicerone, & Æliano extabat, heptachordam Orphei fuisse, & a Pythagora Samio in adytis Ægyptiorum inventam, testatur Laertius in vita Pythagoræ luci, & restitutam; erat enim mystice ita constituta, ut septem chordæ, septem referrent planetarum orbes, in duo tamen tetachorda partita mese utriusque tetrachordi communi termino; Ad hujus lyræ normam fistulam quoque heptaulon, idest septem compactam cicutis, vel avenis cera junctis, a maxima ad minimam proportionali tonorum decremento constitutam, septem vocum reddentem discrimina, tradunt juxta illud.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

Cicuta hic non sumitur pro lethiferi aconiti thyrso, sed pro quolibet fistuloso caudice canaliculis apto, cujusmodi sunt, Arundinis, Papyri, Sambuci, cœterorumque similium fistulosa soboles, ut alibi ostendimus; ex quibus luculenter patet, græcos simplicitatem maxime amasse, varietatemque instrumentorum polychordorum quasi ab urbibus proscriptam fuisse ex

ex Platonis dialogo 3. de Rep. colligo, ubi ita dicit: *Musicorum instrumentorum, trigonorum, & pectidum, & quæ multas chordas, & harmonias habent, artifices in civitate non nutriemus; lyra, & cythara relinquenda est, in civitate etiam utilia sunt, & in agris pastoribus fistula quædam relinquatur*. Post Platonis tamen tempora ruptis legibus instrumenta multiplicata, tibiasque varias excogitatas, & in choros distributas Plutarchus docet, citatisque instrumentis adjungit tubam, & buccinam, & pandoram; pectide, quoque psalterio, tympanis, cymbalis, crepitaculis, systris, tintinnabulis usos, asserit Pollux. Verum horum omnium discriptionem, vide in figura suis locis.

Atque præter hæc & alibi citata instrumenta, nullum aliud alicujus momenti apud veteres viguisse tam mihi certum est, quam quicquam; plurimo enim studio in id incumbui, ut vel apud reconditos Autores manuscriptos græcos, aut in monumentorum fragmentis incisum reperirem aliquod instrumentum nobis hucusque ignotum, sed frustra. Quæ ideo tam constanter assero, ut quorundam pertinaciam refringam, qui multa excellentissima instrumenta græcos veteres habuisse, quæ nos lateant, asserunt. Certe contra eos sic argumentor, si Græci, vel vilissimum fistularum straminearum cera, & lino connexarum inventum prorsus puerile, tanti fecerunt, ut id monumentis incisum posteritati commendarent; Stulti sane censendi sunt, ut si quædam meliora habuerint, ea posteritati inviderint. Sed hisce jam satis perstrictis ad alia progrediamur.

EROTEMA III.

Qualisnam fuerit melothesia Veterum, & utrum plurium vocum concentum adhibuerint.

DIstinguendæ sunt hoc loco tres ætates, quibus musica Græcorum floruit. Prima quidem fuit ab Orpheo usque ad Pythagoram, quæ fuerunt veluti incunabula quædam musicæ, quo cantus vigebat rudis, & incompositus, arbitrarius sine certa, quod sciamus, numerorum artificiosa dispositione adornatus: dicique potest seculum rude, & impolitum; quo, si delicatius cantare volebant; voce lyræ, aut cytharæ conjuncta Hymni Lini, & Orphei recitabantur, aut promiscua hominum multitudine patriæ festivitates, arbitraria vocum mistura alternis veluti choris peragebantur; Huic seculo impolito lucem primus & politiam attulit Pythagoras Samius, qui divino quodam instinctu, uti sæpe aliis in locis dictum est, fabrilem officinam prætergressus, dum malleorum ictus consonos audivisset, veritatis consequendæ desiderio accesus tandem arithmetica, & geometria adhibita, musicam in suas proportiones disposuit, consonantias demostravit, primaque melothesiæ, sive sonorum connectendorum artis fundamenta jecit, quibus deinde innixus Xenophilus ejus sectator varia Pythagoricis inventionibus adjecit, quibus musica insigniter culta florere cœpit. Quam tandem discipulus Xenophili Aristoxenus ad ultimam perfectionem deduxit; hunc secuti sunt postea, quotquot in Græcia vere de musica philosophati sunt; Timotheus Thebanus, Aristotheles, Plato. Aristides, aliique innumeri, quos passim citavimus. Fuitque hæc ætas proprie florida, seculum musicum, quo quicquid circa musicas rationes mirabile peractum legimus, erutum est. Durarunt hæc sæcula aliquandiu, donec Monarchia Græcorum in varias sectiones dissoluta, uti omnes scientiæ, & facultates, ita & musica eclypsin passa in interitum paulatim inclinavit. Quæritur igitur, qualisnam hujus doctissimi, & sæculi prorsus μουσικωτάτου, tot Sriptorum monumentis celebrata musica fuerit? Quæ quæstio antequam enodetur, sciendum est triplicem hujus sæculi musicam considerari posse.

Primo Monodicam. Secundo Polyodicam. Tertio Organicam, seu instrumentalem. Singulas species breviter examinemus.

Monodica, sive unius vocis musica, ita peragebatur; Poeta, sive musicus, postquam poema quodpiam summo ingenio in laudem, vel Deorum, vel Heorum, Victorumve memoriam construxisset illi parem appropriatamque quærebat melodiam, quam juxta harmonicas leges tam dextre poemati adaptabat, ut & metrici temporis verborumque summo artificio harmonicis legibus juxta legitima intervalla adaptatorum, uti & metri harmonicæque ecphaneseos, undequaque perfectissimus esset responsus. Hoc itaque poema melodicum ea, qua diximus perfectione concinnatum, post diuturnum exercitium in publico theatro, in conferta hominum peritissimorum multitudine, gestibus, totiusque corporis patheticis motibus accedentibus tanto ingenio, & solertia recitabat, historiamque sub poemate comprehensam miro illo metrico sono, corporis actionibus, gestibusque exacte correspondente ita ad vivum exprimebat; ut nullus ex spectatoribus esset,

qui

qui non illa flexanimi voce, tum viva rerum per dictos geſtus, motuſque corporis repræſentatione variis nunc iræ, nunc indignationis, modo amoris, & compaſſionis affectibus mirum in modum raperetur, & actio quidem geſtuoſa rerum peractarum hiſtoriam in memoria revocabat, vox vero affectus rapiebat, unde tam prodigioſas commotiones, quales Autores deſcribunt, in animis hominum excitatas fuiſſe, nemini mirum videri debet. Quæ omnia majori energia accedente lyræ, aut cytharæ alteriuſque inſtrumenti ſono argumento congruo peragebantur. Subinde quoque pari ingenio, & artificio compoſitam oden duo inſignes Poetæ per ſtrophas, & antiſtrophas, ad lyræ, cytharæ, aut tibiæ ſonum veluti alternis intonationibus non minori hominum alteratione, quam admiratione concinebant, Melotheſia vero ingenioſa erat, & verborum ſignificationibus perfecte congruebat: in qua vox non per diatonicorum tantum, ſed & per arduos chromaticorum enarmonicorumque intervallorum gradus repentina mutatione, prout affectus alicujus commovendi ratio ſuadebat, mira ſolertia, intervallis miris, inſolitis, conciſis ſubinde etiam abhorrentibus agitabatur.

Atque in hoc unico artificioſior veterum, Græcorum muſica conſiſtebat; ſic animos hominum in quoſcunque affectus trahebant, hæc eſt tot decantata Scriptorum monumentis, tot laudibus celebrata muſica, ad quam nunquam muſicos modernos pertingere poſſe pertinacius, contendunt, verum de hiſce pluribus poſtea.

Altera muſicæ ſpecies erat polyodica, ſolenniſque nullo non tempore inter muſicos, quæſtio fuit, utrum veteres muſici pluribus vocibus concinuerint: quæ ut hoc loco decidatur; Sciendum eſt, triplicem hic polyodiam conſiderari poſſe, Naturalem, Artificialem, & uniſonam. Naturalem polyodiam voco eam, quæ nullis certis præceptis, ac regulis tenetur, ſed extemporali quadam, & arbitraria plurium vocum phtongos acutos gravibus miſcentium ſymphonia perficitur. Quemadmodum & hodierna adhuc die in Nautarum, Meſſorum, ſimiliumque hominum unione contingere videmus, qui mox, ut melos quoddam ab uno quopiam prolatum audierint, alii ſtatim baſin, tenorem alii ex tempore fingunt, fitque ex temporanea quædam, & nullis certis legibus adſtricta harmonia, ut plurimum tamen imperfecta, impolita, & nullius prorſus momenti, & fere ſemper uniſona, non niſi in ultimis clauſulis aliquid harmonicum continens. Atque talem muſicam Græcos habuiſſe, nullus dubitare debet; cum a natura inſitum ſit hominibus audito qualicunque cantico, mox reliquarum vocum additamento, neſcio quid harmonicum affectare: ut proinde non male eam naturalem vocaverimus, barbaris æque atque politis hominibus communem. De hac igitur polyodia non eſt quæſtio. Sed quærimus, utrum vere artificioſas plurium vocum harmonias, cujuſmodi moderno tempore nihil communius, habuerint. Certe, ut aliquot ſaltem hujus rei veſtigia detegerem, ſummo ſtudio incubui, ſed fruſtra; nec enim ullum prorſus Autorem, ſive Græcum, ſive Latinum, qui id aſſereret, unquam deprehendere licuit; Harmonici quidem concentus paſſim apud Autores fit mentio; verum ille de polyodia memorata nequaquam, ſed de voce inſtrumento conjuncta intelligendus eſt; imo ut ex præcedentibus patuit, abhorrebant Græci ab hujuſmodi polyodiis, tanquam metrici Carminis ſplendori officientibus, verborumque energiæ turbatricibus.

Quod vero nonnulli ex Euclidis muſica polyodiam veterum convinci poſſe aſſeruerint, mentem ipſius non videntur intellexiſſe; nam quando is quatuor partes cantus aſſignat, ἀγωγὴν, τονὴν, πεττέιαν, πλοκὴν, non intelligendæ ſunt quatuor partes polyodice, Cantus, Altus, Tenor, Baſſus, Sed ſunt variæ vocis affectiones, & veluti figuræ, ſeu tropi harmonici, quibus cantica decorem, & gratiam acquirebant. Quid enim Agoge aliud eſt, niſi traductio quædam vocis a propoſita radice ad locum uſque, radici conſonum, aut ab uno conſono ad alium, vel illi, vel primæ radici conſonum? τονη vero commoratio quædam in loco, vel primo, vel illi conſono, vel etiam priori conſono, licet primo non ſit conſonus. πλοκὴ implicatio, eſt ſpecies quædam, vel color ἀγωγῆς, ut πεττέια luſitatio, τονῆς: & ut αγαγὴ ad τονὴν ſic πλοκὴ ad πεττέιαν, quia, αγωγὴ quaſi recto tramite fertur, πλοκὴ, circa ἀγωγὴν varie vagatur. Sunt alii, qui inſtrumentalem muſicam ex varietate fiſtularum polyodicam fuiſſe conjecturant; putant enim ex eo, quod Autores meminerint quarundam tibiarum, quarum aliquæ παρθένιοι, ſeu puellares, nonnullæ παιδικοὶ, ſive pueriles; quædam τέλειοι inter acutum, & gravem ſonos mediæ, & ὑπερτέλειοι baſſo competentes, harmoniam artificioſam, ſive ſymphoniam ſaltem inſtrumentalem, vel organicam apud veteres viguiſſe. Verum ut hanç dubitationem planius enodem, ſciendum eſt polyodiam organicam dupliciter hoc loco

ſumi

ſumi poſſe, vel pro naturali, vel artificioſa: ſi polyodia priori modo ſumatur, non dubito eam ſic ſumptam in uſu fuiſſe, uti paulo ante de vocum quoque polyodia diximus. Nam veriſimile eſt, Aulædos multo ſtudio, & frequenti exercitatione inſtructos ſymphonias quaſdam inſtituto eorum appropriatas inveniſſe, eaſque in publicis feſtivitatibus in diverſos veluti choros diſtributos perſonuiſſe; atque hoc pacto pulchre memoratis ſymphoniis prædictæ tibiæ ſervire poterant. Hujuſmodi ſymphoniæ in hunc diem a ruſticis audiuntur, qui tametſi muſicæ artis imperiti tubis, fiſtuliſque diverſæ magnitudinis, non tam arte, quam naturali aurium judicio qualem qualem ſymphoniam exhibent; & ſic veriſimile eſt, ſolo aurium judicio veteres Hebræos quoque, dum tot cornibus, fiſtulis, lituis, tubis, buccinis in templo laudes Deo perſonarent, uſos, ſymphonias peregiſſe. Mahumetana mancipia in Ergaſtulo Melitenſi ſimiles ſymphonias exhibuiſſe memini. Inſita igitur a natura hominibus ineſt polyodiæ affectatio, ut ſupra dictum eſt, qualem veteres, eamque longo uſu, & exercitatione comparatam habuiſſe, nulli dubium eſſe debet. Artificioſam vero diviſarum partium melotheſiam organicam, cujuſmodi moderno tempore in uſu eſt, habuiſſe, certe etſi ſummo ſtudio inquiſiverim, ne ullum tamen hujus rei veſtigium reperire licuit, mentionem tamen haud dubie tam memorabilis rei, ſi habuiſſent, feciſſent; Quæ vero Boetius, Ptolomæus, aliique de harmonia referunt, illa omnia de una voce, cui inſtrumentum conjungebatur, intelliga ſunt; accedit hiſce, quod Veteres, præter diapaſon, diapente, diateſſaron, & ex hiſce compoſitas nullam aliam agnoſcerent conſonantiam; nec enim ditonos, ſemiditonos, hexachordaque inter conſonantias, ut modo, computabant. Verum vide, quæ de hac materia in primo, & ſecundo libro diſſeruimus fuſius.

Reſtat igitur Veteres Græcos nullam aliam præter monodiam agnoviſſe, ſed hanc ut plurimum ad ſonum Cytharæ, Lyræ, aut Tibiæ ſtudio ſummo, & maxima ſolertia comparatam peregiſſe, ut nec in modulis varietas, non ſuavitas in cantando, non in pronunciando ἀκρίβεια non denique in geſtibus, motibuſque corporis decor, & compoſitiſſimi mores deſiderarentur. Lyram quoque, aut Cytharam, uti pluribus fidibus inſtruebant, ita ad vocem quoque non ſecus, ac hodierna die fit, harmonico concentu ſonuiſſe cenſeo. Atque hæc de muſica Veterum ſufficiant.

EROTHEMA IV.

Quibus Veteres Muſici in melotheſia exprimenda notis uſi ſint.

CUM Muſica aſcenſus, deſcenſuſque intervallis gaudeat, utpote ſine quibus conſiſtere non poſſet, neceſſario notæ deſcenſus, aſcenſus, reliquorumque intervallorum veluti indices quidam requiri videbantur; quibus moderna muſica unice gaudet. Quæritur itaque num & quas Veteres Muſici notas in cantibus exprimendis adhibuerint? Reſpondeo, illos nihil nobiſcum habuiſſe in notis ſimile; ſed loco notarum certis literis, non quidem pure græcis, ſed jam rectis, inverſis, productis, modo mutilatis varieque intortis, immutatiſque uſos eſſe; quarum unaquæque uni ex chordis ſyſtematis Muſici correſpondebat. Has notas ab injuria temporum vindicatas ſingulari Dei beneficio tandem in duobus manuſcriptis, quorum unum in Bibliotheca Vaticana, alterum in noſtra Collegii Romani aſſervatur, deprehendi. Autor Alypius eſt.

Hic ut Veterum harmonicos characteres perfecte traderet, primo ſingulos tonos in octodecacordo, in octodecachordis vero ſingulorum tonorum proprios characteres, juxta triplex genus diatonicum, chromaticum, enarmonicum ſumma & admirabili diligentia exhibet; Duplicemque ſignorum characterum, notarumque ordinem ſervat: primus ordo ſignificat characteres, qui cantui voce perficiendo ſervirent: ſecundus ordo inſtrumentis competit, ea fere ratione, qua etiamnum, notæ muſicæ vocalis diſtinctæ ſunt a notis, quas tabulaturas vulgo vocant muſicæ inſtrumentali ſervientibus, quem ordinem Alypii multi non intelligentes binas haſce notas pro una ſumentes, uti Liardus, & ex eo Salomon Caus ſpecimina, quæ mundo exhibere voluerunt, antiquæ muſicæ vitioſiſſime, & falſiſſima reddiderunt. Sed redeo ad Alypium; edidit ita quæ hic Alypius integrum volumen de characteribus, ſive notis muſicis, una cum aliis Veterum Muſicorum manuſcriptis in Collegii Romani Bibliotheca ſuperſtitibus, quod ex Græco in latinum a nobis translatum, oportuniori tempore forſan ſeorſim, ſi Deo libuerit, Reipublicæ Literariæ exhibebimus. Verum gratiam apud poſteros me initurum confido, ſi ſingulos characteres ex manuſcripto erutos eo ordine, quo Alypius illos deſcripſit, exhibeam; & tametſi characteres in multis defectuoſos repererim, facile

	Notae et Characteres musici veterum iuxta Diaton. Genus	Charact. Toni Lydij	Charact. Toni Hypoly	Charact. Toni Hyperly	Charact. Toni Æolij	Charact. Toni Hypoæo	Charact. Toni Hyperæo	Charact. Toni Phrygij	Charact. Toni Hypophry	Charact. Toni Hypphry	Charact. Toni Iastij	Charact. Toni Hypoias	Charact. Toni Hypias	Charact. Toni Dorij	Charact. Toni Hypodo	Charact. Toni Hyperdo
		Vox. Instr.	Vox. Instr.	Vox. Instr.	Vox. Instr.	Vox. Instr.	Vox. Instr.	Vox. Instr.	Vox. Instr.	Vox. Instr.	Vox. Instr.	Vox. Instr.	Vox. Instr.	Vox. Instr.	Vox. Instr.	Vox. Instr.
aa	Νήτη ὑπερβολαιῶν	Ι λ	Θ Ν	⊓ Ʒ	Κ ϭ′	Ʒ ⊏	α \	Μ ⊓	⊓ Ʒ	Γ′ Ν	Ο Κ	α \	Ʒ ⊏′	⊥ ∠	Γ Ν	Η Y
g	ὑπερβολαιῶν διάτονος	Μ Π	⊓ Ʒ	Γ Ν	Ο Κ′	Ж λ	Ʒ L	⊥ Y	Γ Ν	Η λ′	Θ ɜ	Ʒ ⊏	Ι <′	Β /	Η λ	Κ λ
f	Τρίτη ὑπερβολαιῶν	Λ ϑ	Ε ⊔	Θ Y	Θ Η	∂ \	Ι <′	⋔ Λ	Θ <	λ ό	⊓ Ʒ	Ι <	ξ′ x	Γ Ν	λ <	ύ Κ
e	Νήτη διεζευγμένων	Θ Η	Ʒ ⊏	Ι <	Ж α	Η Y	Κ λ	⊓ Ʒ	Ι <	⋔ ο	α \	Κ ɔ	Ο ⋎	Η <	Μ Π	⊥ ϲ
d	διεζευγμένων διάτονος	⊓ Ʒ	Ι λ	Μ Π	α \	Κ λ	Ο Κ′	Γ Ν	Μ Π	Μ Π′	Ʒ ⊏	Ο Κ	Θ Η	λ <	Π Ͻ	Ж λ
c	Τρίτη διεζευγμένων	Ε ⊔̄	ξ x	π <	Ʒ ⊏	Ο Κ	Θ Η	Θ λ	ϱ ∪	⊥ ϲ	Ι ∠	C C	⊓ Ʒ	μ ⊓	∪ ⊥	Β /
♮	Παραμέση	Ʒ ⊏	Ο Κ	Θ Η	Η Y	Π Ͻ	Ж λ		C C	⊓ Ʒ	Κ λ	Τ ∃	α /	Η >	Φ F′	Γ Ν
c	Νήτη συνημμένων	⊓ Ʒ	Ι λ	Μ Π	α \	Κ ϭ	Ο Κ′	Γ Η	Μ ⊓		Ʒ ⊏	C C	Θ Η	Κ ∠	Π Ͻ	Ж λ
♮	Συνημμένων διάτονος	Γ Ν	Μ Π	⊥ ∠	Ʒ ⊏	Ο Κ	Θ Ч	Η <	ϖ Ͻ	Ж λ	Ι ∠	Φ F	⊓ Ʒ	Ο Κ	Τ F	α \
b	Τρίτη συνημμένων	Θ <	Ƨ ∪	⋔ ϲ	Ι <	C C	⊓ Ʒ	λ ∠	Y ⊔	Β /	ξ X	X ω	Ε Ս	Π Ͻ	≥	Ʒ ⊏
a	ΜΕΣΗ	Ι λ	C C	⊓ Ƨ	Κ ϭ	Τ ∃	α \	Μ ⊓	Φ F	Γ Ν	Ο Κ	ξ Κ	Ʒ ⊏	Τ ∃	ω ω	Η Y
G	μέσων διάτονος	Μ ⊓	Φ F	Γ Ν	Ο Κ	X ա	Ʒ ⊏	Π Ͻ	ω Ν	Η >	C C	⅂ Γ	Ι <	Ψ 2	⊼ ⊣	Κ λ
F	Παρυπάτη μέσων	Ƨ ∪	R L	Θ <	C C	⅂ Γ	Ι <	Y ⊔	F ⊥	λ ⅄	Φ F	Ʒ ⊢	ξ x	ω ա	Т Ш	Ο Κ
E	ὑπάτη μέσων	C C	⅂ Γ	Ι <	Τ ∃	⊽ ⊣	Κ ϭ	Φ F	Ʒ ⊢	Μ Π	X ω	Η Ǝ	Ο Κ	⊼ ⊣	\ Ε	Π Ͻ
D	ὑπατῶν διάτονος	Φ F	Ƹ ⊢	Μ ⊓	X И	Η Ǝ	Ο Κ	ω Ч	\ Ε	Π Ͻ	⅂ Γ	W Η	C C	⋔ Ш	И Я	Τ ∃
C	Παρυπάτη ὑπατῶν	R L	∀ I	Ƨ ∪	⅂ Γ	W Η	C C	F ⊥	ώ Η	∪ ⊔	Ʒ ⊢	ϙ Η	Φ F	Η ∠	Ƨ ш	Ψ 2
♮	Ὑπάτη ὑπατῶν	⅂ Γ	W Η	C C	⅄ ⊣	И Я	Τ F	< ⊢	ϙ Η	Φ F	⊣ Ǝ	⊏ Ʒ	X ω	\ Ε	Ʒ Ƹ	ω μ
A	Προσλαμβανόμενος	Ʒ ⊢	ϙ И	Φ F	Η Ǝ	⊔ Ʒ	X Ч	Ʒ\ Ε	Ʒ Ƹ	ω μ	W μ	⊣ Τ	⅂ Γ	Ν Я	Δ Ϙ	⊼ ⊣
	Notæ et Characteres musici veterum iuxta Genus Chromaticum ex Alipio															
	Νήτη ὑπερβολαιῶν	Ι ∠	Θ Ч	⊓ Ʒ	Η λ	Ж λ	ά ί	Μ Π	⊓ Ʒ	Γ Ν	Ο Κ	α /	Ʒ′ ⊐́	⊥ ϲ	Γ Ν	Η ∠
	Παρανήτη ὑπερβολαιῶν	⊥ ϲ	Δ ⊐	Η >	⊥ ϲ	Δ ⊐	Η 7	Ж λ	Η >	Κ 7	Ж λ	Η 7	Ν Κ	α \	Κ λ	Ν Κ
	Τρίτη ὑπερβολαιῶν	λ ϲ	Ε ⊔	Θ ⊬	Θ Η	Ʒ ⊏	Ι <	⋔ ϲ	Θ <	λ ⊬	⊓ Ʒ	Ι L	ξ x	Β /	λ ∠	Ο Κ
	Νήτη διεζευγμένων	Θ Η	Ƹ ⊏	Ι λ	Ж λ	И >	X Λ	⊓ Ƹ	Ι ∠	Μ Π	α \	И λ	Ο Κ	Γ Η	Μ Π	⊥ ⊬
	Παρανήτη διεζευγμ.	Δ Ǝ	Ν Κ	⊥ Y	Δ ⊣	И Κ	⊥ ϲ	Η 7	Π Ͻ	Ж λ	И 7	Π Ͻ	Ж λ		Τ ∃	α Ι
	Τρίτη διεζευγμένων	Ε ⊔	ξ x	Π ϲ	Ƹ ⊏	Ο Η	Θ Η	Θ Y	ϱ ∪	⋏ ϟ	Ι V	C C	⊓ Ƹ	Κ ^	∪ μ	Β /
	Παραμέσος	Ƹ ⊏	Ο Κ	Θ Η	Η 7	Π Ͻ	Ж λ	Ι L	C C	⊓ Ƹ	Κ Λ	Τ ∃	α \	μ 7	Θ ⊔	Γ Ν
	Νήτη συνημμένων	⊓ Ƹ	Ι Y	Μ Π	α \	И λ	Ο Κ	Γ Ν	Μ Π	⊥ ϲ	Ƹ ⊏	Ο Κ	Θ Η	И 7	Π Ͻ	Ж ∿
	Παρανήτη συνημμέν.	Η Ν	Π Ͻ	Ж Λ	И 7	Π Ͻ	Ж λ	Κ λ	Τ ∃	α \	Ν Κ	Τ ∃	Δ ⊐	Ν Κ	X μ	Δ ⊐
	Τρίτη συνημμένων	Θ Y	Ƨ ∪	⋔ ∿	Ι ⊬	C C	⊓ Ƹ	λ ⊬	∪ ⊔	Β /	ξ x	Φ F	Ε ⊔	Ο X	⋏ ϟ	Ƹ ⊏
	ΜΕΣΗ	Ι ∠	C C	⊓ Ƹ	Κ Λ	Γ ∃	α \	Μ Π	Θ F	Γ Μ	Ο Κ	X μ	Ƹ ⊏	Π Ͻ	ω ա	Η ∠
	Λίχανος μέσων	Π Ʒ	Ϙ E		Π Ͻ	Ϙ E	И 7	Τ ∃	∀ ⊣	Κ λ	Τ ∃	∀ ⊣	Ν Κ	X Μ	Η Ǝ	Ν Κ
	Παρυπάτη μέσων	Ƨ ∪	R L	Θ <	C C	⅂ Γ	Ι 7	V Η	F ⊥	λ Y	Φ F	Ƹ ⊢	ξ x	⋏ ϟ	Т Ш	Ο Κ
	Ὑπάτη μέσων	C C	⅂ Γ	Ι ⊬	Τ ∃	λ ⊣	Κ Δ	Φ F	Ƹ ⊢	μ Π	X Ч	И Ǝ	Ο Κ	ω ա	\ Ε	Π Ͻ
	Λίχανος ὑπατῶν	Ϙ E	x Η	Π Ͻ	Ϙ E	x Μ	Π Ͻ	∀ ⊣	И Я	Τ ∃	∀ ⊣	И Я	Τ. ∃	Η Ǝ	⊔ Ʒ	X ω
	Παρυπάτη ὑπατῶν	Β L	Y I	Ƨ C	⅂ Γ	W Η	C C	F ⊥	ω Η	∪ ⊔	Ƹ ⊢	ϙ Η	Φ F	⋔ Ш		⋏ ϟ
	Ὑπάτη ὑπατῶν	⅂ Γ	W Η	C C	℘ ⊣	И Я	Τ ∃	⅄ ⊢	ϙ И	Φ F	Ч Ǝ	Η Ʒ	X Ч	\ Ε	Ƨ ш	ω μ
	Προσλαμβανόμενος	⋜ ⊢	ϙ Η	Φ F	Η Ǝ	⊔ Ʒ	X Μ	\ Ε	Ʒ Ɛ	ω μ	W Η	⊣ Τ	⅂ Γ	Κ Я	Ɛ Ϙ	⊼ ⊣

cile tamen ii ex adjuncta eorumdem interpretatione emendari poterunt. Sed specimen loco multi discursus hic posuisse sufficiat, ex quo vel unico luculenter patet, qualis fuerit, quibusque notis insignita Veterum Græcorum musica fuerit.

Explicatio Iconismi XIII.


FRons Iconismi continet 15. tonos, prout nomina eorum luculenter demonstrant. Latus vero dextrum exhibet 18. chordas singulis Tonis respondentes, Græcis nominibus exhibitas, quibus in prima columna singulis respondent claves Quidonianæ Latinis modo usitatæ. Si quis igitur scire velit, quomodo & quo charactere Veteres græci exhiberent Mesen in tono Phrygio, is accipiat in latere chordam Mesen, & in fronte tonum Phrygium, nam area communis utrique dabit characterem quæsitum, haud secus in aliis processerit.

Porro exhibitis Veterum Græcorum characteribus, nihil amplius restat, nisi ut & specimen quoddam hoc loco exhibeamus Veteris Musicæ; præsertim cum nullus, quod sciam hucusque id præstiterit, resque uti incognita, ita & desideratissima sit; Ex hoc siquidem clare apparebit, quæ ratio modusque in compositionibus faciendis a Veteribus fuerit usurpatus.

Vides in hoc specimine duos choros, unum vocalem, quo vox præcedens canonem recitat juxta notas verbis singulis superscriptas; Hunc sequitur Chorus alter, qui non erat aliud, quam Cytharædus, vel Aulædus priori ἀντίστροφος, qui secundum stropham instrumento exhibebat; ut in infra posito exemplo, clare patet. Inveni autem hoc musicæ specimen, ut alias memini in celeberrima illa totius Siciliæ Bibliotheca monasterii S. Salvatoris juxta Portum Messanensem in fragmento Pindari antiquissimo, notis musicis Veterum Græcorum insignito, quæ quidem notæ sive characteres musici cum iis, quos Alypius in tono Lydio exhibet sunt iidem; Verba Odes Pindaricæ notis musicis Veteribus usitatis expressa sequuntur; tempus non notæ; sed quantitas syllabarum dabant.

Musicæ Veteris specimen.

Chorus Vocalis.




Interpretatio.

O aurea Cythara Apollinis, & violaceum capillitium habentium conveniens Musarum possessio, quam audit quidem incessus saltantium lætitiæ apex chorus. Obtemperans vero, & concentores signis intonationis tuæ choros ducentium, quando hymnorum præludia facis leniter percussa, & cuspidatum fulmen extinguis.

Musica veterum nostris notis musicis tono Lydio expressa.

Monophonia, sive vox prævia.



Atque ex hoc unico paradigmate, reliqua nullo negotio patebunt, modum itaque Veterum tum in cantando, tum sonando observatum hoc antiquo specimine tradidimus. Ut vel hinc, quid de Veterum musica sentiendum sit, facile cuilibet prudenti musico innotescere possit.

EROTHEMA V.

Utrum recensita Veterum musica perfectior, & præstantior fuerit musica modernorum.

Accedo tandem ad maximam illam, nullo non tempore inter Musicos agitatam controversiam, Utrum videlicet musica Veterum nostra moderna perfectior fuerit; & utrum illa tantæ perfectionis, & excellentiæ fuerit, ut omni ad eam pertingendi spe moderni frustrentur, quod quidem Eridis pomum, dum enucleandum suscipio, futurum spero, ut litem hanc pendentem ex irrefragabilibus argumentis decidam, ut imposterum quivis luculenter, quid in hoc negotio sentiendum sit conspecturus sit. Atque ut in hoc critico epichiremate εὐμεθόδως procedam, suppositiones aliquot veluti disceptationis nostræ bases quasdam præmittendas duximus.

Suppono itaque primo, stylum musicæ alicui loco usitatum, naturalem complexionem hominum, & particularis alicujus regionis constitutionem consequi; quod ita verum est, ut ad id probandum nisi ipsa rerum inductio, nihil aliud requiratur. Certe sicut Phryges a Doribus, Dores a Lydiis, sic hi a Phrygibus stylo musicæ discrepasse, Doriæ, Phrygiæ, & Lydiæ, Ioniæ, similesque modulationes clare demonstrant, quarum quidem unaquæque ex dictis nationibus tam pertinaciter suum stylum observavit, ut Dores alium præter Dorium, Phryges præter Phrygium, Lydii præter Lydium admittere

tere nefas esse putarent. Dores enim cum natura mites, & benevoli, in Deorum cultus singulari pietate ferrentur, melodiam inclinationi eorum convenientem, cujusmodi Doria erat, colebant; Phryges salacius genus hominum, gaudiis, tripudiisque deditum, Phrygium stylum utpote temperamento eorum conformem, eligebant. Quod & modernis temporibus in cultissimis omnium totius mundi partium Europæ nationibus usu venire, experientia docet: Habent Itali stylum melotheticum diversum a Germanis; hi ab Italis, & Gallis; Galli, Italique a Hispanis; habent & Angli nescio quid peregrinum; unaquæque naturali temperamento, patriæque consuetudini convenientem stylum. Oderunt Itali plus æquo morosam in Germanis styli gravitatem, dedignantnr in Gallis frequentes illos in clausulis harmonicis teretismos, in Hispanis pomposam, & affectatam quandam gravitatem. Galli; Germani, Hispanique contra in Italis reprehendunt plus æquo licentiosam compismatum, quos illi trillos grippосque vocant, inamænam, & fastidiosam repetitionem, quarum indiscreto usu omnem harmoniæ decorem potius tolli, quam sustolli putant, accedit, ut dicunt, vocum caprizantium in urbana quædam, & incondita luxuries, qua, ut dicunt, risum potius quam affectus movent, juxta commune proverbium. Itali caprizant, Hispani latrant, Germani boant, cantant Galli. Qui quidem diversarum nationum diversus in musica stylus non aliuude provenit, nisi vel a genio, & inclinatione naturali, vel a consuetudine longo usu introducta, tandem in naturam degenerante. Germani, ut plurimum, cœlo frigido nati, complexionem acquirunt gravem, firmam, constantem, solidam, laboriosam, quibus qualitatibus stylus musicus conformis est; & sicuti voce graviori constant, quam meridionales populi, ad acutiores autem sonos difficilis illis concedatur ascensus, hinc naturali inclinatione illud, quod optime præstare possunt, eligunt, scilicet stylum gravem, remissum, modestum, & πολύφωνον. Galli contra plus mobilitatis habentes utpote complexionem hilarem, vivacem, & contineri nesciam sortiti, stylum similem amant: unde, ut plurimum hyporchematico stylo, id est choreis, saltibus, similibusque tripudiis aptissimo (uti cantiunculæ, quas Galliardas, Passamezzos, Currentes ostendunt) indulgent. Hispani, uti non tanti musicæ cultores extiterunt, ita quoque nihil adeo dignum habent, quod cum aliis comparari possit. Si duos insignes unum in theoria, Salinam, alterum in practica Christophorum Moralem, quibus aliquam in musica laudem compararunt, excipias. Italia denique merito musicæ sibi principatum ab initio præscripsit, ex hac enim nullo non tempore viri omni exceptione majores musicam ad stuporem usque rarissimis operibus illustrarunt; Qui sicut clima temperatissimum nacti sunt, ita omnium quoque perfectissimum, temperatissimumque naturæ eorum congruum stylum, nec hyporchematico tripudio nimium lascivientem, nec hypatodico vilescentem nacti sunt, omni stylo oportune, & optimo cum judicio utentes, vere ad musicam nati. Guidoni Aretino Italo primam, ut alibi dictum est, figuratæ polyphonæque musicæ, uti & polyplectrorum instrumentorum inventionem: Prænestino Ecclesiasticæ musicæ decorem, & incomparabile in attemperandis harmoniis studium; Julio Cacino recitativi styli Veteribus usitati resuscitationem; Ludovico Viadanæ tabulaturæ, bassique continui inventum, acceptum ferimus. Joanni Muris Gallio artem parasematicam, utpote, qui notarum musicarum figuras, valorem, temporisque proportiones primus ex duobus b, b, ut alibi dictum est, figuris invenit. Quibus deficientibus non video quomodo, quidquam in musica figurata laude dignum confici possit.

Porro quod Germanis, Italorum, aut Gallorum stylus, Germatorum vero Italis, aut Gallis, minus placeat; id variis de caussis contingere puto; primo ob φιλοπατρίδος, & nationis, patriæque inordinatam affectionem, qua unaquæque natio semper sua præfert alteri. Secundo propter stylum eorum ingenio contrarium, tum denique ob consuetudinem longo usu introductam, qua unaquæque modulis nationis suæ propriis, & quibus ab ineunte ætate consuevit, unice delectatur. Hinc videmus Gallis, & Germanis minime, cum primo audiunt, placere Italorum quantumvis delicatorum musicam, utpote auribus ad insolitum stylum, ipsisque contrarium, violentiam quandam sustinentibus; & vel inde luculentius patet, quod Orientis populi, Græci, Syrii, Ægyptii Africani hic Romæ commorantes, delicatissimam Romanorum musicam sustinere vix possint, suosque inconditos clamores, absonasque voces (ulutatus, stridoresque animalium verius dixeris) dictæ musicæ multis parasangis præferant. Quæ omnia a consuetudine, ut dixi, longo usu acquisita procedunt: Nam si dictæ nationes musicæ Romanæ tandem assueverint, eam non tantum aliis præferunt; sed ita eidem avide inhiant, ut eam deperi-

perire videantur. Et quamvis diversus sit diversarum nationum stylus, & memorata nationum contentio, & de principatu velitatio, non tamen ideo stylus singulis proprius contemnendus est; habent enim singulæ nationes suam in componendis cantionibus elegantiam. Germani polyodias stylum plurimum vocum, uti & varietatem harmonicam mirum in modum amant, plurimumque laborant, ut polyodiam ingeniose per syncopationes, & fugarum vocum artificiose se insequentium fugas concinnent, stylo motectico ut plurimum indulgentes. Galli ingeniosis melismatis clausulique varie combinatis hyporchematicum stylum amplexi, aures eo mirifice titillant. Itali, ut dixi, omni stylo utuntur & motectico, Ecclesiastico, mandrigalesco, hyporchematico. Qua varietate non aures tantum summe afficiunt, sed, & animi pathemata, affectusque magna vi sollicitantes in quamcunque partem trahunt.

Suppono secundo, Quod quemadmodum diversæ nationes diverso stylo musico gaudent, ita & in unaquaque natione diversi temperamenti homines, diversis stylis, unusquisque suæ naturali inclinationi maxime conformibus afficiuntur. Hinc non æque omnes iisdem harmoniis gaudent, sicuti non omnes iisdem eduliis æqua delectatione vescuntur. Amant melancholici gravem, solidam, luctuosam harmoniam. Sanguinei ob spirituum sanguineorum facilem agitationem titillationemque hyporchematico stylo passim afficiuntur. Cholerici ob bilis effervescentis vehementiam similes harmonicos motus appetunt. Hinc martiales viri ad tubas, & tympana assuefacti, omnem delicatiorem musicam respuere videntur. Phlegmatici acutarum muliebrum vocum symphoniis afficiuntur, siquidem acutus sonus humorem phlegmaticum benigne afficit; Unde voluptas, & dulcedo. Hinc iterum certæ cantiunculæ in unoquopiam magnam vim habent, nullam in alio; hinc unus isto, alius alio tono afficitur, quæ omnia a diversa temperamenti constitutione dependent, ut postea uberius ostendetur, quæ quidem ita vera sunt, ut non tantum diversi diversis harmoniis, sed & intervallis diversis gaudeant: sunt, quibus tertiæ placent, nonnulli sextis delectentur, non desunt quoque, qui asperis, & absonis afficiantur; quæ omnia a genio patriæ, ab inclinatione, & temperamento particulari, & a consuetudine introducta dependent.

Suppono tertio, Variam Græcis antiquis fuisse musicam; monodicam videlicet, quam poeta quispiam voce delicata, volubili, verborumque summo artificio contextorum, & ad sonos mira varietate adaptatorum concinnitate recitabat. Polyodica vero a Musicis in distincta agmina veluti Choros quosdam dispartitis peragebatur. Iterum alia monodia ipsis erat organica sive instrumentalis, quæ pari pacto ab insigni quopiam Cytharædo, Lyrædo, aut Aulædo peragebatur; polyodica vero pluribus, vel iisdem, vel diversis instrumentorum generibus alternatim in publico, præmio proposito, instituebatur, uti dictum est: præterea vocem cytharæ, lyræ, aut tibiæ subinde jungebant, nonnunquam diversis instrumentis, vocibus mistam exhibebant symphoniam, quam mira vocum organorumque combinatione variabant: atque præter hanc musicam Veteres nullam aliam habuisse, ratio dictat, & Autores confirmant, nisi forsan quispiam cœlestem quandam musicam humano ingenio imperviam eos habuisse asserat: quod ridiculum, ne dicam stolidum esset asserere.

His itaque sic rite suppositis. Dico primo; si rerum circa musicam inventarum varietatem, vel ipsam theoricam spectemus, sine controversia modernam musicam veteri multo & nobiliorem, perfectiorem, nec non majori varietate præditam esse reperiemus; adeo ut ad hoc probandum nihil aliud nisi assertionis nostræ ab ipsa experientia, & inductione rerum desumta demonstrario requiri videatur; Quod dum facio semper cum magno respectu, & reverentia de veneranda antiquitate, utpote a quibus, quicquid perfectum habemus, hausimus, me locuturum polliceor. Protestor autem hoc loco, me non de qualibet musica modernorum loqui, novi enim innumeros passim defectus circa eam, etiam a peritissimis Musurgis committi: Sed de musica summa cum perfectione, & juxta ingeniosissimas inventiones hoc sæculo erutas, instituta, & potissimum de stylo polyodico, seu harmonico.

§. I.

Musica Theorica.

GRæca Musicorum veterum monumenta pene omnia, quæ extant, sunt Aristidis, Quintiliani, Briennii, Plutarchi, Aristotelis, Callimachi, Aristoxeni, Alipii, Ptolomæi, Euclidis, Nicomachi, Boetii, Martiani Capellæ, Vallæ, aliorumque ultimo seculo florentium, quorum pleraque manuscripta Græca in unum ingentem tomum compacta in Collegii Romani Bibliotheca veluti ingens rerum thesau-

ſaurus conſervantur; Hos omnes Autores, ſi rite contuleris (quemadmodum ego ſummo ſtudio non ſemel unum cum altero comparando contuli) nihil adeo diverſum reperies in uno, quod non in omnibus aliis inveniatur. Nam præter muſicam analogam, cœleſtem, humanam, divinam, primo omnes ſunt in tetrachordorum, & ſyſtematum diapaſon multiplici compoſitione, diviſione, commiſtione. Deinde in tonorum, ſive modorum differentium determinatione ſinguli ſummo ſtudio incumbunt. Tertio in triplici Diatonico, Chromatico, Enarmonico genere componendo, determinando, & in minutiſſima intervalla ſubdividendo, tota ipſorum verſatur induſtria; Quorum exactiſſima, & ingenioſiſſima deſcriptione omnibus merito palmam eripuiſſe videtur Boetius; Nam ſingula veterum Muſicorum præcepta tam ſubtiliter voluit, obſcura, tam clare elucidat, defectuoſa ſupplet tam dextre; ita perfecte ſe in doctiſſimo ſuo opere gerit; ut dum nihil eum veteris muſicæ latuiſſe demonſtret, priorum inventa innumeris a ſe inventis cumulando veterum muſicam non deſcripſiſſe tantum, ſed & inſtauraſſe videatur, ut proinde, quicquid in omnibus aliis ſparſum, in Boetio, collectum, auctum, atque exquiſitiſſimo ſtudio digeſtum ſpectetur.

Nemo vero nobis objiciat, multos alios fuiſſe Autores, qui aliam tractaverint muſicam, præterquam dictam; verum cum dicti Autores nullam eorum mentionem fecerint; feciſſent autem haud dubie, ſi fuiſſent; objectio facta, nec vim ullam obtinet, nec ulla ratione ſubſiſtere poteſt; Hac enim ratione dicere liceret plures fuiſſe in præteritis ſæculis, qui veram illam, & a Mathematicis hucuſque anxie, quæſitam quadraturam circuli invenerint, demonſtraverint; verum libros non extare, temporum injuriis deperditos. Ridicula ſane, & prorſus inſulſa objectio; hoc enim pacto quodlibet in ante actis ſæculis fuiſſe dicere liceret, certe prudentis philoſophi non eſt, ab iis rebus, quorum nullum certitudinis veſtigium nobis conſtat, ad ea, quæ certo ſcimus, & cognoſcimus argumentari. Cognoſcimus igitur veterum muſicam ex relictis poſteritati monumentis recenſitis, cognovimus, & noſtram præſentem; Comparationem itaque inſtituamus, ut quid ſentiendum ſit tandem cognoſcamus.

Conſiſtebat itaque, uti dictum eſt, veterum theorica muſica in tribus: videlicet, in tetrachordorum, ſyſtematumque compoſitione; in modorum diviſione; in trium generum diſtinctione. Quis neſcit hoc moderno ſæculo multo ſubtilius, facilius, & exactius non arithmetica tantum, ſed, & geometrica ſubtilitate hæc demonſtrata eſſe. Putabant Veteres tonum biſariam dividi minime poſſe: hodie non tonum tantum, ſed & cujuslibet conſonantiæ proportionem, algebraica induſtria, irationaliumque numerorum ſcientia fulci nullo fere negotio diurdimus. Tonorum, ſive modorum differentias, uti facilius ob notarum inventionem antiquis incognitam, & inter pentegramma diſpoſitam, ut inquam ordinamus; ita perfectius quoque determinamus, idem de triplici genere dicendum eſt, ut poſtea oſtendetur: accedit quod hæc omnia innumerabili illa inſtrumentorum muſicorum varietate, qua Veteres carebant, multo luculentius eruantur.

§. II.

Muſica Vocalis Antiquo-moderna.

SED venio ad muſicam Vocalem, ſeu artificialem, quam negare non poſſum moderno tempore in multis præſtantiorem nobilioremque eſſe. Nam ut in ſuppoſitione ſecunda dictum eſt, conſiſtebat veterum artificioſa muſica in hoc, quod poeta quiſpiam ad ſonum lyræ, cytharæ, & tibiæ omnibus numeris abſolutiſſimum poema cum tanta varietate geſtum, tanta energia, & actionis efficacia cantaret, ut Auditorum animos facile quo vellet raperet; atque hæc non tam harmonia, quam poetica, ſeu metrica, vel ſcenica quædam muſica erat, cujuſmodi, & hodie in ſcenis, & theatris peragimus; ut dixi, non negem hanc poeticam muſicam fuiſſe admirabilem, & ſummo ſtudio exercitioque indefeſſo comparatam, vimque habuiſſe maximam, & efficaciſſimam ad animos auditorum in quoſcunque affectus incitandos; talem tamen fuiſſe aſſero, ut proinde ad ejus excellentiam pertingendi poſteri diſperare minime debeant. Græci enim, uti ex naturali inclinationis impetu in ſcenas, & theatra diffuſi præparato animo, avidiſſimoque ad poetam Phonaſcumque auſcultandum rapiebantur, ita perſonæ in publicum prodeuntis actionibus, geſtibus, affectibuſque, prout thema, ſeu materia poematis ferebat, mirum in modum agitabantur; ita tamen, ut muſica nullum ſortiretur effectum, niſi perſona poetices abſoluta notitia, inſigni canendi peritia, & admiranda quadam activitatis ſolertia inſtructa eſſet: atque huic tam eximio talento muſico, & ſi moderni aliquid concedere debeant veteribus; negandum tamen non eſt, & hodie reperiri muſicos

Auto

Autores ea dexteritate, & peritia præditos, ut veteribus nihil cedant. Qui admirabiles hic Romæ ſcenicas exhibitiones diverſis temporibus vidit, cum a Franciſco Cardinale Barberino tum ab aliis, aliis in locis peractas, qui harmonicarum compoſitionum excellentiam audivit, fateri mecum cogetur; nihil in rebus humanis, ſive decorem, & magnificentiam, ſive inuſitatos, & inſolentes harmonicarum compoſitionum contextus ſpectes, pulchrius, amœniuſque deſiderare poſſe, Actoreſque tanta efficacia, tanta tamque vivis rerum exprimendarum hiſtoriam geſtibus cum tanta affectuum varietate exhibuiſſe, ut Auditores ſæpe contineri neſcii in clamores, gemitus, ſuſpiria exoticos corporum motus erumpentes quanto interiorum affectum æſtu incitarentur ſignis extrinſecis clare exprimerent. Eſt enim nihil humanæ naturæ magis conſentaneum, quam dum tragicum quendam caſum ad vivum exhiberi videt, ad commiſerationem, ſingultus, lachrymaſque moveri; dummodo memorata naturæ talenta in Actore, ſeu muſico ſcenico pulchre conſpirent.

Patet itaque ex hoc diſcurſu luculenter; nihil adeo in veterum recitativi ſtyli muſica eximium fuiſſe, ad quod moderni Muſici, ſi ſimili diligentia ſeſe exercere velint, pertingere non queant, niſi quiſpiam humanam naturam hiſce ultimis temporibus defeciſſe inconſultius aſſeveret, quod nonniſi mente captum aſſerere poſſe, certe mihi perſuadeo.

§. III.

Multarum Vocum concentus Antiquo modernus.

ACcedo ad polyodiam, ſive multarum vocum concentum, quem proprie muſicam, ſive harmoniam vocamus, quo cum caruerint veteres muſici, vel ſaltem admodum imperfectum habuerint, uti in Suppoſitione tertia oſtenſum eſt, libenter nobis palmam concedunt, certe ſi mecum hujus ſæculi Symphoniurgiæ omnibus numeris abſolutiſſimam notitiam recolo: ſane veterum Græcorum muſicam multo noſtra inferiorem exiſtimo. Notant Græci non niſi tres conſonantias, harumque conſonantiam non niſi per nervos in polychordo ordine extenſos addiſcebant, ut alibi oſtenſum fuit, & ſi quandoque harmoniam dicta ratione addiſcebant, id tamen non niſi ſimpliciſſimi contrapuncti rationem habebat, uti in ſpecimine paulo ante exhibito, patet, ad quam tamen antequam pervenirent, 1240. characteres muſici, ad aliquam ſibi ſymphoniam comparandam ex notis, ſeu literis unicuique tono, & genere propriis addiſcendi erant, quæ res & ſummam memoriam cum ſumma patientia requirebat, multis quoque ob laborem in his addiſcendis exantlandum, prorſus videbatur intolerabilis. A tempore vero, quo Guido Aretinus æternæ memoriæ vir muſicam veterem in meliorem, faciliorem que methodum tranſtulit, divinumque inventum notarum muſicalium inter phonotactica pentagramma collocandarum Joannis Muris opera innotuit, dici vix poteſt, quantum ſpacio ducentorum annorum muſica augmenti ſuſceperit, quanto ingeniorum ardore fuerit culta; quam ingenioſis inventionibus fuerit exornata; dum non conſonantiarum tantum, ſed & diſſonantiarum uſum; Græcis veteribus, non dicam incognitum, ſed ne factu quidem poſſibilem deprehenderunt, in qua tamen ingenioſa miſtura conſono-diſſonorum totius figuratæ muſicæ, & harmoniæ perfectio conſiſtit: diſſonis enim a conſonis ſeparatis, totum harmoniæ decorem perire neceſſe eſt: qui ad eum gradum hodie pervenit, ut humano ingenio ulterius pertingendi vix amplius ſpes ulla relicta videatur. Quis Orlandi, Cypriani Rorii, Joſquini, aliorumque harmoniæ in melotheſiis eorum eluceſcentis præſtantiam ſat laudare pro merito? Quis ingenioſas Præneſtini compoſitiones, & admirabilem harmoniæ contextum, commiſtionemque ſatis deprædicare poteſt? Nihil dicam hic de incomparabili ſtylo harmonico Principis Venuſini: nil de limatiſſimis aliorum, qui Madrigalia compoſuerunt ſymphoniis: ſi nihil aliud Græcos, quam admirandum Fugarum, Canonumque artificium, ingenioſæ notarum ſyncopſes, temporis, prolationiſque infinita varietas latuiſſet: certe moderni hoc ipſo multis eos paraſangis ſuperaſſe cenſeri deberent. Quæ tamen omnia ex divino illo notarum muſicalium invento, & ſemiographia Aretina prodierunt primum, ſine quibus harmonioſus ſtylus, nec fingi, nec concipi potuiſſet; ut proinde, vel hinc luculenter pateat, nihil ſimile noſtris temporibus veteres habuiſſe.

§. IV.

Inſtrumentalis Muſica Antiquo-moderna.

SEd venio ad muſicam inſtrumentalem modernam, quæ veterum muſicæ comparata palmam haud dubie referet: Veteres præter Lyras, Cytharas, Tibias, Fiſtulaſque varias vix aliud inſtrumento-

rum

rum genus ad posteros transmiserunt, quorum quidem figuras, quotquot hic Romæ in totius antiquitatis gazophilacio comperire licuit, in præcedentibus exhibuimus, quæ tamen instrumenta cum nostris comparata nullam dignitatem obtinent, cum pleraque non nisi quatuor, aut si multum, septem fidibus constent, sine collo, aut jugo ullo, solo plectro, ut in suppositionibus docuimus, pulsari solita, quæ res, ut eam harmoniæ gratiam, quam Cytharædi nostri subtilissima digitorum incitatione conciliant, efficiat, nulla ratione fieri posse arbitror. Cum nullum tam exiguum, & minutum intervallum assignari possit, quod digitorum pressura non efficiatur, hinc tremula illa compismata teretimisque, quos *gruppos*, & *trillos* Itali vocant, summam gratiam symphoniæ conciliantes, incredibilis celeritatis clausulæ, & pressuræ mordicantes, nisi digitorum ingenioso lusu, minime solo plectro exhiberi possunt.

Tria autem, uti & apud veteres, instrumentorum genera hodie in usu sunt, videlicet, Fidicina, pneumatica, & pulsatilia; quorum singulorum tanta, & tam exquisito ingenio constructorum varietas est, qualem in hoc opere passim descriptam vides; apud Veteres vero eorum nullum prorsus vestigium reperies. Polyplectris abacis, quas tastaturas vocant (quibus tamen nihil pulchrius, & ingeniosius in hoc genere excogitari potuit) Veteres prorsus caruerunt.

At dices, hoc ipso, quod organa hydraulica, teste Tertulliano ab Archimede constructa, a Nerone, teste Vitruvio culta, irrefragabile, aliquem antiquis organorum usum fuisse, argumentum esse. Respondeo, verum esse organa hydraulica primo ab Herone Alexandrino inventa, & ab Archimede constructa fuisse; Neronem quoque impense iis delectari solitum, Vitruvium recte asserere; sed qui Vitruviam organi in mechanica nostra musica descripti constructionem recte expenderit, luculenter comperiet, id opus tam fuisse imperfectum ad organa moderna comparatum, quam imperfectæ fuerunt Veterum Lyræ, & Cytharæ ad nostras Testudines, Tiorbas, Pandoras, Harpas, Clavecymbala, aliaque innumera uti alibi ostendimus: neque enim Venti ulla erat ad fistulas animandas proportio, neque ordinis Octavarum in fistulis recta distributio, ut ex instrumenti fabrica supra adducta patet. Hodie vero organa, & omnia polyplectra ad tantam ascenderunt perfectionem, ut ad ulterius progrediendum natura terminum Artificibus hic posuisse videatur. Qui vidit organorum in Germania, Gallia, Italia, mirabilem fabricam, fistularum artificiosissime distributarum acies, immensam jocorum diversitatem, fistularum in columnarum modum assurgentium vastitatem, Abaci podoplectri, quod pedale vocant, insigne artificium, Registrorum multitudinem, canalium ingeniosam dispositionem, unicam harmonicam molem, nunc avicularum, modo vocum humanarum, nunc Tibiarum, Lituorum, Cornumusarum, tubarum, aliorumque imaginabilium instrumentorum sonos affectantem, audiverint, tantæ perfectioni nihil superesse, quod addatur, fateri mecum cogetur. Quid dicam de Automatis, quorum tanta varietas hodie emersit, ut si simile quid apud veteres fuisset, pro naturæ artisque miraculis haud dubie Saxis, Statuisque insculpta posteris vendidissent. Fuit enim ita Græcorum ingenio comparatum, ut res etiam exiguas ad cælum usque extollere, & quo se posteritati inventarum rerum effectores proderent, ultra quam dici potest, sua jactitare solerent. Certe non omnia, quæ de Archimede scribuntur æternæ veritatis sunt. Speculum illud ustorium ad miraculum in remotissimum spatium adurens naves, rem veritati, & principiis Catopricæ repugnantem in Arte magna lucis, & umbræ fuse refutavimus: Sphæræ autem Archimedeæ, quas tanquam artis miraculum Claudianus describit, nulla ratione cum hodiernis horologiorum inventis, machinisque admirandis comparari possunt, quamvis hæc omnia nota non sint, nisi ipsis, qui curiositate rerum cognoscendarum impulsi, Principum in variis regionibus cimeliarchia, & miranda opera inspexerunt, consideràrunt; quæ uti frequentia nimia vilescunt, ita illa quoque existimationis damnum pati necesse est; pari ratione dico, non omnia vera esse, ut postea latius dicetur, quæ de musica miranda Græci narrarunt; cum enim stylus eorum musicus ex iis, quæ posteritati commendarunt, incognitus esse nequeat, nihil adeo abstrusum, nihil adeo ingeniosum illis fuisse, ad quod exercitatissima modernorum ingenia in tanta subsidiorum, quæ nobis typographicum inventum peperit, varietate, dummodo constanter se applicare velint, non pertingant.

Atque ex hoc longiori forsan, quam par erat discursu aperte ni fallor demonstravimus, musicam modernam, Veterum in multis præstantiorem, & majori varietate præditam. Quod assero contra eos, qui præsentia fastidientes, despicientesque, nescio quam divinam musicam, qualem ex nullo tamen Autore demonstra-

ſtrare poſſunt, veteribus affingere ſolent; adeoque idem ipſis contingere videtur, quod illis, qui dum pretioſa quævis domi continent, foris paleas, & ſilices admirentur, ſuſcipiant, & præ domeſticis nihili ducant.

Non dubito Veteribus Græcis inſignem, & judicioſam muſicam fuiſſe, ſed ipſorum ingenio, & inclinationi, patriæque conſuetudini appoſitam, quæ ſi hodierna die audiretur, neque eo in pretio fortaſſis foret, neque eam, quam habuit apud propriam gentem dignitatem obtineret. Sed dices, Chromaticum, & Enarmonicum genus, quod tantos in animis hominum motus concitabat, nobis prorſus incognitum periiſſe, & proinde minime nos ad eorum perfectionem pertingere poſſe. Verum, qui quid chromaticum & Enarmonicum proprie ſit, novit, fateri cogetur ex ipſis Veterum ſupra memoratis monumentis, neque ipſis Veteribus multum ea genera fuiſſe probata; imo potius multis in partibus prohibita. Verum de hiſce tribus generibus in ſequentibus fuſius, ubi & mentem meam clarius pandam: Atque hic finem diſcurſui meo impono.

EROTHEMA VI.

Utrum, cur, & quomodo Muſica vim habeat ad animos hominum commovendos, & utrum vera ſint, quæ de mirificis Muſicæ Veteris effectibus ſcribuntur.

SI vera ſunt, quæ de Alexandro Magno a Timotheo in furorem muſicæ vi, & efficacia incitato, & de Juvene Taurominitano ira inflammato ad manſuetudinem Pythagoræ opera, mox ubi modum mutaſſet, ſpondaicum ſonuiſſet traducto, narrantur; non immerito quæri hoc loco poteſt, qua vi illud contigerit, & quamvis in *9.* libro fuſe de hiſce egerimus; hic locus tamen poſtulare videtur, ut ibidem nonnulla partius forſan tacta, fuſius hoc loco explicemus.

Notandum igitur variis modis hanc vehementem commotionem in animis hominum contingere poſſe: primo vi quadam præternaturali, ſive vi Dæmonis: poteſt enim Diabolus ad ſonum Cytharæ veluti pacti initi ſignum, ita potenter humani corporis humores conturbare, ut furoris, rabiei, alteriuſque impetus vehementioris infallibilem effectum edat, quemadmodum in teratologia de cytharædo Regis Daniæ dictum eſt, ad tantum furorem Regem concitante, ut rabie percitus duos e ſuis interemerit, quæ certe uti ex circumſtantiis patet, niſi opera Dæmonis fieri non potuerunt.

Secundo Dæmone inſeſſi, uti Saul, aliique fuliginoſo atræ bilis vapore, quem turbatores animorum Dæmones inſidere ut plurimum gaudent, diſcuſſo liberari potuerunt, ut alibi dictum eſt, qui modus ex naturali, & præternaturali mixtus eſt. Tertius pure naturalis eſt, per harmonicum, ſcilicet ſonum, qui niſi quatuor conditiones annexas habeat, quarum una deficiente, deſideratus effectus minime obtinebitur: Prima eſt ipſa harmonia. Secunda, numerus, & proportio. Tertia, verborum in ipſa muſica pronunciandorum vis, & efficacia, ſive ipſa oratio. Quarta audientis diſpoſitio; ſive ſubjectum memoratarum rerum capax; Et harmonia quidem, in tantum vim habet in animum, in quantum ad harmonioſum aeris motum, aerem implantatum, ſive ſpiritum animalem ſimiliter movet, unde voluptas, & dulcedo: ſed hic ſine reliquis conditionibus ad vehementiores effectus edendos, non ſufficiens eſt; Si itaque harmoniæ accedat numerus determinatus, & proportionatus, jam veluti duplicatas vires acquirit, movetque animum non ad intrinſecos tantum affectus, ſed, & ad extrinſecos quoſdam, & exoticos corporis motus, ut in choreis patet, in quibus numeroſus harmoniæ hyperorche maticæ ſonus, ſaltatores ad ſaltus pari ratione numeroſos & harmoniæ dictæ clauſulas proportionatas neſcio qua abdita vi ſollicitat & inſtimulat, patet & in tarantiſmo affectis, ut paulo poſt dicetur; Harmonico vero numero & proportioni, ſi accedat verborum in ipſa oratione abſcondita vis & energia, præſertim ſi pathetica fuerit, inſignemque hiſtoriam aut tragicum caſum continuerit, dici vix poteſt, quantum hæc tria in unum conjuncta poſſint, ad animos diſpoſitos in quoſcunque affectus incitandos: dixi animos diſpoſitos, quia niſi quarta conditio, hoc eſt audientis diſpoſitio præceſſerit, citius ſaxum, quam hominem indiſpoſitum incapacemque moveris. Quicunque igitur martialem virum bella Spirantem commovere volet, ita harmoniam numeroſque, ita orationem diſpoſitam habere neceſſe eſt, ut & harmonia ipſa numeruſque neſcio quid tumultuarium habeat & oratio ipſa magnifica alicujus Herois geſta contineat, & his ita comparatis neceſſarium in Auditore bellici furoris effectum produceret. Hoc pacto Thimothæus Alexandrum in furorem & ad arma capienda incitaſſe veriſimile eſt, cum enim Rex martio Spiritu turgeret, gloriamque præ omnibus mortalibus ambiret, juxta eos Itali poetæ elegantiſſimos verſus:

Giun-

Giunto Alessandro alla famosa tomba
Del fero Achille, sospirando disse;
O fortunato, che si chiara tromba
Havesti, che di te si alto scrisse.

Timotheus vero naturam Regis optime perspectam haberet, harmonicos modulos adeo apte ad orationis de bellica gloria institutæ vim & energiam adaptare potuit, ut desideratum effectum obtineret. Harmonia igitur quæ Regem commovere in tantum potuit, in alio ad alios affectus inclinato nullam vim impressit: Sicuti contra, si quis Deo devotum hominum rerumque cœlestium, meditationi deditum in exoticos affectus raptusque mentis commovere vellet is supra insigne aliquod verborum thema, quod rerum cœlestium dulcedinem, & suavitatem auditori in memoriam revocaret, modulo dorio per clausulas intervallaque apte adaptet, & experietur quod dixi verum esse, statim extra se factos dulcedine harmonica eo, ubi vera sunt gaudia rapi: vidi ego non semel in viris ordinis nostri sanctitate illustribus hujusmodi experimenta.

Musica igitur ut moveat, non qualecunque subjectum vult, sed illud cujus humor naturalis musicæ congruit: Videmus enim, quod doria, verbi gratia, harmonia non omnes, sed illos, quibus ipsa congruit, moveat, cujus rei causa est complexionum diversitas, quæ maxime in hoc negotio attendenda est. Secundo numerus similiter & proportio motus, temporisque summopere in hoc negotio consideranda sunt; quæ nisi recipientis subiecti spiritui exacte respondeant, nihil efficient. Hinc melancholici humore lento gravati, acutis spissisque clausulis abhorrent, quia dum harmoniosus motus spiritui utpote lentiori non æquali tempore correspondet, fit ut vellicando quasi spiritum, loco jucunditatis horrorem ob vehementem quam patitur, commotionem inducat. Cholerici vero spiritu agili & mobili gaudentes, acutis spissisque modulis impense delectantur, quia spiritus illorum animalis ad harmoniosum aerem æquali, & quasi unisono modo concitatur, unde maxima pro toni thematisque ratione affectus variatio.

Hinc igitur, si veterum musicorum miracula renovare velint, respicere debent musici nostri, ut primo alicujus subjecti inclinationem & naturalem habitudinem explorent, deinde juxta eandem numeros harmonicos verborumque thema iis congruum adaptent, & non dubitent quin eosdem, quos veteres, effectus sint causaturi. Contingit enim idem in diversa complexione hominum, quod in pulcherrimo illo experimento, quod libro 9. exhibuimus, ubi in vitreis scyphis diversi liquores infusi agitantur juxta numerorum & proportionum diversam habitudinem: chorda quoque aliam non movet, nisi vel in unisono perfecto concordent, vel in octava vel quinta sed omnium perfectissima in unisono: est enim spiritus animalis veluti alterum quoddam instrumentum polychordon, ad quod si concordaveris harmoniam tuam, haud dubie illum quo voles & in quoscunque affectus maxime rapies; Hinc etiam fit, ut dum choreas agentes cernimus, in similes motus animemur, ex similitudine videlicet harmonicarum proportionum numerorumque spiritum nostrum similiter afficientium similitudine & Sympathia. Tertio oratio quantam vim possideat in animis auditorum, notum est. Quis motus, quos magni quidam, concionatores in animis auditorum imprimunt, ignorat? audivi Melitæ & in Sicilia: magnum Dei servum religionis nostræ tanto ardore prædicantem, ut ob singultientium, lachrimantium tumultum, verberumque spontaneorum strepitum, concionem nonnunquam violenter interrumpere oporteret, & hoc quoties volebat, præstabat. Noverat enim prædicator suorum auditorum inclinationem; noverat chordam, quam tangere debebat; ut proinde tantos eum motus suscitasse mirum non sit. Harmonia itaque naturaliter hominem afficit; numerus vero & proportio motus aeris, afficit spiritum motivæ facultatis organum; verba phantasiæ sistunt objectum, quod si jucundum fuerit, in affectus motusque consimiles concitabit, si triste & luctuosum, lachrymas, gemitus & suspiria eliciet: si martium furorem spiret, ad eundem ingenii martii subjecta impellet, & sic de cœteris.

Vides igitur, quomodo musica passiones animi nostri movere possit: vides etiam, quomodo antiqui miracula illa musicæ vi in animos hominum perpetraverint. Quibus quidem ordine explicatis, nil restat, nisi ut causas tantarum mutationum ad physicæ incudem revocantes plenius, explicemus.

EROTHEMA VII.

Physiologum.

Quomodo numerus harmonicus affectus moveat.

CUM παθιμάτων, quas affectiones, seu passiones Ethici appellant ὑποκείμενον, sive subjectum sit appetitus sensitivus

vus corporeus, & materialis: necessario dicta pathemata materialibus quoque conditionibus, ut in Ethica musica fuse dicetur, substabunt; consistunt enim in certa quadam primarum qualitatum elementarium combinatione, vaporesque dici possunt, quatuor humorum varie, & varie pro phantasticæ facultatis objectis commistorum; cum enim objectum fuerit indignatione, & zelo plenum, spiritus, vapores & cista fellis vi phantastica elevati, calidum, siccumque; temperamentum acquirent, qui subtilissimis motibus tumultuariis, pungentibusque concitati, agitatique animum in iram, furorem, rabiem, passiones ipsis simillimas agent; & si objectum fuerit amænum, jucundum, amore plenum, ex epatis promptuario sanguinei vapores elevati, calidum, & humidum temperamentum acquirentes, dulcibus temperatisque motibus agitati, animum benigne, & dulciter afficient, unde gaudium, spes, fiducia, amor, lætitia. Si vero objectum fuerit horridum, triste, funestum, & tragicum, ex atra bilis receptaculo vapores elevati, temperamento frigido, & sicco præditi, qui spiritum animalem, ea, qua ipsunt qualitate, imbuent; unde mœror, tristitia, dolor, commiseratio, planctus, similesque affectus enascuntur. Si denique objectum fuerit molle, delicatum, suave, moderatum, inter triste, & lætum, medium, vapores frigidum, & humidum temperamentum acquirent, quo spiritus animalis imbutus, animum ad similes passiones concitabit, nasceturque lætitia moderata, quies, & tranquillitas, quædam animi fiducia, amor honestus, similiaque. Vidimus, quomodo nascantur affectiones jam videamus quomodo iidem vi musicæ suscitentur. Habet itaque Musica affectionum origini quiddam prorsus simile. Nam cum sonus harmonicus motus quidam sit aerem ea prorsus proportione qua ipse constat, incitans; aer autem spiritui animali, qui in perpetuo similiter motu est, continuus sit, fit ut simul, ac anima (cui harmonia naturaliter, ut in metaphysica nostra musica dicetur, insita est eidemque congenita) harmonia, phantasia vero objecto, quod verba præsentant, fuerit concitata, aer concitet naturalem humorem objecto, & harmonicis motibus prorsus similem, & proportionatum, vapor vero inde elevatus spiritui animali jam ad harmoniæ, aerisque continui harmonici numeros concitato commistus; animam tandem agitatione sua ad affectus numeris, & verbis proportionatos compellet: latent enim in singulis rebus proportiones quædam, quarum concursu omnes rerum exoticæ operationes perficiuntur, utique in admirabili rerum consensu dissensuque quam sympathiam, & antipathiam Græci vocant, ita maxime in harmonico negotio elucescunt. Numerus igitur harmonicus primo aerem cum intrinsecum concitat, eique harmonicos motus imprimit; deinde phantasiam impellit, hæc impulsa humores concitat, homores vaporosi spiritui sive aeri intrinseco misti, tandem hominem ad id inclinant, quod referunt, atque hoc pacto harmonia, non alio passiones movet. Quemadmodum igitur harmonicorum motuum infinita varietas est, ita & affectionum inde resultantium; quorum rationem si quis perfecte nosset, is haud dubie maxima naturæ miracula in suscitandis animi passionibus vi musicæ efficere posset; nil enim aliud facere oporteret, nisi harmonicos numerot metricosque spiritui affectione aliqua prægnanti perfecte accordare; hoc facto, impossibile est, ut intentus effectus non sequatur.

Sed quæres, cur tam raro similes affectuum commotiones experiamur. Respondeo hoc fieri, quod harmonicus motus non usquequaque Spiritui animali respondeat, unde fit, ut harmonico motu spiritus jam plus æquo dissipetur, modo nimium lentescat, nunc inæqualius & inconstantius rarefiat; Si quis igitur ita harmoniam accomodare posset, ut spiritus eodem prorsus motu, quo harmonici numeri, moveretur, is intentum effectum produceret haud dubie; idem enim præstaret, quod in duobus polychordis exactissime concordatis fit; quorum alterutrum modulis harmonicis incitatum in altero etiam intacto eandem omnino harmoniam producit, ut in magia nostra musica ostendetur. Quæ omnia fusius hoc loco demonstrare volui, ut musurgus causam commotionis affectuum plenius cognosceret, modumque haberet, quo ad perfectam artis notitiam tandem pervenire posset. Qui porro plura de hac materia desiderat, consulat libri 9. partem primam, aliaque de hoc argumento sparsim in hoc opere inserta.

EROTHEMA VIII.

Utrum diversi Toni, diversis affectibus respondeant, & quænam hujus rei sit causa.

CUM harmonia nihil aliud sit, quam dissimilium vocum concordia, consensus, & undequaque correspondens proportio; proportio autem numerorum in motu aeris elucescat; motus vero pro varia intervallorum, ascensus, descensusque ratio-

ratione varius sit, spiritus quoque, sive aer internus implantatus, uti paulo ante ostensum fuit, juxta proportionem motus aeris extrinseci moveatur, fit, ut Spiritus moti ope variæ inde in homine affectiones nascantur. Præterea cum toni juxta septem diapason species distributi, varia intervalla acquirant; unusque altero semper altiorem habent constitutionem; motus quoque proportionesque numerorum in mora elucescentium aliam atque aliam constitutionem ut nanciscantur, consequens est. Quanto enim toni constitutio fuerit superior, tanto altiores acutioresque fieri necesse est, quam varietas affectuum necessario sequitur.

Hinc modi graves, graves concitant affectus, acuti subtiles & acutos: præterea cum totius in tonis diversitatis causa sit, diversus semitonii situs; ideo in principio positum aliam: in medio aliam; aliam in fine, & sic in reliquis intervallis aliam & aliam cantus formam efficit, verbo, unamquamque consonantiam in suas species distribuit, ut lib. 4. dictum est. Quæritur igitur, quæ nam hujus rei causa sit? Respondeo cum semitonium a reliquis tonis maxime distet, necessarium quoque est, illud motu suo in tetrachordis aut speciebus quartæ, quintæ & octavæ, maximam mutationem causare, ita ut ubicumque illud v. g. in tetrachordis ponitur, semper diversos sortiatur effectus, vel ex antecedentibus vel consequentibus aut utrimque id stipantibus tonis. In diatessaron imo loco positum semper nescio quid triste aut luctuosum in animo hominis efficit, cujus quidem rei ratio alia non est, nisi quod vox in utraque diatessaron tam ascendentis quam descendentis extremo mollescens, mollitie sua sequentes tonos quadantenus imbuat, hi semitonii imbuti mollitie consequenter molles animi, amoris, tristitiæ, confidentiæ affectiones præstabunt, ut in sequentibus notis apparet, ubi semitonium in initio ascendendo, & descendendo, in fine positum, nescio quid, ut dixi mollitiei possidet. In medio vero positum nescio quid audaciæ, magnanimitatis, severitatisque præferat, quia mollities semitonii circumstantibus tonis ita obtunditur, ut dum vim suam exercere non valeat, consequenter juris alterius esse cogatur, mirum igitur non est effectus inde resultare tonis convenientes. In fine vero positum alicujus tetrachordi, nescio quid indignationis portendat ob præcedentes duos tonos, semitonium ex asperantes.



Accedit, quod cum harmonicus semitonii motus, motu toni multo celerior sit, (ut enim proportio sesquivigesima quarta ad sesqui octavam vel sequinonam, ita motus semitonii ad motum toni) fit consequenter, ut ubicunque ponitur, semper notabilem alterationem efficiat, supremo loco post duos tonos positum, uti exilitate motus facile intermoritur, ita vim suam ob præcedentium tonorum tyrannidem exercere non potest. In primo vero positum, uti tardius ita vegetius quoque & vivacius vim suam contra debiliorem sequentium tonorum potentiam ostendit, dum illos sui juris esse cogit. In medio positum stipantes se tonos veluti blanditiis quibusdam ita devincit, ut toni deposita feritate aliquantulum mansuesiant.

COROLLARIUM. I.

Vides igitur quomodo ex diverso semitonii situ in tetrachordo tres diversi toni constituantur, quorum unus quisque diverso affectui respondet, idem prorsus dicendum de semitonii situ intra diapente & intra hexachordon & diapason. Vides quoque, quomodo in diapason Semitonium septies mutet situm, & quomodo ex mutatione hac septem diapason species oriantur, de quibus in quarto libro fuse egimus & cum in unaquaque specie semitonium bis reperiatur, quomodo inde quatuordecim toni sive modi nascantur, & quomodo duobus veluti spuriis dissonisque rejectis duodecim veri & usitati toni tandem emergant, porro notandum, semitonium non ubique positum eandem vim obtinere, sed in singulis gradibus diversam ob motus respectu præcedentium aut subsequentium tonorum tarditatem aut celeritatem, uti dictum est, ex qua diversitate motus harmonici necessario spiritus sive aer implantatus aliter & aliter incitatus, alios & alios

alios affectus in homine producit; Hinc si totam octavam cantus percurrat aut excedat, cantus animosus est: Si diatessaron solum, modestus & jucundus: si diapente mediocritatem habet; tertia minor demissionem & pusillanimitatem. Est igitur semitonium non immerito, ut alibi diximus, totius musicæ anima, situ siquidem suo & modos & genera distinguit, omnemque vigorem & gratiam harmoniæ conciliat; videturque natura illud quodammodo ad auditus satisfactionem constituisse, dum sine illo, nihil in musica placet, nam dum auditur *Re*, *mi*, auditus non satiatur, sed exspectat, ut addatur & *Fa*, & dum percipitur *Sol*, *fa* nisi & *mi* sequatur, auditus non quiescit Hinc ille tonus, qui ditonum in imo positum habet, merito actuosus habetur & conatuum plenus, cujus vis νόνιμος ϗ ακμὴ ἄχετος, quærens finem suum scilicet diatessaron, cujus semitonium est ei quasi εὔχυσις toto conatu quæsita, Porro hæc semitonii potestas, plurimum augmentum ex temporis proportione & ipso rhythmo nanciscitur; & temporis quidem proportio in arsi & thesi, rhythmus in tarditate & celeritate motus consistit, cui si tripla aut dupla accedat proportio, omnibus numeris ad affectus movendos concitandosque vim acquirit.

COROLLARIUM. II.

Patet denique ex hoc discursu, quomodo ex semitonii situ, diversi toni emanantes, diversas affectiones in animo Auditorum efficiant. Primus modus dorius priscis, Luciano σεμνὸς, religiosus, sacer, gravis, Apulejo, bellicosus, ad heroicum carmen modulandum aptissimus est, miram cum alacritate gravitatem obtinet.

Secundus modus Hypodorius, tetricam juxta priscos habet gravitatem, minime adulatorius.

Tertius. Phrygius, Luciano vocatur ἔνθεος, Apuleo, religiosus; habet enim severam indignationis insultationem, unde & σκόλιος dicitur; est impetuosus, & bellicis rebus accomodatus. Item jambicus tragicus distrahens, ac rapiens animum, eumque quasi extra se ponens; ita Aristoteles 8. Polit. cap. 5. & Plato lib. 3. de justitia.

Quartus modus Hypophrygius humilis, & ad fletum aptissimus, quippe qui habet tristem querimoniam supplicationem quandam & lamentationem; cum vero hic tonus fere idem cum tertio sit, & passim confundatur, non video, cur tam diversos a priori affectus suscitet.

Quintus modus Lydius est durus, minax, & hilaris, Lydorum proprius; Hinc Plato dialog. 50. de Repub. Lydiam, & Jonicam harmoniam ut temulentam improbat; secundum Lucianum βακχικὸς bacchicus, sive insanus, convenit nostro Undecimo.

Sextus Hypolydius lachrymosam habet continentiam, dicitur modus pius & quasi vagiens, quippe qui lachrymas cieat; respondet nostro duodecimo.

Septimus Tonus Myolydius movet affectus, eosque flexiles reddit, & contractos quippe ex dorica gravitate mixtos.

Octavus modus Hypomyolydius naturalem habet jucunditatem.

Nonus Æolius est mitis, & miræ suavitatis ad modulanda lyrica, neotericis peregrinus vocatur.

Decimus Hypoæolius insignem suavitatem quoque obtinet.

Undecimus Jonius, quem Neoterici quintum vocant, Luciano γλαφυρὸς jucundus, Apulejo lascivus dicitur, Jambicis & trochaicis carminibus aptissimus, omniumque naturalissimus & in harmonia musica non postremus.

Duodecimus modus Hypoionicus, mollitiem Jonii emendat, respondetque nostro sexto.

Atque hi sunt affectus, quos duodecim tonis attribuunt Veteres, in quibus tamen minime sibi constant, estque tanta in hujusmodi determinandis confusio, ut cui subscribas nescias; quem enim alii jucundum, alii severum, quem castum alii, alii lascivum quem dein hilarem, alii lachrymosum appellant. Quæ diversitas & apud Neotericos mirum in modum discrepat; cujus quidem rei ratio alia non est, nisi complexionum diversitas, qua fit, ut tonus, qui uni jucundus, alteri diversi temperamenti luctuosus videatur, & sic de cœteris: non morabimur hic diutius; unus quisque eam proprietatem unicuique tono attribuere poterit, quæ ejus naturali inclinationi maxime videbitur esse consentanea.

JULII BARTOLOCCI
TRACTATUS
DE
MUSICIS INSTRUMENTIS HEBRÆORUM.

De Psalmorum libro, Psalmis, & Musicis Instrumentis Hebræorum, Rabbinorum sententiæ.

Psalmorum liber omnibus Nationibus, & linguis notissimus Hebraice communiter vocatur ספר תהלים *Sepher Thebillim Liber Laudum*, seu *Hymnorum*. Rabbini præcipue in marginalibus citationibus plerumque clisa litera ה scribunt תלים *Thillim*, Vocatur etiam *Psalterium*, quamvis proprie Ψαλτήριον Græcis sit Instrumentum Musicum, quo Psalmi canebantur, de quo plurali numero fit mentio 2. Reg. 12.

מזמרות *Mezamerroth Psalteria*. Hinc Psalmi, qui Spiritus S. afflatu, ligata oratione compositi, & ad excitandum animum psallentium & audientium, ad pietatem, nec non & religionem erga Deum excitandam Musicis Instrumentis decantabantur. מזמורים *Mizmorrim* dicuntur, & singulariter מזמור *Mizmor Psalmus*. Hinc Psalmorum liber centum quinquaginta Psalmis absolvitur, sed non omnes nomine מזמור *Mizmor* inscribuntur, sed tantum quinquaginta quinque, nempe 3. 4. 5. 6. 8. 9. 12. 13. 15. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 29. 30. 31. 38. 39. 40. 41. 47. 48. 49. 50. 51. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 73. 75. 76. 79. 80. 82. 83. 84. 85. 87. 88. 92. 98. 100. 101. 109. 110. 139. 140. 141. 143. מזמור *Mizmor* igitur proprie significat *Cantionem*, seu modulationem artificiosam quibusdam certis numeris & cæsuris incisam ex conjugatione פעל, & ex radice זמר *Incidere*, vel *amputare*, Græce Ψαλμός id est *Cantus*, ut utraque lingua idem indicaretur: laudes scilicet, & divinos hymnos voce alacri, & Musicis Instrumentis decantandos fore.

Porro Instrumenta quibus cantiones modulari possumus, sunt in triplici differentia. Vel enim sunt *Pneumatica*, vel *Fidicina*, vel *pulsatilia*.

Primi generis sunt, quæ inflata, seu flatu, spiritu, vel vento incitata sonum emittunt, ut sunt Fistulæ, Sampuniæ, Cornua, Tibiæ, Tubæ, Buccinæ, Litui, Syringæ, & alia Polycalama, quæ Italice dicuntur *Organi*, & *Regali*.

II. Generis sunt omnia illa Instrumenta, quæ chordis, seu nervis instructa, digitis vel pinnis, vel etiam plectris in harmonicos motus artificiose incitantur, & sonum suavem reddunt, ut sunt Citharæ, Testudines, Thiorbæ, Nablia, Harpæ, Lyræ, Violæ, seu Chelys, Sambucæ, Pectides, Pandoræ, Clavicymbala, Clavichordæ, Spinettæ, Barbita, aliaque his similia, & omnis generis Cytharæ, vulgo *Chitarre*.

III. Generis sunt, quæ digitis, aut bacillis, vel ferrea lingua pulsantur, & sonum reddunt, ut sunt Crotula, Gnaccari, Systra, Tympana, Cymbala, Campanæ. Quænam autem ex his Instrumentis ad Psalmos modulandos apud antiquos Hebræos in usu fuerint, est inquirendum. Ex quolibet ex his generibus aliquot assumpta fuisse instrumenta pro certo statuendum est. Ex Psalmo enim 81. v. 3. habemus.

שאו-זמרה ותנו-תוף כנור נעים עם נבל:
תקעו בחדש שופר וגו':

Sumite Psalmodiam, & date Tympanum: Citharam jucundam cum Nevel. Et ex Psalmo 150.

הללוהו בתקע שופר הללוהו בנבל וכנור:
הללוהו בתוף ומחול הללוהו במנ ים ועגב
הללוהו בצלצלי שמע הללוהו בצלצלי תרועה:

Laudate eum (Dominum) *in clangore Buccinæ, laudate eum in Nablio & Cithara: laudate eum in Tympano, & Choro: laudate eum in Chordis & Organo. Laudate eum in Cymbalis sonoris: laudate eum in Cymbalis jubilationis.* Et in 2. Sam. 6. 5.

ודוד וכל בית ישראל משחקים לפני יהוה
בכל עצי ברושים ובכנורות ובנבלים ובתופים
ובמנענעים ובצלצלים:

Et David, & omnis domus Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis abiegnis, Cytharis, & Nablis, & in Nablis,

& in

& in Tympanis, & in Sistris, & in Cymbalis. Et in 2. Paralip. 15. 14.

וישבעו ליהוה בקול גדול ובתרועה ובחצצרות ובשופרות:

Et juraverunt Domino voce magna in jubilo, & in clangore, & in Tubis, & in Buccinis.

Ex his Scripturæ locis habemus octo fuisse genera Instrumentorum Musicalium, quibus antiquitus Hebræi utebantur.

Ex Pneumaticis.

Instrumenta, quæ spiritu inflata sonum edunt, primum locum occupant in Scripturis sacris. Ea sunt.

1. שופר *Sciophar Buccina.*
2. חצוצרות *Chatzotzeroth Tubæ.*
3. עוגב *Vugau Organum.*

Ex Fidicinis.

1. נבל *Nevel Nablum.*
2. כנור *Chinnor Cithara.*

Ex Pulsatilibus.

1. תוף *Toph Tympanum.*
2. מנענעים *Menaanijm Sistra.*
3. צלצלים *Tzeltzelim Cymbala*. De singulis aliquid breviter dicemus.

Ex Pneumaticis.

1. שופר *Sciophar Buccina* erat Cornu recurvum, vulgo קרן *Keren Cornu*, quia ex Cornu Arietis fieri solebat, & hodie nonnisi ex cornu Arietino, ex Rabbinorum præcepto illud efficiunt, quod promiscue & שופר *Sciophar* & קרן *Keren* vocant ex præscripto משנה *Miscnæ* Codice ראש השנה cap. 2. num. 2.

אמר רבי יוסי וחלא כל השופרות נקראו קרן שנאמר (יהושע ו': ה':) במשוך בקרן היובל וגומ':

Dixit R. Jose: Et nonne omnes Buccinæ vocantur Cornu? S. D. (Josue 6. 5.) In protrahendo in Cornu Arietino, in audiendo vos vocem השופר Buccinæ &c.

Usus illius erat multiplex, sed præcipue ad festa indicanda, ut Novilunii Ps. 81. 4. תקעו בחדש שופר *Clangite in Novilunio Buccina*; Anni quoque Jubilei & remissionis, Levit. 25. 9. de quo opportuniori loco agemus. Assumebatur etiam in Psalmis modulandis Psalmo 150. 3. citato, הללוהו בתקע שופר *Laudate eum in clangore Buccinæ.*

Ceterum de שופר *Sciophar* dicitur in משנה *Miscna* Cod. תמיד *Thamid* cap. 3. n. 8. quod מיריחו היו שומעין קול השופר *A Jericho audiebant sonum Sciophar Buccinæ*. De Buccina autem prout hodie in usu est apud Judæos, & quomodo seligatur & infletur in principio Anni novi, & in die Expiationis, agemus alibi Deo dante.

2. חצוצרות *Chatzotzeroth Tubæ* longiores Buccinis, ex cupro, argento, aut alia materia, vel etiam ligno oblongo, cavo, & recto constabant, Buccinæ solum cornu retorto, & hoc Arietino, ex Glossa ad Cod. סוכה *Succa* c. 3. p. 34. circa fin. ubi differentia inter utramque assignatur, quod שופורא כפוף חצוצרתא פשוטה *Buccina sit curva, Tuba extensa*. Usus Tubarum diversus erat a Buccinæ, nec alter locum alterius occupabat. Buccinis inflatis, cœtum Ecclesiæ congregabant, solemnitates statiis temporibus indicebant, Neomenias, Annum novum, & Jubileum proclamabant: Tubis ista peragere vetitum. Clangebant Tubis argenteis, quando castra in deserto movebantur, & hoc officium ex Dei præcepto præstabant Sacerdotes, Num. 10. 8. Si semel clangebant, congregabantur Principes, & Capita filiorum Israel; si concisus & prolixior erat clangor, movebant castra primi, qui erant ad Orientem. In secundo clangore prolixo & ululatu conciso, movebant castra qui erant ad Meridiem, & pari modo reliqui faciebant.

Si exeundum erat ad bellum, inflatis Tubis ululabant. Ibid. v. 9.

Si epulum facturi erant, vel festum diem, aut Calendas celebrabant, Tubis canebant super holocaustis, & victimis pacificis. Ibid. v. 10.

Clangebant Tubis coram Arca Domini, 1. Paralip. 13. 8. & capite 15. 24. 28. Iisdem, Psalmos & Cantica canebant. Ibid. cap. 16. v. 42. nam Cantores, qui erant sub Asaph, Eman, & Idithum vestiti byssinis, Cymbalis, & Psalteriis, & Citharis concrepabant, & centum viginti Sacerdotes canentes Tubis, stabant coram eis, ut legitur 2. Paralip. 5. 12. Breviter: Tempore quo Sacra Ædes Jerosolymitana extabat, in omnibus solemnitatibus, & sacris Cantionibus Tubis utebantur, uti nobilioribus, & præstantioribus Instrumentis. Everso autem Dei quondam Sanctuario, loco Tubarum successerunt Buccinæ, ex Rabbinorum decreto, quia humiliores, & viliores Tubis; hinc hodie pro Tubis utuntur Hebræi Arietinis cornibus, Bovinis rejectis, quæ vulgo חצוצרות *Tubæ* vocantur, & pro Tubis habentur. De tali substitutione legitur in Cod. שבת *Sciabbath* cap. 2. pag. 36. l. 5.

אמר

אמר רב חסדא הני תלת מילי אישתני שמייהו מכי חרב בית המקדש חצוצרתא שופרא שופרא חצוצרתא למאי נפקא מינה לשופר של ראש השנה וכו': פתורתא פתורתא פתורה למאי נפקא מינה למקח וממכר:

Dixit Rau Chasda; Tria vocabula mutata sunt, ex quo Domus Sanctuarii eversa est. Tubæ (vocabulum) *in Buccinam, Buccinæ in Tubam. Quid inde deducitur? Pro Buccina initii anni &c.* (R. Salomon.)

לשופר של ראש השנה אין תוקעין אלא באותו שעם הארץ קורין חצוצרות והוא שופר או אם בא עם הארץ לשאול במה יתקע אומרי' ליה בחצוצרות:

Pro Buccina initii anni; non clangunt (in principio anni) *nisi Buccina, quam plebeii vocant Tubas, quamvis sint* שופר *Sciophar Buccina: vel si interrogaverit plebejus, quo* (Instrumento) *sit clangendum* (in principio anni) *respondent* חצוצרות *Tubis.*

Confunditur itaque hodie a vulgo vocabulum חצוצרות *Chatzotzeroth Tubarum* cum שופרות *Sciopheroth Buccinis*, & vice versa.

3. עוגב *Vugau Organum.* Quovis Organum sit genus ad quodlibet Instrumentum, peculiariter tamen, & per quandam excellentiam, omnia Musica Instrumenta Organa appellantur, & inter ista, ea quæ stamneis, vel alterius materiæ calamis & inæqualibus, ad symphonicum concentum efformandum, mira industria & arte elaborata, per spiritum seu ventum, follibus in fistulas & calamos inclusum, & digitis, mediis quibusdam dentibus ligneis vel etiam eburneis exagitatum, sonum & melodiam auditu jucundissimam, emittunt. Inde Hebraice עוגב *Vugau Organum* dicitur quasi *amabile Instrumentum:* nam ענב *Agau*, a quo deducitur, *adamare*, & *amasium agere* significat. Antiquissimum est Instrumentum, cujus origo ante universalem cataclysmum *Jubalis* ætate ex Scriptura Genes. 4. 21. habetur. Usus Organorum in antiqua Synagoga frequens fuit, ad cujus melodiam Psalmi canebantur. A Synagoga ad Ecclesiam Organis advectis, Patres ad cultum officiumque Divinum, illorum usum receperunt. Sed in Concil. Senonen. in decretis morum c. 17. decretum est, *Ne in Ecclesia Organicis Instrumentis resonet impudica aut lascivia melodia: sed sonus omnino dulcis, qui nihil præter Hymnos & Cantica spiritualia repræsentet*, quem abusum etiam Concilium Tridentinum tollere volens sess. 22. in decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ, ab Ecclesiis arcet & eliminat Musicas eas, ubi sive Organo, sive cantu, lascivum, aut impurum aliquid miscetur. Quo autem tempore intra Ecclesias Organa invecta fuerint, Platina refert sententiam quorundam, qui asserunt id factum fuisse tempore Vitaliani Papæ, id est circa annum Domini 657.

Ex Fidicinis.

1. נבל *Nevel Nablum.* Noster Interpres plerumque vertit *Psalterium*, ut 1. Sam. 10. 5. - 1. Paralip. 13. 8. - 16. 5. - 25. 1. - 2. Paralip. 5. 12. - 9. 11. - 20. 28. - 29. 25. & alibi passim. Ex quo intelligi potest *Nevel* fuisse Instrumentum Fidicinum, & non mere Pneumaticum, ut aliqui putarunt, credentes fuisse Utriculum, qui per fistulam inflatus & brachio compressus, digitis item ad quædam foramina applicatis, & artificiose ad brevissimum tempus inde amotis, suavissimum sonum emittit. Hinc in *Medrasch Theillim* ad Psalmum 81. pag. 37. col. 4. præ omnibus aliis Instrumentis Musicis extollitur, ibi enim §. שאו dicitur.

למה נקרא שמו נבל שמנבל כל מיני זמר:

Cur vocatur nomen ejus Nevel? Quia stultescere facit omnia alia Instrumenta Musica. Quod etiam refert R. Salomon ad eundem Psalm. 81. ver. 3. & in Isai. c. 3. 12. Huic opinioni videtur inclinare R. Abraham Aben Ezræ Comment. in Ps. 150. 3. ubi ait in hac fistula ישלו עשרה נקבים *fuisse decem foramina.* At sonus hujus Utriculi, qui a pluribus in Italia vocatur *Cornamusa*, non est adeo gratus (cum sit rusticalis, & a rusticis absque ulla, vel cum admodum modica scientia Musica tractetur) ut supra alia omnia Instrumenta mereatur extolli. Unde idem Aben Ezræ loco nuper cicato subjungit, non esse possibile scire, quænam fuerint Instrumenta, quæ in Sacris literis nominantur; cum plurima & admodum inter se diversa reperirentur in terra Israelis, quorum notitia non pervenerat ad Idumæos (Romanos intelligit) nec illa idcirco Latinis vocabulis potuerunt exprimere; & vicissim quamplurima alia Musicalia Instrumenta inter Romanos tunc temporis extiterint, quæ omnino ignota erant Hebræis. Sed de *Nablio* melius discurrit R. Sal. ad locum Isaiæ cap. 5. v. 12. dum de eo dicit: נימין ויתרות יש בנבל *Chordas & Clavos esse in Nablio.*

Igi-

Igitur *Nablium* eſt Fidicinum Inſtrumentum, non Pneumaticum. Et R. David Kimchius de hujuſcemodi Fidicinis Inſtrumentis loquens ad cap. 22. v. 24. Iſaiæ ait.

האננות יש בהם גרולות וקטנות וכוכנות לתשמישי' משונים זה מזה: וכן הנבלים יש בהם זה משונה מזה ביתרותיו או במיתריו וכולם יקראו נבלים:

Eſſe in eis crateres magnos & parvos ad miniſteria (Pſalmodiarum) *aptatos alium diverſum ab alio. Sic etiam in Nabliis* (reperiuntur) *alia ab aliis diverſa, tam in clavis, quam in chordis; quæ tamen omnia vocantur Nablia.*

Itaque *Nablia*, quando a noſtro Interprete per *Pſalteria* redduntur, intelligenda ſunt Inſtrumenta chordis ſeu nervis inſtructa, quibus per digitos in diverſis modis & tinnulis concitatis, ſuaviſſimus editur ſonus, ita ut merito in *Medraſc Theillim* de *Nabliis* dicatur, quod alia Muſicalia Inſtrumenta ſtulteſcere faciant. Ψαλτήριον itaque proprie eſt Muſicum Inſtrumentum decem chordis inſtructum, ut vult D. Hieronymus Epiſtola ad Sophronium; forſan quia ſæpe de Pſalterio decem chordarum in Pſalmis fit memoria. Joſephus lib. 7. cap. 10. antiquit. כנור *Chinnor Citharam* decachordam fuiſſe נבל *Nevel* autem ſive Nablum duodecim chordarum, & digitis tangi ſolitum, unde forſan noſtræ Chely, ſeu Teſtudini non fuit diſſimile. Cujus autem formæ aut figuræ fuerit, plane ignoratur. Kircherius in Muſurgia lib. 2. cap. 4. inſtar trapezii vult fuiſſe confectum, iconem illius affert 15. chordis inſtructam. At ex ſententia D. Kimchii, cum *Nablia* ſeu *Pſalteria* diverſarum magnitudinum fuerint ſecundum craterum diverſitatem vel majorum, vel minorum; dicendum eſt etiam plures, vel pauciores habuiſſe chordas, ita ut & 12. vel etiam 15. chordis inſtructa aliqua ex his majora credibile eſt. Certum tamen eſt ex Scriptura, aliquam *Nablii* ſeu *Pſalterii* ſpeciem repertam, quam vocat עשור *Aſſur*, quia 10. chordis conſtabat, ut videre eſt in Pſal. 33. 2. בנבל עשור ומרו לו *In Nevel decachordo pſallite illi*. Et in Pſal. 144. v. 8. בנבל עשור אזמרה לך *In Nevel decachordo pſallam tibi*.

Minus proprie ſumitur *Pſalterium* pro libro, in quo Pſalmi Davidis ſcripti ſunt, & ex quo Dei laudes & Hymni aſſumuntur, & voce, ſeu ore, vel etiam Inſtrumentis decantantur. Cæterum notandum eſt id quod legitur in *Medraſch Theillim* Pſal. 81. pagina 37. col. 4. §. שאו *Nablium*, ſeptem, octo, vel decem chordis, ſecundum tria diverſa tempora, componi. Unde

אמר רבי יהודה ברבי אלעאי בעולם הזה על ידי נימין ויחדות: יכמה נימין ביתירות שבעה שנאמר (תלים קי"ט: קס"ר) שבע ביום הללתיך ולימות המשיח שמונה שנאמר (תלים ו': א') למנצח על השמינית ולעתיד לבא עשר שנאמר (תלים צ"ב: ד':) עלי עשור ועלי נבל:

Dixit Rabbi Judas Berabbi Elai: In hoc ſeculo (laudes dicuntur Deo) *mediis chordis & claviculis; & quot chordæ ſunt* (modo) *in claviculis? Septem. S. D.* (Pſal. 119. 164.) Septies in die laudavit te. *Et in diebus Meſſiæ, octo. S. D.* (Pſal. 6. 1.) Victori ſuper octavam. *Et in ſeculo futuro, decem. S. D.* (Pſ. 92. 4.) Super decachordo, & ſuper Nablio.

In hac traditione oſtenditur, Legem Moſaicam fuiſſe viam ad Legem Chriſti; Legem vero Chriſti ad patriam æternam ſignificatam per numerum denarium, qui univerſitatem in ſe comprehendit. De Nabliis fit mentio in משנה *Miſcna* Cod. ערכין *Arachin* cap. 2. n. 3.

אין פוחתין משני נבלין ולא מוסיפין על ששה:

Nec paucioribus, quam duobus Nabliis, nec pluribus, quam ſex ſolebant pulſare, aut uti illis in Sanctuario.

2. כנור *Chinnor Cithara* eſt aliud Fidicinum Inſtrumentum, quo ad laudes Deo canendas utebantur Hebræi. Hoc, ſi antiquitatem ſpectes, ipſi עוגב *Vugau Organo* non cedit, cum utrumque par ſit in natali, quippe quod tempore *Jubalis* in uſu erat Gen. 4. 21. Illius forma dicitur fuiſſe ad ſimilitudinem litere Δ 24. chordis inſtructa, quæ digitis in diverſos tinnulos voceſque varias concitatis, ſuaviſſimum ſonum reddebat; adeo, ut fructus terræ Geneſar, de qua in Novo Teſtamento apud Matth. 14. 34. fit mentio, ob illorum dulcedinem, comparentur dulcedini ſoni Citharæ. Ita in Talmude Codice מגילה *Meghilla* cap. 1. pag. 6. lin. 3. ubi ſic legitur.

כינרת זו גינוזר ולמה נקרא שמה כינרת דמתיקי פירא בקלא רכינרי:

Chinnereth ea eſt Ghinnuzar Geneſar. Et quare vocatur nomen ejus Chinnereth? Quia dulces ſunt fructus ejus ut ſonus Cithа-

tharæ. Forsan nostræ Chely similis erat. De Cithara in Scripturis frequens mentio, quam David tractabat, cum adhuc juvenis esset, & coram Saul canendo Spiritus nequam ab eo recedebat. 1. Samuel. 16. 23.

ולקח דוד את הכנור ונגן בידו ורוח לשאול וטוב לו וסרה מעליו רוח הרעה:

Et tollebat David Citharam, & pulsabat manu sua, & refrigerium erat ipsi Saul, & bene erat ei, recedebatque ab eo Spiritus malus.

De Cithara fit mentio in pluribus locis Sacræ Scripturæ, & Talmudis, quæ brevitati studentes studiose relinquimus.

Ex Pulsatilibus.

1. תוף *Toph Tympanum*. Instrumentum est notum, Chaldario simile, ex una parte planum & membrana clausum, quod baculo percutitur, & sonum reddit. De eo passim in Sacris literis; sed de illius forma nullum ex eis lumen habetur. Est aliud Instrumentum mulieribus in Italia familiare, quo in Cantilenis & saltationibus utuntur. Tympanum, & Cymbalum vocant. Circulus ligneus est, membrana item ex una parte clausum, qua digitis percussa gratus auribus præbetur sonus. Non absimilia his fuisse puto illa, quibus post transitum maris rubri Hebræorum mulieres cum Maria Canticum Domino cecinerunt. Exod. 15. ver. 20. Non enim verisimile est, mulieres classica Tympana pulsasse, vel pulsare potuisse: unde credibile est, diversa & multiplicia Tympanorum genera in usu fuisse apud antiquos Hebræos, alia majora adhibita in festis sacris, & a viris percussa; alia minora a mulieribus in aliis popularibus & profanis lætitiis usurpata, ut videmus 1. Sam. 18. 6. mulieres ex omnibus urbibus egressas in occursum Regis Saul בתופים *in Tympanis* cantando cum lætitia.

2. מנענעים *Menaanijm Sistra Instrumenta ænea*, sive *crepitacula* erant quæ percussa stridulum sonum edebant. De his fit mentio in 2. Sam. 6. 5. & de quibus R. David Kimchi dicit.

מנענעים הוא כלי ננון יניע אדם גופו בנגנו בו או הוא אשר בו יתרות ינועו בעת הננון וי"ת וכרביעין והם לוחות דקות יננגו בהם ובדברי רבותינו זכרונם לברכה רביעין של אליות פי' לוחות של מקוננות כי הלוחות החם ינגנו בהם ויקוננו:

Menaanijm est Instrumentum Musicum, ad cujus agitationem homo agitat corpus: vel quia in eo sunt clavi seu paxilli, qui moventur dum pulsatur. Et Jonathan vertit וברביעין *& in Reviin: Reviin enim sunt tabulæ graciles, quibus sonus editur. Et apud Doctores nostros b. m.* (legitur) רביעין של אליות *explica: Tabulas lamentatrices: quoniam has Tabulas pulsabant & lamentabantur*, scil. fœminæ lamentatrices tempore luctus. His usus est David & omnis populus cum luderent coram Arca Domini, ut loco nuper citato videre est.

3. צלצלים *Tzeltzelim Cymbala*, quæ & מצלתים *Metziltaim Tintinabula* dicuntur duali numero, ut 1. Paralipomenon 15. v. 29. Nehem. 12. v. 27. Cymbalorum sunt duo genera; alia dicuntur צלצלי שמע *Tziltzele sciamaa Cymbala sonora*; & alia צלצלי תרועה *Tziltzele theruah Cymbala jubilationis*, ex Ps. 150. 5.

Tziltzale sciamaa Cymbala sonora ex R. David Kimchi 2. Sam. 6. 5.

והם שני כלי נחשת שמקישין אותן זה בזה ומשמיעין קול:

Sunt duo Instrumenta ærea, quæ se invicem collidentia sonum reddunt. Item dicit in Comment. Psal. ultimo & in libro radicum, rad. צלל.

צלצלי תרועה *Tzeltzele theruah Cymbala jubilationis*, sunt Tabulæ metallicæ secundum mentem ipsius Kimchii, qui dicit illarum sonum intelligi debere על החצצרות *de Tubis æreis tarantaræ*. Utrumque Cymbalum magnum sonum emittebat, ita ut audiretur a Jerusalem usque Jerichum, ut legitur in משנה *Miscna* Cod. תמיד *Thamid* cap. 3. num. 8.

מיריחו היו שומעין קול הצלצל:

A Jericho audiebant sonum צלצל *Tziltzal Cymbali*. Jericho autem ab Jerusalem decem milliaribus distabat.

Quod strepitum & clangorem emitterent Cymbala, negari non potest, cum 1. Paral. 15. 19. legatur במצלתים נחושת להשמיע *In Cymbalis æneis* (concrepantes) *ad resonandum* (ad audire faciendum) sed quod illorum sonus ad decem milliaria audiretur, valde dissonum est.

De צלצל *Tziltzal Cymbalo* sub nomine צלצול *Tziltzul* fit mentio in Talmude Cod. ערכין *Arachin* cap. 2. pagina 10. b. post med. ubi hæc de eo leguntur.

צילצול היה במקרש של נחושת היה והיה קולו ערב ונפגם ושלחו חכמים והביאו אומנין מאלכסנדריא של מצרים ותיקנוהו ולא היה

קולו ערב נטלו את תיקונו והיה קולו ערב כמות שהיהי:

Tziltzul Cymbalum fuerat æneum in Sanctuario, & illius sonus erat suavis. Læditur: miserunt Sapientes, & adduxerunt artifices ex Alexandria Ægypti, & aptaverunt illud, & sonus illius non erat suavis: removerunt restaurationes, & factus est sonus illius suavis sicut prius.

Instrumentorum alia nomina Hebraica.

Alia Instrumentorum nomina habentur ex Scriptura. Sed quia vel sunt nomina generica omnium, vel plurium Instrumentorum, vel quia sunt Instrumentorum vulgarium, ideo ea inter Instrumenta Sacra, quorum usus in Sanctuario receptus erat, non connumeravi. Seorsim tamen in hoc loco recensenda sunt.

Primo sunt ea, quæ עצי ברושים *Atze berosćim Ligna Abietum* appellat Scriptura 2. Sam. 6. 5. *Ludebat David &c.* בכל עצי ברושים *in omnibus lignis abiegnis*, quia ex ברוש *Berosc Abiete* seu *Buxo* erant fabrefacta. Dixi seu *Buxo*, quia ברוש *Berosc* in *Ghemara* Cod. ראש השנה *Rosc hasciana* cap. 2. pag. 23. circa med. explicatur per ברתא *Berotha*, quam vocem R. Salomon ibidem vulgari lingua dicit vocari בוסו *Buxum*. Ex Buxo enim, vel consimili ligno, seu etiam abiegno confici solent Instrumenta Musicalia, ut notavit idem R. Salomon in Comment. ad loc. 2. Sam. 6. v. 5. בכל עצי ברוש *In omnibus lignis abiegnis*, seu *Buxeis*, ישמחקנין מהם כלי זמר *quia ex illis conficiuntur Instrumenta Musica* Constat igitur עצי ברושים *Atze berosćim* non alicujus Instrumenti esse nomen proprium, sed commune omnibus Instrumentis ligneis, ut etiam notavit R. David Kimchi ad eundem locum 2. Sam. 6. 5. cit. ubi sic ait.

אמר עצי ברושים לפי שכלי השיר עושה אדם אותם מברוש וכלל החלה בכל עצי ברושים ופרט אחר כן ובכנורות ובנבלים וכו׳:

Dixit lignis abiegnis, quia Instrumenta Musicalia fiunt ex Abiete (Buxo) *& prius in genere ponuntur in omnibus lignis abiegnis* (Buxeis) *& postea in specie; & in Citharis, & in Nabliis &c.* Itaque iterum concluditur, quod pro עצי ברושים *Atze berosćim Lignis Abietis*, vel *Buxi*, non est intelligendum aliquod Instrumentum speciale, sed generaliter omnia Instrumenta, quæ ex Abiete, vel Buxo fieri solent, uti Citharæ, Testudines, Tubæ, & alia id genus similia.

Secundo ponuntur מנים *Minnim* numero multitudinis ideo R. Salom. ad Psal. 150. 5. dicit מיני כלי שיר הם *esse species* (diversorum) *Instrumentorum Musicalium*. Et R. D. Kimchi in libro שרשים ad מן dicit eandem esse sententiam R. Saadiæ, ubi in fine sic habet.

והגאון רבי סעדיה פי׳ אותו כמו מינים כלומר במינים רבים מכלי הנגון:

Et excellens Rabbi Saadiah exponit (hunc locum Psalmi 150. 4.) *sicut* מינים *Minnim, quasi dicat, in speciebus multis Instrumentorum Musicorum*. Vox itaque במנים *Beminnim* vertenda est *In chordis*, diversorum scilicet Instrumentorum, ut bene vertit Vulgata. Non est igitur aliquod Instrumentum speciale quod vocetur מינים *Mennim*, trichordum, aut tetrachordum, ut vult Kircher. in Musurgia lib. 2. cap. 4. *de Instrumentis Hebræorum*. Sed מנים est vox, quæ universalitatem Instrumentorum Fidicinum, & polychordorum significat, ut supra ex autoritate Rabbinorum Salomonis, & Saadiæ dictum est, quicquid aliter Kimchio in mentem venerit.

Tertio, ובשלשים *Vuscialiscim*, *& in trifidis Instrumentis*. 1. Sam. 18. 6. Paraphrasis vertit ובצלצלין *Vutzeltzelin & in Cymbalis*. Cymbala autem diximus ex sententia Talmudistarum esse Instrumenta ænea, sed ex vi Hebraicæ vocis dicendum videtur fuisse Instrumenta Fidicina trium chordarum, ut putat etiam Kimchius in lib. Radic. ad שלשים quia quamvis dicat.

ובשלישים שירים נקראו כן לפי שיש להן מעלה על שאר הדברים כמעלת השרים על שאר בני אדם:

Et in Scialiscim (1. Sam. 18. 6.) *Cantica quædam vocantur sic, eo quia habent excellentiam super reliqua, veluti Princeps super homines.* Addit tamen.

או הם כלי נגון יש להם שלשה יתרים:

Vel sunt Instrumenta Musicalia quæ habent tres chordas. Inde colligitur hoc nomen שלשים *Scialiscim* esse nomen commune Instrumentis trichordis diversorum generum.

Et ista sunt Instrumenta, quorum usus receptus erat in Templo Jerosolymitano, quæ quamvis plurima esse videantur, David tamen Kimchius ad quinque genera reducit in principio explanationis Psalmi 4.

והכלים

והכלים שהיו בבית המקדש להלל הם נבלים כנרות ומצלחים ושופר וחצוצרות:

Instrumenta autem (inquit) *quæ erant in domo Sanctuarii* (in Templo) *ad laudes concinendas sunt, Nablia, Citharæ, Tintinabula, Buccina, & Tubæ.*

In Psalmo 149. 3. legitur: *Laudent nomen ejus* במחול *Bemachol.*

Quæritur ergo An מחול *Machol* sit Musicum Instrumentum.

Resp. Minime. Quia per *Machol* intelligitur *Chorus*, id est illa lætitia vocum diversorum hominum sibi ad invicem, & alternative respondentium, vel etiam ludentium, & saltantium, ut explicant LXX. Ps. 30. 12. *Convertisti planctum meum* למחול *Lemachol in Chorum. In gaudium* ipsi verterunt. At Kircher. lib. 2. *de Musica Hebræorum* cap. 4. in *Musurgia.* מחול *Machol* quod מחול *Machul* vocat, vult esse Instrumentum sex chordis instructum. Ab eadem radice חלל, a qua prodit מחול, emergit etiam חליל *Chalil*, de quo hæc accipe.

חליל *Chalil* est Instrumentum Musicum oblongum, & cavum: nam חלול *Chalul*, a quo deducitur, *concavum* sonat, quod hoc modo scriptum bis tantum reperies in Sacris Bibliis. Primo apud Isaiam 5. 12. & secundo apud eundem 30. 29. Utrumque locum noster Interpres *Tibiam* vertit. Hebræi volunt esse Tympanum, Italice *Tamburro*; & de hoc Tympano intelligunt illud משנה *Miscnæ* Codice ערכין *Arachin* cap. 2. n. 3. ולא היה מכה באבוב quod in אבוב *Abub* afferam & explicabo. Interim ex utroque loco Isaiæ colligitur חליל *Chalil* fuisse profanum Instrumentum in publicis Choreis & lætitiis usurpatum: verum ex *Miscna* & *Ghemara* habemus, quod fuerit duplex חליל *Chalil* profanum unum, & sacrum alterum. Profanum adhibitum in gaudiis & lætitiis secularibus, & in luctu ac neniis mortuorum; sic legimus in *Miscna* Cod. בבא מציעא *Bava Metziaa* c. 6. n. 1.

מכר את החמור ואת הקרך להביא פרפריז וחלילים לכלה או למת:

Qui conducit Asinum, aut aurigam ad advehendum edulia, & חלילים *Chalilim Tibias pro Sponsa, aut pro mortuo,* hoc est pro lætitia tempore nuptiarum, aut pro luctu funebri. Item in Codice שבת *Sciabbath* capite 23. n. 4.

נוי שהביא חלילין בשבת לא יספור בהן ישראל:

Gentilis si afferat חלילין *Chalilin Tibias in Sabbatho non planget illis Israelita.* De hoc Tibiarum duplici usu, in lætitiis & luctu, videtur aliquid innui apud Matth. 11. 17. *Cecinimus vobis* (Tibiis gaudii) *& non saltastis; lamentavimus* (Tibiis mœroris) *& non planxistis.* Et cap. 9. 23. *Et cum venisset Jesus in domum Principis, & vidisset Tibicines &c. dicebat: Recedite: Non est enim mortua puella &c.* Constat ex his, quod חליל *Chalil* profanum fuerat Instrumentum. Quod etiam adhibitum fuerit in rebus sacris, habetur ex eadem משנה *Miscna* Cod. ערכין *Arachin.* c. 2. n. 3. ubi de oblationibus & sacrificiis quæ fiebant in Sanctuario, hoc modo loquitur.

אין פוחתין משני חלילין ולא מוסיפין על שני עשר ובשנים עשר יום בשנה החליל מכה לפני המזבח בשחיטת פסח ראשון ובשחיטת פסח שני וביום טוב ראשון של פסח וביום טוב של עצרת ובשמונה ימי החג וכו':

Non utuntur paucioribus, quam duabus חלילין *Chalilin Tibiis, & non pluribus, quam duodecim; & in die duodecimo anni* חליל *Chalil pulsatur coram Altari, dum mactatur Pascha primum, & dum mactatur Pascha secundum: in die festo primo Paschatis; & in die festo* עצרת *Atzereth Retentionis; & in octava solemnitatis &c.* De iisdem Tibiis Sanctuarii agitur in גמרא *Ghemara* eodem Cod. ערכין p. 10. b. circa medium, cujus verba referam paulo infra in אבוב *Abub*.

Sacer usus חלילין *Chalilin Tibiarum* non solum erat in Sanctuario, ubi victimæ mactabantur, sed etiam in domibus privatis, quando communes lætitiæ agebantur pro die festo, & tunc reputabantur Instrumenta sacra, quia pro re sacra, & præcepto adimplendo assumebantur. Sic in die festo Tabernaculorum solebant ditiores in propriis ædibus Tibiis canere in honorem festi, uti fiebat in quodam loco vocato שואבה *Sioavah*, cujus Tibiæ, utpote ad cultum Divinum destinatæ non pellebant Sabbathum; de quo loco sic ait משנה *Miscna* Cod. סוכה *Succa* cap. 5. in principio.

הכליל חמשה וששה זהו חכליל של בית השואבה שאינו דוחה לא את השבת ולא את יום טוב:

Tibia, qua clangitur per quinque, vel per sex dies, ista est Tibia Domus שואבה *Scioava, quæ non pellit Sabbathum, neque diem festum.* Quam magna fuerit solemnitas, & lætitia, quæ in *Domo Scioava* per

per diem festum Tabernaculorum habebatur, ostenditur in eadem *Miscna*, & eodem loco, ubi hæc verba subjunguntur.

כל מי שלא ראה שמחה בית השואבה לא ראה שמחה מימיו:

Quicunque non vidit lætitiam Domus Scioava, non vidit lætitiam in diebus suis. Ex hac Domo ad Templum usque, in exitu diei festi, primi a solemnitate, maxima, & admodum populorum multitudine numerosa instituebatur processio, in qua Dei laudes canebant Sacerdotes & Levitæ, de qua fit mentio in eodem Codice, & placet hic exscribere verba textus, ut appareat quam vetustus sit ritus, sacros Hymnos canendi per vias; & unde originem ducant sacri incessus Cleri & populi, qui communiter *Processiones* appellantur. Verba *Miscnæ* in eodem Codice *Succa* capite 5. numero 2. 3. & 4. sunt.

במוצאי יום טוב הראשון של חג היו יורדין לעזרת נשים ומתקנין שם תיקון גדול ומנורות של זהב היו שם וארבע ספלים של זהב בראשיהן וארבע סולמות לכל אחד ואחד (על כל מנורה ומנורה) וארבעה ילדי׳ מפירחי כהונה ובידיהם כדי׳ של שמן של מאה ועשרים לוג שהן מטילין לכל ספל וספל: נ׳: מבלאי מכנסי כהני׳ ומהמייניהן מהן היו מפקיעין ובהן היו מדליקין לא היתה חצר בירושלם שאינה מאירה מאור בית השואבה: ר׳: חסידי׳ ואנשי מעשה היו מרקדים לפניהם באבוקות של אור שבידיהן ואומרים לפניהן דברי שירות ותושבחות והלוים בכנורות ובנבלים ובמצלתי׳ ובחצוצרות ובכלי שיר בלא משפר על חמשה עשר מעלות היורדות מעזרת ישראל לעזרת נשים כנגד חמשה עשר שיר המעלות שבתהלים שעליהן לוים עומדין בכלי שיר ואומרים שירה עמדו שני הכהנים בשער העליון שיורד מעזרת ישראל לעזרת נשים ושתי חצוצרות בידיהן קרא הגבר תקעו והריעו ותקעו הגיעו למעלה עשירית תקעו והריעו ותקעו הגיעו לעזרה ותקעו והריעו ותקעו היו תוקעין והולכין עד שמגיעין לשער היוצא למזרח הגיעו לשער היוצא ממזרח הפכו פניהן למערב ואמרו אבותינו שהיו במקום הזה אחוריהם אל היכל יהוה ופניהם קדמה והמה משתחוים קדמה לשמש ואנו ליה עינינו רבי יהודה אומר היו שונין ואומרין אנו ליה וליה עינינו:

In exitu diei festi primi solemnitatis descendebant in atrium mulierum, & ibi ordinabant Processionem magnam, & candelabra aurea erant ibi, & quatuor simpula aurea in capitibus suis (candelabrorum) *& quatuor scalæ* (innixæ erant) *unicuique ex eis* (aliud exemplar, *cuilibet candelabro*) Ghemara ibidem pag. 52. b. circa fin.

ארבעה סולמות כו׳: תנא גובהה של מנורה חמשים אמה וכו׳:

Quatuor scalæ &c. est traditio; altitudo istorum candelabrorum erat quinquaginta cubitorum.) Erant itaque hujusmodi candelabra instar Turrium, in quarum summitatibus fanalia ardent tempore alicujus solemnitatis. *Et quatuor Juvenes Sacerdotio initiandi* (tenebant) *manibus suis vasa olei* (capientia) *centum viginti sextarios.* Ghemara ibidem.

איבעיא להו מאה ועשרים לוג כולהו או דילמא לכל חד וחד תא שמע ובידיהם כדי שמן של שלשים שלשים לוג שהם כולם מאה ועשרים לוג:

Interrogavit illos: Centum & viginti sextarii inter omnes, an forsan unicuique ex illis? Veni, vide. Et in manibus eorum Cadi Olei triginta sextariorum, qui omnes simul centum & viginti sextarios conficiunt. (Oleum) *imponebant in simpulis. Ex fœmoralibus Sacerdotum vetustis, & ex illorum baltheis ellychnia conficiebant, & incendebant. Nullum atrium Jerosolymis erat, quod non illuminaretur ab igne Domus Hascioava. Quatuor homines pii, & operibus bonis præstantes faces accensas præ manibus tenentes saltabant, Canticorum & Hymnorum laudes decantabant; idem Levitæ faciebant Citharis, Nabliis, Tintinabulis, Tubis, & aliis Instrumentis Musicis sine numero super quindecim gradus qui descendebant ab atrio Israelitarum ad atrium mulierum, respectu quindecim Canticorum Graduum, quæ reperiuntur in libro Psalmorum: Super ipsis consistebant Levitæ cum Instrumentis Musicis, & Canticum cantabant: erecti stabant duo Sacerdotes in porta superiori, qua descenditur de atrio virorum ad atrium mulierum, & duas Tubas præ manibus tenebant. Ad Galli cantum.* (matutino scilicet tempore) *clangebant fixo seu æquali sono, & postea fracto, & iterum æquali sono ut prius. Pertingebant ad gradum decimum: clangebant fixo, & fracto, & fixo sono. Perveniebant ad atrium; clangebant æquali, & fracto, & æquali sono. Itaque clangebant, & ambulabant, quousque pervenirent ad portam, per quam egrediebatur ad Orientalem plagam. At ubi perventum erat, vertebant faciem ad Occidentem, & dicebant: Patres nostri, qui* (olim) *fuerunt in hoc loco, terga vertebant ad Templum Domini, & facies eorum ad Orientem, & ad Orientem incurvabant se, & Solem adora-*

rabant; nos autem ad Deum (vertimus) *& sunt oculi nostri. R. Judas dicit: Iterabant, & dicebant: Nos ad Deum* (vertimus) *& ad Deum sunt oculi nostri.*

Notandum: In hac solemnissima *Processione*, sex fuisse observata. Primo, *Stationem*, & locum quendam electum, ubi multitudo conveniret. Secundo, hunc locum fuisse *illuminatum* adeo, ut lumen, ex candelabrorum altitudine, ubi Lampades Olei quantitate, & ellychniorum crassitudine, tanquam faces ardebant, per universam urbem etiam diffunderetur. Tertio, ut ex hoc loco ad Templum usque *Processio* ordinate procederet, homines seorsim a mulieribus incedebant, שלא *Ne* (ut Glossa עץ החיים *Etz hachaiim* ibidem explicat ex Talmude) יבואו לידי קלות ראש *daretur occasio levitatibus*. Et hoc est quod dicitur: *Descendebant in atrium mulierum, & ibi ordinabant ordinationem, seu Processionem magnam.* Quarto, quod in hac *Processione*, dum incederet multitudo, Seniores populi in honorem festi, & usum nocturni luminis *intortitia accensa* in manibus gestabant, subsiliendo interim, & laudes Deo canendo. Quinto, hanc *Processionem* fuisse ordinatam *ad Galli cantum matutinum*, paulo ante auroram; quo sane tempore animus (post somni quietem) recreatus, alacrior, & ad psallendum promtior est. Hinc etiam Ecclesia nos invitat, ut *surgamus strenue*, nam *Gallus jacentes excitat, & somnolentos increpat.* Sexto, in hac *Processione* adhibitos fuisse *sonos* diversorum Instrumentorum, Psalmos Graduales in singulis *gradibus* Templi fuisse decantatos, & *Stationes* varias peractas. Quæ omnia, si bene perpendantur, fiunt in nostris Processionibus. Licet enim ceremonialia veteris Synagogæ per adventum Christi cessaverint: nam præsente figurato figura desinit, & Sole adveniente umbræ fugantur; nihilominus in potestate ipsius Ecclesiæ est, quasdam ex illis ceremoniis seligere, in testimonium jam nobis exhibiti Messiæ, & in laudem ipsius usurpare, quemadmodum etiam licuit nonnullas a Gentibus ceremonias desumere, & in bonum & sanctum usum ex malo & profano commutare, sicut factum est de aqua lustrali, vestimentis sacris, Incensi, Thymiamatis, & aliorum suffimentorum usu, quæ omnia sicuti apud Gentiles, ita & apud Hebræos in usu erant. Inde etiam colligitur, non esse damnandum usum, qui jam ab antiquo tempore apud aliquas Nationes invaluit, coram Sanctissimo Corporis Christi Sacramento dum in Processionibus defertur, subsiliendi atque saltandi; quod tamen summa gravitate & modestia fieri debet, exclusis omnino mimorum & gesticulatorum actibus, & gestibus; non tamen permitti debet passim & ubique, potissimum in illis locis, ubi hactenus hujusmodi usus non est introductus. Collige etiam, licitum esse, dum per viam inceditur, & per gradus scanditur, maxime si hoc processionaliter fiat, Psalmos, vel alias Laudes spirituales modulari, uti olim Psalmos Graduales decantabant Seniores & Sacerdotes, dum gradus Templi ascendebant. Hinc aliqui dixerunt: Davidem Spiritu prophetico hos Psalmos composuisse, quia prævidit super quindecim his Templi gradibus fore cantandos, ideo & Graduum Cantica nominavit; quod & verum esse potuit. Reiiciendi ergo sunt Talmudistæ docentes in Codice סוכה *Succa* cap. 5. pag. 53. Davidem abyssum demersisse, & postea, pronunciatis quindecim graduum Psalmis, revexisse in locum suum. Quam fabulam referemus infra, dum de Psalmis Gradualibus agemus, in quinta Laudum specie Psalmorum, quæ שיר *Scir Canticum* nuncupatur.

Sunt & alia Instrumenta, de quibus fit mentio in Scripturis, quæ cum sint omnino profana, & in usu, vel vulgari, vel etiam ad cultum Idolorum adhibita, exclusa semper fuerunt a ministerio sacro. Ea sunt, quæ in libro Danielis leguntur cap. 3. ver. 5.

בעדנא די תשמעון קל קרנא משרוקיתא קיתרום סבכא פסנתרין סומפניה וכל זני זמרא וגו':

In tempore, quo audieritis vocem Cornu, Fistulæ, Citharæ, Sambucæ, Psalteriorum, Symphoniæ, & omnium specierum cantus, &c.

Primo, Ergo est קרנא *Karna Cornu*, videtur respondere קרן *Keren* Hebræorum, vel etiam שופר *Sciophar Buccinæ*. Sed religione unum ab altero secernitur, cum nefas esset uti Cornu profano in Hebræorum Sacris, quia ritu peculiari hæc Instrumenta cultui veri Dei dedicabantur. Hoc item dicendum est de aliis sequentibus Instrumentis.

2. Est משרוקיתא *Mascrokitha Fistula* a sibilando sic dicta: nam a verbo שרק *Scierak* quod est *sibilare*, deducitur.

3. קיתרום *Kathros Cithara*, vel etiam *Tympanum*; stat enim aliquando pro Hebraico תוף, ut Isai. 5. 12.

4. סבכא *Sabecha Sambuca*.

5. פסנתרין *Pesantherin Psalteria*.

6. סומפניה *Sumponiah Symphonia*, Instru-

strumenta sunt Musica diversorum generum, quæ cum omnia simul artificiose pulsantur, harmonicum & gratissimum sonum reddunt. Quandoque pro certo quodam Instrumento usurpatur, forte pro *Sampunia* Italica.

Sunt & nonnulla insuper Instrumenta Chaldaicis vocibus expressa in Paraphrasibus Sacrorum Bibliorum, quæ cum Hebraica Instrumenta ad sacrum cultum assumpta Chaldaice plerumque reddant, pro iisdem Instrumentis Hebraicis non raro accipienda sunt, uti.

1. אבוב *Abub*, vel אבובא *Abuba* correspondet ut plurimum עוגב *Vugau Organo* Hebraico. Numero plurali אבובין *Abubin Organa*. Psal. 150. Aliquando sumitur pro Instrumento profano חליל *Chalil Tibia*, ut Isai. 5. 12. וחליל *Vechalil & Tibia*, Chaldaicæ אבובא *Abuba Tibia*, quamvis חליל in *Miscna* pro Instrumento Sanctuarii usurpetur, ut supra dictum est.

אבוב *Abub* ut Instrumentum ad Sanctuarium pertinens, legitur in Talmude Codice ערכין *Arachin* cap. 2. pag. 10. b. circa medium, his plane verbis.

תנו רבנן אבוב היה במקדש חלק היה דק היה של קנה היה ומימות משה היה צוה המלך וציפוהו זהב ולא היה קולו ערב נטלו את ציפויו והיה קולו ערב כמות שהיה:

Tradiderunt Magistri (nostri) *Abub fuit in Sanctuario* (in Templo Salomonis) *planum erat, tenue erat, arundineum erat, a diebus Mosis erat; præcepit Rex ut obtegeretur auro, & non fuit sonus ejus suavis; removerunt tegmen, & restitutus est sonus illius suavis ut prius.*

Volunt Hebræi moderni אבוב *Abub* esse baccillum, quo Tympana percutiuntur, & hunc esse vel æreum, vel ligneum, seu potius arundineum, Hoc baccillo arundineo volunt percussa fuisse חלולין *Chalilin Tympana* in Sanctuario (nam *Chalilin Tympana* vertunt) & locum illum *Miscnæ*, Codice eodem *Arachin* c. 2. n. 3. hoc modo interpretantur.

ולא היה מכה באבוב של נחושת אלא באבוב של קנה מפני שקולו ערב ולא היה מחליק אלא באבוב יהידי מפני שהוא מחליק יפה:

Et non percutiebat (חליל Chalil Tympanum) באבוב *Abub cum baccillo æneo, sed cum baccillo arundineo, quia sonus istius est suavior; & non blanditur* (id est læniter & blande membranam Tympani palpant) *nisi unico baccillo, quia eo pulchrius blanditur.* Hæc Rabbinorum expositio videretur plana, & literæ admodum consona, nisi obstaret alia *Ghemaræ* explanatio ad eundem locum pag. 10. b. paulo post medium, qua videtur חליל *Chalil*, & אבוב *Abub* esse duo genera Instrumentorum; non vero esse *Abub* baccillum Tympani. Ad præfatam *Miscnam*.

ולא היה מכה באבוב של נחושת וכו':

Et non percutiebat באבוב *in Abub æneo*. Ita legitur in *Ghemara*.

פתח בחליל ומסיים באבוב אמר רב פפא היינו חליל היינו אבוב ואמאי קרו ליה חליל דיחלי קליה:

Incipiebat cum חליל *Chalil, & desinebat cum* אבוב *Abub. Dixit Rau Pappa: Hoc est* חליל *Chalil, & hoc est* אבוב *Abub* (id est, aliud est Chalil, aliud Abub) *Et cur vocarunt Chalil? Quia dulcis est ejus sonus.* De חליל *Chalil* vide quæ dicta sunt supra pagina 194. In eodem Cod. ערבין *Arachin* cap. 2. pag. 10. b. linea ultima describitur quoddam Instrumentum dictum מגריפה *Magrepha* non dissimile a nostro Organo; decem regesta illi attribuunt, quæ foramina vocant: Calamos adeo in eo replicant, ut ad numerum millenarium pertingant, sub nomine diversarum vocum nuncupatos, quorum sonum ita fortissimum fuisse dicunt, ut cum pulsaretur Jerosolymis in Templo, audiretur in Urbe Jericho decem milliaribus distante, Verba Talmudis sunt.

מגריפה הייתה במקדש עשרה נקבים היו בה כל א' וא' מוציא עשרה מיני זמר נמצא כולה מוציאה מאה מיני זמר: במתניתא תנא היא אמה וגבוה אמה דקתא יוצא הימינה ועשרה נקבים היו בה כל אחד מוציא מאה מיני זמר נמצאת כולה מוציאה אלף מיני זמר אמר רב נחמן בר יצחק וסימניך מתניתא גוזמא:

Magrepha fuerat in Sanctuario, Glossa.

פי' בקונטרים שנורפין בה הרשן וקשה דהא חיתה כלי זמר אלא נראה לפרש דשני מיני מגריפות היו אחת לרשן ואחת של שיר:

Explicatur in quaternione (Rasci, quod ita vocetur) *quia eo* (Instrumento) *everrebant cinerem* (de Altari) *sed hoc est impertinens, cum fuerit Musicum Instrumentum. Sed videtur posse exponi, quod fuerint duæ species Magrephoth, una pro cinere, alia pro Musica. decem foramina habe-*

bebat. Ex quolibet ex istis exibant decem species soni. Juvenitur, omnes fuisse centum species modulationum. Glossa.

עשרה נקבים היו בה ובכל נקב היה קנה אחד ובכל קנה וקנה היו בו עשרה נקבים ובכל נקב של קנה הוציא מין זמר נמצארת כולם מוציא ק' מיני זמר ואמה גבוהה:

Decem foramina erant in (Magrepha) *& in quolibet foramine erat calamus, & in quolibet calamo erant decem foramina, e quibus singulis egrediebatur una species soni. Centum igitur inveniuntur species modulationum. In Baraietha est traditio, quod fuerit unius cubiti, & altitudo illius unius cubiti. Manubrium egrediebatur e dextera ejus, & decem foramina erant in eo. Ex quolibet egrediebantur centum species melodiæ. Initur numerus omnium; ut reperire est, continet mille species modulationum. Dixit Rau Nachman Bar Isaaci, & signum tuum est ipsa Baraitha*, Glossa.

וסימניך שלא חטעה מי אמר מאה ומי אמר אלף:

Et signum tuum, quod non errabit, si quis dixerit centum, aut mille.

מתניתא גושמא דרך משניות לשנות גושמא:

Baraitha Gusma: Miscnaiioth seu Baraithoth docent hyperbolica. Ista non erunt hyperbolica, si ad regesta & calamos secundum formam nostrorum Organorum redigantur, quæ aliquando numerum Ghemaræ transcendunt. Sed quia Cod. תמיד *Tamid* cap. 3. num. 8. in *Miscna* dicitur.

מיריחו היו שומעין קול המגריפה:

A Jericho audiebatur sonus Hammagrepha hujus Organi, ab hyperbole & fabula non excluditur.

Sunt & alia, quorum sonum, sive vocem dicunt etiam fuisse auditam ab Urbe Jericho decem milliaribus ab Jerusalem distante. Horum Catalogum contexunt in *Miscna* loco nuper citato in Cod. *Tamid*, & est.

א': מיריחו היו שומעין קול שער הגדול שנפתח:
ב': מיריחו היו שומעין קול המגריפה:
ג': מיריחו היו שומעין קול העץ שעשה בן קטין מוכני לכיור:
ד': מיריחו היו שומעין קול גביני כרוז:
ה': מיריחו היו שומעין קול החליל:
ו': מיריחו היו שומעין קול הצלצל:
ז': מיריחו היו שומעין קול השיר:
ח': מיריחו היו שומעין קול השופר:
ט': מיריחו היו שומעין קול כהן גדול השעה שהוא מזכיר את השם ביום הכפורים:
י': מיריחו היו מריחים ריח פטום הקטורת וכו':

1. *A Jericho audiebant sonum Portæ majoris* (Templi) *dum aperiretur.*

2. *A Jericho audiebant vocem Hammagrepha Organi.*

3. *A Jericho audiebant vocem ligni, quod fecerat Ben Kattin machinæ ad labrum æneum* (amovendum).

4. *A Jericho audiebant vocem Ghevini Præconis:* nomen proprium est cujusdam viri, qui festa, & officia in Templo peragenda indicebat alta voce.

5. *A Jericho audiebant sonum Chalil Tibiæ.*

6. *A Jericho audiebant sonum Cymbalorum.*

7. *A Jericho audiebant vocem Cantici.*

8. *A Jericho audiebant sonum Buccinæ.*

9. *A Jericho audiebant vocem Sacerdotis Magni, quando nominabat nomen Dei* τετραγράμματον *in die expiationum.*

10. *Usque Jericho pertingebat odor mixturæ suffimenti.*

Omnia ista inter reliquas Talmudis fabulas connumeramus.

In eodem Cod. ערכין *Arachin* cap. 2. pag. 10. b. lin. 4. ante finem, fit mentio de quodam Instrumento Musico Hydraulo, quod vocant הרדולים *Hardavalim*, de quo ita inquit *Ghemara*,

וכן היה רבי שמעון בן גמליאל אומר הרדוולים לא היה במקדש מאי חרדווה אמר אביי טבלא גורגרנא מפני שקולו ערב ומערבב את הנעימה:

Et sic dicebat R. Simeon Ben Gamaliel: Hardavalim non erat in Sanctuario, Quid est Hardava? Dixit Avi: Tabula est Organica, quia sonus ejus est confusus, & conficit omnem harmoniam. In Talmude Jerosolymitano Cod. סוכה *Succa* pag. 55. col. 3. הלכה *Halacha 6.* scribitur cum א in principio, ב in medio, & ס in fine, & dicitur, quod sit idem cum עוגב *Vugau Organo.*

רבי שמעון בן לקיש אמר עוגב זה ארדבלס: תני רבן שמעון בן גמליאל לא היה ארדבליס בירשלים מפני שהוא סורח את הנעימה:

R. Simeon Ben Lakisc dixit: עוגב *Vugau est Ardevalas. Tradidit Rabban Simeon Ben Gamaliel: Non fuit Adarualis Jerosolymis, quia fœtidam reddit harmoniam.* In utroque loco tam חרדוולים, quam

quam ארדבלים videtur vocabulum corruptum ex Græco ὕδραυλις *Hydraulis* ר in locum ד transpoſito; ſi n. ſcriberetur הדרוולים vel ארדבלים, vox ſuæ origini reſtitueretur. *Hydraulis* enim Organum eſt, quod ad aquæ decurſum ſonum edit. Non ignotum fuit Græcis atque Romanis, ſed multo prius in uſum apud Hebræos fuiſſe, ex locis modo allatis videre eſt, quamvis in Sanctuarium propter illius ſoni inſuavitatem non fuerit receptum. Non igitur intelligendus eſt locus Talmudis Jeroſolymitani de עוגב *Vugau Organo* Sanctuarii, ſed de alio quocunque Inſtrumento Organico vulgi. Vox enim iſta הרדוולים *Hardevalim* valde ampliatur, & depravatur a Rabbinis. In *Bereſcith Rabba* פרשה *Paraſcia* 23. pag. 27. col. 1. lin. 5. ante fin. ſumitur pro Cithara, & legitur ארדיכלין *Ardicalin*: nam כנור ועוגב *Chinnor Vevugau* vertuntur ארדיכלין וסורבלין *Ardicalin ve Sorbalin*. Autor מתנות כהונה ibidem non explicat quid ſint, ſed tantum dicit, quod.

פי"רשי מיני כלי זמר הן וכן פי' הערוך ערך הירדלום:

Raſci explicat eſſe ſpecies Inſtrumentorum Muſicalium. Et eodem modo facit autor ערוך *Aruch ad vocem* הורדלום. Hoc tamen notandum pro וסורבלין quod legitur in editione Bombergii Veneta, in Amſtelodamenſi cum Commento legitur ובורבלין, de quo ſtatim.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, colligendum eſt: Hydraulica Organa, etiam tempore Ædis primæ nota fuiſſe Hebræis: ſed non ad uſum ſacrum recepta. Confundi aliquando cum Organo & Cithara: ſed intelligendum eſt de Organo & Cithara vulgi, non autem Sanctuarii.

בורבלין *Burbelin* autem, ſeu כרבלין *Carbalin*, סורבלין *Surbalin*, vel etiam כרבלין *Curbalin* pro eodem Inſtrumento ſumuntur. In בראשית רבה *Bereſcith Rabba* editionis Amſtelodamenſis cum Commento in fol. ſect. 23. pag. 27. col. 1. circa finem pro בורבלין ſcribitur סורבלין *Surbalin*, cum in edit. Veneta Bombergii p. 13. col. 3. ſcribatur בורבלין *Burbalin*. Et in utraque editione ſect. 50. ſcribatur כורבלין *Curbalin*, in utroque loco conjungitur cum alio nomine: in primo cum ארדיכלין *Ardicalin*, & in ſecundo cum ארדבולין *Adarculin*. Gloſſa vero מתנות כהונה utrumque explicat: primum per מיני כלי זמר *ſpecies Inſtrumenti Muſici*, & ſecundum per מיני זמר *ſpecies Symphoniæ* citato *Raſci*, & Autore ערוך ad vocem הורדלום. Cum enim primus locus ſit expoſitio textus Gen. 4. 21. *Et nomen fratris ſui Jubal; ipſe fuit pater omnis apprehendentis* כנור ועוגב *Citharam, & Organum*, ſequitur, quod primum vocabulum correſpondet *Citharæ*, & ſecundum *Organo*. Igitur vox סורבלין *Surbalin*, quæ correſpondet כרבלין *Curbalin*, Organum ſignificabit. Niſi fortaſſe quis dicere velit, vocem כרבלין *Curbalin* corruptam eſſe a Græca κρέμβαλα *Crepitacula*. Sane quidem omnes fere conſonantes (dempta terminatione Chaldaica ין) in כרבלין inveniuntur, ac in κρέμβαλα. Veroſimile itaque eſt, unum vocabulum ab altero derivari, vel Chaldaicum a Græco, vel Græcum a Chaldaico, & סורבלין *Surbalin*, ſicut & בורבלין *Burbalin* ex utroque fuiſſe depravatum.

Ex dictis collige, Pſalmos ſex Inſtrumentorum generibus fuiſſe decantatos ſuper.

1. שופר *Sciophar Buccina;*
2. נבל *Nevel Pſalterio;*
3. כנור *Chinno: Cithara;*
4. תוף *Toph Tympano;*
5. עוגב *Vugau Organo;* &
6. צלצלים *Tziltzelim Cymbalis.*

Quamvis Kimchius in Comment. ad Pſ. 4. circa principium non numeret niſi tantum quinque, dum dicit.

והכלים שהיו בבית המקדש להלל הם נבלים וכנרות ומצלתים ושופר וחצוצרות:

Et Inſtrumenta, quæ in Domo ſanctitatis ad laudandum erant, ſunt.

1. נבלים *Nevelim Nablia;*
2. כנרות *Chinneroth Citharæ;*
3. מצלתים *Metzilthaim Cymbala Tintinnabula;*
4. שופר *Sciophar Buccina;* &
5. חצוצרות *Chatzotzeroth Tubæ:*

Non numerat תוף *Toph Tympanum*, & עוגב *Vugau Organum*, quia ea vel confundit cum aliquibus ex numeratis, vel poſtquam numeraverat, memoria exciderunt, unde paulo poſt, Symphonicorum concentuum nominibus recenſitis, addit.

ויש נקרא מן הכלים עשור: ויש עוגב: ויש מינים: וכל אחד חלוק בנגנתו כמו שהוא ידוע אצל בעלי החכמה:

Et ex ipſis Inſtrumentis eſt aliquod, quod vocatur עשור *Aſcior, aliud* עוגב *Vugau, aliud* מינים *Minnim. Et unumquodque dividitur in ſuam melodiam, ſecundum quod notum erat apud hujus Muſicæ artis peritos.* תוף *Toph Tympanum* autem nullo

lo modo inter prædicta Instrumenta connumerat, & male quidem, cum habeamus ex Ps. 150. 4. *Laudate eum* בתוף *in Tympano*.

Interim dum Instrumenta pulsabantur, Cantorum aliquot, vel omnes simul, Psalmos canebant; vel alternative versiculos modulabantur tantum voce, nulla corporis parte mota; vel cum voce corpore pariter ludebant, & saltabant. Quod manifestum est ex voce מחול *Machol*, qua *Chorus* ludentium, & multitudo saltantium proprie significatur. Cætera vero Instrumenta, quæ in Templo Jerosolymitano erant, in usum assumebantur quando Sacerdotes in solennitatibus, & diebus festis Sacra faciebant, quamvis ab his functionibus non essent exclusa Instrumenta pro Psalmis præcinendis præcise deputata.

Quæres: Quibus Tonis, seu modulationibus, & symphoniis Psalmi fuerint decantati in Veteri Lege?

Resp. Non satis liquet, quo modulamine, sive Tono fuerit concentus Psalmorum; sed certum est, eos iisdem Instrumentis jam enumeratis fuisse decantatos, secundum speciem soni appropriatam Instrumento ipsis Cantoribus eo tempore bene notam: ad nutum מנצח *Menatzeach Præcentoris*, sive Præfecti Musices, qui Psalmos aliis cantandos distribuebat, Psalmorum erat modulatio. De מנצח *Menatzeach Præcentore* Kimchius in principio Psalmi 4. ita loquitur.

ונראה כי המנצח הוא אשר היה על המשוררים ועל ידי המנצחים היו נאמרים המזמורים והיו נותנים אותם למנגנים ולמשוררים:

Et videtur, quod מנצח *Menatzeach sit ille, qui erat* (Præpositus) *super Cantores. Porro secundum hujus* מנצחים *Menatzechim Præpositos dicebantur* (modulis enunciabantur) *Psalmi, & dabantur pulsatoribus* (Instrumentorum) *& Cantoribus*. Huic Musicæ Præfecto, quem Itali vocant *Mastro di Capella*, David Psalmos tradebat, ut ad nutum ipsius cantarentur. Hinc quamplures Psalmos videmus a voce למנצח *Lamnatzeach* incipere, quæ a D. Hieronymo, & ab aliis nonnullis vertitur *Victori*, aut *Vincenti*, ac si diceret ei, qui alios vincit in opere suo, & aliis præest, illi committantur Psalmi, ut pro sua voluntate *perpetuo* & usque *in finem* canantur. Huc respexisse videntur LXX. quando eandem vocem εἰς τὸ τέλος *in finem* transtulerunt, quamvis Chaldæus Paraphrastes לשבחה *Lesciabecha ad laudandum* verterit, cui præintelligendum est, *Præcentori*, seu *Magistro Capellæ*, ut vocant; & subintelligitur *Dominum*. Quasi dicat: *Præcentori* sit curæ, ut a Cantoribus & super Instrumentis hujusmodi Psalmi in *Domini laudem*, cantentur usque in finem. Ista vero Musica Instrumenta erant distincta secundum varias modulationes, & Tonos eis notos, ex quibusdam vocibus, quæ in titulis quorundam Psalmorum etiam hodie inveniuntur, ut advertit Kimchius, & numerat in titulo Psalmi quarti his verbis:

והיו הכלים נחלקים על נגינות ידועות אצלם יש מהנגינות הנקרא עלמות כמו שכתוב (דה: א׳ ט״ו: כ׳:) בנבלים על עלמות וכתוב (תלים מ״ו: א׳:) על עלמות שיר: ויש שנקרא נגינות ובו היה נאמר זה המזמור: ויש מהם נקרא משכיל ויש מהם נקרא מכתם: ויש שגיון: ויש מהם נחילות ויש שגיונות ויש גיתית:

Et erant Instrumenta divisa secundum varias melodias apud illos notas. Ex his autem melodiis, seu variis pulsationiqus Instrumentorum quædam vocabatur 1. עלמות *Alamoth, quemadmodum scriptum est* (1. Paralip. 15. 20.) In Nabliis (cantabant) super Alamoth. *Scriptum est etiam* (Psalmo 46. v. 1.) Super Alamoth Canticum. *Quædam alia vocatur* 2. נגינות *Neghinoth, & ad hanc* (melodiam) *dictus est* (decantatus est) *hic Psalmus. Alia appellabatur* 3. משכיל *Maschil. Alia* 4. מכתם *Michtam. Alia* 5. שגיון *Scigaijon. Alia* 6. נחילות *Nechiloth. Alia* 7. שגיונות *Sceghijonoth. Alia* 8. גיתית *Ghithith.* Hactenus Kimchius.

De his omnibus in hoc loco aliquid dicemus. Et quoniam sunt octo species modulationis, non incongruum erit eas octo Tonis Musicalibus nostris applicare: nam & Instrumenta suos Tonos habent, quibus, quod canitur, manifestatur, & animi affectus moventur; dicente Apostolo 1. ad Corinth. 14. 9. *Etiam ea, quæ sine anima sunt, vocem dantia, sive Tibia, sive Cithara, nisi distinctionem* (diversos Tonos) *dederint; quomodo scietur id quod canitur? Etenim si incertam vocem det Tuba, quis parabit se ad bellum?* Per Tonos igitur nostri animi affectus manifestantur. Quomodo autem hujusmodi Toni, per Psalmorum Titulos intelligantur; & quinam Psalmi super iisdem canerentur, quique animi affectus moverentur, ex sequentibus intelliges.

Per עלמות *Almoth*, quæ est prima modulationis species, intelligitur Primus Tonus, ad cujus normam cantabant Ps. 46. *Deus noster refugium & virtus*. Dicitur עלמות *Almoth* a עלם *Alam*, quod secundum mentem R. Mardochæi Nathan in

Concordant. הוא יפרד לשלשה ראשים dividitur in tria ſignificata.

I. Significat *rem abſconditam occultam*.

II. *Puellam*, *adoleſcentulam*, ſed Virginem, eo quod ſit occulta Viro.

III. *Seculum*, *perpetuum*, *æternum*; aliquando tempus longum, uti *Jubilæi*, vel etiam tempus vitæ alicujus.

Secundum hæc tria ſignificata titulum hujus Pſalmi Interpretes verterunt.

LXX. *Pro arcanis*, id eſt *pro occultis* ſecundum primam ſignificationem.

Hieronymus, *Pro Juventutibus*, ſecundum alterum ſignificatum.

Poſſet etiam verti עלמות *Alamoth Æternitas*, *in perpetuum*.

Correſpondet autem hic titulus primo Tono Muſicæ; quia ſicut primus Tonus phlegmati dominatur, ut volunt docti; & mala, quæ inde proveniunt, uti pigritiam, ſtuporem, ſomnum, & mœſtitiam ſua virtute expellit; ita Pſalmis iſte 46. qui ſub hoc primo Tono compoſitus eſſe videtur, & quem eodem modulabantur, omnem triſtitiam in intima cordis parte latentem pellit, quia *Deus noſter refugium & virtus*, *adjutor* (eſt) *in tribulationibus*. Et hoc ſecundum primum tituli ſignificatum.

Et ſicut Veteres ad bene efformandos adoleſcentum, & juvenum mores primo Muſicæ utebantur Tono; ſic & hic Pſalmus על עלמות *Al Alamoth Super Juventutibus & Puellis* canitur: ut Deus, cum primus ſit caſtitatis & pudicitiæ largitor, dum refugium & fortitudo eſt, per hunc primum Tonum in titulo hujus Pſalmi ſignificatum, eandem virtutem tribuere intelligatur Juventutibus, & caſtitatis cultoribus: nam primus Tonus caſtitatis effector dicitur a Caſſiodoro; & hoc *in æternum*, videlicet, quouſque vita noſtra inter mortales, aura fruetur, & luce. Itaque iſtum Pſalmum, *Deus noſter refugium & virtus*, ſub primo Tono cantatum fuiſſe credendum eſt, cum pro *re occulta Adoleſcentulis* inſtruendis, *in æternum*, inſcribatur.

II. Modulationis ſpecies eſt נגינות *Neghinoth*, quæ indicare videtur Tonum ſecundum. Tonus enim ſecundus Lunæ comparatur, ſicut primus Soli. Luna ſiquidem humidis rebus præeſſe dicitur: ſecundus vero Tonus mœſtitiam in animum inducit, lacrymas cit, & ad miſericordiam cor movet; ideo aptus eſt ad mitigandas animi curas, & quietem conciliandam: unde placidum ſomnum poſt ſedatas mentis perturbationes illi attribuunt. Iſti animi motus manifeſtantur in Pſ. 4. *Cum invocarem exaudivit me Deus* &c. cujus titulus eſt.

למנצח בנגינות מזמור לדוד:

Præcentori in נגינות *Neghinoth Pſalmus ipſi David*. נגינות *Neghinoth* deducitur a נגן *Naghan*, quod ſignificat Inſtrumentum Muſicum pulſare, hoc eſt illius chordas digitis, aut plectro artificioſe movere, ut ſonum & concentum talem edat, qui ſit idoneus ad mitigandum animi moleſtias, & ſpiritus languores. נגינות *Neghinoth* igitur ſpecies ſoni eſſe exiſtimatur, quæ talem facultatem habeat, ut ægroto animo medela eſſe poſſit. Unde cum Spiritus Dei malus Saulem invaderet, Davidem ſuper ſecundo Tono credibile eſt Citharam pulſaſſe; quoniam Scriptura voce ex hac radice deducta utitur. 1. Sam. 16. 16. *Quærant virum ſcientem* מנגן בכנור *Menaghen bachinnor pulſantem in Cithara*. Ibi aliquid deeſſe videtur, quod ſubintelligi debeat; quod hoc modo poſſet ſuppleri, & elucidari: Quærant virum ſcientem ludere Cithara, & ſymphoniam ac concentum talem edere, ut eo a Saule audito, Spiritus nequam ab eo removeatur. Hanc igitur ſymphoniam, ſeu ſonum Tono ſecundo editum fuiſſe, dicendum eſt.

III. משכיל *Maſchil* Tonum tertium ſignificat: nam ſicut tertius Tonus Marti tribuitur, ex eo quia furibundus eſt, & ad prælium, & pugnam incitativus. Iram enim provocat, & vehementer animum percellit, ac irritat, ita & *Maſchil*. משכיל *Maſchil* namque a שכל *Sachal* deducitur, quod præter alia, etiam proſperari in bello ſignificat. Hujus ſignificationis locus clarus eſt 1. Sam. 18. v. 30. *Et egreſſi ſunt Principes Philiſthinorum*. *A principio autem egreſſionis eorum* שכל *Sachal proſperatus eſt David præ omnibus ſervis Saul*. Omnes fere Interpres Hebræi vocem שכל *Sachal* pro הצליח *Hitzliach proſperatus eſt* ſcilicet in bello, interpretati ſunt. R. David Kimchi in libro Radicum in ipſo principio radicis שכל *Sachal* inquit.

שכל דוד מכל עבדי שאול הצליח:

Sachal David (1. Sam. 18. 30) *præ omnibus ſervis Saul* הצליח *Hitzliach Proſperatus eſt*. Idem repetit in Comment. ad hunc locum, & R. Levi Ben Gerſon expreſſe habet, quod proſperatus fuerat in bello; verba illius ibidem ſunt.

שכל דוד מכל עבדי שאול ,ר"ל שהצליח במלחמה יותר מכלם:

Sachal David præ omnibus ſervis Saul, id

id est prosperatus est in bello præ omnibus illis. Hujus tertii Toni affectus manifestantur in titulis Psalmorum 32. 42. 44. 45. 52. 53. 54. 55. 74. 78. 88. 89. & 142.

Neque obstat, quod dicit R. Abraham Aben Ezræ in tit. Ps. 32. & 42. hanc vocem משכיל *Maschil* appositam esse in titulis istorum Psalmorum, כי פיוט החלתו משכיל: *Quoniam Poesis* (ipsorum) *incipiebat per* משכיל *Maschil*. Quia ex hac sententia confirmatur nostra potius, quam infirmetur: nam ex illa statuitur, Psalmos metro poetico esse compositos, ac proinde decantatos sub aliqua certa regula, vel Tropo Musico, sive Tono. Omnes enim poeticæ compositiones solent cantari, cum & *Cantiones* non raro vocentur. Si enim istorum Psalmorum cantus incipiebat per *Maschil*, signum erat fuisse nomen appropriatum Tono, quo hujusmodi Psalmi decantandi essent: & hoc est id, quod nos dicimus.

IV. מכתם *Michtam* Tono quarto tribuitur. Vergit hic Tonus ad naturam Mercurii, nam sicut hic bonus cum bonis, pessimus autem sit cum malis; sic & quartus Tonus adulator est, & cæterarum harmoniarum naturæ accomodatur. Blandus tamen, tener ac mollis plerumque est: & quamvis cum superciliosis, ut tertius est Tonus, & ipse superbus sit & furiosus, attamen cum humanis, uti est sextus Veneri attributus, humanus est, imo humilis, & despectus, ac secundum sui nominis etymologiam מך תם *Mach Tham Percussum perfecte* apparere gestit. מכתם *Michtam* igitur est מיני נעימות הזמר *species harmoniæ cantus*, ut ait R. Salomon ad Tit. Ps. 16. vel secundum Aben Ezræ ibidem, est טעם פיוט שתחלתו מכתם *Tonus cantus*, *cujus principium erat Michtam*. Hoc est, per hanc vocem מכתם *Michtam* agnoscebatur, cujus speciei harmoniæ & Toni Cantus, esset compositio Psalmi, qui super Instrumentis Musicis canendus erat. Psalmi, vero qui ad normam hujus Toni modulabantur, sunt, Psal. 16. 56. 57. 58. 59. & 60. qui in titulo vocem hanc מכתם *Michtam* præseferunt.

V. שגיון *Scigaijon* applicatur Tono quinto, & Jovi comparatur, qui beneficæ naturæ est, & sua influentia homines benignos, benevolos, mites, & jucundos facit; sic & hic Tonus delectabilis cum sit, nimias curas, & animæ tædia tollit, anxios lætificat, & oblectatione corroborat, quæ omnia significantur in voce שגיון *Scigaijon*: nam שגיון est *Lætitia*, *jucunditas*, *complacentia*, *delectatio*, secundum quod habetur Prover. 5. 19. *Et in amore ejus* תשגה *delecteris jugiter*. Istæ sunt proprietates Toni quinti. *Dicitur ergo* (inquit Pagninus in suo Thesauro voce שגה *Sciagha*) שגיון *quia Psalmus iste* (scilicet 7.) *erat illi* (Davidi) *delectabilis*, *&* *jucundus*, *&* *plenus lætitia*. Sed R. David Kimchius in Comment. ejusdem Ps. 7. 1. ait שגיון *Scighaijon esse* אחר ממיני הניגון *unam ex speciebus Psalmodiæ:* quod idem dicit R. Salomon ibidem ex R. Menachem.

מנחם אמר שגם זה אחד משמות הזמר:

Menachem dicit, *quod etiam istud est unum ex nominibus Cantus;* nec dissentit R. Abraham Aben Ezræ, eodem loco, ubi de שגיון *Scighaijon* hæc verba profert.

והנכון בעיני שהוא על נועם פיוט שתחלתו שגיון:

Et certum est in oculis meis, *quod sit super concentum* (seu modulationem) *poeseos*, *cujus principium est* שגיון *Scigaijon*. Hujusmodi autem concentum, seu Cantum, dicendum est fuisse dispositum super quintum Tonum, & secundum modulamen ejus fuisse cantatum septimum Psalmum: *Domine Deus meus in te speravi*, *&c.*

VI. נחילות *Nechiloth* sexto Tono correspondet, tribuitur Veneri, quæ benigna Stella censetur. Ea enim, quæ Astrologi Veneri Planetæ attribuunt, eadem quoque artis Musicæ periti huic referunt Tono. Dicunt itaque, sextum Tonum affectuosam animi propensionem ad pietatem, amorem, cordium in Deum unionem, & ad reliquas religionis virtutes movere, lacrymas quoque ex affectus teneritudine non raro ciere. Addunt, in compositione cantilenæ hujus Toni debere voces gradatim progredi, & inter se colligari, & quasi quibusdam vinculis teneri, eo modo, quo Apes dum volant, catervatim pedibus sibi invicem cohærent, & susurrum harmonicum auribus perquam gratum emittunt. Hinc R. Haai, ex relatione Kimchii vult, vocem hanc נחילות *Nechiloth* dici ab Apum susurro. Vide in Comment. ad Ps. 5. in principio, ubi sic habet.

ורבינו האי ז"ל פי' המלה מלשון נחיל של דבורים בדברי רז"ל כי נגונו היה דומה לשריכת הדבורים:

Et Rabbenu Magister noster Haai b. m. explicat (נחילות Nechiloth) *&* *nomen deducit a* נחיל *Nechil*, *quod apud Magistros nostros faustæ mem. est examen Apum; ac si di-*

ſi dicere voluiſſet, quod concentus illius eſſet ſimilis ſuſurro Apum. Idem dicit R. Salom. ibidem, & R. Aben Ezræ inclinat in hunc ſenſum, quod נחילות *Nechiloth* forſan ſit פיוט אולי חוא *Poematis carminis compoſitio*, in Tonum correſpondentem tali Inſtrumento, ſuper quem cantanda erat. Tonus autem hic ſextus videtur eſſe aptiſſimus ad hujuſmodi modulandas Cantilenas. Igitur ſuper hunc Tonum fuit cantatus Pſ. 5. *Verba mea auribus percipe Domine*.

VII. נתית *Ghithith* ſeptimum Tonum indicat, eumque Saturno ſeptimo, & ſupremo Planetæ, una cum ſuis proprietatibus attribuunt: nam ſicut Saturnus ſupra cæteros Planetas extollitur; ita hic Tonus modulis ſuis ſuper alios Tonos elevatur, perque jucundos ac ſuaves ſaltus progreditur, tum leniter deſcendens ad quietem, animum ſedat. Hinc duplicem effectum producit, incitat primo ad gaudium, ſed illico revocat ad mœſtitiam, non ſecus ac ii, qui in Torculari tempore Vindemiæ magna licentia utuntur; ſed Vindemia abſoluta, ad mœſtitiam redeunt: de qua re exemplum habemus in Sichemitis; Judic. 7. 27. qui vuas calcantes, & factis cantantium Choris, poſt epulas & procula Regem Abimelech convitiis proſciderunt. Iſte duplex animi motus gaudii ſcilicet & mœroris in ſeptimo Tono apparet, qui non immerito dicitur נתית *Ghithith*, id eſt *Torcular*, unde aliqui exiſtimarunt ſuper hunc Tonum, cantatos fuiſſe Pſalmos 8. 81. & 84. qui hoc titulo נתית *Ghithith* inſcribuntur Torcularium tempore, id eſt tempore Vindemiæ. Ita Aben Ezræ ad titulum Pſalmi octavi; ipſe tamen exiſtimat fuiſſe פיוט תחלתו הנתית *Cantum ſeu Poeſin incipiendo a* נתית *Ghithith*, hoc eſt Cantus ſpeciem ſive Tonum vocatum *Githith*. Potuit etiam eſſe Inſtrumentum quoddam, quo ſingulariter ſeptimus Tonus in eo facilius, quam alius quiſpiam cantaretur. R. Salomon ad tit. Pſal. 8. ait fuiſſe Inſtrumentum allatum ex Geth.

על הגיתית: כלי זמר שבא מגת שם מצויים אומנים לעשותם :

Super Hagghithith: Eſt Inſtrumentum Muſicum, allatum ex (urbe) *Gath. Ibi enim inveniuntur Artifices, qui ea conficiunt*. Super hujuſmodi Inſtrumento & Tono ſeptimo concinebantur Pſalmus 8. *Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum, &c.* Pſal. 81. *Exultate Deo adjutori noſtro: jubilate Deo Jacob*, & Pſal. 84. *Quam dilecta Tabernacula tua Domine virtutum, &c.*

Iſti ſunt ſeptem Toni, quos antiquitas agnovit, & ſeptem Planetis attribuit.

Recentiores octavum addiderunt Tonum, qui cum ſuper alios ſcandat, & ſedem habeat, aſſimilatur firmamento: nam ſicut illud ſuper Planetas collocatur, & in Planetas influit; ſic iſte Tonus in reliquos ſibi inferiores Tonos ſuos influxus ſpargit, eiſque virtutes communicat. Cum enim ſit canorus, ſuavis, & gratus, omnem gratiam & ſuavitatem, quam cæteri ſub ſe habent Toni, ab eo acceptam eſſe dignoſcitur, cum interim ipſe, ut excelſior atque ſublimior, ſolidam lætitiæ ſuavitatem æternæ gloriæ repræſentet. Quæ cum in hac vita a miſeris mortalibus minime acquiri poſſit, ideo fortaſſis factum eſt, ut ab hoc Tono abſtinuerint antiqui. At, cum venit plenitudo temporis, additus eſt octavus hic Tonus, quo cantatur Domino Canticum novum, in vociferatione & jubilo. Eccleſia enim Chriſti in Hymnis & Canticis omnium modulationum gaudet in Domino, & in Deo Jeſu noſtro in hac vita, & in alia cantabit Canticum ſempiternæ lætitiæ.

Kimchius ניתית *Ghithith* octavum conſtituit Tonum. Quod ſi in octavo loco ſit collocandum נתית *Ghithith pro Torculari*, æternam Patriam repræſentabit, in qua inebriabuntur Juſti ab ubertate Domus Domini, & torrente voluptatis ejus potabit eos. Melius tamen videtur pro octavo Tono reponi שגיונות *Scighejonoth Pro ignorantiis*, quod ipſe Kimchius in ſeptimo loco collocat. Melius tamen, dixi, reponi debere pro octavo Tono שגיונות *Scighejonoth Pro ignorantiis*, quia bona, quæ in hoc Tono cum lætitia, & voce ſonora cantanda tempore Meſſiæ erant, prorſus ignota Judæis, revelata fuerunt ſolummodo ſanctis quibuſdam Viris, veluti Abrahamo, qui multa de Chriſto audivit, & vidit, & gaviſus eſt. David etiam plurima de Chriſto prophetavit, ſed non rite intellecta a Judæis. In Lege ſiquidem, Prophetis, & Hagiographis quamplurimæ Scripturæ de Chriſti humilitate, paſſione, majeſtate, & gloria diſerte loquuntur, quas ignorantes Judæi Jeſum Chriſtum abnegaverunt, & Cruci affixerunt; quem ſi cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Cognoverunt autem Spiritu Sancto repleti ſancti Viri, Zacharias pater Joannis Baptiſtæ, qui prophetando Canticum *Benedictus Dominus Deus Iſrael, &c.* cantavit, & Simeon ſenex accipiens Chri-

Christum in ulnas suas, & benedicendo Deum, dixit brevissimum illud Canticum, sed omni cœlesti suavitate repletum: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace &c.* & Sanctissima Virgo Dei Genitrix Maria postquam salutaverat Elisabeth, cecinit Canticum illud admirandum, & omni laude dignissimum: *Magnificat anima mea Dominum &c.* Pro istis ignorantiis videtur orasse Habacuc, quando dicebat: *Domine audivi auditionem tuam, & timui*. Hæc enim Oratio Habacuc על שגיונות *Al Scigheionoth Super ignorantiis* inscribitur. Neque enim alio in loco numero plurali invenitur. Et hoc, ut indicaretur, cunctos errores, & Judæorum ignorantias in hoc Cantico contineri; & simul in voce שגיונות *Scigheionoth* omnes alios inferiores Tonos eminenter in eo comprehendi; & eo tanto alios excedere, quanto octava Cœlorum sphæra sive Firmamentum cæteros inferiores Cælos nobilitate, & præstantia excedit.



JOH.

SPECIMEN MUSICÆ EXCERPTUM EX LEXICO RABBINICO-PHILOLOGICO JOH. HENRICI OTHONIS.

De divisione Musicorum vid. 1. *Chr.* 25. De fundamento Musices in lege disputant Gemaristæ in *Erachin* fol. 11. שירה בקול עיקר *fundamentum* (principalis cantus pars) *musices* (templi) *debebat fieri voce*, inquit *Maymon* in *Kele Mikdasch* cap. 3. quo tamen instrumenta non exclusit, sed vult illa solummodo tanquam appendices ad voces accessisse. Quoad Cantores ipsos, refert nobis in l. c. *fuisse illos partim Levitas, partim vero Israelitas* מיוחסין המשיאין לכהונה *Præstantes & qui conjugio juncti erant Sacerdotibus*; ad Cantorum enim scamna nullum accedere debuisse, nisi esset vir notabilis & ingenuus. *Mischna* in *Erachin* l. modo cit. docet, Israelitas solummodo instrumentis lusisse, & Levitis Musicam vocalem reliquisse. Familias autem illorum Cantorum fuisse illam פגרים *Pegaræorum* & ציפוריה & *Zipporiæ* in *Emmaus*. Idem etiam dicitur in *Succah* cap. 5. in *Gem.*

§. Quoad numerum vocum nunquam debebat ipsarum numerus minor esse duodecim, sed semper usque addere licet. *Erachin ubi supra*. Infantes Musicorum in atrium ad subsellia cantorum nunquam accedere debebant, nisi tempore quo cantabant patres ipsorum: collocabantur autem ibi ad pedes patrum ipsorum, ut notat *Glossa* in l. m. c. & eliciunt ex Esræ 3. 9.

§. Instrumenta quibus utebantur erant duplicia, vel illa quæ *flatu* vel illa qua *fidibus* agitabantur. Prioris generis erant tubæ quarum mentio fit 2. *Chron.* 7. 6. & 29. 26. & in pluribus aliis locis: ipsarum numerus non debebat esse minor quam duo, nec 120. superare. *Maymon* in *Kele Mikdasch* cap. 2. Præceptum de clangendis tubis in festis solemnibus, & noviluniis exstat *Num.* 10. 10. Illi qui clangebant, erant, Sacerdotes non Levitæ, secundum *Num.* 10. 10. 1. *Chron.* 15. 24. non stabant prope Levitas sed in altero latere altaris, & clangentes facies obversas habebant Levitis, hi autem & illi versus altare erant conversi. Locus stationis ipsorum erat שולחן חלבון *Tabula pinguedinis*, & ad minimum duo ibi stare & clangere debebant. *Tamid* cap. 7.

§. Modus clangendi ipsorum erat, ut primo lente sonum ederent, deinde celerius illum modificarent & diversificarent, tandem vero iterum lento sono clangendi finem facerent. Has soni mutationes vocat *Mischna* modo citata תקיעה, תרועה, תקיעה, de hoc clanctu hanc generalem habemus traditionem אין פוחתין מכ״א תקיעה במקדש ולא מוסיפין על מ״ח *Non clangunt minus quam* 21. *vicibus in sanctuario, neque ultra* 48. *excedunt*. *Erachin* cap. 2. in Mischnah & *Succah* c. 5. de tribus illis tuba clangendi diversis modis loquitur, loquuntur etiam *Gemaristæ* loc. mod. cit. fol. 53. *& Gloss.* Et sic exprimunt תרועה באמצע ופשוטה לפניה ולאחריה *Vox infracta* (Galli Alarme) *debet esse in medio, illam autem sequi & præcedere debet, vox clara*, absque scilicet inflexione & variatione notabili.

§. Aliud Instrumentum flatus erat חליל *Chalil* quod etiam אבוב *Abhubh* nominatur. Respondet Germanicorum Schallmeye / Latinorum *Tibiæ*; de tali instrumento loquuntur *Gemaristæ* in *Erach.* in l. m. c. & Aruch אבוב *Unam scilicet tibiam repertam fuisse in templo, quæ* *tem-*

tempore Mosis jam confecta fuerat; Jussisse regem ut illa inauraretur; sed tunc non amplius tam suavem edidisse sonum: ita ut aurum iterum tolli debuerit. Notandum autem est, tibiam non fuisse ordinarium in omni cultu instrumentum, sicuti tubæ fuerunt, sed utebantur illis solummodo duodecim diebus in anno. Audiamus Mischnam in *Erachin* ubi supra. *Semper debebant esse duæ* חליל *tibiæ, nec plures esse debebant quam duodecim. Illis autem ludebant duodecim diebus in anno coram altari, scilicet in Paschate mensis prioris, & in paschate mensis posterioris; die primo festi Paschatis, die primo festi Pentecostis* (Lev. 23. 21.) *septem diebus festi tabernaculorum* ולא היה מכה באבוב של נחושת אלא באבוב של קנה *Non autem ludebant tibia ænea sed Cannea* מפני שקולו הרב *quia sonum suaviorem edebat. Neque finem imponebant lusui tibiarum omnibus simul, sed una solum, quia ita suavius clauditur.*

§. Erant tria alia instrumenta, quæ perpetuo ad Musicam adhibebantur, & hæc tria erant נבל כנור צלצל *Nebhel, Cinnor, Tsiltsel*, & hæc indiscriminatim divisa erant filiis trium Cantorum Magistrorum, *Asaph, Heman*, & *Jeduthun* 1. *Chron.* 15. 19. 20. 21. 1. *Chron.* 16. 5. & 25. 1. De his Instrumentis sic *Josephus* lib. 7. cap. 10. p. Edit. Frob. 216. ut נבל ipsi sit Νάβλα, illamque sic definit, Ἡ δὲ Νάβλα δώδεκα φθόγγους ἔχουσα τοῖς δακτύλοις κρούεται. כנור Græce ponit Κινύρα, illamque sic describit; Ἡ μὲν Κινύρα δεκαχορδαῖς ἐξημμένη τύπτεται πλήκτρῳ. צלצל Josepho est Κύμβαλον, de illo sic inquit, Κύμβαλά τε ἦν πλατεα καὶ μεγάλα χάλκεα. In quæ Josephi verba sequentia notanda.

I. Quod נבל & כנור quæ optime per *Cytharam* & *Psalterium*, (Germ. Harpfen) exponuntur, fuerint instrumenta fidibus instructa, opposite ad illa instrumenta flatus, de quibus jam supra loquuti sumus.

II. Quamvis hæc duo instrumenta ambo fides sive chordas habuerint, nihilominus aliquam inter ipsa fuisse differentiam; nam *primo* unum percutiebatur aliqua pennula, vel frustulo ligni vel arcu ut nostræ Citharæ & Violæ (Geigen) Alterum vero percutiebatur digitis, ut Chelis (Lauten) *Secundo* notas unius instrumenti diversificatas fuisse, per digitorum pulsus & motus, alterius vero per ipsam chordarum differentiam; talem enim vim habent nomina φθόγγους & χορδαῖς. Nablium duodecim habebat chordas, & multitudine suarum chordarum diversos edere poterat sonos, כנור vero decem solum habuit fides, & digitorum motu diversificabantur. De Cithara loquuntur etiam *Gemaristæ* in *Erachin* ubi supra.

III. צלצל sive Cymbalum fuisse vas aliquod æneum, instar hodiernorum Cymbalorum, nisi forte quod ita affabre factum erat, ut multo suaviorem sonum ediderit. De cymbalo loquuntur in *Erachin* fol. 10. & *Talm. Hieros.* in *Succah* fol. 55. *Erat Cymbalum in templo, confectum erat ex ære, sonusque ejus erat amœnissimus. Sed accidit ut fissura hiaret; Senatores miserunt Alexandriam, & inde opifices accersiverunt, qui illud repararunt, sed sonus ejus non amplius tam gratus erat, ut fuerat antea. Sustulerunt itaque illud quod opifices illi addiderant, & sonus tam suavis rediit, ut solito erat.* Ad ordinariam Musicam suffecit unam adhibere; *Maym. Kele Hammikdasch* cap. 3. & videtur Cymbalum Bassus vel vocis infimæ loco fuisse. Infra duo נבל *Psalteria* (Harpfen) in Cantu non debebant descendere, neque plura habere quam sex. *Erachin* c. 2. in *Mischna*. de כנורות vero non infra novem, sed supra quantum habere licet. *Tosapht.* in *Erachin* cap. 2. De Instrumento Hydraul. vid. *Buxt. Lex. Talm.* p. 629.

§. Sed satis inhæsimus instrumentis, videamus nunc ipsum Musices exercitium & praxin. Tubæ (Trummeten) suum תח'ח *Taratantara* sonabant singulis horis matutinis, cum porta Nicanoris & reliquæ atrii portæ aperiebantur. *Succah* cap. 5. in *Mischna*, & *Gloss. ibid.* Hoc tubarum signo viri stationarii ad sua officia vocabantur, & populo campanarum instar indicium incipientis cultus divini dabatur. Clangebant duo Sacerdotes secunda vice, tempore libationis vini. Vid. *Tamid.* c. 7. v. 3. omnes etiam reliquæ Musices partes, tunc demum incipiebant, cum sacri-


ſacrificium holocauſti & libamen oblatum erat; rationes habes in *Erachin* in *Gem.* fol. 11. & *Gloſſ. in Peſachin* cap. 5. f. 64.

§. Pſalmi quos ordinarie cantabant ſequentes erant. *Die primo* ſeptimanæ *Pſ.* XXIV. *Die ſecundo* XLVIII. Pſalm. *Die tertio* Pſal. 82. *Die quarto* 94. Pſalm. *Die quinto* Pſalm. 81. *Die ſexto* Pſalm. 93. *Die ſabbathi* vero Pſalm. 92. *Tamid* ubi ſupra. Rationes cur hos elegerint Pſalmos vid. in *Roſch Haſchana* f. 31. *Maym.* in *Tamid.* cap. 6. Unumquemque ex his Pſalmis in tres partes Cantores dividebant, in quibus pauſas faciebant, quas Talmudici פרקים nominant, in his pauſis tubis canebant, & populus adorabat, ſecundum illud על כל פרק תקיעה ועל כל תקיעה השתחויה *In unaquaque Pauſa erat taratantara tubæ, & apud unamquamque taratantaram adoratio populi.* Vid. *Tamid.* c. 7. & *Roſch Haſchana* loc. mod. cit.

§. Extraordinarios clanctus tubarum edebant in veſpera Sabbathi ad populum a labore revocandum, & ad diſtinguendum diem inſequentem a diebus profeſtis. *Succah.* cap. 5.

§. In ipſo Sabbatho tempore ſacrificii additionalis de quo *Num.* 28. 9. 10. Levitæ cantabant canticum Moſis (Deut. 32.) *Maymon* in *Tamid.* cap. 6. & Sacerdotes tubis ſuis tribus aliis vicibus, quam in ordinaria Muſica ſolebant, clangebant. *Succah* ubi ſupra.

§. Ad Sacrificia additionalia primi diei anni (N. 29. 1. 2.) Levitæ cantabant *Pſ.* 81. & tubis etiam clangebant ad indicandum annum novum. Veſpera vero hujus diei cantabant *Pſ.* 29. In Paſchate vero canebant *Hallel*, de quo vid. ſuo loco.



MARINI MERSENNI
QUÆST.
ET COMMENT. IN GENESIM.

Et nomen fratris ejus Jubal. Ipſe fuit pater canentium cithara, & organo.

ושם אחיו יובל הוא היה אבבי כל -- תפש כנור ועוגב:

Καὶ ὄνομα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ Ἰουβάλ οὗτος ἦν, ὁ καταδείξας ψαλτήριον, καὶ κιθάραν.

NE quis mihi neſcio quem Apollinem, aut Orpheum Muſicæ inventores objiciat, cum hunc Jabelis fratrem Scriptura Sacra Muſicorum inſtrumentorum, patrem aſſerat, ut antea Jabelem paſtorum, atque tentoriis utentium patrem; quippe qui paſtores docuit ſua tuguriola in chiramaxiis, ſive arcaniis ſtatuere, pecora in greges diſtribuere &c. hebraica phraſis: *Ipſe fuit pater omnis tractantis citharam, & organum*, ut Eugubinus, Vatablus, & Fagius verterunt: quanquam dicere poſſimus: *tangentium, aut pulſantium*, quod in idem recidit תפש taphas enim comprehendere, tractare, pulſare &c. ſignificat. Targum habet דמנגן *ludentis ſuper nablo, & ſcientium canticum citharæ, & tibiæ*. LXX. vertunt οὗτος ἦν, ὁ καταδείξας, καὶ κιθάραν, qui oſtendit, ſeu docuit: ex hebræo Lipom. vertit *tympanizantis*, quod prædictum verbum tympano perſonare exprimat, & pro ſono quolibet accipi poſſit. Hic autem inſtrumenta duo, vel potius inſtrumentorum genera deſcripta ſunt כנור & עוגב *Cinnor*, & *hugab*: Quod ad primum attinet dicitur κινύρα, ſeu cithara, aut pſalterium.

Vertimus organum: Targum vero רחמך *rachamac* fiſtulam; nec deſunt qui latinos aſſerant a Jubal jubiloſo, atque jucundo, & juviali ſuum jubilare, jubilumque accepiſſe. Quia vero difficillimum eſt ſcire quænam eſſent illa inſtrumenta harmonica, quorum Jubal inventor eſſe, dicitur, an noſtris ſimilia necne, videtur operæ pretium, ut ad majorem hujus loci illuſtrationem, & cœterorum ſcripturæ locorum, in quibus de muſicis inſtrumentis mentio fieri ſolet, intellectum, de omnibus inſtrumentis muſicis, quæ hactenus inventa ſunt, quibuſve utimur, quæſtionem inſtituamus; cui aliam de vi muſi-

ſicæ

ficæ antiquorum fubjiciemus. Omnes vero muficos provoco, ut nobiles illos antiquæ muficæ effectus pro viribus revocent, Gallos præfertim, in quorum gratiam plurima fequenti quæftione proponimus, quæ ad illam muficam in ufum revocandam mihi neceffaria effe videntur; quæque non ita difficilia funt, quin a nobis fieri valeant, ut experientia docebit.

Attamen priufquam mufici noftri quæftionem illam 57. perlegant, omnem affectum abjicere, & omni præjudicata fententia carere debent, ut de rei veritate judicare, & rationi cedere poffint, fic enim ex ea profectum aliquem futurum fpero, alioquin fi fe Græcis muficis peritiores arbitrentur, vix fine ftomacho fequentia legent, quæ non folum ratione, fed & illorum authoritate probo: Muficam igitur aggrediamur, quæ non ab Apolline, vel Orpheo, aut aliis, quos fabulæ, & hiftoriæ profanæ commemorant, fed a noftro Jubal inventa eft, nifi tamen prius Adamo infufa fit, qui fuos poftea nepotes docuerit.

Faceffant igitur, qui primas Pythagoræ tribuunt, & malleos Tubal-Cain proferamus, quos cum Jubal ejus frater audiviffet, & percuffionum difcrimen annotaffet, reperit malleos illos ferreos ponderibus iftis 12, *9*, 8, *6*, refpondere, quibus fervi Tubal-Cain æs, & ferrum domabant, adeo ut malleus 12. librarum cum malleo *6*. librarum collatus diapafon; malleus 12. cum malleo *9*, & malleus 8, cum malleo *6*, ponderum in epitra ratione inventi fuerint, ac proinde verum diateffaron; malleus autem *9* cum malleo 8 tonum in fefquioctava, feu epogdoa ratione fitum efformarint.

Quas confonantias tympanorum, calamorum, tubarum, & nervorum, eandem proportionem fervantium auxilio reperire potuit. Itaque Jubal nofter pater canentium, feu tangentium organa, & pfallentium effe dicitur, quem poftea Chaldæi, Hebræi, Græci, Latini, Galli, & cæteri imitati funt. Hinc admirabilis Templi Hierofolymitani mufica, cui Salomon tot cantorum millia præfecerat, in quorum ufus magnum tubarum, & aliorum inftrumentorum numerum fieri curaverat, ut poftea referemus.

Omnes autem ad illorum inftar provoco, & obnixe precor, ut ftupendos illos antiquæ muficæ effectus pro viribus revocent, ita tamen ut quæcunque cecinerint ad honorem Dei colliment, ut cantus veftri, o mufici, cœleftis illius harmoniæ vivæ fint immagines, qua frui fperatis, ubi vitam hanc in æternam gloriam commutaveritis. Quorfum enim Deus nobis Muficæ fcientiam contulit, nifi ut per eam laudes ejus continuo celebraremus? quapropter divinæ voluntati e diametro repugnant, qui prophanis, atque venereis cantilenis muficam inficiunt, quos loco præmii fletus, & ftridor dentium manet. Si vero numinis divini laudes ubique cecineritis, præterquamquod magno vos honore finguli profequentur, muficæ fplendor reftituetur, & æternis Angelorum concentibus, atque jubilis fruemini; quod faxit Deus Optim. Maxim. Interim fequentem quæftionem æqui, bonique confulite; & pfalmorum inftar, *Cantate Domino, & benedicite nomini ejus*: omnibufque inftrumentis, quæ in ultimo pfalmo referuntur, fingulos ad concentum provocate, ut *omnis fpiritus laudet Dominum*.

QUESTIO.

Quænam fuerint Inftrumenta *harmonica*, *quibus tam Hebræi, quam Græci, cæteræque nationes utantur, aut etiam antiquitus utebantur*.

AD ultimo pfalmo quotidie canimus, & audimus Dei laudes in fono tubæ, alias buccinam legimus; ut facile credam hic tubam pro tribus tubarum generibus accipi, tuba, buccina, cornue; fæpius etiam citharam, cymbala, organa, pfalteria in fcriptura legimus, fed antequam ad inftrumenta peculiaria defcendamus, paulo generalioribus infiftendum eft. Itaque omnia mufica inftrumenta funt vel ἐμφυσώμενα, five πευματικά, five εμπνευστιά, quæ inflata fonum edunt, ut fiftulæ, & tibiæ, cornua, litui, tubæ, buccinæ, claffica &c. Vel funt ἐγχορδά, εντατά quæ nervis, feu chordis conftant quæque, plectro, vel digitis tanguntur, ut teftudines, citharæ, pfalteria, lyræ, fambucæ, panduræ, barbiton, nablium, pectis &c. Sunt & κρυστά, quæ pulfantur, ut tympana, fiftra, cymbala, & campanæ &c. Quæ omnia priufquam explicemus de Hebræorum inftrumentis, de quibus præcipue inquirimus, proviribus agendum eft. Sunt ergo נגנות *Neginoth*, ea, quæ manu, vel bacillis pulfantur, a radice נגן *Nagan*, ideft pfallit, manuque fides pulfat, licet pro qualibet fymphonia ufurpari poffit. Quæ aqua, atque flatu fonum reddunt, *Nebalim* נבלים appellantur, quamvis a verbo נבל originem fumat ideft emarcuit, unde quia 40. dierum pluviis omnia elanguerunt מבול *Maboul* diluvium appellant, & hominem fatuum, illiberalem, vilem, nequam, & ne

nebulonem נבל quia in eo virtus omnis aruit; At hoc instrumentum inflato utri simile dicunt, quod forte a nostris dictis *hautsbois* non absimile est, verum ei statim chordas, statim 10. foramina tribuunt, adeo ut incertissimum sit, an Hebræi dictionem aliquam peculiarem haberent, qua duntaxat hoc, aut illud instrumentum significarent, & non aliud, aut saltem illud nunc vix, ac ne vix quidem determinare possumus, siquidem hoc nomen *Nebel* 70. vertunt *Nablum*, *canticum*, *psalterium*, *citharam*, *organum*, *lætitiam:* illud autem Josephus ait 12. chordas habuisse 7. antiq. *c.* 12. quapropter testudine simile fuit; quod si fistulæ utriculari conferas cum aliis nostram cornamusam referet. Pneumatica עוגב dici volunt, Chaldæis אבוב *abub*, unde quidam deducunt *la Rebube*. Sub ἐντατ-τοις, quæ fidibus utuntur, כנור chinnor reponunt cynniram, de qua testus noster loquitur, quam cum lyris, seu violis nostratibus confundunt. Huc etiam חליל *chalil*, & מנים, quam cum Manichordio faciunt idem, referuntur; Instrumenta musica David vasa psalmi nuncupat, cum psalmi non tantum voce, sed & tubis, cymbalis, psalteriis, cytharis, & organis diversis canerentur, ita tamen ut sacerdotes tubis, levitæ cæteris instrumentis uterentur, ut 1. Par. *c.* 24. videre est, ubi 24. Asaph, Heman, & Idithun filii canentes enumerantur, quorum hæc nomina 5. de Rep. Hebr. *c.* 5. Sigonius refert. Joseph Godolias. Zaccur. Isari. Nathanias. Bocciau. Isreela. Jesaias. Mahanias. Semeias. Azareel. Hasabias. Subael. Mathatias. Jerimoth. Hanerias. Jesbacassas. Hanani. Mellothi. Eliatha. Othir. Gedelthi. Mahazioth. & Romemthiezer, quorum officia 2. *Paral. cap.* 5. 7., & 20., & 1. *Esdr. cap.* 3. & 13. describuntur, de quibus etiam Joseph *l.* 8. & 20. loquitur. Numerant etiam עשור *hasur*, quod 10. chordis instructum fuisse credunt, sicut Chaldæorum רבובה *Rebuba* 4. sub hydraulicis גתית *Githith* inchidunt, quod nonnulli vel cum Græcorum Magadi, de quo Athen. *l.* 4., vel cum Guitherra, vel Cornamusa nostra comparant. Sub Pneumaticis שופר ex ægre factum quidam Gallorum *Cleron* reponunt; deinde חצצרה *hathothera*, seu tubam argenteam, vel ex alio metallo conflatam, græcis dicitur Σάπιγξ. Cornu item arietis קרן יובל *Keren Iobal*, Æthiopibus מטקע *matka* vocatur ab Hebræo tubæ sono תקע *teka*. Genus autem tibiarum ידותון *Idutbun* appellant, cum Julius Pollux inter antiquas voces ἰδυθοὶ & inter tibias recenseat. מחול *Machlol* etiam a nonnullis inter instrumenta spiritu, flatuque sonantia collocatur, quod forte cum choro, vel symphonia coincidit, seu vasca tibia, Græcis πλαγίαυλος, quo Satyri frequenter canerent, cujusve in Bacchanalibus Orgiis usus esset. Quia vero *Machol* illi voces adjungebant, chorum dixere, ut in ultimo psalmo, *vers.* 4. nostra editio legit, Junius, & Tremelius tibiam malunt, Vatablus fistulam; ubi vero habemus *in chordis*, legunt illi *hydraulis*, hic vero, *fidibus;* denique pro cymbalis jubilationis crotala, vel sistra nobis ingerunt. עלמות *Halamath* etiam apud Hebræos fistulas inter reponuntur, quibus Græcorum ἔλυμοι αὐλοὶ respondent, Galli vocant *sæcquebutes*.

Demum inter κρυςὰ pro crepitaculis, seu crotalis Hebræi מנענעים *Menaganahim* habent, Gallis *cymbales*. Præterea צלצל *thilsel* sistris nostris tribui potest his addamus תף tympanum, quod a sono præclare denominatur a verbo תפף *taphap*, *manu pulsavit*, *tympanisavit*. Hoc vero nomen vel pro tympano militari. Gallis militibus *Caisse*, seu *Tambour*, vel pro musico instrumento sumi potest, prout hic sumitur, quod ex una duntaxat parte clausum sit, quodve edigitis non bacillis pulsetur, habens tamen circumcirca laminulas æreas, aut argenteas, Gallis *Tabourin*, ou *Bedon de Biscaye*, quo tam pueri, quam puellæ *Exod.* 15. 20. & 1. *Reg.* 18. 6. uterentur, de quibus 4. metamorph. Ovid.

Fæminesque voces, impulsaque tympana palmis.

Notandum vero a *Toph* תפת *Topher* derivari, quia in eo loco prope Hierusalem tympana pulsabant idoli Moloch cultores, ne parentes filiorum suorum ejulatus audirent, qui in Idoli cremabantur honorem. Habet & aliam significatum, si pro illo supplicio capiatur, quo reus vi per 4. membra distendebatur, ut bacillis ad numerum in ventre velut tympanum percuteretur, de quo D. Paulum ad *Heb.* 11. *v.* 35. Bolducus explicat; ubi enim legimus, *Alii autem distenti sunt*, Græcus habet ἐτυμπανίσθησαν, seu tympani supplicio affecti sunt; ubi quidam ajunt D. Paulum ad Antiochi persecutionem respicere, quod statis ex 2. Machab. *c.* 6. confirmatur *vers.* 19. in quo Græcus habet αὐθαιρέτως ἐπὶ τὸ τύμπανον προσῆγεν voluntarie ad tympanam accedebat, idemque *vers.* 28. repetitur! Sed & Aristotelem habemus, qui 2. Rhetor. *cap.* 6. inducit Antiphonem Poetam, qui tympano torquendus erat a Dionysio. Hoc au-

autem supplicii genus prævium mortis esse solebat, quod cum equuleo coincidere videtur.

Imo tympanum pro fustuario, palo, cruce, trochlea, fidulis, catastis, & aliis cruciamentorum generibus, sumi potest, de quibus Pollux *lib.* 8. ut Serrarius vir doctissimus in 2. Machab. *cap.* 6. notavit. Verum ut ad tympanum musicum redeam, *Exod.* 15. *Soror Aaron Maria præ manibus tympanum habebat, postquam cæteræ mulieres cum tympanis, & choris egressæ sunt:* & Judic. 11. *Revertenti Jephte in Maspha domum suam, occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis, & choris.* Ubi adverto choros tympana sequi cum personis, qui ad certum numerum voce canerent, vel aliis instrumentis. Illi vero chori de personis liberis intelligendi sunt, licet ut plurimum apud antiquos chorus esset servorum, ut satis declarant l. si chorus 79. de legat. 3. & l. cum ejusdem 34. De ædili. edi. ubi Cujac. tract. 6. ad Afric. definit chorum qui constat certo cantorum numero, qui canunt alta voce, vel tibia, vel utroque mixto, & nonnumquam etiam in comædiis saltant, & loquuntur, uniusque comædi sustinent partes. At ea non de quolibet tympano capias, sed de cystro Ægyptio, de quo *Virgil.* 8. *Æneid.*

> *Regina in mediis patrio vocat agmina cistro.*

Quod erat tympanum brevius crepitaculis circumdatum, nec injucundum sonum edebat dum plecteretur, ut loquitur Ovid. nec abhorret a vero Mariam, cæterasque Hebræas plurima id genus instrumenta de Ægypto secum adportasse. Longe igitur abest a nostris, & a Salmoneo quo hic tonitru, Apollodoro teste, æmulabatur. Et pelles detractas in curræ cum æneis lebetibus agitans, dicebat se tonare. Porro vel nulla, vel rarissima mentio tympani fit apud Romanos, ut 4. de militia Rom. *dial.* 10. Lipsius observavit; sed apud Indos fuisse Curtius *l.* 8. & Suidas ajunt, hic enim tubis Indos non uti, sed flagellis in aerem excussis, & tympanis horribilem bombum emittentibus asserit; quod etiam de Parthis Plutarchus in Crasso testatur.

Superest פעמון *pahamon*, quod campanulam, seu tintinabulum significat; Quibus omnibus lucem aliquam afferre poterimus, si Græcorum, Latinorumqne, cæterarumque nationum instrumenta discutiamus. A cithara sumamus exordium, quam D. Hieron. *epist.* 28. *tomo* 9. (si hæc sit ejus epistola) Δ formam habuisse, atque fidibus 24. instructam ait quod nostris quod ad fides attinet, commune est, quæ 40. chordas habere solent, ut Loyerus affirmavit, licet pluribus instrui posse fatear, vel etiam paucioribus.

Qua vero ratione, quare figura Davidis in cithara fabricata esset a nobis dici nequit, quis enim illam aut vidit, aut similem descripsit? quia tamen non desunt; qui nostræ similem fuisse putent, ideoque formam illius in præsenti dabimus, cum instrumenta cætera explicata, fuerint: hoc autem instrumento Neronem usque ad insaniam delectatum fuisse Svetonius *c.* 12. vitæ illius attestatur, adeo ut citharam a judicibus ad se allatam adoraverit, quam Horatius 1. carmin. ode 15. vocat imbellem a qua psalterium aliqui distinctum existimant, quod dulciores sonos emittat, & sic dulcedine soni, magis quam forma discrepet, quod forte Galli dixerint *harpe latee*, quia fidibus non æneis, sed testudinis instruitur. Hoc autem psalterium idem cum Nablo faciunt, de quo 1. *Paral. cap.* 15. *In nablis arcana cantabant:* ubi describuntur instrumenta, quibus in arca gestanda Israelitæ usi sunt. Nablium dixit *Ovid.* 3. de arte:

> *Disce etiam duplici genialia nablia palma*
> *Verrere: conveniunt, dulcibus illa modis.*

Nablia vero, & nablias Græci dixere, quas inter hydraulica collocat *Athen. l.* 4. *c.* 23. Psalterii vero epithetum esse decachordum, adeout sint, qui contendant abesse debere conjunctionem, &, ab eo psalmi 91. & 143. loco, in quo legitur, in Psalterio decachordo, quod ex Psalmo 32. confirmant, *In psalterio decem chordarum psallite illi:* At in Hebræo in *Psal.* 91. qui apud eos est 92. *vers.* 4. ponitur conjunctio ו *ve*, quæ nostræ & equivalet, עשור ועלי-נבל *hasor vabale nabel*, licet in *Psal.* 143. conjunctionem abesse fatear. Quod ad *Psal.* 32. attinet abest conjunctio, ubi easdem dictiones, quas supra, habes, sed hic *Nabel* præcedit *hasor*, ubi miror Novatorum inconstantiam, qui cum hebræa clamitent, & conjunctionem omiserint in *Psal.* 144., quia non aderat in Hebræo, apposuerunt in *Psalm.* 33., in quo non est, ut in Junii, Tremeliique bibliis videre est, quæ tantum obiter dicta velim, ut omnes videant, quæ fides hujuscemodi hæreticis habenda sit. Existimo autem parum referre si decachordum cum psalterio idem fuisse putemus, nec a vero mul-

multum abesse putem, si tunc saltem psalterium decachordi nomine efferatur, quando fidibus 10. constabat, alias enim forte vel pluribus, vel paucioribus instruebatur: Quod ad psalmos attinet, non est Hebræis insolitum, ut duo conjunctione jungant, tametsi in idem recidant, ut pluribus exemplis planissimum fieri potest.

De chordis, & organo non est quod plura dicamus, quandoquidem chordæ generaliter pro quolibet instrumento sonum per chordas emittente, sicut & organum pro quolibet alio instrumento musico ponitur, cum ὄργανον Græcis, Latinis sit instrumentum, maxime vero musicum, quod ritu inflatur, unde putant aliqui nostris organis musicis inditum, & græcum inventum ad nos transmissum industria cujusdam Georgii, & sumptibus Ludovici Pii Francorum Regis, ut autor est Aimonius *lib.* 4. de gestis Francorum *cap.* 114. Videatur epistola D. Hieronym. superius allata.

Attamen de Organo notandum est sæpe pro hydraulico instrumento sumi, adeo ut organo modulari sit ὑδραυλεῖν; & hoc organum majus erat minus vero fuit πνιδςκὸν, cui folles Isidoro teste adhibebantur, quibus ventum conciperent, ut jam apud nos frequens est: ubi aliud organum aquarum, agitatione sonum edebat. Utrumque autem fistulæ inversæ gerit similitudinem. Hydraulicum recte descriptum habes in Panegyrico Porphyrii: hoc est autem inter organum, & fistulam discrimen, quod fistula, qua parte ori admovetur, æquales invicem calamos exposcat; organi contra pars infima, quæ inspiratur, æqualibus constet regulis, & superior inæqualis sit, juxta id Porphyrii:

> *Perque modos gradibus surget fœcunda sonoris*
> *Ære cavo, & calamis pariter crescentibus aucta,*
> *Quis bene suppositis quadratis ordine plectris*
> *Artificis manu in numeros clauditque, aperitque*
> *Spiramenta,*

Videri potest Salomon *de Caux lib.* de viribus moventibus, in quo varia hydraulica describit, & Viliel. Masburien. de rebus Anglicis.

Placet autem subjungere, quæ Judeus aliquis de instrumentis musicis existimat; ait enim in נבל *Nebel* 3. octavas inclusas, atque adeo 22. fidibus instructum fuisse; כנור vero 32. fides, & 4. octavas, seu tessaradiapason habuisse, מחול *Machol* sex tantum, aut ad summum 8. מנים *Minim* vero 3. aut 4. constare fidibus, תף & שופר nihil a nostris tubis, & tympanis differre: denique tonarium, Gallis *Cornet a bouguin*, cum צלצלי cymbalis confundi, quibus vix fidem adhibuerim, attamen id minime reticere volui, ne quid in re tam difficili, & obscura neglexisse videamur. Addebat cymbala jubilationis שמע a cymbalis benesonantibus תרועה tantum secundum magis, & minus differre: *Nevel* instar trapezii fabricatum, *Cinnor* ad instar hodiernæ citharæ, vel ut triangulum, *Macol*, & *Minim*, ut violam, & chelym; fortasse manichordio *Nevel* comparasset. *Hugal* etiam nostris organis conferebat.

Plurima instrumenta depinxit Ottomarus Luscinius *lib.* 1. Musurgiæ, sed quæ vix aspectu digna judico, cum sine autoritate, atque ratione loquatur, unde enim scit cymbalum, fistulam, organum, tubam, tympanum, triplicem citharam, quæ refert, esse Hieronymi, ubi chorum deprehendit, quem describit? Saltem gratissimum fecisset, si in rebus tam antiquis, & dubiis levem conjecturam attulisset.

De Cymbalis bene sonantibus, & jubilationis hoc Turnebus advertit adversar. *lib.* 26. *cap.* 33. similia esse foliis herbæ cotyledonis, quod ex Scribonio Largo expiscatus est: illa autem bene sonantia sunt, cum ad rationem musicam componuntur, sicut, & vasa, de quibus loquitur Vitruvius *lib.* 5. *cap.* 5. jubilationis vero si diutius tunsa sonum retineant. His Sacerdotes Cybeles usos fuisse constat ex Catulli poematio de Aty, & ex Propertio *lib.* 3. *eleg.* 15. Bacchi sacrificos,

> *Cumbala Thebano concrepuere Deo,*

Hæc fere sunt quæ de musicis Hebræorum instrumentis dicenda habuimus, quæ 1. *Paral. cap.* 15. numerantur, videlicet nablon, lyra, cymbalum, buccina, tuba, cornu, quod Psaltes tubam corneam vocat *Psalm.* 97. tubam Vegetium *lib.* 3. de re militari *cap.* 5. sic describit, *tuba, quæ directa est, appellatur, buccina, quæ in semetipsam æreo circulo flectitur. Cornu, quod ex uris aggrestibus argento nexum, temperatum arte, & spiritu, quem canentis flatus emitit, auditur:* Tuba cecinisse Hebræos clarius est, quam ut probatione indigeat.

In tubis autem aliquid osseum poni potuit, ea maxime parte, qua ori solent admoveri, quomodo id Propertii intelligi potest:

Et

Et struxit guerulas rauca per ossa tubas.

Sex tubarum genera Eustathius in *Iliad.* ξ. primam, inguit, Minerva invenit, quæ Argivis colitur hoc cognomento, σάλπιγξ ἀθηνᾶ. 2. Apud Ægyptios, quam Osiris reperit, quæ χνόνη dicitur, guave utuntur ad sacrificia. 3. Gallicam, cujus os in bestias deformatum est, habetque canalem, seu tubum plumbeum, a quo tubo tubæ nomen; est autem acuti soni, & a Gallis Carnyx dicitur. 4. Paphlagonicam ore ad bovis effigiem efformato, gravi mugitu, sursum inflandam. 5. Medicam e calamo tubum habentem gravi sono. 6. Tyrrhenicam tibiæ Phrygiæ similem, sono valde acuto, oreque scisso; hujus inventorem Hyginus fabula 274. Tyrrhenum Herculis filium *ait*, qui concha pertusa buccinarit; Illus os a Suida κώδων appellatur; Cornua tubas præcesserunt, quæ ex bubulo cornu fiebant: illis siquidem oves, & boves calabant, & apud Columel. habes. Vatro buccinatorem a vocis similitudine *Bou Bou* dictum ait, quod de nostris opilionibus jure dici potest, licet Isidor. buccinam quasi vocinam nuncupatam fuisse credat, quia pagani buccina vocabantur. Inter tubam, & cornu quidam lituum, utpote minorem tubam constitunt, ita dictum, inquit Festus, quod sit testis litis, a quo Liticen, lituum autem equitum fuisse, peditum tubam Horatii Scholiastes ait. Statius ostendit illius tubum, qui neque totus rectus, neque totus curvus erat, non patulum fuisse quia sonum acutum reddebat.

Et lituis aures circumpulsantur acutis,

Verum satis supraque pro loco de tubis, de quibus plura reperies apud Gerrardum *quæst.* 4. *ad* 6. caput Josue, in quo adversus Abulensem, Masium, & alios probat tubas illas, de quibus præsertim loquitur, arietinas fuisse.

Græci vero pluribus instrumentis utebantur, apud quos videas hydraulin, & clepsydram, quibus aqua spiritus immittitur; Gingran, quæ vocem anseris, seu gingritum æmulabatur, tametsi ab Adonidis nomine Athen. *lib.* 4. deducat: sonum enim stridulum, & lugubrem edebat; quapropter Gingricis tibiis palmum longis lares lugebant mortuos, & Phænices, qui forte cum laribus iidem sunt, Adonim deflebant, quem Gingren nuncupabant, unde γίγγραντα luctuosa carmina, & grande aliquod malum Axionicus in Phileuripide vocavit. Præterea nonnullas alias tibias fuisse legimus, quarum aliæ dextræ, aliæ sinistræ, quædam pares, alie impares: unde Poeta:

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula.

Trigonum Syrorum inventum est, ut Sambuca Lyrophænix Ibyci Rhegini, quæ 4. fidibus tendebatur: Anacreontis Barbiton, Monaulum Osiridis, quod obliquis fistulis construitur, quodque Photinga vocant, diciturque χαλαμαύλης, idest tibia arundinea. Pandurum, vel Pandurium; ubi adverte Panduram veteres trichordum appellasse, quod Pollux Assyriis tribuit. Isidorus inter ἐμπνευστά recenset. Hoc autem pandurium a Pan dictum volunt, juxta id Virg.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit.

ut pandura nihil aliud fuerit, quam fistula 7. calamis compacta, quam Euripides κηροδέταν σύριγγα vocarit, quæ per 7 discrimina vocum audiebatur.

Fistula cui semper decrescit arundinis ordo.

Fistula tamen vocari cœpta est, quæ unica arundine constaret, ut innuit Capella, cum ait Hercipedi panduram, Sylvano arundinis fistulam sibilatricem, rurestri Fauno tibiam convenire. Ubi Hercipede Pan significatur, cui σύριγγα tribuunt, cujus imaginem vide apud Theocritum, inscriptione σύριγξ. Rapaula, quæ Virgilio eclog. 3. stipula dicitur.

—— non tu in triviis indocte, solebas,
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

Rursum tibiæ sunt virginales, & pueriles, aliæ viriles, & citharisteriæ, & Dactylicæ, quæ plurima foramina habent, iterum perfectæ, & plusquam perfectæ. Elymi dictæ sunt, quod essent buxeæ, quas a Phrygibus repertas Phrygias, & Scytalias appellant. Dyopi 2 tantum habent foramina; sunt & musocopi, & hypotræ subtus pertusæ. Hemiopi dimidio pertusæ, cæterisque minores, quas ideo conviviis aptas, & teneras Anacreon putat. Quando fit tibia ex calamis Dores Ty-

Tityrinum vocant. Magadis, seu Palaomagadis gravem, & acutum sonum edit, Lydorumque dicitur inventum: dicitur etiam tibia citharistica, quæ una cum spiritu fides haberet. Erant & Jambi; Clepsiambi, Scindapsi, Enneachorda. Multa alia instrumenta scribit Athenæus hominum inventa lib. 14. ubi sunt Tetracomus, Epiphallon. συναυλία, quæ tibiarum vicissim, ac rythmorum concentus, & certamen fuit, sicut classicum tubarum.

Tryphon lib. 14. cap. 3. multas alias cantiones tibiales recenset, quas ideo commemorare nolim, quod Athenæus præ manibus facile haberi possit, ut tandem aliquando citharam describere possimus, eamque perfecto systemate instruamus. Plato autem 3. de Rep. trigona, pactidasque inter polychorda numerat.

Omitto manichordium, clavicitherium, clavichordium, seu spinetam, & aliæ de quibus Cælius lib. 5. cap. 23. 25. & 26. capit. Pollux lib. 4. onomast. cap. 8. 9. 10. 11. & seq. Textor in offic. capit. de Musica. Polydor. lib. 1. cap. 15. quibus Beda tract. de Musica jungit Atolam; alia etiam, tametsi exoleta refert Rhodig. lib. 9. cap. 4. ut heptagona, spadicas: Est autem advertendum ob panduram Lampridium hoc verbum *pandurizare*, sicut Aristot. in probl. μαγαδίζειν, usurpasse; quomodo crembali ζειν a crembalo dictum. Non est quod lyrodiam, citharodiam, & aulodiam de horum instrumentorum sono dici moneam, id enim nimis tritum. De tibiis, & instrumentis musicis legi potest præter antea relatos Petrus Gregor. in syntax. mirab. Luscingius 1. Musurg. &c.

Non autem omittendum genus aliquod tibiæ curvæ fuisse, qua præsertim in sacris Bacchi utebantur, juxta id Virg.

> *Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi.*

In cujus honorem ludi theatrales olim solum exhibitos ait Servius. Græci hanc tibiam πλαγίαυλου dicunt, Latini vascam, qua Satyri utuntur. De ea locatum existimant Flavium Vopiscum in Carino, dum ita loquitur. *Nam & neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit: & tichobaten, qui per parietem urso eluso cucurrit: & ursus mimum agentes, & item centum salpistas uno crepitu concinnentes, & centum camptaulas, choraulas centum, etiam pithaulas centum, pantomimos, & gymnicos mille &c.* Ubi camptaulam tibiam esse ajunt; Salmasius legendum arbitratur, cerataulas, quæ sint cornicines, quemadmodum salpistæ tubicines, nam σαλπιστήρ est tubicen, κερατάυλης vero, cornicen. Choraulæ erant, qui cum choro tibiis canebant, qui chorus 7 cantoribus, sive symphoniacis constabat; qui bus tibia concinens choraules appellabatur, licet eo nomine vocaretur, qui saltabat ad tibiam. Pithaulas non pauci pro tibicinibus dolio canentibus acceperunt: qui confirmant illud ex Seneca *6.* natur. quæst. cap. *19.* ubi de canente in dolio loquitur. Meminit etiam Aristot. doliorum hujuscemodi, quorum tinnitum diapason resonaturum ait, si dolia fuerint similia, & æqualia, & unum sit inane, dimidiatum alterum: sect. 19. probl. ult.

Sunt & alia instrumenta, ut crotalum duabus laminis, aut virgulis æneis constans, quæ manu agitatæ sonum argutum edant; fiebat etiam ex arundine per medium scissa, cujus 2 partes ita collidebantur, ut sonus audiretur: crepitant, & ossa collisa: & ciconiam ob rostri superioris cum inferiori collisionem, crotalistriam nuncupant. Existimant aliqui Apulejum de crotalo loqui, dum ait: *Paucæ virgulæ trajectæ crispante brachio, tergeminos ictus reddebant:* deinde: *Nam dextra ferebat æneum crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam trajectæ mediæ paucæ virgulæ crispante brachio tergeminos ictus, reddebant auctum sonum.* Alii volunt hic sistrum Ægyptiacum describi, quod erat ovalis figuræ, manubrium habens, quo teneretur, & agitaretur, adeout reticuli palmarii formam haberet, atque brachio crispante virgularum laminam in modum balthei recurvatam trajicientium ope crepitaret. Plura apud authorem citat; videre potes, qui pithaulas per γ scribendum contendit, ut non a πίθων, doliis, sed a πυθίων; ut significarentur, qui pythia canebant, & tibias pythicas inflabant, & pœnes in honorem Apollinis Pythii in urbe Pytho canebant. Vide Senecam epist. 76. Pythaulæ vero in comœdiis duabus tibiis flabant, & eas flatu veluti animabant, quæ impares vocabantur, quia foramina unius diversa erant ab alterius foraminibus; quod primus Hyagnis fecisse dicitur, si Apulejo, vel Marsyas, si Plinio credimus: manarunt autem a Phrygibus, quarum dextram incentivam, sinistram succentivam ajunt, quod dextra incineret, sinistra succineret; dextra uno foramine, vel paucioribus pertusa erat præcentoriam Solinus appellat *cap.* 11. qua ad aras Deorum canebant: cujusmodi etiam erat spondaica, seu ἐπιβώμιον; sinistra pluram foramina habuit, & vasca ob so-

ſonum vaſcum, ideſt, levem, acutum, & inanem dicta eſt: Serranam etiam, & Tyriam hanc appellant; lydiam altera, & tibicines paribus ceciniſſe volunt, cum 2 dextris, aut 2 ſiniſtris uſi fuere. Genus hoc tibiæ Græci πυφαυλίον nuncupant. Præter illos tibicines alii ποδοκτύποι, & ψοδοψόφοι dicebantur, qui veluti meſochori modum canendi pedis ſono dabant, quo pulpitum, aut ſolum ita tundebant, ut æquali, ac perpetuo quodam tenore cantici modulationem temperarent, atque moderarentur; quod jam in ſymphoniacis concentibus muſicis levata, poſitaque manu ab eo fieri ſolet, qui coryphæus fuerit, qui menſuram percutere dicitur: quod antiqui pedum ſupploſione præſtabant, & ad incentivum dandum ligneis Soleis, vel ferreis trepebant, quæ ſcabella, ſeu ὑποπόδια, ποδαρῦλια, pedicula, κρυπέζια, Sandalia, ſuppedia, ποδοτύπια, ποδοψόφια, & ſcabilla dicta ſunt: de quibus Arnobium loqui volunt, dum *lib.* 7. ſic habet. *Sed ſit, ut vultis, honor in vino, ſit in ture, immolatione, & cædibus hoſtiarum iræ numinum, offenſioneſque placentur: etiam Dii ſertis, coronis afficiuntur, & floribus? etiamne æris tinnitibus, & quaſſationibus cymbalorum? etiamne tympanis? etiamne ſymphoniis? quid efficiunt crepitus ſcabillorem? ut cum eos audierint numina, honorifice ſecum exiſtiment actum, & ferventes animos irarum oblivione deponant*. Quorum ſcabillorum, vel ſi vis, ſcamillorum a ſcamo, Sveton. in Caligula, Tullius orat. pro Cælio, & D. Auguſt. *lib.* 4. de muſica, nec non Iſidor. in Gloſſis meminerunt. Quæro ex te, inquit D. Auguſt. *Utrum poſſint copulati ſibi pedes, quos copulari oportet, perpetuum quendam numerum creare, ubi nullus finis appareat: veluti cum ſymphoniaci ſcabella, & cymbala pedibus feriantur, certis quidem numeris, & his, qui ſibi cum aurium voluptate junguntur, ſed tamen tenore perpetuo: itaut ſi tibias non audias, nullo modo ibi notare poſſis, quouſque procurrat connexio pedum, & unde rurſus ad caput redeatur*.

Nonnulli tamen ſcamellum dixere ſymphoniam, quæ eſt lignum cavum ex utraque parte pelle extenſa, inquit Iſidor. ſupra, quam virgulis hinc inde Muſici feriunt, ut ſymphonia genus organi muſici fuerit; qua ratione D. Hieron. epiſt. ad Dardan. chorum genus inſtrumenti facere videtur, quod ſimplici pelle conficeretur cum duabus cicutis æreis, ut per primam inſpiraretur, ſecunda vocem emitteret; quales ſunt utriculi apud nos, quibus ἀσκαῦλαι utuntur Salmaſius tamen pro, *fuit chorus*, legendum putat *dorus*, quia δόρος pellem, & utrem ſignificat. Illa vero ſcabellu ſyntona dicebantur, nam eundem tenorem ſervabant ποδοκτύποι, ut patet ex relato D. Auguſt. meminit Quintil. *lib.* 9. *cap.* 4. ſyntonorum; ubi rythmis id tribuit, quod Auguſtin. pedum ſtrepitui; ut qua cœperunt ſublatione, ac poſitione uſque ad finem decurrant; ita enim oratio ſyntanorum modis ſaltitare dicitur, quæ rythmice incedit, & veluti continua ſemper it in eoſdem pedes, & ſimili cadentia deſinit, ut videre eſt in iis, qui apud religioſas domos legunt durante refectione, vel canunt uniſonum ſine ullis notulis, aut ſine ullo accentu concionantur.

Hinc ſyntonarius appellatur, quia ſcabella percutit, ſicut & pedarius, & pedicularius; & fiſtulæ genus aliquod τονάριον, ſeu συρίγγιον, quo vox remittebatur, vel intendebatur, apud Quintil. *lib.* 1. *cap.* 10. Pedum vero crepitacula, & crotala, Græci vocant ἀσκάρυς, vide Heſych. tectis etiam crepitum edebant ſaltantibus pantomimis, qui prius ſimul canebant, & ſaltabant, ut Sveton. in Caligula, & Nerone Livius *lib.* 7. & Gellus innuunt. Hos dixerunt hiſtriones forſitan a Tuſca dictione, *hiſter* iludio: qui & cantores appellati, fabulas enim ſaltabant, & canebant; in canticis enim ſaltabant, & in diverbiis canebant. D. Hier. vel Euſeb. in Chronico Pyladis Cilicis pantomimi meminit; qui in tragædia, cicut Bathyllus in comœdia excellebas, qui ſaltationem Italicam ex tribus, nempe tragica, comica, & ſatyrica compoſuerunt: hinc pantomini, ſatyri, & ſaltatores, lentiones dicti ſunt, quod corpus in ſaltando lentarent, & inflecterent, & ludii, ſeu ludiones, non a ludiendo, ſed a lydio. Apud Græcos autem σατυριστὴς, & σκηνικὸς, & χορδιτὴς, prædictis vocabulis æquivalet. Cæterum de his omnibus onomaſtica Pollucis, Heſychii & aliorum conſulentur.

Ad Sitharam enim feſtino, ci prius obſerves Plinium *lib.* 7. *cap.* 33. de quodam pantomimo forma excellenti loqui nempe Mithœco, pro quo male vulgo legunt, Mithico, unde quidam ait errorem illum promanaſſe, quo pantomimorum peculiare genus mytichum a ſenivo diſtinctum plures arbitrati ſunt: quomodo autem pantonini, manuum geſticulationibus omnia repræſentarent, & ars illa Chironomia vocaretur, diſcemus alias, interim videatur Plato, qui legum 7. τὴν ὀρχηστικὴν hanc artem appellat: & Cyprian. lib. de ſpectaculis ubi ait mimis artem eſſe verba manibus expedire. Athen. ubi Teleſten ὀρχηστοδιδάσκαλον appellat. *lib.* 1. & Lu-

& Lucian. *περὶ ὀρχήσεως*. Valer. *lib.* II. *cap.* 4.

Ut ergo veniamus ad citharam, cum nihil videam, cur a ſententia D. Hier. autoris Epiſtol. jam laudatæ, quæ illius nomine circunfertur, recedam, ſuppono 24. chordis, ſive æneis, ſive alterius materiæ parum refert, inſtructam fuiſſe: Quapropter perfectiſſima fuit, & triſdiapeſon continuit: quod in diatonico genere ſic explicare poſſumus, ut quod de hoc inſtrumento dixerimus, cœteris applicari valeat: citharæ vero ſonum Suidas *θρετανελὸ* vocavit.

Si igitur 1. chorda *ὑποπροσλαμβανόμενος* Γ. ut 2. Chorda *προσλαμβανόμενος*, A. re. Tertia, hypate hypaton B-mi: 4. Parhypate hypaton. C, ſol, fa, ut, ſon E, la mi. 7. Parhypate meſon, F, fa, ut. 8. Licanos meſon, G, ſol, re, ut. 9. Meſe, A, la, mi, re. 10. Trite ſynemmenon B, fa. 11. Paranete ſynemmenon B-mi. 12. Nete ſynemmenon, C, ſol, fa, ut. 13. Parameſe D. la, ſol, re. 14. Trite diezeugmenon E, la, mi. 15. Paranete diezeugmenon, F, fa, ut. 16. Nete diezeugmenon. G, ſol, re, ut. 17. Trite hyperboleon, A, la, mi, re. 18. Paranete hyperboleon B, fa. 19. Nete hyperboleon, B-mi; ſed quia hucuſque tantum nomina Græca ſuppetunt, 20. ex invento Guidonis Aretini, qui circa annum 1020. floruit, addemus, eritque, C, ſol, fa, ut. 21. D, la, ſol, re. 22. E, la, mi. 23. F, fa, ut. 24. G, ſol, re, ut. In quibus triplicem ordinem litterarum ſepties repetitarum habes, quibus ſi addideris, A, la, mi, re. Triſdiapaſſon conficies: numerum unicuique nervo, ſeu phytongo proprium habes in latere citharæ, quo poſſit intervalla ſingula, & omnes conſonantias dimetiri, & earum proportiones accurate inveſtigare.

Cum autem in 3 Muſices generibus ſyſtematum phtongi nominibus minime differant, ſed intenſione, ex dictis tam Chromaticum genus, quam Enhatmonicum diſquiri poterit, nam Parhypate hypaton verbi cauſa diſtat ab hypate hypaton dieſi in Enharmonico genere: ſicut in Chromatico, & Diatonico hemitonio.

Item in Enharmonico Lichanos hypaton diſtat a parhypate hypaton dieſi: In Chromatico, hemitonio, in Diatonico, tono. Iterum in Enharmonico hypate meſon diſtat a Lichanos hypaton ditono; In chromatico, triſhemitonio: In Diatonico, tono, ut fuſius poſtea dicendum erit.

Et his tribus modis perfectum tetrachordon conſtituitur ex hemitonio, & ditono conſtans, id eſt conſonantia, quæ Diateſſaron dicitur, ſeu quarta, proportione conſtans epitrita. At in quolibet ſyſtemate ſunt 12. Græcorum modi de quibus poſtea dicetur, qui proinde fuerunt in cithara Davidica, cujus figuram antequam exhibeamus, afferre libet Hebræorum rationem, juxta quam diverſa harmoniæ, aut vocum genera numerant, quæ *Neghinot* appellantur. i. modi, ſive diſcrimina vocum. Primus igitur modus generis nomen retinuit. נגינות.

Secundus משכל *Maſcil*. 3. מכתם *Mictam*. 4. שגיון *Sigaion*. 5. נחילות *Nebilot*. 6. שגינות *Sigionoth*. 7. גתית *Gitith*. 8. עלמות *Halmult*. 9. שמינית *Seminith*. At de Muſica Hebræorum, ſicut & de verſuum generibus fere nihil certum habemus. Reliquum eſt igitur, ut ſyſtema citharæ accomodemus, licet eam imbellem & effœminatam Horatius lib. 1. carm. ode 15. innuat.

——— *grataque fœminis*
Imbelli cithara carmina divides.

Quam nec Clemens 4. pædag. inter inſtrumenta bellica numerat, cum ait, *In bellis ſuis tuba utuntur Hetruſci: fiſtula Arcades: Sicuti pyctibus: Cretenſes lyra: Lacedæmonii tibia: cornu Thraces: tympano Ægyptii: & Arabes cymbalo*. Citharæ faciunt organum ſimile, quæ homines ad turpem laſciviam commoveantur, quia radix ענב *hagab*, unde עוגב *hugab* organum, laſcive amare, & velut inſanire ſignificat, quod maxime verum afferunt, cum modum ionium canunt, qui jucundos auditores efficit; & quidem a me nullus obtinebit citharam noſtram, aut organa per ſe ad laſciviam excitare, niſi forte ob cantilenam ad luxum provocantem, quot enim videas, qui vel citharæ, vel organorum auditu ad pietatem excitantur? Imo juſſi aliquando citharœdum, ut eo modo pulſaret, qui ad arma capienda, & ad prælium excitaret, quod optime cedebat.

Lydio ad Bacchicum furorem, Phrygio ad Enthuſiaſmum ſeu divinam furorem, Dorio ad modeſtiam homines incitari poſſe credunt.

MARINI MERSENNI
DE
MUSICA HEBRÆORUM,

Et explicatio locorum Scripturæ Sacræ, quæ de Muſica, & vi ſonorum loquuntur.

TAmetſi mirabilis illa templi Hieroſolymitani muſica penitus cum ipſo templo, & reliquis Judæorum privilegiis deleta fuiſſe videatur, illi tamen loco muſicæ utuntur accedentibus, quorum collatione ſciunt qua ratione cantuum moderari debeant, ut omnes conſentiunt, atque docent, qui de Judæorum muſica ex profeſſo agunt, præſertim vero Joannes Iſaac lib. 2. de accent. in fine, ubi ait illa muſica pios omnes auditores multum affici, & in admirationem rapi: verum Coſdræ regis Perſarum autoritate probat Judæos non adeo nunc, ac antea præcellere, qui licet concedat muſicam a Judæis originem duxiſſe, & primum apud eos floruiſſe, attamen ſuum decorem amiſſit, quia (inquit) eam ancillæ, & homines nihil exercent, Iſaac vero nos ad Capnionem remittit. Paucis omnia complector, quæ de hac muſica vulgo feruntur. Ubi advertendum eſt accentus muſicos a grammaticis figura non diſtingui, ſed uſu duntaxat, enim vero cum grammatici proprias muſicorum notulas non haberent, grammaticos accentus uſurparunt, adeout ubicunque grammaticos ſyllabam elevandam cenſeret, muſicus canendum duceret, vel contra (quibuſdam exceptis.) Muſicum accentum נגינה ſeu modulum appellant, qui non unicum ſonum, ut noſtræ notæ *ut*, *re*, *mi*, *fa &c.* ſed totum unius, aut plurium dictionum cantum refert ita ut ſua figura canendi modum aliquo modo repræſentet: unde Blebelius cum aliis colligit primum a muſicis accentus illos inventos: poſtea vero ad ſimplicem pronuntiationem traductos fuiſſe. Hos autem accentus muſicos in ſolis bibliis inveniri ajunt. Sed cum incerti ſimus num Judæi ante natalem Chriſti accentibus illis uterentur, quos jam uſurpant, non eſt, quod huic muſicæ diutius inhæreamus; tantummodo Judaicorum tonorum unicum exemplum afferam, in quo perſpicias, quem cantum ſinguli accentus tam reges, quam miniſtri apud illos ſignificent; ubi 4 muſicæ partes apponere nolo, quas apud Capnionem loc. cit. videre eſt, ſi muſicam ingratam, & non ſine gravibus erroribus compoſitam videre cupis. Itaque cantus ſimplicis exemplo ſolum utemur, ita tamen ut muſica literata uti velim, ut quiſpiam hoc muſicarum notarum genus in promptu habeat, quotieſcunque verſus proprios aut quid ſimile muſica, notiſque muſicis ornare, & ornatos typis vulgaribus cujuſpiam Typographi exprimere voluerit, alioqui enim muſici typographi pauciores ſunt, quam ut illorum induſtria paſſim adeſſe valeat. Fœlix ille, qui mirabilem templi Hieroſolymitani muſicam reſtituet, ut omnium fidelium mentes ad cœleſtia deſideria erigat; fœlix, qui muſicis perſuadebit, ut numquam ullo concentu niſi in depromendis numinis divini laudibus utantur, fœliciſſimus, qui cœleſti fruetur armonia, qua beati Deum omnipotentem collaudabunt, juxta id Pſalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Interim Judaicæ muſicæ reliquias accipe.

Re-

Regum toni, seu ניגונות מלכים

RFMSLSM 3 ... VRFMSLSM 3

FV1 FSFSLFVF F0 ... FV

1 שלשלת 2 פזר

RF 4

FLLLFV | FSFSLFVFFF | RFMFLMFMF | LFSLFF | LFF |

3 קני פרח 4 תלישה 5 זרקא 6 גרשים 7 גרש

FRLFFF | FLSS | VVRMFS | SFSF | F SF | SF |

8 זקף גדול 9 זקף קטון 10 ביע 11 סוף פסוק 12 אתנח 13 פשטא

RFF | FRV | FV | FR | FF | FF |

14 טפחא 15 תביר 16 יתיב 17 לגרמיה 18 פסיק 19 סגול

Toni Ministrorum, seu משרתים

VRVRMFV | 1

RFLF | FLFSLFRV | FSFSLLFSFSLLL | FSFSLL | FLFSLFF |

1 דרגא 2 תרסא 3 ירח בן יומו 4 מירכא כפולה 5 מכרבל

SLFF | SLF | FRLF | SR | SF |. RFF |

6 עלוי 7 מונח 8 מהפך 9 קרמה 10 מירכה פשוטה 11 מאילא

Hi sunt toni, seu modi, quibus Judæi in suis synagogis utuntur; præter quos Picus Mirand. in apoc. cap. de magia naturali, & cabala sequentes numerat נשא *nesa*, quo canerentur ode, נאם *neym*, cum organo confunditur. Per מזמור *mismor* psalmi, orationes per תפילה *tephila*, per שיר *sir* cantica, benedictiones per ברכה *beracha*, per הלל *hillel* laudationes, gratiarum actiones per ידידיה, *jedidia*, per אשרי *asre* fœlicitas alicujus, laudes Dei per הללויה *hallelouia*, quod vi velut *esoph* constituas, pro decimo modo מכיל *masckil* statuetur, per quod contemplationes canentur. Quibus vides modos, instrumenta, & id quod canitur, eadem nomina sortiri.

Plura non addam, quandoquidem recentiores Judæi, & Rabbini hoc sæculo imperitissimi sunt, & cum eorum templo, atque sacrificiis omnes scientiæ perierunt, ut singulis tam corporis, quam animi ornamentis spoliarunt, qui Christum Dominum vita spoliaverant, & omnes scientias amitterent, qui scientiarum Deum e medio tollere conati sunt. Non est autem quod in notis diutius versemur; quibus omnes nationes utuntur, cum id vel nihil, vel parum ad musicam intelligendam facere videatur. Itaque sua sibi signa Chaldæi, Arabes, & Græci servent, aliis enim pro libito, ut hisce literis, quas ad horum accentuum Hebræorum melos exponendum exhibui, vel numeris, ut prius dixi, vel Guidonicis, vel aliis quibuscumque uti possumus. Quemadmodum vero vulgaris ista Judæorum musica, quæ a nostris recentioribus mutuo sumpta, quamvis satis infœliciter, nihil sapit, quod viris doctis placere possit, ita veterem, illam Israelitarum admiror, cujus vel apotome utinam inveniremus. Profecto non esset, quod ullus Græcos consuleret, cum ad unius psaltis præsentiam prophetiæ donum a Deo susciperetur, & ad citaræ, vel psalterii sonitum stupenda contingerent, ut patet ex Eliseo, qui ut Josaphat regi Juda, Joram regi Israel, & regi Moab siti laborantibus aquam tribueret 3. *Reg.* 4. *vers.* 15. prius sibi psaltem adduci jubet. *Cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait. Hæc dicit Dominus: facit alveum torrentis hujus fossas, & fossas. Hæc enim dicit Dominus: Non videbitis ventum, neque pluviam, & alveus iste replebitur aquis, & bibetis vos, & familiæ vestræ &c.* quæ ibidem legere poteritis.

Eapropter ab iis locis exponendis sumam exordium, quæ prophetiam vi concentus musici prophetis, contigisse vel insinuant, vel affirmare videntur. Locus est insignis 1. *Reg.* 10. *vers.* 5. ubi Samuel ad gregem prophetarum misit Saulem unctum in Regem, qui cum occurrissent, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque pro-

prophetantes vidisset. *Insiluit in eum spiritus Domini, & prophetavit in medio eorum*, ut vers. 10. legimus; & 12. *Propterea versum est in proverbium. Num Samuel inter prophetas?* Paralip. 1. cap. 25. filii Asaph, & Hemam, & Itiphum in ministerium a Davide segregati prophetabant in citharis, & psalteriis, & cymbalis. Huc omnia Scripturæ loca referre poteritis, quæ simile quidpiam afferunt, quippe quæ eodem modo intelligi debent, ideoque plura non exscribam, jam enim initio quæstionis, alia duo attuli, quæ vim citharæ Davidicæ malum spiritum a Saule repellentis, & tubarum efficaciam insinuarent: quarum clangore muri Jerico corruisse videntur, quæ ad triplicem effectum musicæ discutiendum nos provocant, quorum primus ad prophetiam, secundus ad morbos, vel dœmones expellendos, tertius denique ad aliquid concutiendum & agitandum pertinet; quibus ubi satisfactum fuerit, non video quid a nobis in præsenti requiras. Ut ergo ad prophetiam accedamus, brevi discutiendum est, quid illis locis per prophetiam, & prophetiare intelligatur, alioquin enim cum illa verba varias explicationes patiantur, facile possemus aberrare. Itaque prophetia significat illam rerum futurarum præsensionem, atque prædictionem, vel instinctum Dei, quo quis afflatus secreta cordis, vel alia arcana revelat, quæ via naturali sciri nequeunt, adeout qui illa arcana, & consilia Dei per afflatum Spiritus sancti sine proprio labore novit, propheta dicatur; qua ratione doctores, & concionatores, qui ex instinctu divino ea docent, quæ ad numinis divini cultum attinent, & qui vi spiritus ejusdem arripiuntur, ut Dei laudes hymnis, & canticis celebrent, prophetæ dicuntur. Et hujuscemodi canentium filii, prophetarum filii nuncupantur, ut 4. *Reg.* passim videre est: adeout ipsi cantores, qui psallebant, prophetæ dicti sint. 1. *Paralip.* 25. quo sensu si Saulem prophetasse dixerimus, mirum non erit, cum id naturale sit, ut quis libentissime sanat, dum inter musicos, & eos, qui divinas laudes celebrant, inveniuntur. Dicuntur etiam prophetæ qui ex mali spiritus afflatu insana effutiunt, ut idem Saul 1. *Reg.* 18. quo sensu poetæ furore aguntur, dum ajunt cum Ovidio 6. *Fastor.*

> *Est Deus in nobis, agitande calescimus illo,*
> *Impetus hic sacræ semina mentis habet.*

Et Epimenides poeta ad Titum 1. propheta vocatur. Adde si vis miraculorum exhibitionem prophetiam appellari, sic enim *Eccl.* 48. Elisæi corpus prophetare dicitur, quia contactu mortuum suscitavit 4. *Reg.* 13. corpus vero Joseph prophetiam confirmavit. *Eccl.* 49. quia ejus ossa cum Hebræorum castris ex Ægypto egressa sunt, Cum autem musica facile inducat aliquem, ut canat, imo plurimi non raro etiam non advertentes canant, si quem concinentem audierint, jam non sequor illorum sententiam, qui volunt Saulem eo tantum sensu prophetasse, quod cum illo prophetarum cuneo cecinerit; nisi forte dixeris in hoc miraculum fuisse, quod ea belle caneret, quæ prius nesciebat, quæ tum divino numine illustratus didicerit. Ubi advertendum est simplicem laudum divinarum cantuum 1. *ad Cor. cap.* 11. prophetiam appellari, quando mulier non velato capite orans, vel prophetans caput suum deturpare dicitur. Denique qui de rebus divinis in ordine ad pietatem scribunt, disserunt, vel serio meditantur, aut sunt Dei internuntii, ut Moyses, & Aaron, vel facto, aut voce Deum laudant, in scriptura prophetæ nuncupantur, quia prophetæ canticis vaticinabantur, & prophetiæ canticorum similitudinem habere videntur. Hic autem suppono loca illa, quæ hic aggredior, de rerum futurarum, vel secretarum, & nondum cognitarum notione intelligi, ut Saul vel ea, quæ antea nesciebat, aliorum Levitarum instar, protulerit, vel etiam futura quædam de rebus divinis prænuntiarit: alioquin enim nulla est difficultas a fidicine aliquem ad Dei laudes celebrandas excitari posse: non quod illa loca, vel saltem quædam ex istis sensum illum non patiantur, sed ut nobis ipsis majorem difficultatem creemus. Quomodo igitur fidicen ad prophetiam excitare potest? An quia facultates animi cithara cogit, & eas ab exterioribus avocans in animæ centro figit? An quia mens supra se velut attollitur, & dum armoniæ communicantur, adeout ipsa futura prædicere valeat? quid obsecro magi, & cabalæ magistri respondebunt? Nunquid intellectum agentem harmonia dispositum, & extra se positum ipsi divinæ intelligentiæ conjungi?

Profecto si magos audiamus, scio illos responsuros ex tripode stantem animam, a quo totius magiæ virtutem hauriendam esse nugantur, esse in causa, cur Saul accinente fidicine propheta fieret, enim vero putant animam pro variis furoris gradibus mira efficere, adeout animus furore musico percitus e custodito car-

carcere egreſſus membrorum vincula nullo cohibente tranſgrediatur, & divino ſpiritu concitatus omnia comprehendat, & futura prævideat, ac ſi Muſarum furor per concentu ſuperiora traheret ad inferiora, & mentem hominis divinam efficeret: quapropter cœlos novem conſtituunt, quibus 9. muſas, velut animas præficiunt, rati ſe omnia explicare poſſe, quæcunque propoſuerit aliquis, cum ex ſingulis rerum omnium gradibus ſuperiora verſus inferiora ſe trahere mentiantur: propterea ☽ regetabilibus, animalibus ☿; ſubtiliſſimis pulveribus ♀, ſolem vocibus, & cantibus: vehementibus animi conceptibus, & affectibus ♂, ♃ ipſis diſcurſibus, contemplationibus ♄, annulis firmamentum, occultis denique intelligentiis & cæteris myſteriis primum mobile præeſſe ſupponunt, ut nihil ſupereſſe poſſit, quod in furorem muſarum non rejiciant, niſi forte quod furori Dionyſiaco, Apollineo, atque Venereo ſubjiciunt. Hæc eſt inſignis illa malitia dœmonum, qui ut homines abſque Deo faciat, ſuadet a ſideribus omnia profluere, ut ſicut gentiles cacodæmonem ſub figura Apollinis, Jovis, & aliorum fabuloſorum Deorum venerabantur, nunc ſub aſtrorum titulo, & velut omnes ſcientias ab ipſis Muſicis edocti eundem ſathanam cultum proſequantur. Hinc fit, ut fatidicos ſpiritus Abrahæ, Sermo, Moſi, Davidi tribuant, quorum aliquis in Saulem inſiluerit, juxta id Apollinis apud Porphyrium.

> *Carminibus dominus Phœbus, nam fulgur ab alto*
> *Defluxit, tacitus purorumque per aera vectus,*
> *Afflatu ſpirans, labenſque in corda ſonoro,*
> *Et ſubiit mentem innocuam, ſanctique capacem*
> *Numinis, & peperit mortali ex gutture vocem.*

Itaque ut brevi mentem illorum circa Saulis prophetiam, & vim prophetandi, quam per concentum harmonicum effici putant, aperiam: volunt mentem concentu percepto cœleſtem harmoniam meditari, & illico dulcedinis illius ſuavitate allectam, quia recordatur, quam admirabilis ſit illa muſica ſphærarum cœleſtium e corporis vinculis avolare, donec futurorum cognitione repleta redeat, & totum corpus agitet, & veluti furore corripiat. Quæ omnia refellere non vacat, tum quia fuſius, & comodius illud alibi fieri poterit, tum quia ſatis oſtendunt ſuam falſitatem, ut ea prodidiſſe, magna ex parte confutaſſe fuerit: tum quia jam ſupra diſcuſſimus, quia ratione res inferiores aſtris ſubderentur. Dico igitur nullas muſas cœlos animare, nulla ſidera menti, rationi, vel animæ præeſſe, nihil eſſe in toto cœlorum ambitu, vel inter ipſa ſidera, quod prophetiam ad nos deducere valeat: quapropter ſinguli hujuſcemodi fabulas, ut dœmonum, & impiorum inventa repudiare debent; & credere nihil præter Deum omnipotentem animæ rationali dominari. Ne vero rerum divinarum, & cultui divino ſervientium imagine decipiaris: ſi quando cœremoniis noſtris Magos abuti videris, adverte dœmonem nulli rei magis ſtudere, quam ut cultum Deo debitum in ſe transferrat; hinc fit, ut contemplationem, & animi puritatem, nec non jejunia, & multas externas obſervationes a magis requirat, ut ea ratione incautos, imo ſi poteſt fieri, prudentes, atque pios decipiat. Quod ut cautius peragat, eadem poſtulat, quæ a Chriſtianis fidelibus fieri perſpicit, ſic enim magi facile nobiſcum verſantur incogniti, & cultum dœmoni ſub pietatis titulo propagare nituntur. Quæ hic ad omnium cautelam, & Chriſtianam prudentiam dicta ſint.

Opinor igitur muſicam eatenus duntaxat prophetiam juvare, quatenus animum attentum rediit, & a quibuslibet aliis cogitationibus revocat, ut unico concentui vacet: ſic enim fidicines, & cithariſtæ ajunt ſe nunquam fœliciores eſſe, quam ubi teſtitudine cantum exprimunt: non quod Deus illa præparatione indigeat, ſicut nec ſomnio, ut aliquid revelet & animum illuſtret, ſed ut aliqua ratione ſe rerum ipſarum naturis accommodet quocirca ſæpius in veteri teſtamento pſalmicine prophetas uti voluit, ut animus ad armoniam comparatus divinum influxum exciperet, quem nullæ imaginationes, & rerum caducarum phantaſmata interturbarent. Ita igitur Saul, ita prophetæ diſponi potuere. Quæ forſitan aliquando fuſius agitabimus: nec enim deſunt pulcherrimæ congruentiæ, ob quas Deus harmoniæ ſeſe accommodet, ut quod ordinis qui in concentu reperitur, & proportionis ſit amiciſſimus, cum anima Deo grata mirabilem proportionem, & ordinem in ſe habere debeat. Sunt qui putent tunc cecidiſſe prophetas, cum eis Deus aliquid revelaret, ut prius turbati, & extra ſe poſiti neſcirent, qua ratione divino numine afflarentur, nec enim Deus omnia opera ſua nobis cognita eſſe patitur. Quod mihi revocat in memoriam plures aliquo morbo divinitus

tus liberatos, qui fatentur se ita commotos, & agitatos fuisse, dum cura facta est, ut vix scirent, ubinam degerent, & num persanati essent, necne. Fit autem casus, cum membra spiritu, atque calore destituuntur, quod contingere potest, dum aliquis harmonia excitatus ad cerebrum, præsertim vero ad auditum suos omnes spiritus pro viribus revocat, ut voluptate fruantur, quæ per illam partem ingreditur, qua spiritus illos detinente, reliqua membra ita debilitantur, ut corruat homo; & tunc spiritibus illis collectis, qui illuc confluxerant, Deus uti potest, ut menti futura, vel arcana suggerat, ut ibi divini afflatus incipiant, ubi humana cessat operatio, ne forsitan causis naturalibus, vel mentis alicujus excellentiæ prophetia tribuatur. Nec est quod objicias idem apud Olaum de pluribus referri, qui magi existimantur, quos post casum de pluribus garrientes audias, quæ prius nesciebantur cum ante illud idem monuerim, ut caveres a cacodœmone, qui velut angelum lucis se conspiciendum objicit, ut incautos decipiat; sed nulla futura magnum furore correptum docere potest, quæ vel a Dei, vel ab hominis pendent arbitrio, sed ad summum ea, quæ ex verum naturalium coordinatione fluere possunt. Scio non deesse, qui putent in aere quandam esse rerum omnium, panspermiam, vel ideam, sive sit universalis anima, sive cœlorum influxus, sive atomi, quibus reciproca fiat affectuum, & conceptuum communicatio, adeout naturaliter quæpiam longissime remota se cognoscere posse arbitrentur: quæ omnia cum falsa sint, non est quod iis immoremur: tametsi enim superioribus lationibus inferiores connectantur, & ab illis regantur, & plurima supersint, quæ aeris, & astrorum ope fieri, & sciri possunt, quæ tamen hic numquam detegentur, falsum est rerum futurarum cognitionem ab aere, vel cœlis hauriri posse, cum a libertate pendent, quippe quæ ab astris vel ullis causis naturalibus minime regitur, vel eis subditur. Quamvis enim rerum visibilium species in aere recipiantur, & illarum ope nobis ea manifestentur, quæ alioquin videre non possemus, ut patet cum catoptricis, vel dioptricis instrumentis ea detegimus, quæ domus vel parietes occultabant, sive id per alicujus parietis reflexionem contingat, sive radiis solaribus speciem huc illuc superius, & inferius transferentibus, attamen actiones liberæ nullam sui speciem in aerem immittunt, ac proinde videri nequeunt, sive præsentes sint, sive futuræ. Hic catopricos, & philosophos inquirere velim, num aliquorum speculorum, vel perspiciliorum beneficio ea spectari possint, quæ multis parietibus, aut aliis obicibus interpositis a nobis longe distant. Cum enim aer objectorum speciebus fœcundus ubique diffusus sit, & sit partim diaphanus, partim etiam opacus, maxime cum a vaporibus condensantur, a quibus ille, quam spiramus, numquam liber est, forsitan species illas in oppositum speculum reflectere poterit. Quod si contingat, non video quid repugnet, quominus ea, quæ non solum in tota urbe fiunt, videantur, dummodo inter objecta, & speculum repræsentans liber aditus aeri, vel solis radio pateat, qui transferat objectorum species per quotcumque volueris reflexiones, atque refractiones in speculum expositum, sed etiam quæ fiunt apud Antipodas, & in toto mundo, cujus partes aer connectere videtur, adeout rerum omnium influxus maritet, & mutuam rerum inferiorum, atque superiorum actionem foveat, & huc, atque illuc transferat. Aer fumis quibusdam ut peti, hyoscyami, filicis, aut aliis quibuscunque juvari poterit, ut densior effectus rerum imagines efficacius referat, reflectat, & transmittat. Quo forte modo nonnulli magi esse judicantur, dum in aulis, & cubiculis varia spectra diversis fumis picis, aquæ ardentis, & aliarum rerum ope referunt, adeout astantes mortui, asini, vel alterius animalis capite videantur, & totam aulam in flumen succrescere existimes. Omitto quod aliqui asserunt se aerem lapidis instar solidum efficere posse. Sed hæc alias. Qui animam mundi intelligentem constituunt, putant animum hominis per harmoniam excitati esse illius particulam, quæ, dum a phantasmatibus corporis absolvitur, ejusdem cognitionis particeps efficiatur, quam habet illa; cum enim asserant totum corpus, totumque mundum ab illa anima penetrari, solum requirunt, ut singulorum animæ ab omni liberentur impedimento, ut eadem cognoscant, quæ universalis anima novit. Verum prius demonstrandum esset illam animam Platonicam non esse fictitiam, quod numquam facient. Huc referre possis alios, qui totius mundi virtutem in anima nostra includunt, adeout illam omnia cognoscere velint, cum seipsam contemplatur, & omnibus exterioribus relictis ad centrum mentis se recipit, quorum aliqui intellectum agentem a phantasmate liberant, etiamsi versetur in hoc corpore, ut sine conversione ad corporeas species intelligere possit: alii statuunt in anima rerum omnium species concreatas, qui-

quibus homo ipsa futura videat, dum per harmoniam a rebus exterioribus anima revocatur: qui omnes non magis placent, quam præcedentes, cum falsitate nitantur. Ad summum igitur harmonia prædictis modis hominem disponit, ut illustrationes divinas congruentius excipiat, licet Deus pro libito possit alicui prophetiæ donum sine musica, aut alia dispositione tribuere. Omitto plurima, quæ hic discuti possent, ut num concentus harmonicus aliquam similitudinem cum illustratione prophetica habeat: num animam ad certum ordinem redigat, qui prophetiæ sit amicus, &c. ut ad 2. effectum accedam, si prius advertas in harmonia ad prophetiam disponente non solum musicam, sed & verba, quæ canebantur, spectanda esse: certum est enim prophetas illos cantica, & similia cecinisse, quæ divini numinis laudes, atque prodigia continerent, quibus ad altissimas contemplationes excitati, ad prophetici spiritus radium suspiciendum præpararentur, ad quem nullus videtur aptior, quam ubi se totum contemplationi tribuit, quæ idem respectu prophetiæ dici potest, quod elementa cum cœlo, vel anima cum angelis, vel gratia cum gloria, vel fides cum lumine gloriæ, vel cogitativa cum rationali, vel metaphysica cum Theologia comparata, ut ubi unum ex istis desinit, aliud ibidem incipiat, & contemplationis, raptus, & ecstasis supremum dicatur infimum prophetiæ, quæ tota in Deum refundenda est. Non est autem perpetuum, ut psaltes cecinerit, cum alicui prophetiæ Spiritus immissus est, ut patet ex multis scripturæ locis, & ipse David 1. *Reg.* 16. spiritum illum suscepit postquam a Samuele unctus est, licet ibi nullus psaltes nullaque musica proponatur. Cap. 19. lictores Saul videntes cuneum prophetarum vaticinantium, prophetare cœperunt; imo cum ipse in Najoth in Ramatha ad capiendum Davidem venisset; prophetavit, adeout se vestimentis suis spoliaverit, & nudus tota die, atque nocte ceciderit, ubi nullius musicæ commemoratio. Hinc concludere potes, quod antea de casu prophetarum insinuavimus, quorum corpus ob spiritus ad cerebrum confluentes debilitatum corruebat, ut etiamnum iis contingit, qui in ecstasim rapiuntur, qui ob spirituum absentiam vix sentiunt. Hic autem notare juvabit Prophetarum morem, qui, ut aliqui sentiunt, inter duo clathra dormiebant, ut Deus in somnio voluntatem suam illis revelaret; qua ratione versiculum 14. psalmi 67. explicant; *Si dormiatis inter medios cleros;* ac si diceretur, si jacueritis super clathrum inferius, quod strati vices suppleat, & aliud clathrum instar conopæi caput vestrum tegat, dorsum vestrum auri pallorem imitabitur, ob lampadis radios, qui per superioris clathri foramina, vellut per cancellos penetrabit; lampas enim superiori clathro imminebat dum propheta dormiret: de quibus eruditum Jacobi Bolduci commentarium in Job, quem brevi daturus est in lucem, consulere poteris.

Secundus effectus harmoniæ quem scriptura sacra proponit, facilius ad usum revocari posse videtur: quem cap. 16. lib. 1. Reg. vers. ultimo profert, dum cithara malum spiritum a Saule David expellebat. Ubi simili difficultas circa spiritum occurrit ei, quam superius de prophetia discussimus, cum spiritus non solum pro Deo, Angelis tam bonis, quam malis, anima, vento, vaporibus, & exhalationibus, & triplici corporis viventis animali, vitali, atque naturali, sed etiam pro morbis, sicut & pro vitiis, & pro donis, atque virtutibus sumi possit: ut enim spiritum timoris, & amoris, ita spiritum gulæ, & philautiæ dicimus. Verum ne laboremus in æquivoco, hic spiritum malum Saulis, vel pro melancholia usque ad rabiem provecta, vel pro cacodœmone corporis humores agitante sumo, ne per omnia mihi currendum sit, ita tamen, ut quæ de melancholia dixero, ipsi dœmoni applicari valeant, quatenus utitur illa, ut nos torqueat, & humores alios perturbat, ne mens imperet.

Nonnulla principia Picus affert, quibus hic uti possumus, qualia sunt, quæ 7, & 8. thesi mathematica proponit, musicam videlicet movere spiritus, ut serviant animæ, sicut medicina eosdem agitat, ut regant corpus, & musicam sanare corpus per animam, quemadmodum medicina curat animam mediante corpore. Juxta matesim Pythagoricam, rationem ad concupiscentiam habere proportionem diapason: irascibilem ad concupiscibilem rationem diapente; rationem ad iram proportionem diatessaron. Quibus positis investigare possumus, qua ratione David Saulem furentem reprimeret. Et quidem præter illas proportiones Pythagoricas Astrologi voces, & concentus astris subjiciunt, ac si quis per concentum virtutem siderum ad nos trahere possit. Ita Davidem ajunt sidus illud cognovisse, cui concentus jungendus esset, ut Saulis phrenesis retunderetur, & se levius haberet. Quæ ut melius intelligamus, sciendum est illos tribuere Satur-

turno voces triſtes, raucas, graves, & tardas, ac velut in centro poſitas; aſperas vero, minaces, acutas, veloces, & iracundas ♂; ☽ medias: Jovi concentus jucundos, conſtantes, & graves; venerabiles, & cum gratia dulces, & puros ſoli ♀ laſcivos, & in circunferentia diſſolutos; remiſſiores, & cum ſtrenuitate lætos ☿, ita tamen ut tonus Muſis 9. obtemperet, & ♃, diapaſon diapente ſol diapaſon, & diſdiapaſon; diapente Venus; ☿ diateſſaron regant. Qui, ne elementa aſque concentu eſſent, hypate terram, parhypate, vel meſe aquam, paranete, vel ſynemmenon aerem, nete vel diezeugmenon, vel hyperbolæon ignum aſſignarunt, ut quilibet lyræ Mercurialis nervus elementum referret.

Elementorum vero qualitates 4. modis principibus accommodarunt, aquæ, & phlegmati Dorium; phrygium igni, & choleræ; ſanguini & aeri lydium; denique mixolydium atræ bili, & terræ. Quos poſtea modos in cœlum ipſum tranſtulerunt, dum Uraniæ, ſeu octavo cœlo in meſe hypermixolydium: in lichanos meſon Polymniæ, & ♄ mixolydium: in parhypate meſon Euterpe, & Jovi lydium: Erato, & ♂ phrygium in hypate meſon: in lichanos hypaton Melpomene, & ſoli Dorium: Terpſichore, & ♀ in parhypate hypaton hypolydium: Calliope, & ☿ in hypate hypaton hypophrygium; Clio denique cum luna in proslamuanomenos hypophrygium tribuerunt, & ad ſilentium terrenum Thaliam redegerunt, quæ ſequentibus diſtichis expreſſere.

Germinat in primo nocturna ſilentia cantu
Quæ terræ in gremio ſurda Talia jacet.
Perſephone, & Clio ſpirant, hypodorius ergo
Naſcitur, hinc ortum Proſmeledes generat.
Dat hypochorda ſequens phrygium, quem parturit ipſa
Calliope, interpres parturit ipſe Deum.
Tertius oſtendit hypolydæ exordia nervus.
Terpſichore occurrit, ordinat alma Paphis.
Melpomene, & Titan ſtatuunt mihi crede modum, qui
Dicitur in quarto Dorius eſſe loco.
Vult Erato quintum Phrygio præſcribere nervum,
Mars quoque non pacem, prælia ſemper amans.
Lydius Euterpes Jovis, & modulamen habebis,
Dulce tenens juſſit ſexta quod eſſe fides.
Septeno Saturnus agit Polymnia nervum,
Principium mixolydius unde capit.
Uraniæ octavam dum perſcrutatur amicam,
Verſat hypermixolydius arte polum.

Quæ omnia non minus repudio, quam ea, quæ de eadem aſtrologia articul. 3. dicta ſunt: cum enim hæc ſine probatione dicantur, non eſt quod in illis refellendis aliud præter negotiationem afferam. Fruſtra itaque laborabunt harmonici, ſi a terra ad ☽ tonum; a luna ad ☿ ſemitonium; & ab eo ad ♀ tantumdem; a terram ad ſolem diapente, a luna ad ſolem diateſſaron: a ſole ad ♂ tonum: hic ad Jovem ſemitonium; tantumdem a ♃ ad ♄; & a ♄ ad firmamentum: & per conſequens a ſole ad firmamentum diateſſaron, & a terra ad idem firmamentum diapaſon quærant; ſatis enim experientia geometricæ aſtronomiæ docet illa ſpatia perperam conſtitui, ut ex artic. 3. & ex dictis alibi de cœlorum a ſe invicem diſtantia conſtat. Idemque de proportione motuum concludendum eſt, quandoquidem proportio motuum ♄ ad ♃ non eſt dupla ſeſquialtera, neque Jovis ad ♂ ſeſcupla, neque illius ad ☉, ♀, & ☿ dupla, aut eorum ad ☽ duodecupla, vel ♄ ad cœlum ſtellatum millecupla, & ducentupla, ut locis cit. videre eſt. Quapropter nunquam is ad furorem reprimendum perveniet, qui muſicos concentus ad inſtar cœleſtium componet, tum quia nulli ſunt in cœlis, tum quia licet aliqui eſſent, numquam hic a nobis deprehendi poterunt.

Ne vero ſuperſint aliqui, qui revocent in dubium, num ſaltem in elementis aliqua porportio ſita ſit, quam noſtra harmonia imitari debeat, vel a qua juvari poſſit: de elementis, æque ac cælis affero non eſſe laborandum: enimvero Pythagorica imaginatio non facit, ut inter ignem, & aerem ſit proportio dupla in baſibus, ſeſquialtera in angulis ſolidis, & in planis dupla, ut diapaſon diapente reſultet; vel ut inter aeris, & aquæ baſes ſit dupla ſeſquialtera, & inter angulos dupla; vel ut inter aquæ, & terræ baſes ſit tripla ſeſquitertia ad diapaſon, diapente, & diateſſaron conſtituendum, inter angulos vero ſeſquialtera; vel denique ut inter terram, & ignem proportio ſit in baſibus ſeſquialtera, & in angulis dupla; nam quocunque modo ſpectaveris ele-

elementa, sive juxta pondus, & magnitudinem, sive juxta figuram, motum, & qualitates, illæ proportiones in illis non reperientur, quidquid Fludus garriat.

Verum gratis afferamus proportiones illas inter sidera, & elementa perfecte reperiri; nego tamen concentum inde proficini, nisi ad harmoniam intelligibilem provoces. Demus tamen verum esse concentum, minime tamen concentus nostros ita juvat, ut vel ad iram provocare, vel eandem sedare possint, quod enim melodiis utimur, ut effectus illos nobiles proferamus, qui tamen nusquam contingunt, unde satis patet concentum cœlestem, aut elementare non esse rationem; vel causam, cur musica nostra vim suam in animi affectum exerat. Objicies Marsilium Ficinum virum catholicum, & eruditissimum vires musicæ in sidera referre, adeout cantibus superiores influxus attrahantur. Respondeo Ficinum quidem catholicum non esse, ubi nugas illas magicas, & astrologicas affert, & probat, ut patet ex *lib.* 3. de vita cœlitus comparanda, in quo characteres, & imagines vim in omnia inferiora habere docet, quod singuli vere Christiani negant. Ne vero singula referam, breviter dinutiendum est, quid ille de sonis, & harmonia verum, quid falsum afferat; cætera enim, quæ ad alios sensus, corpus, & animum, & quæ ad res inferiores sive animatas, sive inanimas attinent, in examen alias adducemus. Itaque *cap.* 21. verbis magnum robur juxta quosdam tribuit, quod probare videtur, cum nequiquidem verbo illud refellat: sed hic de vi verborum, & imaginibus nihil dicam, cum illa: omnia, sicut & Cabalistica nugamenta, & characteres, & astrologica *quæst.* 23. 24. & 50. confutarim. Solos igitur cantus hic prosequor.

Ut cantus vim habeant 3. regulas præscribit, quarum prima est, considerandum esse, quas vires, & effectus stella qualibet, & aspectus habeant. Secundo, cui loco vel homini dominentur, & quibus tonis hæ, vel illæ personæ, atque regiones delectentur. Tertio quotidie siderum aspectus observare, & explorare, quibus sermonibus, cantibus, motibus, saltibus, & actibus homines sub hac, & illa constellatione, & sub variis aspectibus afficiantur, ut sidereos influxus cantu imiteris, cum hunc potentissimum imitatorem appellet, quia intentiones animi tam belle refert, ut ad eas imitandas audientes subito provocet. Ideoque si cautus cœlestia imitatur, spiritum nostrum ad cœlestem influxum, & hunc influxum ad spiritum nostrum provocari ait, quia cantus fit in aere, qui non solum cantum, sed mentem, & affectum velut animal vivens rationale transfert: quapropter juxta canentis imaginationem, & scopum a sidere, cui respondet, virtutem in auditorem trajicit, præsertim si cantor sit natura Phœbeus, atque adeo vitali, & animali spiritu abunde præditus. Si enim spiritus ex oculis exeuntes vim tantam in alienum corpus exerceant, quanto magis concentus, qui mentis ipsius vices præstant; unde mirum non est, si cantus morbos corporis expellant, cum in se robur, & energiam animi habere videantur, ut patet in perfectis oratoribus, qui auditores quocunque voluerint, velut aurea cathena transferunt. Denique concentus musicus, qui est veluti cantoris spiritus, agit in spiritum inter corpus, & animal medium, & ista tria mirum in modum afficit. Hæc sunt fere, quæ Ficinus habet de vi musicæ, reliqua enim superius allata sunt. Quæcunque vero de siderum influxibus in cantum attulit, omnino repudianda sunt, non enim hic, aut ille cantus ad tristitiam, vel lætitiam provocat, quod sub hoc, aut illo siderum aspectu fieri contingat, ut patet ex eo, quod ejusdem rei cantus, & eadem harmonia vim eandem sub variis sideribus observet, ut te docebit experientia, & omnes musici confirmabunt. Fateor tamen in cantu vim illam inesse, ut in audientis animum sæpe nostros affectus transferat, & usque ad cordis intima penetret, sensuque mores infredat, ut postea dicemus.

Certum est autem aerem esse commune vehiculum, quo nobis omnia communicantur, qui licet per se nullo sensu posit attingi, quia omni sensibili qualitate destitutus esse videtur, attamen per sorsum fit sonorus, & auditu percipitur: oculus videt illum coloratum: odoratus olentem: gustus sapidum tactus calidum, vel frigidum. Quo sit, ut aerem intellectui possibili conferre possimus, qui omnia fieri aptus est, & est in actu, cum fit aliquid intelligendo, sicut aer est in actu, cum fit lucidus, sonans &c. Tantisper vero propriam sententiam differo, ut aliud discutiam, quod ad Cabalistas attinet, ut monstruis opinionum debellatis palmam veritati feramus. Neque enim David illos siderum aspectus inspexerat, dum Saulis furorem redavit, sed toties manu sua pulsabat, quoties Saul imperabat, sive hic, sive alius aspectus vigeret.

Citharam Davidicam 10. nervis instructam fuisse Cabalistæ supponunt quod quidem psalmis confirmare possunt, in qui-

quibus toties psalterium decachordum appellatur, ideoque ἑπτάκτυπον, seu ἑπτάγλωσσον Pindari φόρμιγγα negligunt (licet 7. nervi totam vocem impleant, & 7. Græcorum vocalibus respondeant, ut sint septem discrimina vocum) & Virgilianam fistulam, quæ fuit *disparibus septem compacta cicutis*. Sit ita Mercurii trichordon, quod 3. temporum mutationes, calidissimum, frigidissimum, & temperatum, & 2. solstitia cum æquinoctio referebat, & alium quemlibet chordarum numerum repudient: nunquid ideo cithara decem chordarum vim majorem in Saulis furorem habitum est? Profecto sive David intus sinistra caneret, sive foris sinistra plectre uteretur, & quibuscumque modis exornarent docilem garrula plectra lyram, non magis 10. chordis, quam 24. quibus citharam nostram instruximus, Saulem levare potuit. Quid enim obsecro 10. phtongis, quod non æque 20. fieri possit? Verum illi mysteria quædam in denario agnoscunt, audiamus obsecro, num veram furoris expellendi rationem ex denario nobis allaturis sint.

Illi volunt Sephiroth omnes, & emanationes divinas citharæ Davidis præesse, ut nihil sit, quod ad musicam referri non possit.

Ut autem intelligas, quomodo Davidis lyræ prædicta *Sephiroth* juxta Cabalistas dominetur, sequentem tabellam affero, quæ 10. Sephiroth cum 10. nominibus divinis, & aliis subalternis complectetur, si prius tamen 5. nervos præmittamus a προσλαμβανόμενος usque ad ὑπάτη μέσων inclusive, ut Sephiroth a παρυπάτη μέσων incipiant, & 15. phtongorum systema efficiant.

Citharæ Davidicæ nervi juxta Cabalistas.

1. προσλαβανόμενος.	Esse.	Essentia.	*A re*		
2. ὑπάτη ὑπατῶν.	Vivere	Viva	*B mi*		
3. παρυπάτη ὑπατῶν.	Sentire.	Sensus.	*C fa, ut*		
4. λιχανὸς ὑπατῶν.	Ratiocinari.	Ratio	*D sol, re*		
5. ὑπάτη μέσων.	Intelligere.	Intellectus	*E lami*		
6. παρυπάτη μέσον.	מלכות	אדני	*F faut.*	Anima beata.	*Elementa.*
7. λιχανὸς μέσον.	יסוד	שדי	*G sol, reut.*	Angeli. ☽.	*Vegetabilia.*
8. μέση.	הוד	אלהים צבאות	*A lami, re.*	Arcangeli. ☿.	*Animalia.*
9. παραμέση.	נצה	יהוה צבאות	*B fa bmi.*	Principatus ♀.	*Concupiscendi vis.*
10 τρίτη διεζευγμένω.	תפארת	אלוה	*C sol, fa, ut.*	Virtutes ☉.	*Vitalis facultas.*
11. παρανήτη διεζευγμέν.	גבורה	אלהים	*D la sol re.*	Potestates ♂.	*Impulsiva virtus.*
12. νήτη διεζευγμένων.	חסד	אל	*E la mi.*	Dominationes ♃.	*Vis naturalis.*
13. τρίτη ὑπερβολαίων	בינה	אלהים	*F faut.*	Throni ♄.	*Corpus.*
14. παρανήτη ὑπερβολ.	חכמה	יהוה	*G solreut.*	Cherubin *.	*Ignis.*
15. νήτη ὑπερβολαίων.	כתר. ש.	אהיה	*A la mi re.*	Seraph. I. mobile.	*Aqua.*

Hoc est magnum Davidis systema juxta Cabalæ secretioris magistros, quo non solum furorem, sed & omeres Saulis spiritus malignos Davidem expellere potuisse arbitrantur. Quod mirum non est cum illorum *Sephiroth* virtute afferant magos Pharaonis a Mose superatos fuisse: Quos per scalam Jacob, deorum multitudinem apud Orpheum Hesiodum, & alios, per auream Homeri cathenam *Iliad.* 8. per varios solis radios repræsentari volunt. Arborem enim *Sephirothicam* concipiunt, in qua Ehieh, vel Ensoph pro radice constituatur, a qua per illas Dei proprietates, & nomina superiori tabella declarata, nec non per Angelorum ordines, atque cœlos divini influxus ad nos usque perveniant, si Hebræorum כונה utaris: quod illam imaginationem, intentionem, & vehemens desiderium significat, quod magi in operationibus suis omnino desiderant. Quæ quidem breviter oculis subjicere volui, ut videres si vel rationis umbra Cabalistæ fulciantur. Et ne jam gradus illos discutiam, quod viris in Rabinorum lectione versatis relinquo, ad quos attinet totam illam Cabalam in examen adducere: qui utinam accurate perpendant, num revera simile quidpiam seniores in auxilium Mosi adjunctos,

ctos, vel ſaltem Moſem, & Aaron Deus Opt. Max. docuerit.

An vero hæc omnia, quæ *Ziruph*, *Merchaua*, & *Sephiroth* continentur, frivola ſint, atque fabuloſa, vel ſaltem abſque fundamento prolata, alibi diſcutiam: quæ interim hic gratis quoad illam partem admitto, quæ Chriſtianæ fidei congruit. Fuerint igitur illi nervi, quibus cithara Davidica inſtrueretur, qua, ſi lubet, intus, & foris cecinerit, quæro jam a Cabaliſtis, quem phtongum maxime tetigerit, dum malum ſpiritum a Saule pelleret. Numquid παρανήτην διεζευγμένων, cum huic chordæ *Guebourah* dominetur, & per poteſtates atque ♂ in facultatem impulſivam influat? adde quod ſit in hoc nervo ultima nota diapente primæ ſpeciei, & primi modi Dorii a C faut incipientis, qui modorum potentiſſimus eſt: illa nota *ſol* totius modi vehementior eſſe videtur, ut ſicut ☽ *ut* fuſce mugientem, *re* ☿ tremule perſtrepentem, *mi* ♀ blande mulcentem, *fa* ☉ temperate ſuccinentem, ita *ſol* vehementius perſonantem ♂ tribuamus, licet eo modo *ſol* pronuntiare poſſimus, ut ſuaviter per perſonet: *la* vage Salantem ♃: denique ſi vis Putaneum *bi* acute tinnientem ♄ accommodabis, de quo fuſe in *Pallade modulata*, & *Muſathena*: inter quod, & *la* tonum ſtatuit, Semitonium vero inter *bi*, & quacumque aliam notam quæ ſequatur, ut *bi* ita ſonet, *ut*, *re mi*, *fa*, *ſol*, *la*, ut: ubi *la*, *bi ut*, eodem modo vult efferri, ac *re*, *mi*, *fa*; Verum his omiſſis ad Davidem redeo, atque dico potuiſſe quidem aliquid in primo modo canere & chordas illas admirabili induſtria pulſare, quæ modi illius cadentiæ vulgo nuncupantur, de quibus antea diximus. Quod tamen non impediebat, quominus aliorum modorum cordis, vel phtongis uteretur, quandoquidem nihil vetat, quin nervos ad alium modum ſpectantes pulſare valeas: imo ſæpius illud neceſſarium, ſi tuos auditores movere cupis, ut art. 12. probatum eſt. Hæc ſunt, quæ in Cabalæ gratiam dici poſſe arbitror.

Potuit etiam נצח tangere, quia victoriam denotat, & parameſe nervo, atque numerationi nomen צבאות præeſt: niſi malis dæmone Saulem obteſſum, aut energumenum fuiſſe, ſed furore tantummodo correptum, tunc enim nervus clementiæ μέσην cum *Chiſed*, & El clementiam deſignante pulſari debuit. Verum præ cæteris nomen *Ehieh* valebat, cum ſit nomen clementiæ, atque miſericordiæ, ſicut Jah, & El: quapropter Moſem hoc nomine uſum ajunt, cum pro ſororis ſuæ Mariæ lepra divinam clementiam deprecaretur. Sed hæc omnia gratis finguntur, neque enim ulla nomina huic, aut illi nervo aptata, neque ulla ſidera vim aliam in hos, aut illos ſonos habent, quam numeri, ideſt nullam: numeri ſiquidem nihil omnino poſſunt, tametſi Cabaliſtæ, & magi formales numeros ſine fronte objiciant. Ubi Muſicos noſtros advertere velim harmoniæ præſtantiam, eſſentiam, atque proprietates non eſſe petendas a numeris, qui ipſa harmonia poſteriores ſunt, & ſolum juvant, & afferri debent, ut ea, quæ ad Muſicam attinent, facilius conciniantur, & explicentur. Ea propter illi muſici, qui Salinæ, Zarcini, & aliorum numeris ita delectantur, ut in iis muſicæ perfectionem ſitam, vel ab iis repetendam eſſe putant, ab illa ſententia, utpote erronea, & vero philoſopho indigna, recedere habent, quidquid ſub obſcure garriat audax ille Picus, cum ait in concluſionibus mathematicis per eritmeticam formalem viam optimam ad prophetiam naturalem haberi, per quos Joachim in prophetiis ſuis proceſſerit: per quos vias habeatur ad omnis ſcibilis inveſtigationem, & intellectionem. Omitto magicas concluſiones 26., & 31. ex Orpheo deſumptas, inter quas plurimæ ſunt philoſopho indignæ: Nec eſt, quod ob magni ingenii famam illa vera eſſe putes, quæ defendenda propoſuerat, quandoquidem vel ea verbis obſcuravit, quæ aliunde facile novimus, ut de ſtupendo ingenio gloriam apud homines conſequeretur, vel temere plurima effutiit, quæ non intelligebat, aut impia erant.

Quod etiamnum multis hujus ſæculi Alchymiſtis familiare eſt, quorum ignorantiam ne detegamus, ſua myſteria chymica fabulis, & barbaris diſtinctionibus, vel alio modo obſcurant, quibus omnia Catholicæ religionis myſteria longe facilius, ſubtilius, ſublimius, & verius ſe explicare poſſe affirmant, quam tota Schola Sorbonica, vel ulli Theologi exponere valeant. Neque enim concenti ſunt, ſi magnum illud, & regale, atque cœleſte opus ſuum inquirant, & elixir, ovi alchymici vitellum, nectarque fictitium, balſamum cœleſte, aeris ſoliditatem, & ejus oleum proponant, niſi in ipſam Theologiam, ne dicam in ipſum Deum, manus inferant, ut ſatis ex Conrado patet, qui Sapientiæ librum ſuis nugis adaptat. Verum ſuum Coſmopolitagnum, fontem amoris, & alios libros habeant: hos enim omnes videbimus, donec clare loquantur: quod numquam, credo, facient, ne toti mundo fabulam aperiant, & ſe ſtultiſſimos exhibeant. Hinc illæ ob-

obstinatæ assertiones, Deum nolle, ut qui manum opus invenerit, illud ulli revelet: inveniri non posse, nisi Deus revelet, vel genius cabalisticus, aut horoscopi favor adfuerit: quæ omnia ridicula, factitia, impia, & in quibusvis regnis, atque ditionibus coercenda. Videatur Delrio *lib.* 1. *disquis. cap.* 4. *quæst.* 2. in qua Fabium Paulinum musicæ, & numerorum virtuti plus nimio tribuentem, & Platonice, Astrologice, atque Cabalice agentem jure notat, & *quæst.* 3. ubi de vi verborum suse.

Quæ omnia sicut unicuique grata sunt, ita meo quidem judicio nihil ad vim musicæ conferre possunt, in quam illa nomina, & Sephiroth vel nullam, vel non aliam vim, quam in res alias influnt. Ideoque falsum assero, quod affirmant Cabalistæ: cur enim potius *Malkout* influit in παρυπάτην μέσων, quam in λιχανόν, vel μέσην? quis Davidi revelavit, ut hanc, vel illam chordam huic potius, quam alteri *Sephiroth* subjectam esse crederet? Scio quidem Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum a Davide invocari potuisse: scio *Cheter.* 1. coronam, & omnem gloriam Patri convenire, Jehovæ, seu Filio *Hochma*, 1. sapientiam: & *binah* seu prudentiam Spiritusancto, qui tres sunt Deus, ita ut non magis uni, quam alteri tria prædicta congruant. Verum quid hæc ad citharam? *Chesed* significet clementiam, *Geburah* punitionem, vel fortitudinem: *Thiphereth* gratiam: *Netsech* triumphum: *hod* laudem: *Jesod* redemptionem, & *Malkout* regnum: nunquid propterea David illas potestates præ manibus habuit? Unde obsecro divinare potuit, proprietatum illarum influxus in suam citharam derivari? nam si revelationem divinam fingis, illam repudio, quam Scriptura Sacra nusquam confirmat.

Non quod ullum arguam, si in testitudine, cithara, lyra, & aliis instrumentis divina attributa, & quascumque decades, ut 10. præcepta Decalogi, 10. sphæras cœlestes, novem ordines Angelorum, & ipsum Deum constituat, ut opera Dei oculis veluti, & manibus contrectentur, & in memoria firmissimas radices agant: imo summopere cupio, ut quibusvis modis nos ipsos, & proximum provocemus ad continuam divinorum mysteriorum contemplationem, ut magis atque magis affectus præ amore divini numinis inardescat; sed quia nusquam patias, quantum in me fuerit, ut falsis permasionibus detentus in rebus musicis cæcutias. Deus poterat ad singularum chordarum pulsum adesse, ut malignos spiritus expelleret, & omnes produceret effectus, quos David postulasset, cum ille sit omnipotens; rerum nullibi legimus hanc fuisse Dei voluntatem, quapropter ea de re nihil affirmandum est: neque favor, quo Deus psaltem nostrum prosequebatur, me detinebit, cum hic non favorem, sed virtutis musicæ causam urgeamus: & textus satis innuit Davidem non ideo adductum fuisse, quod illum Dei amicum insignem agnoscerent, sed quod citharœdus esset; Saul enim puerum quæsivit, qui psallere nosset.

Itaque favore divino, & Sephiroth in præsentia mente sepositis, ad sonorum effectus, & veras musicæ, philosophiæ, atque medicæ rationes singulos provoco, atque suppono, quod initio monui, spiritum illum, qui Saulem torquebat, vel melancholiam acerbam, atque furentem, vel cacodœmonem humore prædicto utentem fuisse, ita tamen, ut succus ille rabidus aliquando magis, minus alias sæviret.

Plurima vero nobis desunt, quæ præpediant, ne scopum attingamus: etenim si sciremus, quibus intervallis, num diatessaron, quod ab antiquis συλλαβὴ dicebatur: num diapente, quod est illis διοξεῖα, num diapason, seu harmonia sæpius, quam ditono, aut semiditono, vel quibusdam aliis systematibus uteretur; nam ex intervallis effectum judicare possemus, præsertim cum ἀρχὰς τῶν ἠθῶν ex eis antiqui judicarent, ut habet Aristid. *lib.* 1. idque eodem loco, ubi docet quodlibet ex 3. generibus a peritis cani, ut supra notavimus; qui ditonum enharmonii ἀσύνθετον appellat contra Salinam, & alios recentiores, qui præ ignorantia, & inertia credere nequeunt antiquos per diesim, & ditonum cecinisse; malunt enim in media Græcorum luce cæcutire, quam fateri se a vera musica longissime abesse. Quibus amicitiæ gratia nonnihil iterum ex Aristide objicio, quod si absque præjudicio perpenderint, novam industriam excogitabunt, qua musicam hodiernam immutent, emendent, atque perficiant, & κακοτεχνίαν arte superent. Certum est non solum harmoniam a Græcis in usu positam, verum etiam plures chromatis, & diatoni species eos habuisse, nam præter ea, quæ superius de speciebus illis ex Ptol. retulimus. Quintilianus loco nuperrime citato docet chroma in tot intervalla, dividi, quod fuerint ῥητὰ inter semitonium, & diesim enharmonicam; diatonum vero in totidem, quod rationabilia possunt inveniri inter semitonium, & tonum; ex quibus 3. chromatis species, & 2. diatoni concludit; primum ge-

genus vocatur enharmonium, quod ἐκ τῶν τεταρτημορείων διέσεων τῦ τόνυ χαρακτηρίζεται. In ſecundo reperitur τριτημορειαία δίεσις, & vocatur μαλακὸν χρῶμα. Tertio, ἐκ διέσεων ἡμιολιῶν τῆς ἐναρμονίυ διέσεως χαρακτηρίζεται, & appellatur chroma ſeſquialterum. Quarto, eſt chroma toniæum ex 2. ſemitoniis. Quinto eſt diatonum molle, quod ex hemitonio, eſt tribus dieſibus, & 5. reliquis. Sextum denique eſt diatonum ſyntonum ex ſemitonio tono, e tono conſtat: quæ omnia numeris declarat. Videant obſecro muſici, num illis omnibus ſpeciebus uſi fuerint, neque conquerantur de effectibus Muſicæ, quos non exhiberent, donec omnes illas ſpecies ad praxim redigant. De intervallis unum addo; Lydium διάστημα antiqui componebant ex dieſi, tono, dieſi, & dieſi, & tono, & dieſi ϗ τῦτο μὲν ὑν τέλειον σύστημα. Dorium autem intervallum ex tono, dieſi, & dieſi, & ditono, & tono, & dieſi, & dieſi, & tono, quod τόνῳ diapaſon ſuperabat: phrygium diapaſon tantummodo perficiebat, fiebat enim ἐκ τόνυ, ϗ διέσεως, ϗ διέσεως, ϗ διτον· ϗ τόν· ϗ τόνυ. Jaſtium συνετίθεσαν ἐκ διέσεως, ϗ διέσεως, ϗ διτόνυ, ϗ τριημιτονίυ, ϗ τόνυ, quod tono minus erat, quam diapaſon. Mixolydium fiebat ἐκ δύο διέσεων κατὰ τὸ ἑξῆς κειμένων, ϗ τόνυ, ϗ τόνυ, ϗ διέσεως, ϗ Γ τόνων, quod erat perfectum ſyſtema. τὸ δὲ σύντονον λύδιον ἐκ διέσεως, ϗ διέσεως, ϗ διτόνυ, ϗ τριημιτονίυ. Hæc ſunt diaſtemata, de quibus Platonem Ariſtides explicat, cum ait mixolydium eſſe modum lugubrem θρηνώδεις μιξολυδιστὶ, ſicut & συντονολυδιστὶ; ἰαστὶ vero ϗ λυδιστὶ ad συμποτικὰς ϗ λίαν ἀνειμένας, ad convivia, & recreationem animi percommodus: ſic enim phtongorum proprietates moribus applicabant. Videantur characteres loc. cit. qui modos iſtos deſignabant, exempli gratia lydium ſyntonum ita denotarunt.

7 R Υ φ c ρ Π ξ 7 R λ c μ ξ ⅂ ⊏
c υ ɔ ⊏ ʃ ⊲ ⅂ C Π,

quod noſtri vocarent *tablature*. Qui plures alios Muſicæ Græcæ characteres poſtulaverit, videat citharam noſtram quæſtione præcedenti, Ariſtidem hic, Alypium, Bacchium, & Gaudentium. Itaque video, quid obſtet, quominus Davidicæ citharæ poteſtatem in medium proferamus, quia neſcimus, quibus intervallis, atque ſyſtematibus, quo modo, quove genere, & qua generis ſpecie uteretur. Ignoramus etiam, quid caneret, num pſalmum, vel canticum a Moſe, vel ab alio compoſitum; dubitamus etiam, num pſallens ſimul etiam ſaltaret, aut alios corporis motus ederet: quapropter nodum hunc ſolum in genere diſſolvere conabimur, alioquin omnes circumſtantias perpenſuri, ſi vel cantilenam, vel canendi modum agnoſceremus. Fuerit igitur Saul furore percitus, qui cerebro per ſe, vel per conſenſuum affecto contigerit, & a flava bile mordaci, vel humore melancholico plurimum uſto vel nimia fervidioris ſanguinis copia produceretur: neque enim accuratius definiri poteſt, quæ παραφροσύνη regem illum torqueret, num illa, quam Hippocrat. τὴν μετὰ γέλωτος, vel μετὰ σπυδῆς, vel θρασεῖαν, ſeu μανιώδη, vel σιωπηλόν appellat: tametſi facilius ſetati furoris rationem invenire poſſemus, ſi furoris ſpeciem agnoſceremus. Ut autem aliquid certi ſtatuatur, maniam illam fuiſſe credidero, quæ ſigna, cauſaſque ſequentibus verſibus a Franciſco Porto Pariſienſium medicorum decano belle conſcriptis habuerit.

Hanc ſequitur plerumque furor male ſanus, & amens:
Quo lucent oculi, facies horrenda videtur,
Tabeſcit vigili corpus miſerabile cura:
Aria tota tremunt ira, clamore, miniſque
Nocteque vicini reboant ululatibus agri.
Nec modo vel clamor: vel ſunt minitantia verba.
Pugna ferox rabidis inſurgit dentibus, uncis
Unguibus, inſultuque hirtarum more ferarum,
Non parit effrænum ſanguis, pituitave lenta,
Sed bilis flava interdum: at magis atra furorem.

Cujus rationem abſque polypodio, cappari, epitymo, tamarice, meliſſa, ſcolopendrio, elleboro, & borragine, quam Græci dicunt εὐφρόσυνον, quia exhilarat, verſu teſte

Dicit barrago gaudia ſemper ago.

Denique ſine ullis pillulis, balneis venarum ſectionibus, lotionibus capitis, aut etiam vinculis aggrediamur. Illa maniam curare dicuntur, quia poros reſerant, arcent fuligines, obſtructiones expediunt, cor recreant, &c. atqui concentus harmonicus id efficere poteſt, cum enim muſica ſonis conſtet, qui commotione aeris producuntur, ubi ſonis illis uſus fue-

fueris, qui aereos furiosi spiritus moveat, hi spiritus per motum calidiores, atque celeriores effecti, melancholicum humorem attenuabunt, atque dissipabunt. Vel si mavis, ut illos spiritus remittamus, & quietiores efficiamus, ne ita cerebri meninges lancinent, sonis admodum lentis, & parvis intervallis utendum est, ut ad tardorum motuum concentum spiritus illi, & vapores mordaces, qui ex stomacho, liene, & hypochondriis, in cerebrum evolant, tardiores effecti quietum hominem dimittant. Adde quod illi spiritus, qui ventriculos cerebri male afficiunt, ad aurem accurrant, dum quis musicæ vacat, ut patet ex aliis voluptatibus, quæ nonnunquam tantæ sunt in aliquo sensu, ut dolorem in aliis membris illatum licet ingentem vix percipias, quemadmodum enim majoris doloris præsentia minor retunditur, ita majoris voluptatis perceptione minor dolor curari videtur, ratio est, quia nihil doloris, aut voluptatis sensu percipimus, nisi spirituum in nervis, & partibus læsis affluentium beneficio, adeout dolor, aut voluptas eo minor efficiatur, quo minor adfuerit copia spirituum, & omnino desinat, si omnes abscendant; quandoquidem illi spiritus sensitivam facultatem, vel aliquid ei necessarium secum deferunt, adeout quo pauciores adfuerint, eo sensus obtusior existat, quo vero plures, exquisitior.

Itaque musica Davidica tametsi nullis cœlestibus influentiis adjuta, & omnibus Sephiroth destituta Saulem duobus modis sedari potuit: primo spiritus, fumosque Saulis ita movendo, calefaciendo, atque tenuando, ut succum melancholicum dissipaverint, & e cerebri cellulis deturbarint, vel dissolverint in auras tenues, quæ per transpirationem insensibilem, sudorem, atque poros abjerint: Secundo ubi spiritus illi melancholicum succum reliquerunt, non potuit sævire donec redirent, quia ex se terrestris est, & velut actione destitutus, nisi spiritus vitales, & animales illum moverint, atque huc illuc traduxerint. Reliquerunt autem, cum ad aures laxis velut habenis harmoniæ capiendæ gratia convolarunt, qua durante furor cessavit, qua cessante redierunt quidem, sed leviores, & expeditiores facti melancholiam ad tempus aliquod expellere, attenuare, minuere, & fortassis aliquam illius partem in benigniorem vaporem, aut alitum convertere potuerunt. Quis scit, num Davidis musica proportionem aliquam exhiberet, quæ cerebri temperamento, vel spiritibus ei parcommodis ita correspondere, ut cerebrum alteratum, & dissonans in concentum redigeret? Quid si dixerit alius auditui dolorem inferri posse in concinnis, & dissonis phtongis, qui materiam noxiam a cerebro revulserit? cum & ipsi phrenetici vinculorum dolore ita curentur, ut materia illa in partes ligatas abeat. Viderint musici, num ad aliquos nobiles effectus producendos dissonis intervallis nonnunquam utendum sit, quod non solum de disperatis, sed & pluribus conjunctis intelligo. De pulcherrima Davidis cantilena cogitare possumus, quam ore pronuntiaret, dum eandem cithara referebat, quæ narraret aliquid, quod Sauli gratissimum esset. Hinc autem reliquorum morborum, ut pestis, paralysis, ischiadis, febris, & aliorum morborum curationem inferre possumus, cum audita musica spiritus ad aures illico se conferant, ac proinde locum dolore affectum deserant, cujus dolor eo magis sedetur, quo majorem delectationem musica pepererit, vel quo calidiores spiritus reddiderit, qui morbi materiam dissipent. Aerem vero contagione infectum soni purgare valent, quatenus eum calidiorem, tenuioremque fecerint. Spiritus celeriores ad paralyticum membrum redeuntes illud facilius movebunt, & sanguinem recreabunt. Quid plura? nisi modum, nervos, cantilenam, motum imaginationem, orationem, & alia a nobis expectes, quibus David usus est, quæ nesciuntur. Ubi diligenter advertendum est Saulem non semper a Davide curatum, hunc enim licet ut prius manus sua psallentem bis lancea configere voluit, semel cap. 18. lib. 1. Reg. versic. 10. Secundo cap. 19. unde concludere possumus odium musici plurimum impedire, ne te commoveat, quid enim tibi prosit, quem odio habueris? si quid gratum cecinerit, tibi videbitur ingratissimum; odium enim omnia inficit, quapropter Saulem sibi infensum David placare non potuit, tametsi non minus pulchre caneret, nequi minori furoris sedandi desiderio teneretur: musicus igitur auditorum benevolentiam oratoris instar sibi conciliare, & se in eorum amicitiam insinuare debet, si nobilem effectum producere velit, vel saltem cavere debet, ne odio habeatur. Possumus etiam curationis defectum in furorem magis sævientem, & melancholicam tenaciorem, & inveteratam refundere.

Quid si cacodæmon per se torserit? nunquid ab ipsa musica poterit expelli? num motus physici in eum vim aliquam exerere possunt? cum dœmones corporis sint expertes, res corporeæ nihil in eos posse videntur, nisi quatenus sunt ordinis

nis

nis hostes infensissimi, qui maxime in harmonia relucet, quæ cœlestis harmoniæ ideam aliquo modo referat; vel quatenus non possunt torquere, nisi mediante humore, cujus motus augere, vel minuere non valeant, Deo hanc eis potestatem non concedente, & ad cujus absentiam absint, & eo redeunte, redeant. Scio quidem numen divinum quacunque melodia, & quovis sono quemlibet dœmonem expellere posse, quod nullus Christianus in dubium revocat: Scio cum aliquibus verbis Deum ita concurrere, vel tantam vim illis conferre, ut miracula faciant, ut constat ex forma Sacramentorum: sed num Davidis sonis vim illam contulerit, quis divinabit? Dœmon etiam vehementius dispensatione divina, Saulem agitare potuit, cum voluit psallentem Davidem configere.

Profecto si Deus psallentem Davidem peculiariter juvit, ut mihi persuadeo, soni dœmonem ipsum expellere potuerunt, rebus enim corporeis Deus utitur, ut qui spiritus imperium detractarunt, ab infimis creaturis corporeis patiantur. Ipsa etiam Davidis intentio, & Saulis attentio juvare potuit, præsertim si David ore cecinerit, quandoquidem cantus nostros conceptus exprimens vivus ipsius animæ atque cogitationis simulachrum esse videtur, audeout nihil sit, quo fortius nostrum animum, & facultatem rationalem alterius animæ, atque rationi conjungere possimus, quam per ipsum cantum, qui juxta varia intervalla, & animi canentis motum auditoris animam huc, illuc trahit, commovet, rapit, ac si nervis constaret, & nervi nervos eodem fere modo comoverent, quo testitudinis unius chordæ alterius sibi contiguæ chordas unisonas concutiunt. Quod musicos advertere velim, qui cum aliquid cecinerint, id ex animo, & alterius excitandi desiderio faciendum est, si quem commovere voluerint, ut vivam animi proprii intentionem, & motus harmonicos in auditoris animum infundant. Quæ pluribus Aristides lib. 2. prosequitur; ubi recte advertit musicam esse veluti medicinam; nam quemadmodum non unum, & id medicamentum, licet ad simile morbi genus pluribus corporibus admotum non similiter operatur, sed in quibusdam velocius, in aliis tardius, ita melos hunc magis quam alium excitat; enimvero sicut odor unus, & idem olfactum & color, cæteraque sensuum objecta diversorum hominum sensus variis modis afficiunt, ita etiam eadem intervalla harmonica diversis motibus auditoris animum commovent. Musicæ tamen vim in animos longe majorem obtinet, quam alia objecta, quia ipse canentis animus in voce, & cantu per aere quodammodo ferri, & auditoris animum aggredi videtur. Hinc fit, ut egregii musici, qui noverint intervalla, & rhythmum quæ ad animi pathemata commovenda requiruntur, cujuslibet passiones commovere valeant, dummodo sciant, cujus sit temperamenti, & quos motus illius passio commota, quosve pulsus obtineat, alioquin enim si rhithmum anapœsticum afferant, ubi pœonicus proferendus esset, si intervallis diatessaron pro diesibus, vel semitoniis utantur, nihil efficient. Verum de his alibi fusius. Qui plures herbas, mineralia, lapides, & animalia legere voluerit, quibus gentiles spiritus infestos propulsari, arceri, & advocari credebant, consulat moly Theophrasti, sistram Aristotelis, pentaphyllon, verbenam, anthirrinon, polyenemon, artemisiam, Thamnum, palmam Christi, chrysantemum, quercum marinam, & pæoniam Dioscoridis; centaurium, aristolochium, verbascum, asparagum sylvestrem, ocymum, laurum, cœpam marinam, carduum benedictum, conyzam, salicem, & sisymbrium Plinii, Apuleii, Procli. Omitto Actuarii, & Hippocratis antidota, aglaophotim, theangelidam, nyctihopem, origanum Heracleoticum, & alias paganicæ theurgiæ plantas, necnon lapides omnes Mnisurim, Jaspidem, succinum, adamentem, amianthum, æreos, ferreos, plumbeosque annulos, sputum, & lotium hominis, hyenam, pellem lupinam, labracem, seu catillum, vel uranoscopum Tobiæ, annulum temperantiæ, lapidem philosophicum, hypericon Lulli, & alia plurima, de quibus Petrus Loyerus fuse lib. 8. de spectris, ubi plurima de musicis instrumentis, & harmonia, quibus ea supplere possis, quæ in quæstione de musicis instrumentis, vel in præsenti omisimus.

Ex dictis autem facile concludi potest, qua ratione musica, febrim lycantropiam, & alios morbos curare possit, cum id spirituum beneficio contingat, qui tenuiores, celeriores, calidioresque redditi humores illos dissipant, & attenuant, vel relinquunt, quibus morbi procreabantur: ac proinde mentem ita exhilarant, ut excitata spiritus omnes ad infirmitatem propellendam destinet, qui ob efficax mentis imperium huc illuc cursitant, atque convolant, donec jussa perfecerint; eo fere modo quo venti scoparii, & aquilonares a sole, vel (ut melius dicam) a Deo suscitati ad aerem contagione infectum perfecte expurgandum, & ejusdem

aeris

aeris tetris vaporibus mixti putredinem arcendam immittuntur. Cum enim spiritus vitalis, & animalis sit aereus, vel ætereus, statim atque sonos acutos, & aerem celeriter commoventes percipit, motum illum, & illius rhythmum, seu cadentiam imitatur; quemadmodum enim intellectus operatio phantasiæ actiones, & voluntates, atque appetitus sensitivi actus mentis, & imaginationis motus sequuntur, adeout vix motum unius ab alio distinguere possis, ita spiritus illi corporei, qui sunt animæ instrumenta præcipua, aeris alterationes, impressiones, atque motus facile sequuntur.

Eapropter Musici videant, quisnam rhythmus servari debeat, & ubi assi, atque thesi utendum sit, ut hinc vel illum morbum curent; a rhythmo enim musicæ vis magna ex parte profluit, cum sit harmoniæ forma, vis, & anima; hinc fit; ut imperfectior concentus perfecto rhythmo conjunctus vim majorem habeat, quam perfecta harmonia rhythmo imperctiore formata, ut satis patet ex dictis, & cuilibet, quando voluerit, experientia demonstrabo. Quod quidem mirum non est, cum tota vita nostra, & omnes illius partes, motus, & actus rhythmis quibusdam tam initio, quam in medio, atque fine dispensentur, ut experientia quotidiana docet, adeout illa omnia ad certos motus rhythmis definitos facile revocari posse credam. Neque est, quid hinc inferas morbos omnes musica tolli posse, & ideo nullos medicos, sed solos tibicines, & citharistas sufficere; nam præterquam quod egregii musici desunt, qui ea fœliciter exequantur, quæ ad morbos curandos necessaria diximus, præter vulnera, quæ Chirurgorum manus requirunt, & morbos lethales, quibus ne moly quidem Homericum succurrat, morbus sæpe tam pertinax esse solet, ut spirituum motus ad eum expellendum minime sufficiant; vel quia morbus inveteratus est, vel quia ejus materia densior est, & profundiores radices egit, vel ob alias causas, quæ necessario postulant, ut alia remedia foris, & intus adhibeantur: alioquin enim prædictorum spirituum motum sufficere dixero, ut morbus expellatur, si tamen illi spiritus tandiu morbi materiam exagitent, donec omnino dissipata fuerit. Sed ad pristinum locum facile revetetur, & morbum reducet, ubi musica desierit, quia motus spirituum simul fere cessant, uti clarum est in iis, qui licet variis negotiis torqueantur, ac veluti furoris œstro perciti sint, dum harmoniam audiunt, Saulis instar, levius se habent: at ubi concentus desinit, eadem iracundia, atque melancholia, vel aliæ tum animi, tum corporis perturbationes redeunt, & pristinas sedes occupant, prout in aere & aqua contingere cernimus, nam quamdiu radii solares hæc elementa calefaciunt, & attenuant, frigus, & vaporum densitas abest, adeout hilaris, & jucunda aeris facies esse videatur; sole vero recedente frigus, densitas, tenebræ, tristitia, horror, quæ morbis, ut pote sanitatis, & vitæ fœlicioris privationibus compari possunt, & alia redeunt, quæ ex lucis defectu contingere solent.

Itaque nostris musicis rhythmos commendo, sine quibus nihil unquam egregium perficient, etiamsi tria musicæ genera diatonicum, chromaticum, & enharmonicum, atque horum species perfecte restituant, & in usum revocent: alioquin faciam, ut corpus sine anima vitaliter moveri possit. Rhythmos autem quibuscunque passionibus sedandis, vel commovendis necessarios, & ad hunc vel illum morbum curandum aptos ex art. *6. 7. 8.* & *16.* petere possunt, si exquisito judicio polleant: singulis enim morbis, & animi pathematibus rhythmos congruos adaptare perfectum opus postulat, ad quod omnes philosophos, medicos, atque musicos provoco, qui si mutuis auxiliis se juverint, illud cum admirabili delectatione, & utilitate perficietur.

Nec enim rhythmica adeo facilis est, ut unicus eam in solidum restituere possit, sunt qui putent apud antiquos pedem aliquem ita compositum fuisse, ut 1618, autem etiam plura tempora complecteretur, itaut in 8 primis temporibus arsis, & in 8. posterioribus thesis, vel in illis arsis in his thesis perpetua observaretur; sicque conjiciunt æquale numeri genus a disemo usque ad *16*, vel 18 tempora processisse. Sane qui per 8, vel *9.* tempora continua arsi progrederetur, plurimum excitare posset, ob ingentem vocis, & animi concitationem, & facile nobis ὀρονίσμα, & πετασὴν repræsentaret, de quibus supra.

Jam vero ad ultimum effectum accedamus, quem loca Scripturæ circa rerum externarum motum insinuare videntur, nam quæ de locis ad primum librum Regum attinentibus, præsertim de psalte Saulis spiritum expellente hic addi possent, in 2. tomo commentariorum, quem a Rangolio nostro in dies expectamus, non minus egregie, quam copiose discussa cum ingenti voluntate perleges.

Mirabilis igitur scripturæ locus Josuæ *6.* habetur, in quo murorum Jerichunti-

no-

norum casus describitur, qui tubarum clangore, & clamore populi corruisse videntur, ut versic. 20. legimus; quod D. Augustinus serm. 106. de tempore cum aliis a Serrario citatis confirmat, qui post Masium opinionem irridet, quæ putat vi soni tubarum muros dilapsos fuisse, quia tametsi plurimæ tubæ crepent, & multi simul voce licet Stentorea clament, exiguus profunditur spiritus, & ideo aeris contriti fuga parva est, quapropter statim languescit. Adde quod ille sonus clamantes ipsos, & eorum castra potius, quam hostium muros, ut pote longius positos, dejecissent. Denique ex eo arguit, quod soli cornicines, & tibicines, nolæ, crepitacula, & stentores Homerici ad urbes expugnandas necessarii forent, si vera esset opinio præcedens. Loca vero scripturæ; ut psalm. 45. ubi a voce Dei mota est terra, & Ezech. 36. sonitu equorum muri movendi proponuntur, vel per oratoriam grandiloquentiam, vel per moralem efficientiam, vel sumendo homines terrenos pro terra, & cives pro muris, vel ipsam Dei vocem pro ejus imperio explicat, adeout eatenus duntaxat muri sono tubarum corruisse dicendi sint, quatenus angeli ad omnipotentis imperium muros illos diruerunt.

Sane quemadmodum hæc explicatio probabilissima est, quia solent Angeli Dei jussa exequi, ut patet in Angelis Sodomam inflammantibus, Pharaonem in mari rubro submergentibus, Ægypti primogenitos occidentibus, &c. attamen mihi proponere liceat, quod non omnibus conjectus caret, videlicet non implicare, ut ad musicæ, vel sonorum exhibitionem illi muri corruere potuerint, dummodo supponamus illos non absorptos dehiscente terra, quod aliquid Rabini existimant ob textum vers. 4. qui juxta hebræum ita habeat, *cadet murus urbis sub eo*, vel juxta Vatablum, *sub se*, apud Junium in *loco suo*; ac si integri, & coagmentati in ima terra defossi fuissent; tunc enim fateor id a sonis effici non posse. Sepositis itaque tantisper Angelis, quos etiam Roberto Francorum regi Avallonem obsidenti, & precibus, ac canticis cum Sacerdotibus vacanti favisse Lipsius cap. 2. exempl. polit. refert, quia muri similiter corruerunt, de vi musicæ locum explicari posse contendo, non solum quia campanæ bombardæ, & tonitrua fenestras, & domos integras non raro concutiunt, imo forte diruunt; non solum quia Deus sonis uti potuit, ut muros in pulverem redigeret, aut usque in terræ centro infoderet, cum illius potentia nullos limites habeat, & forsitan ipsis sonis tanquam instrumentis usus est; postquam dedit in manu Josue Jericho, & regem illius, ut vers. 2. legimus, sed quia musicæ vis naturalis est, ut plurima objecta etiam dissita moveat. Sic enim nervus percussus alius tametsi remotum, & a nemine commotum agitat, itaut illum qui in unisono, octava, vel quinta fuerit, a se licet alio magis distantem moveat, licet vicinior minime concutiatur. Idem in vitro contingit, cujus labrum superius cum digito madido circundas, aliud vitrum ab eo separatum agitatur, si unisonat. Aliæ sunt experientiæ, quæ huic rei faveat, qualis est, quam Jacobus Moduitus observavit, videlicet ingentis molis lapidem tremere, quando tubus aliquis organi auditur in Ecclesia.

Idem fere quidem apud Francifcanos Parisienses observavit, apud quos dum organa pulsantur, pavimentum circa hypotenusa, seu diametri finem, quæ ex quadrato nasceretur, cujus organa latus essent, ita concutitur, ut verearis, ne ipsa terra dehiscat, quod tamen minime contingit, si vel prius ad organa accedas, vel ab eis longius recedas. Omitto reliquas experientias, quas vel superius attuli, vel per se quispiam facere potest, ut ex dictis breviter concludam sonos nihil aliud in se præter certam proportionem habere debuisse, quæ murorum Jerichuntinorum tensioni corresponderet; quidquid enim ad perpendiculum, vel alio modo erigitur certam tensionem habet, quam si viceris, vel æquaveris, concutias.

Quis igitur novit, num omnes clangores, atque voces aliquod tertium efficerent, quod cum muris illis unisonantiam, vel octavam observaret? Cogita muros esse veluti nervum tensum, qui sit προσλαμβανόμενος; si omnes soni Israelitarum similem tensionem habuerint, vel saltem in mese fuerint, illos concutere, & sæpius repetiti diruere poterunt. Ubi non est, quod inferas castra, tubicines ipsos, vel domos muro propinquas, quales domus Rahab, casura fuisse, si vis sonorum tanta fuisset: quandoquidem nervus citharæ non movet sibi propinquum, sed remotum, si remotus cum illo consonet, & simili tensione afficiatur, propinquior vero dissonet: idemque de æqualiter remotis dicendum est, inter quos, etiamsi mille forent, solus ille nervus sive magis, sive æqualiter, sive minus distet, movebitur, qui cum prius moto unisonantiam, diapason, vel diapente faciet; tametsi enim motum il-

lum reciprocum inter nervos diatessaron, & ditonum reddentes in testudine perceperim, id tamen in aliis instrumentis; & experientiis minime contigit? quocirca tabulam singulis nervis subtensam in causa esse arbitror, quod illi nervi non solum consoni, verum etiam dissoni licet minus, quam consoni tremant. An vero muri Jerichuntini cum clangoribus unisonarent, vel diapasonicam, seu duplam, hemioliam, epitritam, vel aliam obtinuerint, quis præter Deum, & Angelos singulas rerum corporearum proportiones clare perspicientes, aut eos, quibus revelaverit Deus nosse potest? Hinc fit, ut ad vehementem aeris commotionem recurrere non debeas, quippe quæ parum facit ad ea, quibus musici concentus, & rei mobilis proportio, atque correspondentia spectari debent, contemplare, amabo, quot unisonantiæ, quot octavæ, quot dis, & trisdiapason a tanta vocum, & tubarum multitudine fieret: adde etiam congruam a muris distantiam, quæ, omnia Deus ita præscribere, atque docere potuit, ut ingens ille, & admirabilis concentus muros Jericho concuteret, atque dirueret. Viderint egregii mathematici, qui mechanicam harmoniæ jungere voluerint, num quemadmodum mechanici Archimedici dato pondere vim moventem, aut e contrario proponunt: perspectivi datum cujuscumque figuræ objectum sub ea figura, & quantitate quam postulaveris, repræsentant, ita datum objectum vi, arte, vel natura tensum aliquo concentu unisono, vel alia ratione consono moveri possit, adeout ipsa terra sonis quibusdam concutiatur: quam non solum ob incolas commotos, verum etiam ob proprium motum tam a voce Dei, quam ab equorum sonitu præcedentem agitavi posse credidero: licet illa vox Dei de prophetis, & concionatoribus, vel de fulgure, & tonitru commode intelligi valeat, ad quorum voces conciones, atque sonitu homines commoveri, timere, tremere, & per morum emendationem immari solent. Equi vero præterquam quod hinnientes, ac veluti victoriam significantes vicinos populos, si præsertim hostes fuerint, timore afficiunt, & horrore concutiunt, terram ita premere possunt, ut ab æquilibrio, juxta quod suspenditur, divergens, in unam partem declinet, & a centro tantisper dimoveatur, quod & sonis equorum ponderi respondentibus effici valeat, ut ex quæstione nona repetere licet, in qua de motu terræ, & terremotu fuse diximus. Attamen probabilius esse puto muros virtute divina corruisse, clangorem vero tubarum mox futuram victoriam tantum significavisse, ut impii perspicerent, quantam de numinis divini promissis, & auxilio spem, atque confidentiam fideles concipiant, qui cum psalte merito canere possunt, *Hi in curribus, & in equis, non autem in nomine Domini nostri invocabimus; ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus.*

Non est quid hic inquiramus, num tubaram sonitu Israelitæ siderum, intelligentiarum, Sephiroth, & quorumcunque cabalisticorum graduum influxum, auxilium, atque benevolentiam sibi conciliare potuerint, quandoquidem ista superius discussimus, & confutavimus. Tametsi vero Ptolomæus cum aliis Græcis harmoniam in cœlis, atque stellis constituat, ut lib. 3. a. cap. 7. & deinceps, ubi docet consonantias, atque disonantias in signifero reperiri, sive stellarum motum in longitudinem ab ortu in occasum, & contra, sive in profunditatem, atque latitudinem, juxta quas harmoniarum genera, & tonorum mutationes accommodat, consideres: attamen hæ speculationes ad musicæ vim nihil omnino faciunt, nam quidquid tetrachorda lunæ, & aliorum astrorum versus solem aspectibus similia, & stabiles sonos primis mundi sphæris congruere putet, quidquid arbitretur sonorum mutationes mutationibus animæ, & diatonicum genus theologico, atque politico rerum ordini propter magnificentiam, chromaticum vero mathematico, & œconomico propter mediocritatis erga extrema communionem, enharmonium denique naturali, atque morali comparandum ob magnitudinis imminutionem correspondere, musica non alias ideo in animum, vel parietem concutiendum vires obtinebit. Operæ tamen prætium fuerit, si qui rationi studeant, ob quam Græci consonantias sideribus accommodarent, num sub iis aliqua concentus arcana, & modum, quo musici passiones animi concitare, vel sedare possint, reconderent: an solum id animi gratia, & ad majorem harmoniæ commendationem, vel ut ab aliis nationibus cœleste quidpiam, & divinum in concentibus suis habere crederentur; Græci etenim præ cæteris fieri voluerunt, ac si omnes scientiæ, & artes ab illis penderent. Plura non refero, quia versibus Gallicis omnia in Paralip. ad libri finem exhibebimns, quæ vel garrula Græcia, vel aliis prius, aut postea de musica ad cœlos, & elementa, vel ad animam relata prodiderunt. Quisquis vero totum musicæ negotium accurratissime perficere vo-

voluerit, monochordo utatur, & omnia intervalla perfecte statuat, multa siquidem etiamnum in dubio versantur, & consonantiæ non ita consistunt in indivisibili, quin aliquam latitudinem patiantur, ut monochordo experieris, quo omnia musicæ phænomena probanda sunt, itaut non solis numeris sed lineis Geometricis utaris; multa namque his, quæ nusquam illis, fieri, & inveniri possunt: quæ mathematicorum harmonicorum diligentiæ, sicut & alia plurima discutienda committo, qualia sunt, cur semitonium in penultimo loco diapente, & ultimo loco diatessaron collocatum, gravem, atque modestum reddat; modum: denique quintum modum tristem, & ad lacrymas aptum exhibet, quando in prima tam diatessaron, quam diapente sede: alii vero modi partim ad lætitiam, partim ad tristitiam, modestiam, iram, &c. excitant pro varia tam in quinta, quam in qua semitonii collatione. Quod ideo contingere arbitror, quia semitonium est intervallum tonico intervallo minus, atque adeo languidius cum sit, arguit infirmitatem naturæ, & virium penuriam; infirmitas autem ad commiserationem, & lacrymas excitat: tonus ex opposito vegetas, atque jucundas naturæ vires ostendit, eo fere modo, quo in curente, & ambulante fieri perspicimus, nam quo passus, atque saltationes cæteris paribus majores fuerint, currens, & saltans majori robore pollere judicatur: itaque cum in primo modo, 2 toni sese consequantur initio tam in diapente, quam in diatessaron in eo maxime natura vires suas exercere, & hilariter currere videtur, donec in ultimo semitonio quiescat, quies autem ista non minus jucunda est, quam ubi quis post adeptam victoriam triumphum agit. At cum primo loco, ut in quinto modo statuitur, præterquam quod virium defectum patefacit, intervalla sequentia nescio quo languore retardare, & afficere videtur, sed hæc alias fusius: licet ex his rationem elicere possis, cur modi intermedii modestiam, atque gravitatem præ se ferant. Quæ nunc confirmari possunt ex ditono, & diapente, quæ cum præcedunt, & semiditonum ditono innititur, cantus jucundior est, sicut & cum diatessaron respectu diapente, & hemiditonum respectu ditoni idem esset, quod semitonium cum tono collatum. Ideoque cum hemiditonum antecedit ditonum, vel diatessaron diapente cantus est mollior, atque languidior. Tametsi vero quartus modus qui est ab *A re* ad *a, la, mi, re*, cujus cadentiæ sunt *re*, *sol*, *fa*, *la*, non habeat semitonium in primo loco, sed tantum in secundo, a quibusdam omnium tristissimus, quintus vero & sextus adulatorius existimatur, forte quia familiare colloquium intervallis minoribus initio provehunt, quale est, quo aliquem solamur. Alias rationes iis inquirendas committo, qui fusius & accuratius de musica tractaturi sunt. Rursus quonam tono, seu vocis tenore modus incipiendus sit, docet enim experientia modum eundem, eandemque cantillenam magis, vel minus pro varia gravitate, & diverso acumine, quibus incipiunt, atque progrediuntur, afficere: hinc fit, ut si quis nostrum *Dieuse leuera* gravi voce instar bassi canat, non ita concitet, ac si voce acutiori superioris efferatur. Igitur musici diligenter advertere debent, quo vocis gradu singulas cantilenas incipere debeant: quibus pro diversis auditoribus, temporibus, & aliis circumstantiis varium acumen accommodandum erit. Qui si totum systema in accuratum examen adducere cupiunt, non solum discutere debent intervalla, quibus instrumenta nostra dividuntur, atque constituuntur, & voces progrediuntur, & ea quæ Zarlinus, & Salinas, Boetius, Ptolomæus, & Aristoxenus probarunt, sed præterea tam sensu, quam experientia perspicere, num alia intervalla in tetrachordo possint inveniri, quæ alios effectus producant, ita tamen ut non solam aurium delectationem, sed effectuum varietatem inquirant. Quod Ptolomæum respexisse arbitror dum 5 diatonici species post Archytæ, Aristoxeni, Eratosthenis, & Didymi opiniones ex propria sententia constituit, quæ omnia in Paralipomenis invenies.

Ut autem omnia facilius discutias, breviter insinuo, qua ratione proportiones harmonicæ simul addantur, atque reducantur ad minimos numeros, quove modo una subtrahatur ab alia: fusius enim illa referre, quæ ad proportiones, atque proportionalitates attinent, opus integrum postulat. Igitur si proportiones addis, vel inæquales erunt, vel æquales: si prius, detur sesquitertia, & sesquialtera: si majorem numerum sesquitertiæ in majorem sesquialteræ, vel contraduxeris, videlicet 4 in 3, efficies 12: si minorem in minorem, id est 3 in 2, fient 6, & sic 12, & 6 resultabunt ex illa proportionum conjunctione: qui numeri duplam proportionem, ac proinde diapason formant. Vis tu rei probationem? minorem unius per alterius majorem, id est 2 per 4 multiplices, 8 resultabit, qui diapason in quartam, & quintam di-

vidit, ut hic conſpicis 6. 8. 12. Si poſterius, ſit exempli gratia ſeſquialtera, 2 3, major numerus in ſe ductus 9, minor vero 4 dabit 9, autem, & 4. eſt dupla ſeſquiquarta, ut patet ex antecedenti probatione, quandoquidem 3 per 2. multiplicati 6 producunt, qui inter 9, & 4 poſitus illos numeros in 2 æquales proportiones, nimirum ſeſquialtera dividit. Qua ratione 2 ſeſquioctava, ſeſquinonas duas, tres, 4, quot libuerit, & ſimul addere poteris.

Nec injucundum erit ſi 3 tonos majores, 2 minores, & 2 ſemitonia majora ſimul addideris, nam perfectum diapaſon explebunt, ut ex ſequentibus numeris colligere poteris.

Semitonium majus. tonus major. tonus minor.
144 —— 135 —— 120 ——
tonus major. Semitonium. tonus minor.
108 —— 96 —— 90 —— 81
tonus minor.
72

Quia vero ſæpius una proportio ex alia ſubtrahenda eſt, ut ſeſquitertia ex ſeſquialtera, ſeſqui81, vel ſeſquivigeſimaquarta a ſeſquioctava, vel ſeſquinona, & ita de cæteris, hac methodo uteris: quarta a quinta ſubtrahenda ſit, numerus antecedens ſeſquitertiæ, videlicet 4, ducetur in conſequentem ſeſquialteræ 2, unde naſcetur 8: deinde ternarius antecedens ſeſquialteræ multiplicabitur per conſequentem ſeſquitertiæ, ut 9 producatur, & proportio 9 ad 8 ſit illa, quæ ſupereſt poſt ſubtractionem ſeſquitertiæ a ſeſquialtera. Quod verum eſſe concludes ex additione ſeſquioctavæ ad ſeſquitertiam, quippe quæ ſeſquialteram reſtituet.

Quod ſi proportionis datæ numeros radicales invenire cupis, minorem a majori toties ſubtrahe, quoties fieri poterit, donec minimum numerum repereris, qui ſit communis utriuſque menſura, quod ſi fieri nequit, illa proportio nullos minores radicales habet, ſed numeri dicuntur contra ſe primi, cum pro communi menſura ſolam unitatem habeat. Exemplum primi ſit 24, & 15. primo ſubtrahe 15 a 24, novem ſuper ſunt: quos a 15 aufero, ut 6 reliquantur, quos ubi a 9 abſtuleris, 3 ſupererunt: denique tribus a 6 demptis reſidui ſunt 3, qui cum a ſe ipſo ſubtrahi nequeat, is erit minimus, ſeu radicalis numerus, qui utrumque metietur: eapropter 24, & 15. per 3 diviſa, & ad tertias reducta, 5 & 8 pro radicalibus exhibebunt: quos ſi radicales eſſe dubites, 5 ab 8 auferas, 3 ſuperſunt: deinde tres a 5 deme, relinquetur binarius, quo denique a ternario ſublato unitas ſola reſtabit, & ideo 5, & 8 menſura communis erit, & ideo hi numeri proportionis 15 ad 24 minimi cenſendi ſunt. Unde concludendum eſt nullos numeros contra ſe primos ad minores numeros reduci poſſe, ut patet in 5, & 8. in 64, & 81, in 80, & 81. &c.: quorum primus eſt ſupertripartiens quintas, ſecundus ſuperſeptemdecim partiens ſexageſimaſquartas, ultimus vero ſuperoctoginta partiens. Alia plurima vide in Paralip. ad finem libri, nec enim ad 22. verſiculum progrediamur.





JOHANNIS SPENCERI
USUS MUSICÆ
IN SACRIS CELEBRANDIS.

IUdæorum festa & sacra solenniora, non choreis solummodo tripudiisque, sed canticis & concentu musico decorata fuisse, multa Scripturæ Canonicæ & Apocryphæ testimonia luculenter indicant. Ex iis verba illa *Numer.* 10. 10. primo observanda veniunt: *in die quoque lætitiæ vestræ, & in solennitatibus vestris, & in principiis mensium vestrorum, clangetis tubis: similiter clangetis tubis ad holocausta vestra, & ad Sacrificia Eucharistica vestra.* Tubis ea in lege institutis, sub Davidis tempora ingens accessit Cantorum, Tubicinum, & instrumentorum musicorum numerus. Nam 1. *Par.* 16, 40, 41, 42. David coram Arca reliquisse dicitur sacerdotes *ad offerendum holocausta Jehovæ in altari holocausti: & cum iis Hemanem & Jeduthunem, una cum tubis* suis *& cymbalis*, aliisque *instrumentis musicis*. Salomonis tempore *Levitæ induti bysso, cum cymbalis, psalteriis, & citharis, stabant ad orientem altaris: & cum eis sacerdotes centum & viginti, buccinantes in tubis:* 2. *Chronic.* 5. 12. De Ezechia etiam testantur annales sacri, quod *restituerit Levitas in domo Jehovæ, cum cymbalis, cum nabliis, & cum citharis:* 2. *Chronic.* 29. 25. 26. Deinde sequitur, *edixit Hezekiah ut offerrent holocaustum in altari: & quo tempore cœpit holocaustum, cœpit musica Jehovæ, cum ipsis tubis & instrumentis Davidis regis Israel:* com. 27. Hæc etiam sacrificia scilicet & cantica, apud prophetam *Amosum*, tanquam comites individui, conjunctim veniunt: Cap. 5. 12. 23.: *si obtuleritis mihi holocausta, —— non acceptabo: & pacifica vestra non respiciam. Aufer a me sonitum canticorum tuorum, & melodiam nabliorum tuorum non audiam.* Constat etiam e Sirachide, dum *libamen* in altare effunderetur, sacerdotes *tubis suis ductilibus sonuisse: Eccl.* 50. 16. Quibus subjungit, *& laudaverunt* (οἱ ψαλμῳδοὶ) *cantores vocibus suis: & in plurimo sono dulce factum est melos.* Vers. 18. Cantores eos sacros ad nutum Præfecti cantorum munera sua præstiterunt, & Tubicines novem vicibus ad sacrificium juge matutinum, novem etiam ad sacrificium juge inter vesperas clangores ediderunt; si quid *Maimonidis* testimonio tribuendum sit.

Nec

Nec apud Judæos ſolummodo, ſed exteros quoque ſolenne erat, ut ſacra ſua tripudiis, canticis & omnifariis muſicæ inſtrumentis decorarent. Sic morem ſacrorum apud Græcos habuiſſe, docent (1) *Luciani* illa, ἐν Δήλῳ ȣ̉δὲ αἱ θυσίαι ἄνδ ὀρχήσεως, ἀλλὰ σὺν ταύτῃ, ϗ̀ μετὰ μȣσικῆς ἐγίνοντο. *In Delo nulla ſacra peragebantur, quibus ſaltatio non fuiſſet adhibita: ſed cum illa, & cum muſica cuncta* perſolvebantur. In ſacris Bacchi & aliorum Deorum, οἱ κυμβαλίζοντες ϗ̀ τυμπανίζοντες, *Arriano* teſte, audiri ſolebant. Romanos etiam non ſine Muſices acceſſione ſacra perfeciſſe, teſtatur *Seneca*, in *Troad.*

> *Nunc omne læta fronde veletur caput,*
> *Sacrifica dulces tibia effundat modos.*
> *Et nivea magnas victima ante aras cadat.*

Et quo majore cum ſolennitate res ſacræ peragerentur, Romani (2) collegia tota Tibicinum, qui in ſacris quibuslibet præcinerent, peculiariter inſtituta habuere. Muſicam in gentium aliarum templa & ritus receptam fuiſſe, fidem manifeſtam faciunt plurima illa apud *Stuckium*, (3) ex ethnicorum ſcriptis congeſta teſtimonia: e quibus abunde conſtat, omnia, dum res divinæ fierent, tubis, tympanis, cytharis, ſiſtris, cymbalis, fiſtulis, buccinis, lituis, & ingenti vociferantium & cantantium turba perſtrepuiſſe. Eouſque vero tandem valuit conſuetudo illa, quod ethnici ſonos muſicos Deorum fere omnium ceremoniis immiſcerent:

Sentiunt autem plerique Gentiles hac in re Judæorum ſimios fuiſſe & illum ſacra ſua omnia, inter medios tot Cantorum & Tubicinum ſtrepitus, peragendi morem, e Judæorum ritibus furtim accepiſſe. At Scripturæ & rationi magis congruum videtur, antiquos gentilium ſacra celebrantium mores Judæorum muſicæ ſacræ occaſionem præbuiſſe; & Deum victimas ſuas, magna comitante Tubicinum & Cantorum caterva, immolari permiſiſſe, ne Judæi quicquam ſplendoris, pompæ aut lenocinii, quo diabolus idololatras altaribus ſuis devinctos tenuit, in ſacris a ſemetipſo inſtitutis deſiderarent. Huic autem ſententiæ, variis adductus argumentis, addixi animum.

Primo: admodum probabile eſt, Muſicam vocalem & inſtrumentalem in Gentilium ceremoniis uſitatam fuiſſe, priuſquam gratiæ vel autoritatis aliquid a cultus Judaici exemplo accepiſſet. Hoc e cultus vitulini, (4) canticis & choreis, æque ac ſacrificiis, celebrati, ceremoniis, ad morem ethnicum peractis colligamus. Non legimus quidem Iſraelitas inſtrumenta muſica canticis & choreis ſuis adhibuiſſe: ea autem choreis & ſacrificiis ſuis acceſſiſſe, non vane ſuſpicemur. Nam cantica & choreas ad citharam, tibiam, aut hujuſmodi inſtrumentum muſicum attemperare, more antiquiſſimo receptum fuiſſe, non minus e (5) Sacris quam profanis monumentis edocti ſumus. Atque inde factum forſitan quod vox eadem חלל & *tibiis canere* ſignificet, & *choros agere* vel tripudiare: & מחללים בחללים *tibicinantes tibiis*, Targum משבחין אחנגיא *laudantes in choreis* interpretetur: 1. *Reg.* 1. 40. Hiſce accedat quod Targum Jonathan: ſic textum (6) jam citatum explicet: *& Moſes appropinquavit caſtris, & vidit vitulum, & Iſraelitas, inſtrumenta etiam muſica in manibus eorum peſſimis, ſaltantes, tripudiantes, &c.* E quibus verbis *colligitur*, inquit, (7) *Kircherus, eos inſtrumenta muſica more Ægyptiorum quoque* in ſacris *adhibuiſſe: forte ſiſtra illa fuerunt & tibiæ, quibus maxime hujuſmodi ſolennitas in Ægypto peragebatur*. Kircherum hac in re fidem mereri ſentio, non tantum quod rerum & literarum Ægyptiarum impenſe doctum; ſed quod ſiſtri ſive cymbali in ceremonis Ægyptiis uſus, tan antiquus fuerit, quod (8) *Plutarchus* inſtrumentum illud Pontificis Judaici tintinnabulis exemplar præbuiſſe ſenſerit. Præterea, inſtrumenti illius uſus, Ægypto tam frequens & pene proprius erat, quod tota terra a ſiſtro & idolis titulum & deſcriptionem ſortita credatur: *Jeſ.* ſcil. cap. 18. 1.: *væ terræ cymbali orarum, quæ* eſt *trans flumina Chus, mittenti in mare imagines*. Ubi *Ægyptum* ænigmatice *pro more prophetarum* ſignificari ſentit (9) *Bocartus*: & ſiſtrum, per צלצל כנפים *cymbalum orarum*, vel marginatum. Nam *in eo*, inquit, *differt ſiſtrum* Ægyptium *a vulgari cymbalo; quod cum rotundum fuerit cymbalum, in formam acetabuli, — ſiſtrum fuit ovali forma cum certis oris ſeu marginibus, ex quibus appenſa tintinnabula argutum ſtrepitum — edebant. — Hebraice ergo ſiſtrum* צלצל כנפים *cymbalum orarum — dicitur*, διακριτικῶς, *propter oras* jam dictas.

Secundo: cultus ille qui canticis, citharis nabliis, cymbalis, & hujuſmodi inſtrumentis muſicis peragebatur, non e præcepto aliquo divino, ſed pio Davidis affectu, fluxiſſe videtur. Nam Scriptura ſacra non tantum hujuſmodi præceptum ſilentio præterit, ſed inſtrumenta illa Davidi tanquam primo autori, tribuit. 2. *Chronic.* 29. 26. 27. *& ſteterunt Levitæ cum inſtrumentis* muſicis *Davides & ſacerdotes*

dotes cum tubis: & quo tempore cœpit holocaustum, cœpit canticum Domini, una cum tubis: & instrumentis, institutis *per Davidem regem Israelis*. Quæ verba sensum tam clarum & apertum ferunt, quod (10) vir doctissimus, *institutionem musicæ vocalis & instrumentalis in cultu divino, non posse per Scripturam ab origine altiore, quam Davide, deduci*, afferere non dubitaverit. Idem & *Procopius* diu antea afferuisset: *Comment.* in 1. *Reg.* cap. 16. com. 6. Ubi ait, *cultus Dei qui per instrumenta musica exercetur, non quidem a Deo traditus, sed a Davide admodum religiose excogitatus est*.

Cum itaque tot instrumenta musica, ad sacrorum pompam & solennitatem adaugendam usitata, non Deo, sed Davide auctore, instituta fuerint; inde promptum est conjicere, morem Gentilium (quorum sacra omnifariis musicæ instrumentis celebrantur) Davidi organa musica inter sacrificandum pulsanda, instituendi causam præbuisse. Nempe gens humana, sub Davidis tempora, ruditatem antiquam plurimum deposuisse, & sese ad mores magis politos composuisse videtur: Deos suos rudi simplicique majorum suorum ritu diutius colere noluere, nec tenui farina, aqua, vel herbis, eos propitiare. Deorum sacra, non lucis tantum & antris, sed templis magnifico apparatu fulgentibus, administrare cœperant: nec sistri tantum aut fistulæ pastoralis strepitu, sed regio instrumentorum plurimorum sonitu Deorum victimas cohonestare. Nec Davidis religio & zelus pati potuit, ut Israelitæ victimas, simplici tantum tubarum duarum clangore comitante immolarent; aut Deum in Tabernaculo ad sæculi tantum Mosaici simplicitatem accommodato adorarent: ne supremi Numinis cultus præ gentilium ceremoniis sordescere crederetur. Ut paucis dicam, Deum majore quam olim elegantia colendum censuit David, eo quod nova tempora novos mores attulisse, & magis elegantes & politos colendi ritus postulasse videantur. Unde enim cultus divini pompam, templo magnifico & instrumentis musicis, adaugendi studium Davidis animum occuparet, nisi quod splendidiores Gentium ritus stimulos adderent, eumque ad æmulationem provocarent.

Facile prævideo nonnullos, contra ea quæ dicta sunt duplici objectione pugnaturos.

I. Satis e Scriptura liquere videtur, Musicam vocalem & instrumentalem, in cultu divino locum & usum diu ante Davidis ætatem habuisse. Legimus enim, 1. *Samuel.* 10. 5. de cœtu prophetarum quem Saulus sibi obvium habuit: *descendebant* autem *de excelso*, & erat ante eos *lyra, & tympanum, & tibia, & cithara: & ipsi prophetabunt*, h. e. laudes Deo canebant. Et multis antea seculis, Miriam & fœminæ, pietatis suæ comites, canticis, choreis & cymbalis, Dei laudes & redemptionem suam ex Ægypto celebrasse dicuntur, *Exod.* 15. 20.

Resp. Haud abnuerim, nonnullos, antiquitus, eosque plurimum spiritu prophetico afflatos, musicam instrumentalem in cultu divino sponte usurpasse: eam autem, (quod unum contendo ipse) nullibi ante tempora Davidis, præceptam, legimus. Ille primus cantores & tubicines in classes suas distribuit, iisque præcepit ut *omnia musicorum instrumenta* festis & sacrificiis adhiberent. 1. *Par.* 16. 40. 41. 42. Deinde, quamquam forsan instituti vetustissimi esset, Dei laudes & opera miraculosa ad lyram & tibiam decantare; Davidis primum tempore receptum videtur, ut tubis, citharis, aliisque musicæ instrumentis, inter sacrificandum uterentur.

II. Objici etiam possit, quod clarum sit Davidem tot instrumentorum usum, non sponte sua, sed Dei solius jussu & Spiritus afflatu, in cultum Divinum induxisse. Hoc enim aperte dicit Scriptura, 2. *Paral.* 29. 25. *& statuit* Hezechiah, *Levitas in domo Domini, cum cymbalis & nabliis, & citharis, juxta præceptum Davidis, & Gad videntes regis, & Nathan prophetæ: ita enim se habuit mandatum Jehovæ, per manus prophetarum*.

Resp. Primam commatis hujusce partem, ita cum *Grotio* interpretandam sentio, *Rex id instituerat, approbantibus ejus consilium prophetis*. Nam Scriptura vix unquam musicæ templi mentionem ingerit, quin eam ad Davidem, tanquam pium auctorem, referat. Hoc constabit consulenti, 1. *Paral.* 16. 4. 5. 6. & 23. 5. & 25. 1. 2. 6. 2. *Par.* 8. 14. & 23. 18. & 29. 25. *Ezr.* 3. 10. *Nehem.* 12. 36. *Eccl.* 47. 9. Ultimam commatis partem, obscuram esse, vel inde pateat, quod *Grotius* eam prorsus intactam præterierit; & vix duo interpretes de clausulæ illius mente uuum idemque senserint. Sic versio *Syriaca* textum explicat, *David* enim canebat laudes Domini Dei sui quasi ex ore *prophetarum*: Sic autem Arabica, *David hymnos componebat, ut ora prophetarum*. Male itaque sensus tam incerti verba opponat quispiam, contra apertam tot Scripturarum fidem, quæ templi musicam ad Davidem, veluti caput & fontem referunt: cum præsertim, versu sequente, *instrumenta*

menta Davidis, a *ſacerdotum tubis*, lege Moſaica inſtitutis, a verbis tam diſertis diſtinguantur.

Tertio: ſola ratio, antiquiſſimas Dæmonum technas & Gentilium dogmata rite æſtimans, facile judicabit ingentem illum Muſicorum ſtrepitum, primum in Gentilium ceremoniis uſum & locum inveniſſe.

I. Antiquiſſimæ dæmonum technæ & μεθόδαι, ad cultum ſuum promovendum uſurpatæ, ſic opinandi cauſam non levem præbent. Cum enim duo ſint, (obſervante vetere (11) Muſico) παιδείας aut diſciplinæ modi, διὰ πάθους, per affectum & imaginationem, & διὰ πειθοῦς perſuaſionem & argumentum; diabolus ſe & ſua omnia, ad imaginationem, affectum, & ſenſum externum afficiendum & alliciendum, ſemper accommodavit. Notum enim omnibus, qui rei hiſtoricæ uſum vel mediocrem habent, Gentilium imagines ad (12) regum plurimum exemplar formatas, & auro gemmiſque ſplendidas religionem quandam intuentibus incuſſiſſe: Ethnicos etiam numina ſua fanis eleganter & ſuperbe conſtructis, dedicatis altaribus, pompis magnificis, & ceremoniis auguſtum in modum ſumma cum cura exquiſitis coluiſſe. Eodem conſilio, victimas aurati cornibus & vittis inſignes Diis ſuis offerebant: eorum ſacra ſub arboribus umbram gratiorem projicientibus peragebant: & canticis in Deorum honorem compoſitis, audientium animos in ecſtaſin rapientibus utebantur. Cum itaque diabolus hujuſmodi artes & μεθοδέας ad cultum ſuum promovendum antiquitus adhibuerit, rationi convenit ut ſentiamus diabolum omnifaria inſtrumentorum genera altaribus ſuis primum admoviſſe: nempe ut ſenſum & imaginandi facultatem ingenti illo ſtrepitu percelleret & faſcineret, & credulus populus quid dignum tanto undique vociferantium hiatu ſacris ſuis ineſſe non dubitaret. Cum negotio quod jam agimus, conjuncta ſunt *Clem. Alexandrini* verba *Protrept.* pag. 3. ubi de Orpheo, & Thebano, & Methymnæo, antiquis cultus Ethnici magiſtris, differens, ait, ἐμοὶ δοκοῦσιν ἀπατηλοὶ γεγονέναι, προσχήματι μουσικῆς λυμηνάμενοι τὸν βίον, ἐντέχνῳ τινὶ γοητείᾳ δαιμονῶντες εἰς διαφθορὰς, —— τοὺς ἀνθρώπους ἐπὶ τὰ εἴδωλα χειραγωγῆσαι πρῶτοι. *Mihi videntur deceptores fuiſſe, qui prætextu Muſicæ, vitæ perniciem afferentes, artificioſis quibuſdam præſtigii ad corruptelas dæmoniace incitantes, — primi deduxere homines ad idola.* Quamvis autem ceremoniæ idololatriæ hujuſmodi præſtigiis indigerent, Deo & ſacris ſuis nil opus erat tot cantorum & muſicorum pompa & ſtrepitu, quæ ſua ſatis auctoritate & ſanctitate hominum ſaniorum ſtudia ſibi devincirent. Quantum itaque e communi dæmonis uſu & fraude conjiciamus, Ethnici ingenti muſicorum ſtrepitu & vociferantium turba, dum altaria ſua fumarent, primi utebantur.

II. Huic etiam conjecturæ locum præbent Gentilium de Diis ſuis antiquitus concepta dogmata, quod ſcil. victimarum ſanguis & nidor Deos reficeret, & Muſicorum cantus eos demulceret; adeoque Deorum palata, nares atque aures e ſacrificii totius apparatu incredibilem haurirent voluptatem. Ethnicos hæc ſomniaſſe, colligamus ex (13) *Arnobii* verbis, ita per ludum & jocum de Gentium numinibus differentis; *Etiamne Dii ſertis, coronis afficiuntur, & floribus? —— etiamne tympanis? etiamne ſymphoniis? quid efficiunt crepitus ſcabillorum, ut cum eos audierint numina, honorifice ſecum exiſtiment actum & fervientes animos irarum oblivione deponant? An numquid, ut parvuli puſiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exterrentur auditis: eandem ratione & omnipotentia numina tibiarum ſtridore mulcentur, & ad numerum cymbalorum mollita indignatione flacceſcunt?* Ab ethnicis Judæi eandem opinionem hauſiſſe videntur, Deum ſcilicet victimarum nidore delectari, & ſuavi muſicorum ſono molliri & ad ſententiam mitiorem flecti. Niſi enim me fallam, tali alicui opinioni occurrit Deus, *Amoſ.* 5. 21. 22. 23. *Reprobavi feſta veſtra, & non adorabo in oblationes cœtuum veſtrorum: ſi obtuleritis mihi olocauſta —— non acceptabo, —— remove a me* ἦχον ᾠδῶν σου, *ſonum canticorum tuorum, & cantica lyrarum tuarum non audiam.* Quaſi dixiſſet, " vos non
" tantum ſacrificia feſtis veſtris, ſed can-
" tica ſacrificiis, & inſtrumenta muſica
" canticis veſtris, adjungere ſoletis: quod
" victimarum odore & muſicorum ſoni-
" tu me impenſe delectari & hujuſmodi
" blandimentis affectus meos (ſi forte)
" (14) commotos placari poſſe ſentiatis.
" At hac in re vos fugit ratio: nam vi-
" ctimæ veſtræ nullam mihi voluptatem
" afferunt, nec canticorum turbam, aut
" nabliorum tuorum (non meorum) ſo-
" nitum alicujus æſtimo. Cum itaque
" cœleſte numen concentu muſico, nul-
" lo modo affici poſſet, ethnici autem (a quibus paululum divertit ſermo) Numina ſua canticis & inſtrumentis muſicis demulceri poſſe crederent; rationi conſonum eſt, ethnicos omnifaria inſtrumentorum genera inter ſacrificandum primo adhibuiſſe; Deum autem cymbala, citharas,

ras, tibias, tubas & hujusce generis alia in sacris Judaicis tolerasse, ut sua omnia ad ingenium populi, in mores exteros intemperanter effusi accommodaret.

Quarto: inde etiam sententia nostra firmitatem hauriat, quod aliter difficile sit causam assignare, cur Judæorum & Gentilium musica sacra tantam inter se similitudinem & affinitatem colerent. Nam,

I. Judæos tubarum clangore sacra sua cohonestasse, satis e legis præscripto manifestum est. Et (15) *Julius Pollux* tuba ἐπίφθεγμα ἱερουργικὸν ἐπὶ θυσίαις, sonum sacrificalem, apud Ægyptios, Argivos, Tyrrhenos; & Romanos in usu memorat. Et huic rei testimonium præbet *Plutarchus*, *Symposiac.* lib. 4. probl. 5. Inter (16) Romanos, Numa primus,

> *Pacis opus docuit, jussitque silentibus armis.*
> *Inter sacra tubas, non inter bella sonare.*

II. Quanquanquam tubarum usus, in Judæorum ceremoniis peragendis, maxime frequens & antiquus fuerit, constat tamen & omnia alia Musices instrumenta partes suas in sacris Judaicis frequenter habuisse. Hoc ratum facit sacra pagina, 1. *Par.* 16. 4. 5. & 42. *Penes ipsos autem Heman & Jeduthan* constituit, *canentes tuba*, & quatientes *cymbala*, & *omnia musicorum instrumenta* ad canendum Domino. Idem apud ethnicos usu frequenti factum, e verbis Regis cognosci potest, *Dan.* 3. 15. *si vos parati estis, ut in tempore quo audieritis sonitum cornu, fistulæ, citharæ, sambucæ, psalterii, symphoniæ, & omnis speciei instrumenti musici, cadatis & genuflectatis imagini quam feci ego*, &c.

III. Apud Judæos, non tantum instrumentis musicis, sed & cantoribus, dum rei sacræ vacarent, personabant omnia. Et (17) *Lucianus*, templi vetustissimi, Deæ Syriæ sacri ritus referens; οἱ ἱροὶ ἄνθρωποι, inquit, τελέουσι τὰ ὄργια, —— πολλοὶ δέ σφισι παρεστεῶτες, ἐπαυλέουσι, πολλοὶ δέ τύμπανα παταγέουσι, ἄλλοι δέ ἀείδουσι ἔνθεα καὶ ἱρὰ ᾄσματα. *Homines sacrati peragunt sacrificia: —— multi autem ipsis adstantes tibiis accinunt, & tympana pulsant, alii autem sacra & divinitus inspirata cantant carmina.*

IV. Apud Judæos, cantorum & tubicinum officium, non cuivis e promiscua plebe sed personis tantum sacris (sacerdotibus nempe & Levitis) demandatum est. Ita morem & apud ethnicos habuisse, testis est jam laudatus (18) *Lucianus*, nam sacrorum ministros in templo prædicto memorans, ἔστι, inquit, καὶ ἄλλο πλῆθος ἀνθρώπων ἱρῶν, αὐλητέων τε, καὶ συριστέων. *est autem & alia multitudo hominum sacrorum, tibicinum videlicet & fistulatorum*. Sua fuisse Romanis tubicinum collegia, iisque solis in sacris præcinere concessum, notum omnibus quos Romanorum historiæ vel leviter exercuere. Apud Græcos aliosque, qui tuba inter sacrificandum canebant, ἱερὸν σαλπιγκτὴν nuncupatum fuisse, refert (19) *Stuckius*.

V. Judæis etiam in more erat, in sacrificiis præsertim & festis solennioribus, vociferationibus vel acclamationibus instrumentorum musicorum pompam adaugere. Huc spectant nonnulla Scripturæ loca; *Psalm.* 33. 2. 3. *psallite Domino in cithara —— cantate ei canticum novum*, psallite *ei* בתרועה ubi LXX. habent, ἐν ἀλαλαγμῷ. id est, *cum* (20) *clamore*, voce intensissima; Chaldæus ביבבא *cum vociferatione*, quæ optime reddit sensum vocis תרועה a רוע *vociferatus est*, derivatæ. Hunc morem respicit etiam *Psal.* 89. 15.: *beatus populus qui novit* תרועה *jubilationem*: h. e. o ter felicem & amplius populum, cui Hierosolymam adire contingit, ubi Dei sacris, clamore festivo celebrari solitis, interesse possit? Ex hoc more venisse videtur, quod munera Deo oblata, זבחי תרועה (21) θυσίαι ἀλαλαγμοῦ; & cymbala in officiis divinis usurpata, (22) κύμβαλα ἀλαλαγμοῦ, ab adjuncta nimirum acclamatione nuncupentur. Hinc factum etiam, quod clamor Chaldæorum militaris, cum *vociferatione in festis* conferatur, *Lament.* 2. 7. Quædam etiam ethnicorum sacra, (Baalitica nempe, Lupercalia, Bacchanalia, Corybantum, Saliorum, & hujusmodi alia,) non nisi in sacris clamoribus & vociferationibus celebrata fuisse, Veterum testimoniis confirmavit (23) *Stuckius*.

VI. Judæi hymnis ad altare decantatis, ad omnia cultus naturalis officia & partes utebantur. Sive enim præclara Dei opera aut beneficia commemoranda, sive gratia aliqua præcibus impetranda, sive attributum aliquod divinum (justitia, potentia, clementia, aut misericordia) celebrandum, vel gratiæ pro singulari beneficio referendæ; Cantores & musici in muniis hisce omnibus obeundis versabantur. Nam Levitæ, quorum erat præcinere & sacra organa pulsare, constituti dicuntur להזכיר (24) *ad commemorandum, & gratias agendas, & laudandum Dominum*. Eo autem in loco, vox להזכיר sensu paulo latiori sumenda videtur, ita ut cultum oratione præstandum comprehendat. Eo sensu occurrit, *Amos.* 6. 11.

Quia non ulli להזכיר *ad commemorandum in nomine Dei*, i. e. colendum vel orandum. Consentit Chaldæus, qui vocem illam per הוו מצלן *erant orantes* interpretatur. Cui loco addi potest *Exod.* 20. 24. *In omni loco quo* אזכיר את שמי *nomen meum commemorari fecero*: ubi LXX. vertunt, οὗ ἐὰν ἐπονομάσω τὸ ὄνομά μου: *ubicunque nomen meum invocandum* vel colendum *proposuero*. Eadem etiam materia hymnorum quos ethnici in Deorum suorum sacris decantabant. Solebant enim Deorum res præclare gestas & beneficia quibus mortales affecissent, ad aras canere: benignitatem qua civitates amplexi ac tutati fuissent, læto gratoque animo commemorare: eorum potentiam & virtutes summis laudibus ornare: precabantur etiam ut faciles benignique accederent ad sacrificia quæ sibi fierent; & ut iis sibi semper propitiis uterentur. Ethnicos sic hymnos suos sacros composuisse, prior observavit (25) *Natal. Comes*, & exemplis aliquod e *Callimacho*, *Orpheo*, & *Virgilio* petitis confirmavit. Ad illum se conferant, quos hæc penitus cognoscendi studium tenet.

VII. Judæorum psalmi ad aram decantati, e duabus potissimum partibus constare solebant, תהלים scil. & תפלים præconio & præcamine; eo plurimum ordine dispositis ut a laudibus (ob egregia Dei opera, beneficia, vel attributa) inciperent, & precibus desinerent. Ita plerunque factum fuisse nobis facile persuadeamus, modo ad *Psalmum* illum attendamus quem David sacris suis Musicis (26) primo dedisse legitur, eumque pro communi reliquorum mensura habeamus. Ethnicos etiam eo ordine hymnos, in Deorum honorem inter sacra decantandos, plurimum composuisse; e variis exemplis apud (27) *Natal. Comitem* memoratis colligamus.

E tanta morum similitudine, nonnulli proculdubio opinandi ansam arripient, Gentiles cultum suum ad religionis Judaicæ normam direxisse, adeoque Deos suos hymnis & instrumentis ad morem & formam Judaicam compositis coluisse. Non possum tamen a meipso impetrare, ut huic opinioni assensum præbeam; primo, quod e multis Scripturæ locis ostendi possit, Judæos gentium mores studiose æmulatos fuisse: non constat autem ex ullo sacræ vel profanæ historiæ testimonio, gentes antiquiores Judæorum ritus ullo in pretio habuisse: neque credibile est gentes Judæos sequi, & ipsos æmulos suos æmulari voluisse. Deinde, mos ille sacrificia tam splendido cantorum & musicorum apparatu celebrandi non nisi sero admodum, nempe Davidis ætate, apud Hebræos receptus erat: cum verisimile sit gentes idololatricas Numina sua, non minus canticis & instrumentis musicis, quam templis & sacrificiis, diu antea coluisse. Præterea, satis e cultus vitulini ceremoniis manifestum est, idololatras sacrificia sua canticis & vociferationibus, non tantum ante Davidis ætatem, sed & ante Legem datam celebrasse. Quoniam enim vociferantium vel acclamantium sonus multo citius aurem ferit, quam molliores cantantium voces; *Joshua*, adhuc paulo remotior a castris, *audiens sonum populi* כד מיבבין (uti Chaldæus vertit) *cum vociferarentur; dicebat Mosi*, *sonum bellicum in castris audio*, *Exod.* 32. 17. Cum autem Moses paulo propius abesset a castris, *non est*, inquit, *sonus quo strenui clamant*, *neque est sonus quo debiles clamant: sonum cantantium ego audio*. Quibus verbis non is Mosis animus, ut vociferantium sonum se auribus accepisse denegaret, (eum enim audivit Josua, & testatur (28) *Philo*) sed ut sonum illum cantantium vocibus conjunctum esse affirmaret; adeoque editum, non ad gaudium & triumphum aliquem castrensem indicandum, sed sacrum aliquod idololatricum ad morem Ægypti, peragendum. Cum autem certum sit Hebræos acclamationes illas e veteri gentium usu accepisse (eas enim nullibi præceptas legimus) inde pronum est conjicere, eos ritus alios in musica sacra tractanda observari solitos, & proinde Musicam ipsam, eodem ex fonte derivasse.

Quinto: ad sententiam meam firmandam non parum confert, quod manifestum sit Græcos Patres plerosque in ejusdem opinionis tramite præcessisse. Ex iis prodeat primus ad causæ meæ stabilimentum (29) *Justinus Martyr*. Vid. *pag.* 283. qui mecum hisce verbis aperte suffragatur: ὑπὸ τῶν ἀπίστων πρὸς ἀπάτην εὑρέθη τὰ ᾄσματα, τοῖς δὲ ἐν νόμῳ ἐτυφήθη διὰ φρενῶν νηπιότητα· *infidelibus*, *fallaciæ & seductionis gratia*, *reperta sunt cantica: eis vero qui in Lege fuere*, *inducta sunt*, *propter ingenium puerile*. Hisce consentanea (30) *S. Cyrilli* verba, *aufer sonitum carminum tuorum*, *& psalmum organorum tuorum*, Ἃ δὲ δὴ σφόδρα τὰς οὐκ οἶδ' ὅθεν ἐξευρημένας τῶν Ἰουδαίων δοξολογίας, ὀργανικὰς δηλονότι, ἦχον ᾠδῶν ἀποκαλεῖ, &c. *Probene autem nescio unde inventas Judæorum glorificationis*, *organicas nimirum*, *sonitum carminum vocat*: quasi dixisset supervacaneum & inanem sonitum, inarticulatum quoddam melos emittentem. Ostendit porro hæc fuisse Ἰουδαϊκῆς ἀβουλίας εὑρήματα,

Ju-

Judaicæ temeritatis inventa, *dicens* Psalmum organorum tuorum; *tantum enim non dicit*, non meum; ἔξω γὰρ τοῦ νόμου τὸ χρῆμα, ϗ περὶ τούτων οὐδὲν λελάληκεν ὁ Μωσῆς. *Res quippe extra legem est*, & *de istiusmodi instrumentis Moses nihil præcepit*. Idem pene judicavit (31) *S. Chrysostomus*, qui in verba illa Psalmistæ, *Tympano & Psalterio canant ei*, de hujusmodi instrumentis sic sensum exprimit, τὸ παλαιὸν οὕτως ἤγοντο (Ἰουδαῖοι) διὰ τῶν ὀργάνων τούτων, διὰ τὴν παχύτητα τῆς διανοίας αὐτῶν, ϗ τὸ ἄρτι ἀπεσπάσθαι ἀπὸ τῶν εἰδώλων, ὥσπερ οὖν τὰς θυσίας συνεχώρησεν, οὕτω ϗ ταῦτα ἐπέτρεψε, συγκαταβαίνων αὐτῶν τῇ ἀσθενείᾳ· i. e. *Per hæc instrumenta sic olim ducebantur* Judæi, *propter ingenii sui hebetudinem*, & *quod paulo ante avulsi essent a simulachris. Quemadmodum ergo sacrificia concessit Deus*, *ita hæc etiam permisit*, *ad imbecillitatem eorum se accommodans*. In eandem sententiam sic loquitur (32) *Theodoritus*: *Deus liberare volens Israelem*, *jam diu in Ægypto versatum*, *pravisque indigenarum moribus imbutum*, ϗ θύειν εἰδώλοις, ϗ δαίμοσι παρ' ἐκείνων μεμαθηκότα, ϗ παίζειν, ϗ χορεύειν, ϗ ὀργάνοις μουσικοῖς ἐπιτρέπεσθαι, & *edoctum ab iis idolis ac dæmonibus immolare*, & *ludis choreisque ac musicis organis oblectari*, θύειν μὲν ξυνεχώρησεν, —— ἀλλ' αὐτῷ μόνῳ, *sacrificare quidem permisit*, sed sibi soli. —— *Haud itaque victimarum indigens Deus*, *sacrificia instituit*, *sed ut ægrorum affectibus mederetur*. Οὕτω δὴ ϗ τὰ τῶν εὐήχων ὀργάνων ἠνέσχετο· οὐ τῇ τούτων ἁρμονίᾳ τερπόμενος ἀλλὰ κατὰ βραχὺ παύων τῶν εἰδώλων τὸν πλάνον· *Ita* & *musica instrumenta passus est esse*: *non quod illorum concentu oblectaretur*, *sed ut idolorum errorem paulatim aboleret*. Patribus hisce comitem addam *Isidor. Pelusiot.* qui *Lib.* 2. *Epist.* 176. sententiam meam suo ornavit testimonio, hisce verbis tradito; εἰ θυσιῶν ϗ αἱμάτων ἠνέσχετο τὸ θεῖον, διὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων τὸ τηνικάδε νηπιότητα, τί θαυμάζεις εἰ ϗ μουσικῆς διὰ κιθάρας ϗ ψαλτηρίου τελουμένης, τῆς ὥς φασί τινες τὰ πάθη τὰ ψυχικὰ, &c. *Cum numen cœleste victimas & cruores ob puerilitatem*, *in qua tum homines versabantur*, *toleravit*; *quid miraris quod eam quoque quæ per citharam & psalterium celebratur*, *musicam toleratis? quæ ut nonnulli ajunt*, *turbulentos animi motus propulsat simul & mœrorem lenit*, &c. E testimoniis hisce omnibus simul collatis clarum est, patres in ea opinione convenire, gentes scilicet instrumenta musica in sacris ministeriis, more vetustissimo, usurpasse; & inde Judæos, vel jussu vel permissu Dei, ea accepisse. Hisce omnibus opponi potest, musicam ad corrigenda hominum ingenia aptam esse, eosque qui ἄγειοι τὸ ἦθος ϗ ζωωδέστεροι, moribus sunt & brutorum sorti propiores, ad humanitatem & virtutem formare, & frigida eorum pectora calore quodam divino in sacris peragendis animare. Ideoque verisimile est Deum, non ob seculi morem sed musicæ virtutem, solennem illum Musicorum chorum victimis offerendis semper adesse præcepisse.


At hæc Objectio nil nobis adversi continet: nam facile largimur templi musicam ad duriora Judæorum corda emolliendа, & affectus Deo dignos excitandos, non parum voluisse. At si Deus eo tantum fine solennem illum Musicorum concentum in cultu sibi præstando admisisset; quid rei erat quod cymbala, psalteria, citharæ, nablia, & multa alia, locum in Judæorum ceremoniis, non nisi Davidis ætate obtinerent; Et unde factum quod instrumenta illa usurparent, non solum cum Deum hymnis celebrarent, sed cum victimas immolarent, quæ affectus præter solitum accensos & commotos minime postulasse videantur? Sermoni itaque nostro de musica illa Judaica (33) *S. Chrysostomi* verbis coronidem imponamus: τὰ ὄργανα ἐκεῖνα διὰ τοῦτο ἐπιτέτραπτο τότε, διά τε τὴν ἀσθένειαν αὐτῶν, ϗ διὰ τὸ κιρνᾶν αὐτοὺς εἰς ἀγάπην ϗ συμφωνίαν, ϗ ἐγείρειν αὐτῶν τὴν διάνοιαν μεθ' ἡδονῆς ποιεῖν τὰ τὴν ὠφέλειαν παρεχόμενα, &c. *Illa instrumenta*, tympanum, cymbalum, cythara, Judæis *permissa fuerant*, & *propter eorum imbecillitatem*, & *quod eos in charitate & concordia contemperarent*, & *mentem eorum excitarent*, *ut lubenter facerent quæ eis erant utilia*: & *quod per talem delectationem vellet eos ad majus studium adducere*. Deus itaque utile dulci miscuit, neque eo solum fine altare suum Musicorum choro circumcingi voluit, populo ut placerent quæ fecissent sacra; sed ut eorum torporem excitaret, eosque ab ingenio suo illiberali & agresti paulisper avocaret.

N O T Æ.

(1) De *Saltat.* pag. 505. A.
(2) Vid. *Val. Max.* lib. 2. cap. 5.
(3) De *Sacrif. Gontil.* pag. 108.
(4) *Exod.* 32. 18.
(5) *Exod.* 15. 20. *Jud.* 11. 34. *Mat.* 11. 17.
(6) *Exod.* 32. 18.
(7) *Oedip. Ægypt.* T. 1. Synt. 4. cap. 10.
(8) Vid. *Plut. Sympoſiac.* L. 4. Quæſt. 5. p. *672*. A
(9) *Geogr. Sac.* P. 1. lib. 4. cap. 2.
(10) *Hammond. Annot.* in *Pſ.* 150. 3.
(11) *Ariſtid. Quintil.* lib. 2.
(12) *Ezec.* 23. 14. 15. *Baruc.* 6. 11.
(13) L. adv. *Gent.* 7. pag. 237.
(14) (Θεὸς) οὐ παρακληθήσεται, οὐδὲ τοῖς διʼ ὀργάνων ἤχοις ἀποκρύσει τὰ ἐγκλήματα· *S. Cyril.* in loc.
(15) *Calphurn. Eclog.* 1.
(16) *Onomaſt.* L. 4. cap. 11. ſegm. 86.
(17) Lib. de *Dea Syr.* pag. 1075. A
(18) Pag. 1073. C
(19) De *Saer. Gentil.* pag. 172.
(20) Ἀλαλαγμὸς, ἐπινίκιος βοὴ· *Heſych.*
(21) LXX. in *Pſal.* 27. 6.
(22) Vid. LXX. in *Pſal.* 150. 5.
(23) De *Sacrific. Gentil.* pag. 108.
(24) 1. *Par.* 16. 4.
(25) *Mytholog.* lib. 1. cap. 16.
(26) 1. *Paral.* 16. 4.
(27) Ub. ſupr.
(28) Αἱ δὲ ἐν τῷ στρατοπέδῳ συνεχεῖς ἐκβοήσεις κατὰ πολυανθρώπους ὁμίλους ἀθροισμένῳ &c. *Philo* de *aur. vit.* loquens lib. 3. de *vit. Moſ.* pag. 677. D
(29) *Quæſt.* & *Reſponſ.* ad *Orthod.* Qu. 107.
(30) In *Amoſ.* 5. 23.
(31) *Expoſit.* in *Pſal.* 149.
(32) *Serm.* 7. de *Sacrif.* pag. 584. 585.
(33) In *Expoſit. Pſaſ.* 150.



DIS-



DISSERTATIO
DE
LEVITIS CANTORIBUS,

Eorum divisione, classibus: de Hebræorum canticis, musica, instrumentis, &c.

EXCERPTA EX
LIBRO DE TABERNACULO FŒDERIS
BERNARDI LAMY.

SECTIO PRIMA.

De Levitis Cantoribus, numero eorum, & classibus. Nec mulieres, nec etiam virgines admittebantur ad cantandum in templo.



INter Levitas, quibus creditum est ministerium templi sub Sacerdotibus, electi sunt, qui confiterentur Domino in canticis & organis, nempe qui laudarent Deum, recitantes laudes ejus cum cantu, & musicis instrumentis. Quatuor milliæ erant canentium Domino in organis, ut dicitur 1. *Paralipom.* 23. 5. ubi sermo est de musicis instrumentis, quæ David præparaverat, sicut & cætera quorum futurus erat usus templo condito. Cantores autem omnes assumpti ex certis familiis, ut adstruitur in iisdem Paralipomenis *lib.* 1. *cap.* 25.

1. *Igitur David, & magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithun: qui prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis secundum numerum suum, dedicato sibi officio servientes.*

Lata est significatio vocis *exercitus*. Per principes exercitus licet hic intelligere principes exercitationis canendi, quorum consilio adjutus est David, cum constituit viros cytharis הנבאין *prophetantes*. Hujus vocis *Propheta* lata est significatio. Non raro idem sonat quod Doctor. Scilicet tres viros illos Asaph, Heman, & Idi-

Idithun ſelegit David, qui eſſent magiſtri ſymphoniæ, & cantum edocerent. *Et fuit numeus eorum, viri operis ad ſuum ſervitium*. Sic fons verti poteſt. Senſus autem eſt: fueruntque numerati inter eos idonei ad opus miniſterii ipſorum.

2. *De filiis Aſaph: Zacchur, & Joſeph, & Nathania, & Aſarela, filii Aſaph: ſub manu Aſaph prophetantis juxta Regem.*

Aſaph fuit Propheta, id eſt, magiſter ſymphoniæ juxta Regem; in fonte ביד *beiad*, *ad manum Regis*, id eſt, ex præſcripto Regis. *In manu Moyſis* dicitur pro per *Moyſen*. Multipliciter enim uſurpatur illud *in manu*; vel pro poteſtate, & gubernatione, *ut cor Regis in manu Dei*. In Jeremia cap. 38. 10. In Vulgata eſt: *Tolle tecum hinc triginta viros*. In fonte, Talle *beiad* in manu tua triginta viros. Illud autem *prophetantis juxta Regem*, poteſt habere hunc ſenſum, ut Aſaph fuerit primus Cantor, proximior Davidi, nempe a quo adjutus David compoſuit, & ordinavit Pſalmodiam.

3. *Porro Idithun: filii Idithun Godolias, Sorì, Jeſeìas, & Haſabias, & Mathatias, ſex: ſub manu patris ſui Idithun, qui in cithara prophetabat ſuper confitentes, & laudantes Dominum.*

Idithun magiſter erat hujus ſymphoniæ, quæ adhibebatur in laudibus Dei. Hic & filii ejus canebant Pſalmos, qui *Hodu* incipiunt, id eſt, *confitemini* & Pſalmos, qui per *Halleluia* inchoantur, aut eum titulum habent.

4. *Heman quoque: filii Heman Bocciau, Mathaniau, Oziel, Subuel, & Jerimoth, Hananias, Hanani, Eliatha, Geddelthi, & Romemthiezer, Jesbaccaſſa, Mellothi, Othir, Mahazioth:*

5. *Omnes iſti filii Heman Videntis Regis in ſermonibus Dei, ut exaltaret cornu: deditque Deus Heman filios quatuordecim, & filias tres.*

Heman erat *Videns*, id eſt, Propheta, vir doctus, unus e tribus, quos adhibuerat Rex David ad pſalmodiam ordinandam. *In ſermonibus Dei*, fons verti poteſt, *in rebus Dei*. Rerum divinarum erat peritus; ideo eum David adhibuerat, *ut exaltaret cornu:* ad laudibus extollendam potentiam Dei, tum gloriam ejus, tum magnificentiam. Alii dicunt electum Heman, ut ſtatis temporibus, corneis tubis alta voce buccinaret. Tubæ quidem quandoque erant corneæ; ſed ſæpius per methaphoram accipitur קרן *Keren* cornu ad ſignificandum *robur*, *potentiam*. Nec quæ ſequuntur in ſacro codice indicant Heman fuiſſe buccinatorem. Ita forſan ille invenerat modos horum Pſalmorum, in quibus tollitur Dei potentia.

6. *Univerſi ſub manu patris ſui ad cantandum in templo Domini diſtributi erant in cymbalis, & pſalteriis, & citharis, in miniſteria domus Domini juxta Regem.*

Ibi ſermo fit de filiis Aſaph, Idithun, & Heman, qui ſub manu patrum ſuorum diſtributi erant in claſſes, ut cantarent voce, & inſtrumentis. *Juxta Regem*. Sacra Scriptura ſemper refert pſalmodiam ad Davidem, ut ad autorem ſuum. Omnia fiebant ex præſcripto Davidis. Filii autem trium Vatum dictorum erant vigintiquatuor. Nempe, ut vidimus, Aſaph habebat quatuor filios, Idithun ſex, & Heman quatuordecim; quorum ſinguli præfuerunt viginti quatuor claſſibus, in quas Cantores diſtributi ſunt, ut mox dicetur.

7. *Fuit autem numerus eorum cum fratribus ſuis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti doctores, ducenti octoginta octo.*

Non hi ſoli filii Aſaph, Idithun, & Heman erant periti Cantores; ſed plerique alii fratres eorum, ſive cognati, quippe omnes Levitæ, *docti in cantico Jehovæ;* qui apprime noverant cantare cantica Domini, & alios edocere. Tales erant ducenti octoginta octo; ſed cæterorum Cantorum numerus major erat. Vidimus quater mille numeratos. Sed magiſtri ſymphoniæ non plures erant, quam ducenti octoginta octo.

8. *Miſeruntque ſortes per vices ſuas, ex æquo tam major quam minor, doctus pariter, & indoctus.*

Cum Cantores diſtribuendi fuere in vigintiquatuor claſſes, commiſſum eſt ſorti ad quam quiſque claſſem referretur, ut ſciret quibus temporibus vices ſuas eſſet obiturus. Sic autem compoſitæ erant claſſes, ut in illis parvi, & magni, docti, & indocti, ſive potius, ut habet fons Hebræus, intelligens, ſive doctor & diſcipulus reperirentur. In unaquaque claſſe erant viri duodecim primarii Cantores; qui numerus duodenarius multiplicatus per numerum claſſium, facit illos ducentos octoginta octo præclaros Cantores, quos modo numerabamus totidem ſymphoniæ magiſtros. Cum eſſent quatuor millia Cantorum, ſaltem erant in unaquaque claſſe centum ſexaginta ſex Cantores; ſed non neceſſe eſt ut omnes claſſes eundem numerum cantorum habuerint. Ordo eorum non pendebat ex ætatis ratione; neque enim verbi cauſa major filius Aſaph, qui nominatus eſt Zacchur, fuit princeps primæ claſſis.

9. *Egreſſaque eſt ſors prima Joſeph, qui*

erat

erat de Asaph. Secunda Godoliæ, ipsi & filiis ejus & fratribus ejus duodecim.

Illa prima sors obtigit Josepho, & filiis ejus, & fratribus, qui erant duodecim. Nempe in illa prima classe erant duodecim Cantores primarii cum Joseph, & filiis, & fratribus ejus.

10. *Tertia Zacchur, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

11. *Quarta Isari, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

12. *Quinta Nathaniæ, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

Videre est has classes non ordinatas ratione ætatis principum; sive juxta ordinem, quo filii Asaph Idithun, & Heman nati sunt.

13. *Sexta Bocciau, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

14. *Septima Israela, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

15. *Octava Jesaiæ, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

16. *Nona Mathaniæ, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

17. *Decima Semeiæ, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

18. *Undecima Azareel, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

19. *Duodecima Hasabiæ, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

20. *Tertiadecima Subael, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

21. *Quartadecima Mathathiæ, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

22. *Quintadecima Jerimoth, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

23. *Sextadecima Hananiæ, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

24. *Septimadecima Jesbacassæ, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

25. *Octavadecima Hanani, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

26. *Nonadecima Mellothi, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

27. *Vigesima Eliathæ, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

28. *Vigesimaprima Othir, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

29. *Vigesima secunda Geddelthi, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

30. *Vigesimatertia Mahazioth, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

31. *Vigesimaquarta Romemthiezer, filiis, & fratribus ejus duodecim.*

Præclarus hic ordo erat; nam præterquam quod quisque noverat quo illi munere defungendum, tum ad illud natus erat, & edoctus ab incunabulis. His omnibus Cantoribus præerant tres viri, dicti ob artem & doctrinam Videntes, seu Prophetæ, ut dicitur in 2. Paralip. cap. 5. 12. *Tam Levitæ quam Cantores, idest qui sub Asaph erant, & qui sub Heman, & qui sub Idithun, filii, & fratres eorum, vestiti byssinis, & cymbalis, & Psalteriis, & citharis concrepabant, &c.* Ibi dicuntur Levitæ vestiti בוץ bysso; quod vestis genus aliud erat, quam quod ex בד lino. Nam Josephus libro 20. Antiquit. cap. 8. dicit Leviticæ tribus homines, quorum erat sacros hymnos in templo canere, obtinuisse ab Agrippa Rege, ut synedrium eis decerneret usum stolæ lineæ, φερεῖν λινὴν στολὴν, quæ tum solis erat concessa Sacerdotibus.

Animadvertendum duos primarios symphoniæ magistros Asaph, Heman, & tertium Idithun, quem infra evincemus non distinguendum ab Ethan, fuisse singulos ex una tribu ex tribus familiis Leviticis. Levi tres filios habuit Gerson, Caath, & Merari. Heman ex Caathitis, Asaph, ex Gersonitis, Idithun, sive Ethan ex Meraritis fuit; ut videre est in genealogia filiorum Levi, quæ reperitur capite sexto primi Paralipomenorum.

Dum numeramus Cantores templi, quærendum an inter illos Scriptura recenseat Cantatrices. Negant Judæi: sunt Christiani qui id credunt & allegant primi Paralipomenorum caput 25. 5. *Deditque Deus Heman filios quatuordecim, & filias tres.* Sed ille locus non facit ad rem. Dum recensentur filii Heman dicit Scriptura illum & tres filias habuisse, sed non adstruit fuisse Cantatrices templi. Memorat plures virginum choros Scriptura; sed illos ducebant extra templum, cum ad illud frequentes ibant. Scilicet ibant psallendo, & cantando cum instrumentis musicis; sed hos choros, qui constabant ex religiosis feminis, admissos fuisse inter Cantores templi nullus locus admonet. Potueret tamen cum omni plebe commiscere voces suas, iterantes *Alleluia*. Quidam quidem allegant quod Salomon dicit in Ecclesiaste 2. 8. *Coacervavi mihi argentum, & aurum, & substantias Regum, ac Provinciarum: feci mihi Cantores, & Cantatrices, & delicias filiorum hominum.* Ibi loquitur Salomon de musica qua se oblectat in suo palatio, in qua re vanitatem agnoscit. Non ergo hæc spectant musicam templi, quæ, cum Deo dicaretur, vana non erat.

Insuper allegant ex 2. libro Esdræ caput 7. versum 67. in quo recensentur reduces ex captivitate cum jumentis eorum: *Absque servis & ancillis eorum qui erant septem millia trecenti triginta septem, & inter eos Cantores, & Cantatrices ducenti quadraginta quinque.* Unde tantus Cantorum, & Cantatricum numerus, inquiunt,

quiunt, si his Judæi non usi fuissent in canticis Domini decantandis? Codex Hebræus habet hodie משררים ומשררות *meschorerim*, & *mescharet* Cantores, & Cantatrices. Sed forsan olim lectum משרת *mescharet*: quo nomine indicatur ministerium quod plures erigebat. In hoc loco Nehemiæ servi, & jumenta recensentur. In versione Syriaca Latina hujus loci non fit mentio Cantorum & Cantatricum, sed ministrorum & ministrarum.

SECTIO II.

De Hebræorum canticis, Psalmis, carminibus, arte qua pangebantur. Carminibus multa additur gratia ex cantu.

Laudes Dei Levitæ Cantores voce & organis celebrabant. Hæ conceptæ erant oratione soluta, vel stricta, nempe vel prosa, vel versu. Potest quidem soluta oratio & libera cani voce, quam & comitentur cithara & tibia; sed hoc fit jucundius & facilius cum oratio vincitur certis mensuris, nimirum cum verba, quibus contexitur, eam habent pronuntiationem, cujus tempora respondeant certis numeris, sive possint exprimi numeris. Puta, cum duorum sonorum tempora sunt paria, vel unius tempus est duplum alterius. Arbores versibus consitæ magis placent, quam temere hac illac plantatæ sine ordine. Ordo in omni re servatur, cum optima ratio reddi potest dispositionis. Arbores in versus directæ & æquis intervallis inter se dissitæ, æqualiter succum terræ trahunt, nec sibi officiunt. Similiter sonus certis distinctus intervallis, cum coalescit, nec sibi ipse diffidet, numerosa partium temporis partitione aures recreat, maxime si adsit varietas, qua fit ut eodem sono non obtundantur. Id experimur in fabrorum malleis, qui cum incudem certis spatiis temporum percutiunt, placent; & ab illis artis musicæ origo accersitur; ut refert Macrobius libro secundo in somnium Scipionis capite I. *Cum enim casu præteriret Pythagoras in publico fabros ignitum ferrum ictibus mollientes, in aures ejus malleorum soni certo sibi respondentes ordine repente ceciderunt: in quibus ita gravitati acumina consonabant, ut utrumque ad audientis sensum stata dimensione remearet; & ex variis impulsibus unum sibi consonans nasceretur.*

Esto, apud Græcos Pythagoras habeatur musicæ inventor, qui ut huic studerent excitaverit discipulos suos; sed infra asseremus Hebræis hanc quam Macrobius tribuit Pythagoræ, quippe a rerum initio omnes gentes expertæ sunt ordinatos sonos jucunde afficere aures. Hebræi autem, cæteris gentibus antiquiores, censendi sunt primi certos numeros indidisse sermonibus, quibus quidpiam magnum significabant, & decantandum suscipiebant. Scilicet hos mensuris astrinxerunt ut sonus vocum quibus texeretur sermo esset ordinatus, & certa lege recurreret ad aures. Sermo, inquam, constat sonis, quorum singuli notantur litera veluti signo. Unuicuique literæ pronuntiandæ impenditur certum tempus æquale aut inæquale; quo fit ut apud Græcos & Latinos aliæ longiores, aliæ breviores sint syllabæ.

Apud Hebræos & in vernaculis linguis omnium syllabarum idem est tempus, singulæ autem voces ubique distinguuntur elatione aut positione. Etenim ut ambulantes modo pedem tollimus, modo ponimus; pariter loquendo vocem intendimus, & remittimus, intervalla respirationis locantes ubi clauditur sententia. Quæ enim conjuncta concipimus, sic eloquimur, ut in oratione conjungantur, nec ducamus animam, sive omnino vox non quiescat, nisi ubi absoluta est sententia rerum, quarum elaborabamus significationem.

Hæc respirationis intervalla certis legibus sunt disponenda; „ Nam si rudis „ & indocta putanda est, utor verbis Ciceronis in tertio de Oratore, illa sine „ intervallis loquacitas perennis & pro„ fluens, quid est aliud causæ cur repu„ dietur, nisi quod hominum aures vo„ cem natura modulantur? Quod fieri, „ nisi inest numerus in voce, non po„ test. Numerus autem in continuatione „ nullus est. Distinctio & æqualium & „ sæpe variorum intervallorum percussio „ numerum conficit: quem in cadenti„ bus guttis, quod intervallis distinguun„ tur, notare possumus, in amni præci„ pitante non possumus. “ Sermo diversas partes habet quibus componitur, ut corpus membris; & has complectitur sub una sententia quæ & suis membris constat. Respirationis intervalla debent congruere tum spiritui ejus qui pronuntiat, tum auribus audientium, quas prolixior sermo fatigaret; quæ varietate recreandæ sunt. Utriusque æqualitatis, & varietatis conjunctio parit voluptatem; quæ occurrit cum æqualia sunt pronuntiationis intervalla, & propter varios sensus, sive propter rerum significatarum varietatem. In æquali tempore syllabarum etiam reperitur varietas; nam eadem mensura potest constare vel duabus longis syllabis,

bis, vel una longa & duabus brevibus, quarum tempus par est tempori unius syllabæ longe. Hac arte conficiuntur versus Græci & Latini, ut diximus, in libris de arte dicendi. Alia vero est ratio carminum nostrorum; quæ tota pendet ex æquali syllabarum numero, quam claudat finis cujuspiam sententiæ, tum & idem sonus, vernacule *la rime*. In illis intervalla respirationis æqualia sunt, propter parem numerum syllabarum, quæ in sermone nostro omnes fere sunt æquales, sive non distinguuntur temporis quantitate, ut apud Græcos & Latinos. Sonus idem, videlicet rithmus, *la rime*, in clausula recurrens facit ut aures tum æqualitatem, tum distinctionem deprehendant. Sic vetusta Hebræorum carmina rithmis tantum & syllabarum certo numero distinguebantur. Alia ergo ratio Psalmorum Davidis, & Odarum Pindari, Horatii. Philo quidem sentit Essenos cecinisse hymnos multiplici genere metrorum conscriptos. Gomarus in sua lyra Davidica, quo in libello disserit de poetica Hebræa, profert testimonia Philonis & aliorum qui adstruunt Hebræam poesim constitisse metris. Josephus Historicus dixit canticum quod soror Moysis cecinit in Exodo, fuisse hexametro versu compositum. Eadem dicit de Cantico Moysis in Deuteronomii capite 32. Davidem vero Odas in Dei laudem & hymnos metro vario composuisse: quosdam quidem trimetros, alios vero tetrametros: Consentiunt sancti Patres, Eusebius in lib. 11. cap. 3. de præparatione, Theodoretus, & alii; sed præsertim B. Hieronymus, qui de Jobo ait: *Prosa incipit: versu labitur; pedestri sermone finitur.* Ac de Davide: *David Simonides noster, Pindarus, & Alcæus, Flaccus quoque, Catullus, atque Serenus Christum lyra personat, & in decachordo Psalterio ab inferis excitat resurgentem.* Ita pariter Augustinus scribens Memorio Episcopo, Epistola, quæ nunc est CI. *Quibus numeris consistant versus Davidici, non scripsi, quia nescio. Neque enim ex Hebræa lingua, quam ignoro, potuit etiam numeros Interpres exprimere, ne metri necessitate ab interpretandi veritate amplius quam ratio sententiarum sinebat, digredi cogeretur: certis tamen eos constare numeris, credo illis, qui eam linguam probe callent. Amavit enim vir ille sanctus musicam piam, & in ea studia nos magis ipse quam ullus alius auctor accendit.*

Gomarus de syllabarum quantitate, variisque pedum & carminum generibus canones tradit, quos subjectis exemplis e sacris carminibus conatur demonstrare, analysim horum sacrorum carminum juxta traditos canones instituens. Eum confutavit Ludovicus Capellas, quod omnes illi canones supponant hodiernum codicem Hebræum totidem apiculis & punctis fuisse distinctum, quibus olim scriptus fuerat: de quo dubitant viri docti; imo falsum putant. Licet metra habuissent Hebræi, vix nunc distingui possent; Etenim non constat Massoretas, qui puncta apposuerunt codici Hebræo, servavisse antiquam tum lectionem, tum pronuntiationem, ita ut sermo Hebræus nunc affectus legatur eadem syllabarum quantitate, quæ olim; unde tamen pendent metra. Viri docti Philonem & Josephum negant Hebraismi fuisse peritos; autoritas tamen eorum, induxit Origenem, Eusebium, & alios in opinionem, cujus fundamenta non scrutati erant. Moyses quidem omnium Poetarum vetustissimus, carmina Deo cecinit, sed illa alterius generis fuisse censet Augustinus Steuchus Episcopus Eugubinus. „ Carmen Hebraicum, inquit ille in Præfatione sua in Psalmos, non idem est atque Græcorum, Latinorumque: ut neque Italicum, sive Etruscum, idem atque Latinum. Ac potius cum Italico, quam cum Latino similitudinem habet Hebraicum. Latinum ad imitationem Græci, tempora syllabarum observat: Hebraicum nulla tempora; sed numerum duntaxat, atque similitudinem cadentium syllabarum. Ut non est in Italico carmine spondæus, trocheus, dactylus, sed numeratio tantum syllabarum, & observatio, ut similiter desinant: simile quiddam sequitur Hebraicum. Quare cum Hieronymus scribit aut Job, aut Psalmos dactylo, spondæoque decurrere, & in præfatione de Job dicit; versus labitur: quæque Augustinus cum cæteris de carminibus Hebræorum testantur, noris non ipsos præcise pedes, nostrumque carmen ab eis, sed simile quiddam, designari. Itaque neque heroicum carmen apud Hebræos extat, neque Jambicum, aliaque genera, sed simile quiddam & quale barbari diversis ritibus canunt. Psalmi, libri Salomonis, & Prophetarum rationem carminis præ se ferunt, sed neque Latini, neque Græci. Numerosum quidam, & ab oratione soluta parumper recedens sermonis genere, figurisque poeticis, verbisque minus usitatis obscuriores. Psalmi præterea non eodem autore, nec eodem fortasse tempore, nec eodem modulatu, ut nec eodem subjecto semper perspiciuntur. “ Steuchi sententiam comprobavit Josephus Sca-

Scaliger in animadversionibus in Eusebium; demonstravit Johannes Clericus in tomo 9. Bibliothecæ universalis.

Cantica, quæ continentur in sacro codice; neque enim de aliis hic loquor, non solis suis mensuris destinguuntur, sed & genere sermonis, qui multum distat ab usitato. Omnes prout affecti sunt loquuntur, qui tranquilli sunt utuntur sermone placido, & ut ita dicam, pedestri, quoniam non assurgit; ubi vero commoventur, sive novitate rerum, sive majestate, amore, vel religione, oratio eorum præ se fert commotionis indicia. Neque enim verba communia illis sufficiunt. Animus commotus huc illuc abripitur; nec uno tenore loquitur, sed variis figuris utitur. Cum materia extraordinaria est, consuetæ voces non videntur aptæ, alienæ igitur adhibendæ & a consueto usu detorquendæ, quod sæpius contingit in stricta oratione, quæ ideo obscurior, ut dicit Eugubinus Præfatione in Psalmos. *Principio omnium generatim carminum major est, quam orationis solutæ obscuritas. Plus illic artis adhibetur: quæruntur nomina, sensusque a consuetudine remotiores: omnes loquendi figuræ, varietasque adhibentur. Hujus modi est apud Græcos Pindarus, Alcæus, Lycophron, quos etiam adhibitis Interpretibus vix intelligas.*

Non eadem est Poesis apud omnes populos, scilicet quia non eadem est pronuntiatio. Græci & Romani plaudendo pronuntiabant; veluti cantus erat sermo eorum. In genere carmen est oratio numerata; quod fit repetitione unius, ejusdemque literæ, vel syllabæ observata singularum vocum quantitate dispositione intervallorum in quibus intersistit spiritus, & quiescit pronuntiatio. Qui primi pangebant carmina, id non faciebant studio, sive non dabant operam ut carmen pangerent; sed cum placeret, quod fecerant, licet adhuc inconditum, postea excoluerunt, voluptatem sectantes, prout ex pronuntiatione sequebatur, & se astrinxere severioribus legibus. Carmina Hebræi codicis constant oratione figurata, sententiosa, quæ numeris non caret. Talia sunt verba Lamech ad uxores. *Genes.* 4. 23. *Dixitque Lamech uxoribus suis Adæ & Sellæ: Audite vocem meam uxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum. Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies septiis.* Hæc concise dicta sunt, & in Hebræo sermone fere similiter desinunt; quod faciebat Lamech, ut verba sua memoriæ facilius mandarentur. Vaticinium Jacob de sorte duodecim filiorum suorum habetur carmen, pariter & canticum Annæ matris Samuelis; quod non studio & tranquilla composuit, sed effudit plena spiritu Dei. Verba non vulgaria sequebantur non vulgarem commotionem; nempe commotior erat ejus oratio; remotior ergo a consuetudine loquendi.

Carmina metrica eo solo sermone condi possunt, in quo magna est varietas syllabarum brevium & longarum, quæ nulla est in sermone Hebræo, sicut nec in vernaculo; ideo versus nostri pedes non habent, sicut nec Hebraici. Quanquam inter Grammaticos Hebræos aliqui dactylos, spondæos, & alios Græcanicæ poeseos pedes agnoscunt; eos falli arguit Capellus, hocce argumento, quod illa carmina condi non possint, nisi liceat voces interdum loco usitato movere; alioqui lex carminis sæpe sæpius impediretur. Sermo autem Hebræus, sicut & vernaculus non admittit istam vocum trajectionem; unde versus omnes distinguuntur sola repetitione vel ejusdem literæ, vel syllabæ, & ideo similitudine soni. Plures Psalmi in fonte Hebræo sunt alphabetici, sive, ut loquimur, *Abecedarii*; itaque constare debet Vates sacros lusisse in literulis, sive studuisse, ut fieret ejusdem soni repetitio, præsertim in clausulis, ubi vox quiescit. Clericus plura exempla profert ex Canticis & Psalmis, quorum sententias ita feliciter secat, ut similiter desinant; quod dicit se ostendere posse in pluribus aliis, qui ideo non apparent rithmici, quia Librarii illos males secando, fecerunt ut nulla videatur soni similitudo; quam ille alicubi restituit probans ex antiquis versionibus quasdam literas permutatas, quasdam demptas e loco proprio.

Carminibus, ut dixi, multa additur gratia ex cantu, cum apte sic syllabæ collocantur, ut & cantari possint. Cantus majorum vim habet nuda & simplici pronuntiatione; quia vox quæ vi erumpit ex gutture, magis aures afficit. Olim qui carmina pangebant dicebantur Musici; quippe illa decantabant, sive recitabant adjunctis musicis instrumentis; quod & faciebant Oratores; adhibebant enim post tergum tibicines qui eis præcinebant; ut vernacule loquimur, *qui leur donnoient le ton*. Sic Orator & tibicen consonabant, hic tibiam remisse vel fortiter, ille vero vocem similiter flectens. De Chonenia principe Levitarum dicitur 1. Paralip. 15. 22. *Prophetiæ præerat, ad præcimendam melodiam: erat quippe valde sapiens*. In fonte במשא יסר במשא *in elevando erudiebat ad elevandum*. Verbum He-

Hebræum venit a נשא quod multiplicis est significationis. Reddi potest, *portavit*, *tulit*, *levavit*, *elevavit*. Scilicet, ut dixi, *tonum dabat*, quia in ea re intelligens. Usu, ut ita dicam, potius quam peritia, discebatur cantus. Etenim opinor viros Prophetas, sive cantandi peritos cantica sua composuisse vel ad tibiam, vel ad fides, quibus aptabant verba. Postea repertæ certæ notæ, quæ vocis gradus notaverunt, ut sicut dum oculi perlegunt literas, mens percipit sensum scriptoris, qui illas exaravit, ita vox possit formare, & insonare auribus cantum, quem significatum voluit vir cantandi peritus, qui quasi scripsit quod decantandum suscepit.

Rerum initio Poetæ, sive musici ope instrumentorum, tibiarum, vel fidium carmina componebant. Nervi, qui intenduntur, pro diversa longitudine aut crassitudine diversos edunt sonos, cum pulsantur. Nervis brevioribus, aut longioribus, aut crassioribus potest sonus mensurari, & numerari. Tibiæ pariter, & omnia organa quæ inflantur, pro longitudine & laxioribus aut angustioribus aperturis varios edunt sonos; unde fistula septem compacta cicutis, sive inæqualibus cannis, quarum unaquæque habebat sonum suum, exprimere poterat septem vocum discrimina; quod faciunt hodiernæ tibiæ diversis suis foraminibus cum illa digitorum pressione, aut elatione occluduntur, vel recluduntur.

Hæc animadverto, ut liqueat quomodo ars musica inchoata sit ab instrumentis, & his musici usi sint pro notis; quod illud Horatianum carmen videtur indicare.

> *Nolis longa feræ bella Numantiæ.*
> *Nec dirum Annibalem, nec siculum mare*
> *Pœno purpureum sanguine, mollibus*
> *Aptari citharæ modis.*

Guido Aretinus circa annum æræ Christianæ 1024. aptavit hymno sancti Joannis Baptistæ omnes, ut ita dicam, cantus, sive vocis gradus per quos fit ascensus, & descensus in musica. Hos, inquam, gradus his voculis expressit *ut*, *re*, *mi*, *fa*, *sol*, *la*; quas sumsit ex primis syllabis hemistichiorum dicti hymni.

> *UT queant laxis, REsonare fibris*
> *MIra gestorum FAmuli tuorum*
> *SOLve polluti LAbii reatum*
> *Sancte Joannes.*

Additus est septimus gradus, qui sumtus est ex eodem hymno, & dictus *si*, quia sequitur *Sancte Joannes*. Notus erat dicti hymni cantus ex usu, ita valor dictarum vocum non ignotus. An prius, an posterius instrumenta sint adinventa quærere parum interest. Quidquid sit, Homerus, Virgilius semper inducunt vetustos Poetas recitantes, quæ composuerant carmina, ad sonitum citharæ. Verisimile est veterem musicam Hebræorum, cantica, carmina sic debere suum ortum organis. Illis reperiebant cantus gratissimos, graves, & jucundiores, molliores, aut fortiores; quibus postea accommodabant sermonem. Ut autem idem cantus recurreret, sive etiam longo sermoni congrueret, sermonem metiebantur quoquo modo poterant, ut constaret membris, quorum esset idem numerus, distinctus clausularum similitudine; sicque verba canticorum consonarent cithararum, & tibiarum sonis. Asaph, Idithun, & Heman, quos elegit David Cantorum præfectos, viri erant, ut diximus, Prophetæ, hoc est, periti, qui musicis suis instrumentis adinveniebant cantus congruentes rebus, sive lætis, sive tristibus, quibus accommodabant verba congrua. Hinc quidam Psalmi notantur in titulis cantandi a certis Cantoribus. Levitæ pro familia & cognatione sciebant hi tibias inflare, illi pulsare citharam. Quique pro doctrina sua voce & instrumentis decantabant certos Psalmos, quorum cantus rem exprimeret. Verbi causa cum Dei irati flectenda erat misericordia, & exhibenda conditio misera Judæorum, quos premebant adversarii; flebiles modi quærebantur. Psallebant autem viri ad hosce cantus quasi nati.

Certum est non iniisse ministerium suum Levitas, nisi exercitatissimos. Psalmi cantabantur adhibitis instrumentis; quorum sonus attemperabatur, ut verba distincte audiri possent. Certis quidem temporibus fiebat in templo vociferatio: personabat templum magnis clamoribus, concrepabant tympana, cymbala: Sacerdotes personabant tubis. In tanto strepitu non poterant audiri verba, quibus pertexebantur Psalmi. Non erat perpetuus ille strepitus. Fieri poterat in fine Psalmorum, dum mactaretur holocaustum, aut magna aliqua lætitia commoveretur Ecclesia, quam populi testabantur ista vociferatione, quæ alioqui non placuisset Deo, cujus nomine Amos compellabat synagogam capite 5. 23. *Aufer a me tumultum carminum tuorum: & cantica lyræ tuæ non audiam*. Propheta invidiose vocat musicam Judæorum *tumultum*, ob

illam vociferationem; sed satis indicat Deum non delectari strepitu lyrarum, ob malos eorum mores, & eorum sacrificia illi non placere, licet ea ipse imperaverit. Arnobius libro 7. exprobrat Gentilibus eos credere Diis suis tinnitus æris, & tibiarum sonos jucundos esse.

SECTIO III.

Edito vocis, aut alio quocumque sono, & motibus variis corporis homines testantur mentis suæ affectus. De variis modis quibus sonus potest excitari.

DEo non placet quicumque cantus, vel æris tinnitus, nisi sint signa animi, quem religio movet. Certum est commotionem mentis indicare erumpentes voces ex gutture, tum exsilientium membrorum corporis insolitos motus. Sic convenit inter utrumque animum & corpus, ut hoc sequatur affectus mentis, & ipsa mens eidem imperet motus, quibus ipsa se prodit. Cum Laban significat ultro se dimissurum fuisse generum suum Jacob, si ei consilium de revertendo in patriam significasset; *Cur*, inquit *Genes.* 31. 27. *ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* Postquam Pharao persequens Israelem & mare per siccum post illum ingrediens, cum universo equitatu ac curribus submersus est, ingenti lætitia correpti sunt Israelitæ. Moyses cecinit canticum, & cum eo soror ejus. *Exod.* 15. 20. *Sumpsit ergo Maria Prophetissa, soror Aaron, typanum in manu sua: egressæquæ sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens: Cantamus Domino gloriose enim magnificatus est, equum, & ascensorem ejus dejecit in mare.* Idem verbum Hebræum חלל *challal* significat *perforare*, *tibiis canere*, *tripudiare*, *saltare*. Hæc omnia conjuncta sunt, sive invicem se comitantur. Chorus, sive turba saltantium & canentium dicitur Hebraice מחול *machol* ab eodem verbo *tibicinare & tripudiare*. Psaltes *Psal.* 41. 5. *In voce exultationis, sonus epulantis*, memorat choros eorum qui ascendebant in templum, de quibus alibi disseruimus. Sic consuetum erat mulieribus choros ducere; ut videre est in primo Samuelis occasione Davidis, qui interfecerat *Goliath* 18. 6. *Porro cum reverteretur percusso Philistæo David, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul Regis in tympanis lætitiæ, & in sistris. Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia.*

Inprimis animadvertendus chorus, quem ipse ducebat David deducens Arcam de domo Abinadab in domum suam, secundo libro *Reg. cap.* 6. 5. *David autem & omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus ligni fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis.* Cum his canticis jungebantur motus corporis, qui eos cognatione quadam comitantur. Cantus etiam bruta animantia movet: videre est illa subsilientia, & quasi tripudiantia. Dicitur de David in loco proxime citato. *Et David saltabat totis viribus ante Dominum*, quem cum vidisset Michol filia Saul uxor ejus, *subsilientem, atque saltantem coram Domino: & despexit eum in corde suo*; ajebat enim, *quam gloriosus fuit hodie Rex Israel discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi si nudaretur unus de scurris.* Respondit David ad illa verba significans id a se impetu divino factum, ut testificaretur ingentes animi sui motus erga Deum: *Ludam & vilior fiam plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es gloriosior apparebo.* Sic naturæ impetu ad motum excitantur homines, & animi sui lætitiam, & religionem manifestant; quod Poeta expressit his versibus Georgicorum primo:

In primis venerare Deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis,
Extremæ sub casum hyemis, jam vere sereno.
Tunc pingues agni, & tunc mollissima vina:
Tunc somni dulces, densæque in montibus umbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret,
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho:
Terque novas circùm felix eat hostia fruges:
Omnis quam chorus, & socii comitantur ovantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora quercu,
Det motus incompositos, & carmina dicat.

So-

Sonus excitatur tremulo & reciproco aeris motu; quod experiri est in omni re sonora. Fides, sive chorda instrumenti musici pulsata fremit etiam postquam mota est. „ Etsi tardus quidem fuerit ac „ rarior motus, graves necesse est sonos „ effici ipsa tarditate, & raritate pellen„ di. Sin vero motus sint celeres, ac „ spissi, acutos reddi necesse est sonos. „ Idcirco enim idem nervus si intenda„ tur amplius acutum sonat, si remitta„ tur grave. Quando enim tensior est, „ velociorem pulsum reddit, celeriusque „ revertitur, & frequentius, ac spissius „ aerem ferit. Qui vero laxior est, so„ lutos, ac tardos pulsus effert, rarusque „ ipsa imbecillitate feriendi, nec diutius „ tremit. Neque enim quoties chorda „ pellitur unus edi tantum patandus est „ sonus, aut unam in his percussionem, „ sed toties aer feritur, quoties eum chor„ da tremebunda percusserit. Sed quo„ niam junctæ sunt velocitates sonorum, „ nulla intercapedo sentitur auribus. “ Scilicet non audiuntur duo soni distincti, sed unus.




Fig. 1. Chorda valde tensa inter A & B, cum pulsatur, hoc est, ex C adducitur ad D it & redit. Plures, inquam, fiunt vibrationes, ita aures non semel pulsantur, & percipitur sonus, qui non adverteretur, si semel tympanum auris perculteret. Illa quasi primo ictu admonita advertit sequentes, qui postea fiunt.

In genere sonus a loco soni undatim quoquo versum fertur, & ad aures multis vicibus velut unda ad littus, allabitur. “ Ut cum aquis jactum eminus mer„ gi-

„ gitur saxum, prius in parvissimum or-
„ bem undam colligit, utor verbis Boe-
„ tii in musica, deinde majoribus orbi
„ bus undarum globos spargit, atque eo
„ usque dum fatigatus motus ab elicien-
„ dis fluctibus conquiescat, semperque po-
„ sterior & major undula pulsu debiliore
„ diffunditur. Quod si quid sit, quod
„ crescentes undas possit offendere, sta-
„ tim motus ille revertitur, & quasi ad
„ centrum unde profectus fuerat eisdem
„ undulis retundatur. Ita igitur cum aer
„ pulsus fecerit unum, possit alium pro-
„ ximum, & quodam modo rotun-
„ dum fluctum aeris ciet. Itaque dif-
„ funditur & omnium circumstantium si-
„ mul fuerit auditum, atque eo est ob-
„ scurior vox; qui longius steterit quo-
„ niam ad eum debilior aeris unda per-
„ venit. "

Quod diximus de fidibus licet experiri in omni re sonora, etiam in ponderosioribus campanis. Pulsatæ aliquantisper antequam omnino sileant, tinniunt & tremulus illarum motus manu apposita facile deprehenditur: vibrantur, & ideo ex rotundis fiunt ovatæ. *Fig.* 2. Scilicet earum latera ad se invicem accedunt, & recedunt. Tardiores illæ vibrationes sunt in grandioribus campanis, ita gravior sonus auditur, qui acutior est in minoribus. In tympanis res aperta est. *Fig.* 3. Pellis tensa qua teguntur, percussa succutitur tremulo motu, qui repercutitur in parte concava hujus instrumenti. Sonus omnis receptus in locis cavis, ut in antris augetur; sunt enim multiplices ejus repercussiones. In auribus membrana est, quæ appellatur tympanum, quod motu aeris percutitur, & vibratur ut omnia quæ sonora sunt. *Fig.* 4. Aer e pulmonibus explosus in superiori asperæ arteriæ parte quæ larynx dicitur, occurrit lingulæ, qua obtegitur superius asperæ arteriæ orificium, ut videre est in descriptionibus anatomicis, hanc lingulam nominant epiglottidem; quæ impulsa ab aere pulmonis non continue, sed subsultim aperitur, itaque per laryngis ostium, seu rimulam transiens aer iisdem subsultibus agitatus sonum edit. Ut autem vel gravior vel acutior sit ille sonus, ea laryngis rimula, seu orificium ad libitum contrahitur vel dilatatur. Hic autem sonus quasi materia est vocis, quam lingua fingit in sermonem & in cantum. Aspera arteria comparatur tibiæ. In tibiis sicut in aliis instrumentis, quæ tenui lingula instruuntur, aer per angustiorem aperturam, seu lingulæ scissuram subsultim tantum inspiratur: ex quo fit ut vicinum aerem iisdem subsultibus exagitet, qui idcirco ad aures appulsus soni perceptionem in nobis excitat.

Instrumentorum quæ aeris inflatu sonum edunt variæ sunt species, quas videre est in hodiernis organis. Quædam sunt sine lingula, quæ tamen sonant, quia dum inflantur, ea est dispositio ostii eorum, ut dum vox vi immittitur, aer occurrens fissuræ tenui & acutæ accipiat tremulum illum motum, quo fit omnis sonus. Pariter in illis fistulis, quæ constant ex multis conjunctis calamis, de quibus loquebatur Poeta:

> *Nec te peniteat calamo trivisse labellum.*

Expulsus ex ore sonus occurrit labris calamorum, & cogitur tremere. Hac fistula fabri lebetum utuntur. In genere numquam fit sonus sine tremore aliquo; nam & cum malleatores percutiunt incudes ponderosiores omnia tremunt, incudes & totus vicinus aer, quo aures pulsantur & afficiuntur; quod etiam fit in lapidibus, in ligno; in ferro, in quacumque percussione, & casu cujuslibet rei ponderosæ. Multis modis tremere potest aer; nam cum corpus in aliud corpus incidit, aer interceptus elabens cogitur tremere. Sic pluribus crepitaculorum, sive crotalorum speciebus sonus editur, illis præsertim, quæ concava sunt, qualia vides, Lector, in tabula; *Fig.* 5. quod & experiri potes concavis manibus plaudendo; & in instrumento quod vernacule nominamus *castagnetes*. Non prætermittendum est sonum etiam fieri per collisionem aeris, ut a flagello rhedariorum: quod Vossius observat adhibitum in festo Bacchi, & Cybeles; & eo pro buccinis tunc temporis uti Tartaros qui Chinam invaserunt; ea industria ut uno ictu tres edant sonos, qui distincti se subsequuntur, & audiuntur.

Dixi qualemcumque sonum augeri figura corporum, quibus excipitur. In concavis multis vicibus reflectitur, & ideo sæpius auditur; & omnibus fidibus, citharis, lyris adhibetur concavum corpus, in quo sonus repercussus identidem resonat; hoc enim constat tabulis tenuibus, quæ & ipsæ tremere possunt, & aeri ambienti communicare suum tremorem. Fides tensæ quocumque motu pulsentur, sonum aliquem edunt, quia vibrantur; sed sonus ille augetur concavo corpore quo excipitur. Appellatur illud, quod subjicitur citharis, lyris, & aliis similis speciei instrumentis, Græce μαγὰς Hesychio & Suidæ lamina illa lignea & repanda, super qua citharæ nervi contendun-

duntur, pulsatis iis sonum reddens e foraminibus quibus pertusa est. Magadis est etiam species instrumenti musici. Fides autem sive nervos, sive chordas dixeris pulsabant veteres vel digitis, vel plectro. Plectrum in genere est instrumentum quo pulsantur nervi, chordæ. Plectrum erat ferreum, chalybeum, vel eburneum.

Seu Chelim digitis & eburno verbere pulsas.

Nomen *plectrum* venit a Græco verbo, quod significat *percutio*, *pulso*; ut res omnis quæ pulsare, & impellere possit pro plectro habeatur. Illud autem, quo nunc pulsantur nos *violons*, *violes*, & appellamus *archets* ignotum fuit primæ ætatis Musicis. Etenim non conveniebat fidibus, quarum nervi, chordæ, sive æneæ, sive calybeæ, sive ex quacumque alia materia in antiquis instrumentis omnes in recto plano tensæ erant; aliquas ex illis Juvenalis in Satyra tertia nominat obliquas, nimirum ob dispositionem, quales sunt in nostris harpis quæ digitis tanguntur. In illis instrumentis nullus usus potest esse hodierni plectri, quod vocamus *l'archet*. *Fig.* 8. Componitur arcu & rotula & certo pilorum equinorum numero, qui ope rotulæ tenduntur. Illi pili certo genere glutinis illinuntur, quod vernacule dicitur *colofane*. Hoc illiti asperi fiunt & dentati velut ascia, ideo cogunt fides tremere, & subsilire, quæ equuleo suo *chevalet* quasi inequitantes hodierno plectro *l'archet* impelluntur, & tremorem accipiunt. Oculis tuis exhibetur hocce instrumentum ad quod referuntur omnia quæ nos Galli appellamus *violons*, *violes*. Errant Pictores qui in choris antiquis, sive Angelorum, sive hominum talia instrumenta suis lineis & coloribus describunt quasi olim cognita & usitata.

Inter instrumenta quibus sonus excitatur sunt quidem tympana. Sonant in illis pelles quæ supra extenduntur, quæ pistiliis pulsatæ concutiuntur, & vibrationibus suis aerem commovent. Hæ vibrationes etiam oculis, manu deprehenduntur, sicut campanarum. Magnus est eorum sonus, quia concavum corpus quod subjicitur auget sonum, ut diximus, & multiplicat. Diversæ autem sunt tympanorum species ratione materiæ; alia enim sunt species lebetis, quem operit pellis; & hæc proprie dicuntur cymbala *cymbales*. Aliorum vas est in forma cylindri lignei & concavi: hæc nos tympana appellamus, *tambours*, quorum sonus obscurior quidem sono cymbalorum, quia æs magis sonorum est quam lignum.

Manifesta est causa cur tantus sit buccinarum sonitus. Fiunt ex auro, ex argento, & ære, ex his metallis ductilibus, quæ materia apta est tremoris. Vis accretionis cernitur in tuba quæ dicitur *la trompette parlante*, *ou porte voix*. Scilicet vox quæ in illam inspiratur, colligitur, nec prorsus diffunditur, sed veluti fit in aquæ vorticibus orbes crescunt eundo, sive majores fiunt, pariter vox in tuba augetur & crescit. Tubarum autem multiplex est forma. Aliæ rectæ fiunt; sed os angustum est, postea dilatantur. Aliæ tubæ curvæ sunt, quasi boum cornua. Aliæ, sive rectæ, sive curvæ, quasi geminantur ut vox in illis diutius conclusa majorem vim accipiat. Quid dicam de tibiis? Imitantur omnes canalem illum, quo vox concepta in pulmonibus, qui instar sunt follium, transiens per extremitatem hujus canalis, & vi exclusa ibi accipit tremorem, quo fit sonitus. Non idem est in omnibus tibiis. Diversas formas accipit a longitudine sua. In tibia qua utuntur fabri lebetum, septem compacta cicutis, vox intra illas non immittitur, sed his labra admoventur, & vox occurrens, ut ita dicam, labris hujus tibiæ scinditur & afficitur quodam tremore. Postea diversis foraminibus tibiæ pertusæ sunt; quæ prout illa digitis occluduntur vel recluduntur diverso hoc modo sonant.

Non de instituto est enumerare omnia instrumenta, quibus sonus excitatur, qualia sistra quæ in sacro codice memorantur, quorum figuram vides, Lector, *Fig.* 9. & similium instrumentorum, satius est inquirere qua ratione sonus possit effici gratus auribus. Afficimur voluptate, cum animus res percipit clare, & distincte, & organis sensuum facile utimur, cum verbi causa incedimus loco plano: cum sonus aures ferit distincte & sine confusione, nimirum cum fidium vibrationes fiunt ordine; una vibratio aliam sequitur impermixtim. *Consonantia*, inquit Boetius lib. 1. de Musica cap. 8. *est acuti soni, gravisque mixtura suaviterque auribus accidens. Dissonantia vero est duorum sonorum sibimet permixtorum ad aurem veniens aspera atque injucunda percussio. Nam dum sibimet misceri nolunt, & quodammodo integer uterque nititur pervenire, cumque alter alteri officit, ad sensum insuaviter uterque transmittitur.* Ne hoc contingat fidium vibrationes & quæcumque undulæ aeris, quibus sonus fit, debent per certa intervalla incipere & desinere,

ut

ut numerari possint. Sic fit omnis consonantia.

Illa omnia instrumenta, quibus personabat templum propriam vim habebant, quam Isaias exprimit his verbis 24. 8. *Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.* Tympana magis commovent, citharæ magis placent. Tubæ magis sonoræ sunt, & ideo aptæ vociferationibus, quibus magna animi lætitia & in Deo exultatio significanda erat. Plura erant polychorda, quæ digitis, pollice, plectro tangebantur. Plura vasa ænea, quæ tinniebant, plura tympana quæ pistillis ligneis, calybeis pulsabantur. Hæc omnia instrumenta quæ tangebantur, pulsabantur, & diversæ tibiarum species quæ inflabantur ingentem strepitum edebant. Quid appello strepitum: satius est dicere cantum celebratum multis vocibus & organis; neque enim erat confusa vociferatio, quæ ingrata aures percuteret, sed illæ delectatione afficiebantur; omnia enim fiebant modulate: voces exaltabantur, & remittebantur cum exacta observatione intervallorum. Qui cantabant religiose observabant moras, pariter incipiebant & desinebant; sic non confusa sed modulata erat vocum permixtio. Quæ fiunt cum aliquo ordine jucundius percipiuntur; quod videre est in tympanis, quorum sonitus non tam recreat aures, quam obtundit, attamen cum numerantur eorum pulsationes jucunde afficiunt auditum.

Quomodo ista numeratio fieri possit ostendam in fidibus. Cum illæ plectro, vel pollice tanguntur, patiuntur plurimos ictus & reditus; ita quasi repetitis ictibus feriunt aerem, aer percussus aures; & quidem distincte cum duo nervi pariter intenti sunt, & utriusque vibrationes iisdem præcise temporibus fiunt: Æqualitas ista non displicet, modo proxime succedat varietas, quæ occurrit, si duo illi nervi, qui non ejusdem longitudinis sunt, intra idem temporis intervallum alius altero sæpius vibretur, & istæ vibrationes certo ordine concurrant; scilicet vel bis, vel ter vibretur, dum eodem tempore alter semel; ut sic æqualis licet, varius tamen sonus audiatur. Quamobrem si corpus sonorus, verbi causa chorda testudinis certa ratione dividatur, per eam divisionem reperientur omnes consonantiæ. Nam si duæ sint chordæ æqualis crassitudinis & longitudinis, ac æqualiter tensæ, eorum vibrationes erunt *isochronæ*, hoc est æquali tempore absolventur; ac proinde eæ chordæ erunt *unisonæ*, seu eundem omnino sonum producent. Jam si una ex iis chordis sit alterius dupla, & unam tantum vibrationem faciat dum altera duas, duo soni simul unus gravis & alter acutus audientur. Ut hæc intelligantur animadvertendum septem vocum discrimina præcipua distingui cum viri & virgines naturaliter cantant. Virgines habent vocem duplo acutiorem quam viri, seu viri duplo graviorem. Hos gradus cum exprimerent antiqui Musici octo chordis instruxerant instrumenta sua musica, quarum chordarum prima dicebatur ὑπάτη, id est, *præcipua & summa;* ultima νήτη, quasi νεάτη, id est, *ultima.* Sonus primæ & ultimæ chordæ cum singularum sonus audiebatur, erant in ea ratione quæ est inter vocem viri & pueri, ut ultimæ chordæ ad primam; sive percurrendo & pulsando omnes chordas, ratio ultimæ ad primam vocatur διὰ πασῶν, id est, *per omnes.* Id etiam observare est in duabus chordis, quarum una est alterius dupla, vel in una chorda comparate ad partem mediam. Nimirum si integra chorda A B pulsetur: deinde ope equulei seu ponticuli alii dicunt *discerniculi* nos vernacule dicimus *le chevalet* in medium secetur in C, ac illius pars dimidia A C, vel C B stringatur, sonus qui prodibit ab integra chorda erit gravior, & tota octava distabit a sono, quem reddet pars ejus dimidia. Equuleus *le chevalet* chordam cui subjicitur in duas partes dividit, sive ex unica duplicem facit.

Octava porro seu *diapason* omnes alias consonantias continet. Nam postquam divisa est linea A B in C, & facta est A B ad C B ut 2. ad 1., unde oritur consonantia, quæ octava dicitur, seu *diapason*: si rursus c B bifariam dividatur in d, erit A B ad A d ut 4 ad 3 & efficiet consonantiam quæ vocatur quarta, seu *diatessaron*. Item A d erit ad A c ut 3 2, & ita quinta, seu *diapente* hinc nascetur. Quod dicitur de chordis, deprehenditur in tibiis pro apertura & longitudine earum majori aut minori, sonus major, aut minor est secundum eam rationem, quam expressimus numeris. In organis sola hæc apertura & longitudo diversos sonos producit, sed in tibiis, quæ ore inflantur, & quæ diversa foramina habent, prout illa foramina digitis obducuntur, vel reteguntur, fiunt dictæ, quas in chordis notavimus proportiones. Cum pulsantur bacillis tympana, modo id fiat, ita ut intervalla dictas proportiones habeant, producunt non ingratam harmoniam. Id etiam experire est in campanis, quarum vibrationes cum aliquam proportionem servant, auribus placent. Quin etiam bacilli lignei, licet sonori

nori non sint, cum eorum longitudo conveniens est, percussi reddunt sonum numerosum, nempe qui numeris exprimi possit; sed id in bacillis non fit, nisi ex eodem arboris trunco sumantur, nempe sint ejusdem naturæ.

SECTIO V.

Proportiones harmonicæ inveniuntur; & totius musices reteguntur fundamenta.

SOnus species est quantitatis, quippe qui augeri possit, & minui, & comparari, secundum excessum, vel defectum suum; gradus ejus crescunt per additionem, minuuntur per detractionem. Hæc prima ratio duorum sonorum dicitur arithmetica. Secunda comparatio fit, cum expenditur ratio, qua sonus in altero sono continetur, vel illum continet, an duplo, an triplo, an quadruplo. Hæc dicitur geometrica, & diversa est ab arithmetica; nam quod excedit duobus gradibus non ideo duplum est. Verbi causa numerus *6*. excedit numerum 4. duabus unitatibus, sed non duplo major est.

Rationes autem in genere sic distinguuntur, dicuntur 1. æqualitatis, quando una præcise in altera continetur, ut si pes cum pede comparetur: 2. inæqualitatis cum unus pes cum tribus pedibus comparatur; & hæc dividitur in majorem & minorem. Ratio est inæqualitatis majoris, cum major numerus comparatur cum minori, ut 3 cum 2; minoris vero inæqualitatis, cum minor numerus comparatur cum majori. Utraque hæc ratio habet sub se diversas species.

Prima dicitur *multipla*, secunda *superparticularis*, tertia *superpartiens*, quarta *multipla superparticularis*, quinta *multipla superpartiens*.

Ratio multipla est, cum major continet certo numero minorem veluti 8 bis continet 4, quæ ratio ideo *dupla* nomitur; ratio *6* ad 2 nominatur *tripla*, ratio 8 ad 2 *quadrupla*. Numerus *6* multiplus est numeri 2.

In ratione *superparticulari* numerus numerum continet, plus partem alterius, ita ratio 3 ad 2 est superparticularis; nam 3 continet 2 & partem ejus 1.

Rationes *superparticulares* distinguuntur sequentibus nominibus.

Vox illa *sesqui* denotat unitatem; ita ratio *sesqui altera* inter duos numeros appellatur; quæ totum alterum continet, & præterea dimidium ejus, qualis est inter 3 & 2; nam 3 continet 2 integrum & 1 dimidium 2. Ratio 4 ad 3 est *sesquitertia*, quia 4 continet totum 3, & tertiam partem 1. Sic ratio 5 ad 4 dicitur *sesquiquarta*, quia continet totum 4 & quartam partem ejus nempe 1.

Ratio *superpartiens* fit quando major continet minorem una vice, & insuper plures partes minoris. Sic ratio 5 ad 3 est superpartiens; quia 5 continet semel 3 & 2 qui non est pars sed duæ partes numeri 3; ideo hæc ratio dicitur *superbipartiens tertia*; ut 7 ad 4 *supertripartiens quarta*, quia 7 continet 4 & ter quartam partem 4.

Ratio *multipla superparticularis* nominatur, quando major numerus continet minorem saltem bis, & insuper partem ejus, ut 5 ad 2; nam 2 bis continetur in 5, & præterea pars ejus, nempe 1; quæ ergo ratio dicitur *dupla sesqui altera;* sicut 7 ad 3 *dupla sesquitertia*, & 13 ad 4 *tripla sesqui quarta*, quia 13 continet ter 4 & insuper unam partem 4, nempe 1.

Ratio *multipla superpartiens* dicitur, cum major continet bis aut ter, &c. minorem, & insuper partem ejus. Talis est ratio numerorum 8 & 3; nam 8 continet bis 3, & insuper duas partes numeri 3. Ideo appellatur *dupla superbi partiens-tertia*. Ratio quæ est inter 15 & 4, *tripla supertripartiens-quarta*, 15 continet ter 4, & insuper tres partes numeri 4.

Quinque species rationis minoris inæqualitatis differunt ab enumeratis addita particula *sub*. Ita pro *multipla* dicitur *submultipla*, *subsuperparticularis*. Hæc fuse exposuimus in elementis mathematicis libro 3. sect. 3. cap. 3. sicut ea quæ spectant proportiones quas ergo hic perstringemus.

Proportio est rationum similitudo; si sint arithmeticæ illæ rationes, proportio dicetur arithmetica; ita hi quatuor numeri 1 3 5 7 sunt arithmetice proportionales; quia ut se habet 1 ad 3, ita 5 ad 7; nempe secundus numerus eum excessum habet super primum, quem quartus super tertium. Hæc proportio diceretur progressio, si ut primus est ad secundum, ita secundus ad tertium, & sic fieret continuatio. Hi numeri sunt in progressione arithmetica 1. 3. 5. 7. 9. 11. &c.

Rationum geometricarum similitudo dicitur proportio geometrica. Illa occurrit inter quatuor hosce numeros 1. 4. 3. 12. Primus continetur tot vicibus in secundo, quot tertius in quarto. Diceretur progressio, si primus esset ad secundum ut secundus ad tertium, & tertius ad quartum, qualis est progressio horum numerorum 2: 4: 8: 16: 32: &c. quorum

rum primus bis in secundo, secundus bis in tertio, & sic deinceps continetur.

Alia est proportio diversa ab arithmetica, & geometrica, sive potius quæ ex utraque constat. Hæc dicitur harmonica; quæ versatur inter tres numeros sic dispositos ut quæ est ratio maximi ad minimum, talis sit differentia maximi a medio ad differentiam medii a minimo. Talis est inter hos numeros *6. 4. 3*, quoniam ut *6* maximus numerus ad 3 minimum, ita differentia inter *6* & 4 ad 1 differentiam inter 4 & 3. Talis etiam est inter 15, 12, 10; quoniam ut 15 ad 10, ita 3 differentia inter 15 & 12 ad 2 differentiam inter 12 & 10.

In elementis mathematicis lib. 8. in Theoremate tertio demonstravimus, cum tres numeri arithmetice sunt proportionales, multiplicando primum per secundum, & iterum primum per tertium, & secundum per tertium, exsurgere ex hac multiplicatione tres numeros harmonice proportionales. Ergo si proponantur hi tres numeri *6*. 4. 2 arithmetice proportionales, &, ut dictum est, multiplicentur, sicut hi tres numeri 24. 12. 8. harmonice proportionales. Pariter, ut vidimus eodem libro Theoremate quarto, si dividatur idem numerus per divisores in arithmetica progressione, quotos numeros hujus divisionis reipsa fore harmonice proportionales. Verbi causa detur hic numerus *60*. & dividatur per 1. 2. 3. 4. 5. *6*. quoti numeri hujus divisionis *60*, 30, 20, 15, 12, 10 erunt in proportione harmonica.

Notandum Musicos duorum numerorum differentiam unius ad alterum appellare *intervallum*. Proportio quidem nihil est aliud quam intervallum, seu distantia inter duos numeros intercepta; differentia videlicet qua major minorem excedit, aut minor a majore superatur. Plura non dicam de istis intervallis quæ explicat Petrus Gassendus in sua manuductione ad theoriam musicæ, ex quo cætera quæ dicturus sum in hocce capite excerptam.

Symphonia, sive consonantia est compositio, mixturaque duorum sonorum alterius gravis, alterius acuti, qui aurem uno, eodemque modo, sicque suaviter afficiunt. Dico autem alterius gravis, alterius acuti; quoniam si nulla sentitur gravem inter acutumve sonum diversitas, tunc non tam consonantiam, quam unisonantia est, quemadmodum ipsa corpora, quæ simul sonant non tam consona dicuntur, quam unisona. Intelligimus vero symphoniam, sive consonantiam idcirco debere in proportione quadam consistere, quia non omnis duorum sonorum compositio auribus grata est, sive organo auditus congrua; immo quædam ingrata, atque discrepans est, quam vocamus dissonantiam. Etenim oportet duos sonos ut symphoniam creent certa ratione commensurari, proportionemve inter se tueri. Distingui autem solent consonantiæ in simplices & compositas. Simplices habentur quæ consistunt in proportione dupla aliisve minoribus; compositæ quæ in majoribus dupla. Simplices sunt numero tres; quibus hæc nomina Græci imposuere, *Diapason*, *Diapente*, & *Diatessaron*. Hæc nomina postea explicabimus. Aliæ sunt consonantiæ, duæ infra *Diatessaron* nempe *Ditonus* & *Semiditonus*; & duæ supra *Diapente* nimirum *Hexachordon minus*, & *Hexachordon majus*. Sed ut ea clare & facile intelligantur videndum quomodo duo soni mensurari, & numerari possint. Vidimus supra id fieri facilius in chordis, quæ cum tensæ sunt, si tangantur, eunt & redeunt, & sonum redeunt. Vibrationes earum oculis non quidem numerantur in longitudine sua, juxta quam sonum faciunt aut graviorem, aut acutiorem. Chordæ crassiores tardius moventur, & ideo sonum graviorem habent, præterea pro longitudine sua mutant sonum. Longitudo autem chordæ petenda est ab initio chordæ ubi incipit motus, sive ubi premitur, vel retinetur. Etenim verbi causa in media chorda, quæ tensa est, illigatum pondus faceret id quod ex divisione fit. Veteres Musici illigabant pondera, nunc subjicitur equuleus *le chevalet*, quo sic tenditur chorda, ut sonet quasi media pars chordæ, sive audiantur duæ unisonæ chordæ. Rem facile experietur qui adhibebit instrumentum monochordum, de quo plura nunc subjicio.

Monochordum constat una chorda extensa supra tabulam corporis concavi, igitur resonat, & auditur sonus quem edit instrumentum; & si duæ partes chordæ, quas aliquod pondus, vel pressio digiti, vel equuleus fecit magis tensas, digito tangantur, aut plectro, percipietur duplex sonus alter gravis, alter acutus; ita inter utrumque fiet facilis comparatio. Vides virum musicum qui monochordum utraque manu attingit & pulsat 1. *Fig*. Utriusque soni proprium gradum explorat aurium judicio, sed certius & facilius advertit, qui mensurat partes ejus. Etenim sit monochordum primo divisum in tres partes, sive sit equuleus in c; pars autem versus A sit dupla alterius partis cB, nempe, ut loquuntur Musici, intervallum hujus conso-

sonantiæ sit veluti 1 ad 2. Tunc duæ illæ pulsatæ reddent altera A c sonum graviorem altera B c acutiorem; ita rationem habebunt inter se, quæ a Græcis dicitur διὰ πασῶν, sive *per omnes*; duæ autem partes chordæ sunt ad invicem, sicut unum ad duo: sic appellatur illa ratio, sive utriusque sonus est in dicta ratione, quam habent duo Musici, qui simul canunt, alter adhuc juvenis, alter vir. Citharæ antiquæ sæpius constabant octo chordis, quæ cum ordine tangebantur; sic a prima ascendebant, ut percurrerent omnes chordas, ab octava ad octavam; quæ consonantia dicebatur *diapason*, id est, *per omnes*.

Juvat exhibere omnes consonantias ope monochordi, diversa quidem monochorda subjicimus tuis oculis, Lector; sed pro uno & eodem haberi possunt, quia in illis non idem est locus equulei *Fig.* 2. Nunc illud consideramus, cujus D equuleus est, sic dividens monochordum A B in D, ut A D sit ad A B, ut duo ad tria; sive loquuntur Musici, *intervallum* sit ut 2 ad 3. *Intervallum autem est*, juxta Boetii definitionem, *soni acuti gravisque distantia*. Lib. 1. Mus. cap. 8. *du plus haut au plus bas, on du plus bas au plus haut*. Tunc pulsando hinc inde monochordum, sive pulsatis chordi A D & D B producetur consonantia dicta Græce διὰ πέντε *Diapente*. Gallice *la quinte*. Ratio nominis Græci ea affertur quod ad eam consonantiam formandam in quinque æquas partes chorda dividenda sit in D ut duæ partes A D & B D sint inter se ut A D ad A B.

Fig. 3. Sit aliud monochordum, sive simile cujus equuleus sit in E ita positus ut chorda divisa sit in septem partes, quarum tres hinc occurrant, & quatuor inde, ita ut inter se sint ut tria ad quatuor; tale sit hujus consonantiæ intervallum velut 3 ad 4, quod Græci appellant διὰ τεσσάρων *Diatessaron*, *per quatuor*.

Fig. 4. Quarta consonantia appellatur a Græcis *Ditonus*. Sit equuleus in F, & chorda A B dividatur in novem æquales partes; subjiciatur autem equuleus sub F, consonantia A F & F B erit *Ditonus*, ut Galli loquuntur, *tertia major*: habent inter se rationem sesquiquartam, nempe quæ est inter 4 & 5, & ea est ratio intervalli quod illi proprium est.

Fig. 5. Quinta consonantia dicitur Græcis *semiditonus*, cum integra chorda dividitur in undecim æquales particulas, & sic illa dividitur, ut intervallum illud sit velut 5 ad 6 promoto equuleo usque ad G, & tunc si utrinque pulsentur partes A G, & B G audietur *semiditonus*, aut, ut loquimur, *tertia minor*, & uterque sonus habebit rationem sesquiquintam, veluti 5 ad 6.

Fig. 6. Sexta consonantia reperitur, quam Græci appellant *Hexachordus majus*, nos Galli *sextam majorem*, cum chorda integra dividitur in octo partes, & equuleus statuitur in H. Ita ut A H sit ad H B quemadmodum 3 & 5 quod est ratio ejus intervalli.

Fig. 7. Septima & ultima, quam Græci nominant *Hexachordum minus*, nos Galli *sextam minorem*, in illa equuleus statuitur in I. Tota chorda dividitur in tredecim partes, ita ut A I sit quinque partium, & B I octo partium, ut 5 ad 8, ut loquuntur Arithmetici in ratione supertripartiente quinta.

Fig. 8. Tonus major habet suum intervallum ut octo & novem; nempe tota chorda sic dividenda est ut octo sint partes ejus versus A L & novem versus B; ita ut sit A L ad L B ut 8 ad 9 quæ est ratio intervalli ipsius.

Fig. 9. Tonus minor habet pro intervallo 9 & 10; ita ut equuleum locando in M, & tangendo simul A M & B M, audiatur tonus minor.

Semitonus major habet pro suo intervallo 15 & 16; & totum monochordum dividentes in 31 partes, & hinc partientes 15 & inde 16, efficietur dicta ratio. Semitonus medius habet pro intervallo suo 128 & 135. Semitonus minor habet pro intervallo 24 & 25.

Comma est parvulum intervallum inter tonum majorem & tonum minorem velut isti duo numeri 80 & 81.

Apotome major, est parvum intervallum inter semitonum majorem, & semitonum minorem: quam rationem exprimunt duo numeri 125 & 128.

Apotome minor, minimum est intervallum inter semitonum majorem, & semitonum minorem adeo ut divisi monochordi partes sint veluti hi duo numeri 2025 & 2048.

Monochordum non ignotum fuit vetustis Musicis. Adhibebatur non tantum ad jucunditatem, sed & ad doctrinam musices tradendam. Clare expositum fuit a viro Matheseos perito Simone de Caus; sed simplicius adhuc res confici potest assumendo duas chordas æqualis longitudinis, quibus supra idem instrumentum tensis, effectisque unisonis, una tota cum variis alterius partibus pulsetur, sic enim efficientur duo soni, unus gravis chordæ totius, & alius acutus partium alterius; idcirco lubet rem declarare duabus insequentibus lineis, quarum A B intelligatur

tur chorda integra; CD vero chorda divisa, & ipsa divisio quæ in linea CD hic oculis Lectoris subjecta est: subtus chordam in ipso organo sit notata, & chorda digito ad notam divisionis tangatur; ac suppressa adeo parte illius versus C, reliqua versus D cum tota chorda AB pulsetur. Ut hæ rationes intelligerentur, sufficere posset sola chorda CD; quippe ipsa tota cum suis partibus comparata, easdem proportiones habet, quas cum iisdem partibus comparata alia diversa. Verum non possent duo soni, alter gravis, alter acutus, nisi unus post alium audiri, si quidem chorda non potest tota simul & per partes pulsari. Et quamvis duæ partes discerniculo ad divisionem composito pro duabus chordis haberi possint, si nempe hinc inde simul pulsarentur; ut si ad audiendum sonum proportionis duplæ, quæ est 2 ad 1 divideretur chorda in tres partes (quasi 2 & 1 conjunctis) & hinc duæ, hinc una pulsarentur simul, aut si ad audiendum in sesquialtera quæ est 3 ad 2 divideretur chorda in quinque partes (quasi 3 & 2 junctis) & hinc tres pulsarentur, hinc duæ, atque ita de cæteris; nihilominus quia res præstabitur distinctis chordis longe commodius, ac tanto magis, quanto omnes soni acuti ex comparatione ad eundem gravem explorantur; ideo rem organo dichordo, nempe quod duas chordas habeat, repræsentare satius est.

Et quia exhibendæ proportiones non solum consonantiarum, sed earum etiam partium, ex quibus consonantiæ sic constant, ut quamvis seorsim consonantes sint, conjunctim tamen tales evadant; eadem chorda CD ita dividi poterit, ut per ipsam omnes proportiones exhibeantur.

Exscribo Petrum Gassendum, qui theoriam Musicæ clare, & breviter explicat. Juxta monitum ejus primum, ut tam duplam, quam minores omnes proportiones habeas; sic divide totam CD, ut CE sit dimidium, seu duarum partium altera CF triens, seu una tertia, CG una quarta, CH una quinta, CI una sexta; CK sint duæ quintæ, CL tres octavæ, CM sit una nona, CN una decima, CO una decima sexta; CP una vigesima quinta: CQ una octogesima prima; CR sint tres centesimæ vigesimæ octavæ, &c. Non vacat totum librum Gassendi exscribere; nec necesse est. Etenim de divisione monochordi loquor, non ut prorsus rem explicem, quæ petenda est ex dicto libro, sed ut cui non suppetit, saltem habeat notionem aliquam proportionum Musicæ, quas hæc monochordi divisio oculis subjicit. Has lineas cum suis divisionibus habeto, Lector, præ oculis.

G.F.

MO-

MONOCHORDI DIVISIONES.

B D

	Tota chorda A B est ad partes hic adnotatas versus D.	Proportiones, quibus tota A B se habet ad partes chordæ C D designatas versus ipsum D.	Sonorum intervalla dicta juxta Græcos.	Juxta Latinos, & Practicos.
	Ut			
h	8 ad 1	Octupla.	Trisdiapason.	Vigesim. secunda
g	20 ad 3	Sextupla superbip. 3.	Disdiap. hexach. majus.	Vigesima major.
f	32 ad 5	Sextupla superbip. 5.	Disdiap. hexach. minus.	Vigesima minor.
e	6 ad 1	Sextupla.	Disdiap. diapente.	Decima nona.
d	16 ad 3	Quintupla sesqui-tertia.	Disdiap. diatessaron.	Decima octava.
c	5 ad 1	Quintupla.	Disdiap. ditonus.	Decima sep. maj.
b	24 ad 5	Quadrup. superquadrip. 5.	Disdiap. semiditonus.	Decima sep. min.
a	4 ad 1	Quadrupla.	Disdiapason.	Quinta decima.
Z	10 ad 3	Tripla sesqui-tertia.	Diapason hexachor. maj.	Decima ter. maj.
Y	16 ad 5	Tripla sesqui-quinta.	Diapason hexach. min.	Decima ter. min.
X	3 ad 1	Tripla.	Diapason diapente.	Duodecima,
V	8 ad 3	Dupla superbipart. 3.	Diapason diatessaron.	Undecima.
T	5 ad 2	Dupla sesqui-altera.	Diapason ditonus.	Decima major.
S	12 ad 5	Dupla superbipart. 5.	Diapason semiditonus.	Decima minor.
E	2 ad 1	Dupla.	Diapason.	Octava.
K	5 ad 3	Superbipartiens tertias.	Hexachordon majus.	Sexta major.
L	8 ad 5	Superbipartiens quintas.	Hexachordon minus.	Sexta minor.
F	3 ad 2	Sesqui-altera.	Diapente.	Quinta.
G	4 ad 3	Sesqui-tertia.	Diatessaron.	Quarta.
H	5 ad 4	Sesqui-quarta.	Ditonus.	Tertia major.
I	6 ad 5	Sesqui-quinta.	Semiditonus.	Tertia minor.
M	9 ad 8	Sesqui-octava.	Tonus major.	Secunda major.
N	10 ad 9	Sesqui-nona.	Tonus minor.	Secunda major.
O	16 ad 15	Sesqui-quindecima	Hemitonium maj. (maj.	Secunda minor.
P	25 ad 24	Sesqui-vigesima-quarta.	Hemiton. min. seu diesis	Secunda minor.
R	128 ad 125	Supertipartiens. 125.	Diesis minor.	
Q	81 ad 80	Sesqui-octogesima.	Comma.	

A C

Nunc cur illæ omnes proportiones sonorum auribus gratæ sint, ejusdem Gassendi verbis exponam. *Cum duabus chordis sic tensis ut totidem unus ritus, reditusque ac alterius fiant, non tam duo soni, quam unus creatur, unde & earum esse unisonantia dicitur, constat aerem ab utraque chorda pulsatum, sensoriumque auditus ferientem nihil inferre asperitatis, quoniam singuli utriusque ictus in unum coeuntes, in unum simplicem, uniformemque sonum coalescunt. Dum chordis autem ita tensis, ut una Diapason, seu octavam supra aliam creet, contingit quidem ut ubi duo ictus, ab utraque coaluerint succedat unus insociatus; at quia tamen illico duo coalescentes succedunt, idque semper alternis fit, inde fit, ut hæc consonantia sit gratissima omnium, quod post unisonantiam, nulla unitior sit, auremve uniformius subeat.*

Succedit Diapente, seu quinta, ideo proxime octavam suavissima, quod licet in illa duo ictus insociati sint, coalitio tamen fiat in quolibet tertio. Sequitur Diatessaron,

ron, in qua coalitio, nisi in quarto non fit; tum Ditonus, in quo non nisi in quinto; & Semiditonus, in quo non nisi in sexto.

Diximus ex his tribus consonantiis, quæ simplices sunt, alias componi, quæ non ita suaves sunt; quod in illis sonorum coalitio sit distractior. *Profecto eandem quoque ob causam consonantiæ compositæ non æque videntur esse suaves ac simplices, quatenus nempe plures ictus incoalescentes interveniunt; coalitiones quippe se habent quasi lenimenta ipsam sensorii diductionem, & quasi dilacerationem consolidantia, quæ quo adhibentur frequentius, eo major suavitas creatur, quo infrequentius eo minor, donec denique insuavitas sit.*

Pergit loqui Gassendus. *At quorsum Diapason videtur suavior unisonantia? Nempe ea ratione, qua post tempestatem evadit serenum jucundius serenitate continua; & morbi aut doloris cessatio sanitate morbi ac doloris experte. Unde & Harmonici aliquando dissonantiam interserunt, quam ut immediate præcedat, sic statim sequatur perfecta consonantia, quo sensorium læsionem sentiat, medica manus mox adhibita dulcorem faciat sensibiliorem. Ex quo etiam intelligis ut excipere dissonantiam consonantia illico debet, ne auris quasi discerpatur, suavitateque harmoniæ privetur; ita debere universe coalitiones ictuum, insociatos ictus quamproxime excipere: ne si habeant longius, aut infrequentiores sint, organum interea discerpatur, ut illi sanando fiant impares, & pro consonantia disonantia sentiatur.*

SECTIO VI.

De diversis Musices modis. Unde illi olim tanta vis? An illam amiserit? Hebræi Musicam excoluere.

Soni illi graves & acuti, quos continet tabula, quam protulimus ex Petro Gassendo, possunt inter se commisceri diversis modis; sive a gravibus ad acutos, ab acutis ad graves licet progredi; tanta varietate ut a rerum initio usque in æternum possint novi cantus adinveniri. Experientia docuit proprietates harum commixtionum, quæ auribus sint ingratæ, quæ illis placeant: quæ ad hilaritatem, quæ ad tristitiam inducant, quæ sint aptæ ad choreas, tripudiaque: aut ad bellum excitent animos. Verisimile est has proprietates non ignotas fuisse Patriarchis Hebræorum; quippe qui Musicæ inventores fuerint. Jubal fuit pater canentium cithara, & organo, ut dicitur in primis capitibus Geneseos. Igitur Hebræi, qui linguam & doctrinam parentum suorum, pariter cum cæteris mortalibus acceperant non ignorabant musicam, immo eam excoluerant; videre enim est Israelitas, licet diu jugo Ægyptiorum pessumdatos, statim ac liberati sunt, & mare rubrum incolumes pertransierunt, cecinisse canticum Deo *Exod.* 15. 20. *Sumpsit ergo Maria Prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens: Cantemus Domino.* Maria ibi dicitur Prophetissa, id est, docta, perita cantandi; ea est hujus vocis significatio. Anna mater Samuelis & canticum cecinit. 1. *Sam.* 1. 28. Tempore Samuelis erant Prophetarum greges, hoc est, multitudo virorum, qui musicam colebant. *cap.* 10. 5. Dum ille Propheta monitis suis instruit Saulem, ait illi, *post hæc venies in collem Dei, ubi est statio Philistinorum: & cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes.* Nempe docte & belle canentes. Ex quo autem tempore David elegit Levitas qui canerent in Templo, & certas familias huic ministerio addixit, musica ab illis exculta est; & cum omne huc studium conferrent, procul dubio Cantores illi experti sunt quæ cujusque cantus, sive cujusque harmoniæ vis esset: puta qui essent hilares, qui flebiles modi; quales illi quibus apud Horatium Valgius semper urgebat *flebilibus modis Mystem ademptum.*

Græci quatuor præcipuos modos agnoscebant, Phrygium, Lydium, Dorium, Jonium. Nempe diversæ Græciæ gentes diversos musicæ modos sectabantur. *Lasciviens quippe animus,* inquit Boetius lib. 1. Mus. cap. 1. *vel ipse lascivioribus delectatur modis, vel sæpe eosdem audiens cito emollitur, ac frangitur. Rursus asperior mens, vel incitatioribus gaudet, vel incitatioribus asperatur. Hinc est etiam quod modi musici Gentium vocabulo designati sunt, ut Lydius modus & Phrygius.* Quo enim quasi una quæque gens gaudet, eodem modus ipse vocabulo nuncupatur. Gaudet enim modis pro morum similitudine. Mollia duris, dura mollioribus non facile adhærent.

Qua commixtione cantus fieri possent illi omnes modi, explicari non potest, nisi a practicis, quos non suscipiam erudiendos, quam enim quisque artem noverit, in hac se exerceat. Lucianus in Harmonide, virum qui a Timotheo egregio

gio Tibicine vellet arte ediscere, sic inducit loquentem. *Dic mihi, o Timothee, quomodo arte mea clarus evadam, & quid faciam unde me Græci omnes norint? Nam alio quidem tuo beneficio jam didici, scilicet tibiam accurate componere, tenuem & canorum sonum in Cingulam inspirare, & apposite digitos crebro ponendo & tollendo applicare, & ad numeros progredi, modosque ad chorum consonos facere, & harmoniæ cujusque proprietates observare, Phrygiæ impetum divinum, lydiæ furorem, Doricæ gravitatem, Jonicæ jucunditatem.* Alii aliter explicant hosce modos. Sic eos enumerat Gassendus in manuductione. *Plerique*, inquit, *primum vocant Dorium, secundum Hypodorium, tertium Phrygium, quartum Hypophrygium, quintum Lydium, sextum Hypolydium, septimum Mixolydium, octavum Hypomixolydium, nonum Hyperdorium, ac Jonium, decimum Hypohyperdorium, ac Hypojonium, undecimum Hypophrygium, ac Æolium, duodecimum Hypohyperphrygium, ac Hypoæolium. Alii primum esse Phrygium, secundum Hypophrygium, tertium Doricum, quartum Hypodorium &c.*

De horum modorum proprietatibus sic pergit differere.

Primum itaque ad choreas, tripudiaque est comparatus: modusque lascivus *ideo dicitur.*

Secundus ex se satis lætus, ob affinitatem tamen cum sexto, ita ad exprimendum affectus amatorios deflectitur, ut propterea languens lamentabilisque *dicatur.*

Tertius dicitur modus gravis, *quod sit maxime ad res graves, seriasque exprimendas idoneus.*

Quartus quod mœstitiæ, miseriæ, solicitudini exprimendæ comparatus sit, dicitur flebilis & supplex.

Quintus quod rebus arduis, difficilibus, asperis, dicitur severus, austerus, immitis.

Sextus dicitur Assentator, *quod sit maxime accommodatus ad exprimendum adulationes, quærimoniasque, & languores amantium.*

Septimus Hilaris, alacerque, *quod mentem a curis, & solicitudinibus avocet, & ad bilaritatem, lætitiamque componat.*

Octavus Religiosus, *quod Fere usurpetur pœnitentiæ, lacrymis, aliisque pietatis verbis, affectibusque exprimendis.*

Nonus Iracundus, *quod accommodetur exprimendis minis, mentisque emotionibus, unde ad res quoque lascivas transferatur.*

Decimus Pudicus, *quod mixtam pudori suavitatem præseferat, & sedationem animi modestiamque testetur.*

Undecimus Politus, *seu comptus, quod præ se ferat quidpiam comptum, limatum, & compositum: inde & carminibus lyricis est maxime accommodatus.*

Duodecimus Luctuosus, *quod quarto, sextoque affinis, exprimendis lugubribus, deploratisque rebus sit aptus.*

Hæc omnia fieri posse multis experimentis constat, sive certa sonorum commixtiones, prout consonæ sunt, vel dissonæ; diversos effectus producere. *Quamvis vero sonus*, inquit Vossius de Poematum cantu, *in omnes partes diffundatur, illud tamen præcipue observandum, non omnia corpora, neque omnium hominum sensus æqualiter ab iis affici, sed pro ratione & differentia soni, variare quoque affectus, qui producuntur, cum experientia docuerit, in ea duntaxat corpora, quæ similes tremores aut motus possunt concipere, sonum propagari, alia penitus immota persistere. Cum passim in aliis, tum præcipue id videri est in chordis unisonis, quarum unam si tetigeris, illico sonabat quoque altera licet multæ aliæ diversæ tensionis intercedant chordæ, quas immotas perstare omnibus est notissimum.*

Vim dissonantiæ licet hoc experimento demonstrare. Vidi virum musices practicæ peritum, qui per gradus tollendo vocem; & hanc admovendo scipho vitreo, hunc frangebat sola voce dissona, nempe statim ac illam dissonam faciebat ex consona. Qui rem experti sunt, dicunt ex silice sciphum esse debere, & ad formam coni accedere. Quin ut scribit citatus Vossius in eodem libro: *vasta illa æramenta, quæ campanas vulgo appellant, findi, & aliquando dissilire affirmant, si inæqualiter pulsentur, & miramur animos nostros turbari, si a discrepantibus numeris perturbentur ea instrumenta, a quibus nostri reguntur affectus.* Juvat exscribere, quæ dicit Petrus Gassendi caussam reddens, cur in cheli *dans un luth* consonantes chordæ, etiam quæ non pulsantur, tremant, cum dissonantes, tametsi fuerint interceptæ immotæ maneant. *Nempe dum ejus excursibus, recursibusque aer pulsatur. Compulsantur quidem chordæ omnes vicinæ; at quia solæ consonantes ita tensæ sunt, ut subire eosdem cum ipsa excursus recursusque valeant; ideo tremorem solæ patiuntur; dissonantes enim non tremunt, quod ita sint tensæ, ut dum ipsa it, illæ redeant, dum ipsa redit, illæ eant; sicque dum itus reditibus & reditus itibus obstant, immotæ constent, nec tremorem patiantur.*

Ergo

Ergo omnia quæ dicuntur de vi musices, sive quæ historici de illa scripserunt, non licet in dubium revocare. Numeri enim servati etiam in oratione, quæ pronuntiatur naturali voce, vim non mediocrem habent, quanto magis in iis quæ canuntur? In cantu vox contenditur, sive vi exprimitur, & impetum facit in aures; sed sine illo impetu oratio numerata ut carmina quando rebus numeri conveniunt, energiam habet. Malleos cyclopum audire tibi videris, dum sequenti carmine describitur eorum labor.

Illi inter sese magna vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum.

Gravis est & tardus spondæus constans duabus longis syllabis.

Cara Deum soboles magnum Jovis incrementum.

Contra volubilis est dactylus.

Ferte citi ferrum, date tela scandite muros.

Olim *spondæum succinere* dicebatur pro gravi, ac sententioso modulamine alicujus aures afficere. Pythagoras videns paratos juvenes vim inferre pudicæ domui, induxit petulantiæ eorum temperamentum jubens Tibicinem mutare in spondæum cantum. Quod cum fecisset, asserit Cicero rem narrans, *tarditate modorum & gravitate canentis, illorum furentem petulantiam consedisse*. A tibicine Ischias forsitan sanatus est: qui enim hoc morbo laborabat tanta dulcedine potuit deliniri, ut nec de morbo cogitaret, & sic non eo afficeretur. Timotheus fidicen Alexandrum Magnum impulit cantu ut ad arma procurreret, etiam si mensæ accumberet. Omnium exemplorum sit instar quod dicit Horatius in arte poetica.

Silvestres homines sacer, interpresque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones,
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

Sunt qui tanquam aniles fabulas & commenta aspernantur, quæ de viribus musicæ tam splendide narrantur; sed suspecta esse non possunt, quæ ipsa Scriptura narrat de David, qui cithara sua sanabat Saulem 1. *Sam.* 16. 23. *Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul, & levius habebat. Recedebat enim ab eo spiritus malus*. Spiritum bonum nempe lætum quasi infundit musica. Certe eum accersit; unde cum vellet Elisæus prophetare 4. *Reg.* 3. 15. *Nunc autem*, inquiebat Elisæus, *adducite mihi psaltem, cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini, & ait: Hæc dicit Dominus, &c.* Prædixit Regi Josaphat victoriam de Moabitis, quos & dici potest viribus musicæ debellasse; ut narratur in secundo Paralipomenorum 20. 21. *Statuit Cantores Domini, ut laudarent eum in turmis suis, & antecederent exercitum, ac voce consona dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia ejus. Cumque cœpissent laudes canere, vertit Dominus insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet Ammon, & Moab, & montis Seir, qui egressi fuerant, ut pugnarent contra Judam, & percussi sunt.*

Magna est sane animæ nostræ cum numeris cognatio, ita facile commovetur congruis affectibus quos excitat musica. Ut non loquar de instrumentis, quæ summam & raram industriam desiderant, dicam etiam inter *tympanotribus* reperiri, qui eam musicæ partem, quæ ad movendos facit affectus, longe melius intelligant, & exerceant, quam ulli nostræ ætatis musici; *Est quidem tympanorum pulsus* μονότονος *non tamen* μονοειδὴς *cum certis & ratione convenientibus adstrictus sit numeris, jambis, videlicet, anapæstis, pæonibus, aliisque, quibus adeo hodierna destituitur musica, ut vix ullum audias cantum, cujus motus & numeri non sint adeo confusi, & indistincti, ut neque formam, neque mensuram, neque ullam prorsus contineant significationem. Vidi*, loquitur Isaacus Vossius libro citato, *qui adeo scite tympanum tractarent; ut quibusvis etiam adstantibus modo bellicos, modo languidos, & meticulosos incuterent motus, alios vero versa vice ad saltandum instigarent, idque sola mutatione rythmi, & transferendo pulsum fortiorem a fine in principium cujusque mensuræ mutante nempe iambos in trochæos, anapæstos in dactylos, & pæones quartos in pæones primos.*

Vossius diligenter differit de singulis pedibus artis poeticæ, sive Græcæ, sive Ro-

Romanæ; in quos neglectos refundit causas ob quas musica amiserit vires. Verum ea primaria causa est, quod *si quis hujus sæculi audiat Cantores*, queritur Vossius, *vix decimam partem eorum, quæ canuntur, intelliget. Producendo breves, & longas contra naturam sermonis corripiendo syllabas, ac decies sæpe eadem repetendo vocabula, adeo desormant & mutilant veram & legitimam pronuntiationis rationem, ut sensuum carminis penitus deleant*. Veteres magis monodiis delectati sunt, quam plurium vocum concentibus, *quia*, dicit Vossius, *si plures simul cantent verba obruuntur, & sensus cantici nibilo magis percipitur, quam si plures simul loquantur. Ecquis etiam hoc nostro sæculo, dummodo aures teretes & delicatas habeat, non libentius audiat vocem solitariam & singula verba ad sonum testudinis, aut citharæ distincte proferentem, quam integrum chorum musicorum, ubi nihil præter confusum murmur, & vix tria intelligas verba?* Diximus veteres musicos citharis & aliis instrumentis quæsisse aptos modos; flebiles, aut lætos, quibus deinde propria verba aptabant, pariter & vocem; ita fiebat ut rebus oratio, & cantus orationi consonaret. Dici etiam potest, cum pauci exercerent artem tunc fuisse magis in pretio; ab assuetis enim non fit passio; idcirco primos Musicos magis percelluisse hominum mentes, quando ipsi præcellebant cæteris in arte sua. Præterea contingebat quod alimentis, quæ cum ex se jucunda sunt, deteruntur condimentis, vetus musica non tanta condiebatur varietate; sed & vim majorem faciebat, quia in eundem finem concordabant organa musica, oratio & voces ad excitandos certos affectus; nec tam blandiri auribus studebant Musici, quam movendis affectibus.

Quamquam multa dixi de vi musices, addam tamen quæ Maximus Tyrius Philosophus Platonicus observat in dissertatione 21. mutatam rationem musices mutasse & mores. *Ex quo*, inquit ille Philosophus in Latino suo Interprete, *Dores, qui Siciliam incolunt, simplicem illam, agrestemque musicam, qua inter greges suos, pecudesque utebantur, domi reliquerunt, ac pro ea tibias sybariticas amare, ad Jonicas saltare cæperunt. Atque ita dementiores, ut levissime dicam, aut ut verius intemperatiores facti sunt. Antiqua Atheniensium musica nihil aliud, quam chori puerorum virorumque erant, & agricolæ tributim divisi, qui ad hanc a semente sua & messe sordidi, incomposita quædam & extemporanea canebant carmina. Ab his cum animus ad scenicam paulatim & theatralem artem, rem mirificæ voluptatis, deflecteret, hoc corrumpendæ fuit Reipublicæ initium*.

Antequam finem dicendi faciam de veteri musica, observabo in illa distingui tria genera; primum dici *Diatonicum*, quod Boetius appellant *durius & naturalius*. Vox per septem discrimina ab octava ad octavam crescit, uno gradu superans alium gradum. Primum cantilenarum genus, ut puto, dictum est Diatonicum, in quo voces omnes crescerent per tonos, διὰ τονων; ut natura fert homines; ita simplex & naturalis; qualis est, quem dicimus *plenum cantum*. Secundum genus est Chromaticum; *chroma vero est*, inquit Boetius, *jam quasi ab illa naturali intentione descendens, & in mollius decidens. Enharmonium vero optime atque apte conjunctum. Chroma vero*, ait Mersennus, *minoribus intervallis, videlicet semitonio & trishemitonio constat, & est inter Diatonicum & Enharmonium; velut color inter nigrum & album, vel ut mediocriter spissum inter rarum & densum*. χρῶμα a Græcis dicitur *color*. Quidam volunt *chromaticum* cantum denominatum, quod notas haberet minio indicatas; sed alii melius, quod jucundior esset, & quasi coloratior. *Denique Enharmonium per intervalla procedit, nempe per Diesim*, quæ est pars quarta toni: Διέσις *divisio*, sive *separatio*, est, apud Musicos prima tonorum differentia, quæ sensu percipi possit. Enharmonium, inquam, genus, pergit loqui Mersennus, procedit *per Ditonum, quod tametsi intervallo maximo diatonici & chromatici generis distet, attamen non ex eo intervallo nomen aut proprietatem sumit; sed ex aliis duobus minoribus, sicut chroma denominatur a semitonis*. Tria illa genera modulationum iterum exponam verbis Vitruvii ex lib. 5. cap. 4. *Primum quod Græci* ἁρμονίαν. *Secundum quod* χρῶμα. *Tertium* διάτονον. *Est autem harmoniæ modulatio ab arte concepta: & ea re cantio maxime gravem & egregiam habet auctoritatem. Chroma subtili solertia, ac crebitate modulorum suaviorem habet delectationem. Diatoni vero quod naturalis est, facilior intervallorum distantia*.

Quod genus modulationum veteres Hebræi sectati fuerint, difficile est statuere. Naturam ut plurimum ducem sequebantur, & ideo sæpius Diatonicum genus. Quandoque autem Chromaticum, cum coloribus quodammodo exornandus cantus; & enharmonium, si exhilarandus esset. Ingentes in Deum affectus, inspirabant verba & modos. Nunc arte utebanbantur, ut per semitonos & dieses vox

ascenderet & descenderet, per minora aut majora intervalla, prout erant afficiendæ aures; quæ magis commoventur, cum protinus vox ascendit ad remotum intervallum, aut descendit: delectantur vero magis, cum per hemotonum & diesim transit; quod a viris, qui in id omne studium conferebant, facile advertebatur.

SECTIO VII.

De instrumentis Musices, quorum usus erat in templo; & de canticorum diversis speciebus.

JAm disserui de instrumentis musicis in genere; nunc de illis dicam, quatenus pertinebant ad templum, & usitata erant apud Hebræos. Horum inventorem Scriptura sacra celebrat Jubalem. *Ipse fuit pater canentium cithara & organo.* In fonte, ipse fuit pater omnis apprehendendentis citharam & organum. בנור ועונב His duabus vocibus volunt viri docti omnia instrumenta musica comprehendi, tum quæ fidibus constant, tum quæ inflantur. Prima vox in versione Græca redditur modo ψαλτηριον, modo Κιθάρα, modo Κινύρα, quo nomine utitur Josephus; & usitatum fuit Græcis, ut indicat verbum Κινύρομαι *lamentor*, *lugubri & lamentabili voce queror*. Ipsum vero nomen עונב *ougab derivatur a* ענב *adamavit*; ita ut indicet amabile instrumentum. Diversis instrumentis utebantur Hebræi: alia habebant chordas multiplices, nempe Ψηλαφητὰ, quæ plectro pulsabantur, vel tangebantur digitis. Alia erant, ut loquuntur Græci, πνδμανηκα, *inflatilia*: alia denique Κρυστικὰ *pulsatilia*, ut tympana, cymbala. His omnibus instrumentis decantabantur in templo hymni, cantica, psalmi, Dei laudes.

Jam ante Davidem instrumenta musices pleraque fuerant adinventa; sed primam suam originem si huicce Regi non illa debet, saltem perfectionem, quam assecuta erat eo tempore quo templum conditum est. Hanc illi gloriam adstruit Josephus Antiq. 7. *Cæterum*, inquit ille, *David perfunctus jam bellis ac periculis & in altissima pace degens vario genere carminum, odas, & hymnos in honorem Dei composuit, partim trimetro versu, partim pentametro. Instrumentisque comparatis docuit Levitas ad pulsum eorum laudes Dei cantare tam Sabbatis diebus, quam in cæteris Festivitatibus. Species autem instrumentorum hæ fuere, cinyra decem chordis intenditur, & plectro pulsatur: Nablia duodecim sonos continet, sed digitis carpitur: cumque his aderant & cymbala ærea bene magna atque lata: quod sane de prædictorum instrumentorum natura, ne prorsus ignorentur, dixisse sufficit.*

De illis omnibus instrumentis diligenter disseruit Bartholoccius in sua Bibliotheca Rabbinica tom. 2. Primi generis censet quæ inflata seu flatu, spiritu, vel vento incitata sonum emittunt, ut sunt Fistulæ, Sampugnæ, Cornua, Tibiæ, Buccinæ, Litui, Syringæ, & alia polycalama, quæ italice dicuntur *Organi* & *Regali*. Adjungendi Utriculi, vernacule *la Musette*, sive Fistula pastoritia; cujus non est unius generis Forma. Secundi generis sunt, quæ chordis, seu nervis instructa digitis, vel pinnis, vel etiam plectris in armonicos motus artificiose incitantur, & sonum suavem edunt; ut sunt Citharæ, Testudines, Thiorbæ, Nablia, Arpæ, Lyræ, Violæ, seu Chelys, Sambucæ, Pectides, Pandoræ, Clavicymbala, Clavichordæ, Spinetæ, Barbyta, aliaque his similia & omnis generis Citharæ. Tertii generis sunt quæ digitis aut baccillis, vel ferrea lingua pulsantur, & sonum reddunt, ut sunt Crotola, Gnaccari, Systra, Tympana, Cymbala, Campanæ.

Ex hisce tribus generibus ad Psalmos modulandos aliquot fuisse assumpta indicat Psalmus ultimus 3. *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio & cithara.* Laudate Deum in clangore buccinæ שופר *schophar*, buccina est vel tuba. Pro psalterio & cithara, quæ sunt Græcæ voces, in fonte nominantur כנור *Kinor* & נבל *Nebel*. *Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo.* תוף tympanum est instrumentum tertii generis. Adjungitur מחול *Macol*, Græcis interpretibus, χορος, *Chorus*. Voce illa indicitur chorea publica, ad quam canitur tibia, & luditur tympano. Etenim מחול *chorus* derivatur a חליל *tibia*. Ibi insuper nominatur מנים *minim* de qua voce incertum, an sit nomen instrumenti, an indicet tantummodo quemdam numerum, puta chordarum; venit enim a מנה numeravit. Significat Psaltes Deum esse laudandum omni instrumentorum specie. Interpres Latinus dicto nomine *minim* cum Græcis videtur intellexisse instrumentum multarum fidium, sive chordarum. *Laudate, Deum in chordis.* Organum vero quod nominat, in fonte dicitur ענב; quod in genere est *organum*, sive instrumentum musicum, sic appellatum, quia amabile est ab ענב *hugau adamavit*, ut diximus.

5. *Laudate eum in cymbalis benesonantibus; Laudate eum in cymbalis jubilationis.*

Lau-

Laudate Deum בעלעלי שמע *in cymbalis sonoris*. In fonte *auditus*, id est, *sonoris*, quæ pulsant aures. Indicantur instrumenta, quæ tinniunt, a צלל *tsalal tinnire*; qualia sunt cymbala; nempe ærea vasa, ad formam cymbali conflata, quæ obducebantur pelle animalis, & deinde pulsata plectro instar pistilli, aut virga ænea, aut ferrea, tinniebant. Differebant illa a tympano, quod quidem pelle animalis obducitur, sed vas est ligneum; ita non tam sonorum. Utrumque instrumentum designat Silius Italicus lib. 17.

Circum arguta cavis tinnitibus æra, simulque
Cernebant rauco resonantia tympana pulsu.

Illa cymbala sunt instrumenta tinnientia, qualia quædam polychorda ænea. Videbimus infra a Paraphraste Chaldæo, quod instrumentum Samuel appellat שלשים *schelöschim* reddi צלצל; in Paralipomenis recenseri cum citharis & nabliis. Adhibebantur cymbala, cum in signum jucunditatis, sive magnæ lætitiæ. Fiebat magnum jubilum תרועה *terougah*, de qua voce infra sermonem faciemus.

6. Omnis spiritus laudet Dominum. Alleluja.

דנשמה, *halitus omnis*, nempe id omne, quod spirat, debet cantare laudes Domini, a quo accepimus tot beneficia. Dum magna commoverentur lætitia Hebræi, voce & instrumentis maximum & clamorem edebant. In 1. Par. 15. ubi David deducit Arcam Dei a domo Obededon in domum suam, inter instrumenta, præter illa, quæ multum sonora sunt, videlicet cymbala ænea, nablia, citharas, memorantur עלמות *alamoth*, quod nomen ibi Vulgata interpretatur *arcana*, & sic reddit versum vigesimum *in nablis arcana cantabant*. Fons Hebræus: *in nablis super Ha alamoth*. Memoratur & השמינית *hascheminith*. Latinus interpres reddit. *In citharis pro octava canebant epinicion*. Fons Hebræus, *in cineroth super hascheminith le natseach*. Numerus octo Hebraice dicitur שמיני *semini*. Pro instrumento octo chordarum haberi potest; sed illud nomen derivari potest a שמן quod est *pinguis*, ut haberi possit pro eo quod dicimus *octava*; sive pro pingui & gravi sono.

Præter ista instrumenta, sunt in sacro codice חצצרות *chatzotzeroth*, idest, tubæ, & מנענעים *menaaniim*, id est, sistra juxta Vulgatum Interpretem שופר *schophar*, idest, buccina: קרן *Keren*, idest, cornu. His indicabantur festa, ut neomenia, sive novilunium. Psalm. 80. *Buccinate in neomenia tuba*. Clangite תקער, id est, magnum strepitum edite buccina, qui tantus erat, si fidem adhibemus Mischne, ut usque Jericho perferretur. חצצרות *chatzotzeroth*, erant tubarum species, longiores buccinis: Fiebat non ex cornu, ut buccinæ, sed ex ære, argento, aut ex alia materia, vel etiam ex ligno oblongo, cavo & recto. Ita cum buccina esset curva, tuba erat extensa; & habebatur nobilior. Ideo inflabatur Festo die super holocaustis & victimis pacificis. Neminem latere potest quodlibet instrumentum musicum diversas posse accipere formas. Quam Artemidorus appellat sacram tubam in libro primo de somniorum interpretatione c. 58. dicit compositam ex osse, & ex ære; cujus ergo forma multum diversa erat a nostris tubis. Instrumentum quod Scriptura appellat עוגב fuisse jucundum, sive amabile, satis intelligitur ex suo nomine. נבל *nevel*, *nablum*, *navla* redditur a Græci Interpretibus Κιθαρα *cithara*, sæpius ψαλτηριον. Itaque erat instrumentum constans fidibus, sive extensis chordis. Sunt tamen inter Hebræos, qui putent fuisse utriculum, vernacule *cornemuse*; etenim נבל *Nevel* est *uter*, *lagena*. Verum Josephus in Antiquitatibus suis lib. 5. cap. 10. sic describit hocce instrumentum, ut non fuerit inflabile, sed pulsatile. *Cinyra* Κινύρα, inquit, *decem chordis intenditur, & plectro pulsatur*. Ναβλα *duodecim sonos continet, sed digitis carpitur*. *Nabla*, sive *Nablum* non itaque forsan discreparet a nostris citharis, & Romanorum lyris, quæ pollice tangebantur, ut sequens carmen probat.

Assuetam digitis pollice tange lyram.

Diversas fuisse tympanorum species inde conjectat Bartholoccius, quod post transitum maris rubri, Hebræorum mulieres cum Maria canticum Domini cecinerit cum tympanis, Exod. cap. 15. 20. Neque enim verisimile est, inquit, mulieres classica tympana pulsasse, vel pulsare potuisse. Alia ergo majora, alia minora. Nunc pluribus in locis in popularibus lætitiis fit usus circuli lignei, qui una parte clauditur membrana, quæ digitis percussa gratum auribus præbet sonum, Gallice, *Tambour de Pasque*. In libro secundo Samuelis cap. 6. 5. mentio fit plurium instrumentorum musicorum. *David autem & omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis*,

nis, *& ſiſtris*, *& cymbalis*. Ludebat, lætabatur David in lignis aliegnis עצי ברושים *atzeberoſcim*, nempe ex quibus pleraque inſtrumenta conjiciuntur. Nominantur כנרות *citharæ*, נבלים *lyræ*, תפים *tympana*, præterea מנענעים *Menaaniim*, quæ vox bene a Vulgato Interprete redditur ſiſtrum. Græci ſcribunt Cεῖϛρον, ἀπὸ τȣ͂ σείειν quod eſt *quatere*, ſicut nomen Hebræum *Menaaniim* derivari poteſt a נוע *nova*, quod idem ſonat ac *moveri*, *agitari*. Siſtrum erat inſigne Iſiacorum, ut *cymbalum* Sacerdotum Matris Deæ. Apud Martialem eſt.

Hæc quatiat tenera garrula ſiſtra manu.

In ſiſtro erant clavi, ſive paxilli, qui dum quatiebatur inſtrumentum, pulſabantur, & ſonum edebant. David 2. *Reg.* 6. 5. dicitur luſiſſe *in citharis*, *& lyris*, *& tympanis*, *& ſiſtris*, *& cymbalis*. Tibi, Lector, ſubjicimus ſiſtri formam. Cymbala in eo loco Scripturæ dicuntur in fonte צלצלים *tzeltzelim*; quod verbum ſignificat *tinnire*. Cymbala multum tinniunt, quia ærea. In primo Paralipomenorum cap. 15. 19. *In cymbalis æneis concrepantibus*. Primo Samuelis cap. 18. 6. Iſraeliticæ virgines dicuntur exiiſſe in occurſum Saulis & David, poſt interfectum Goliath, *in tympanis lætitiæ*, *& in ſiſtris*. In fonte תפים *tympana* & שלשים; pro quo nomine Paraphraſis Chaldaica habet צלצל. Græci interpretati ſunt *cymbala*, & Vulgatus *ſiſtra*. Nomen Hebræum שלשים ambiguum eſt; ſignificat *tribunos & duces*, ut in eo loco Samuelis indicet virgines dictas exiiſſe in occurſum Saulis & Davidis cum præcipuis inſtrumentis Muſices. Attamen ſatius eſt hoc nomen interpretari de inſtrumento trium chordarum שלש *tres*. Lyra antiqua non majori chordarum numero conſtabat. Talem repertam a Mercurio narrat Diodorus Siculus in libro primo Bibliothecæ, hanc ſcilicet factam ab eo τρίχορδον dum vellet imitari tres anni tempeſtates. Tres enim φθογγȣς tonos fecit, acutum, gravem, & medium. Acutum ab æſtate, gravem ab hyeme, medium a vere deſumpſit. Hæc Diodorus. Cernere eſt in pleriſque numiſmatibus antiquis, formam veteris lyræ; hinc inde ſurgebant duo brachia curva, juncta ſecum jugo, cui chordæ illigabantur. Quædam ex illis numiſmatibus, vides, Lector, in tabula. Unum ex illis ex una parte profert Homerum, ex altera fluvium Melem, juxta quem Poeta ille dicitur natus. Fluvius ſub ſenili forma, altera manu urceum effundit, altera attingit lyram trichordem. Non alterius formæ exhibetur lyra in nummo Mileſiorum, ubi expreſſus eſt Apollo citharædus; ſicut in alio Neronis, qui ſtat in ſcena habitu citharædi. Omitto alios complures nummos, in quibus lyræ ſunt omnes trichordes; quales fuiſſe apud Hebræos tempore Samuelis indicat nomen שלשים.

Poſtea auctus eſt chordarum numerus, & facta ſunt inſtrumenta שושנים *ſoſannim*, id eſt, ſextichordia, a שש *ſcheſch*. Unde lilium dicitur שלשנים, quod nomen habet a ſex ſuis foliis. Auctus eſt inſuper numerus chordarum lyræ: facta eſt ſeptichordis. Lucianus in Dialogo Apollinis & Vulcani, videtur primæ lyræ tribuere ſeptem chordas. Hanc ferunt caſu adinventam a Mercurio. Ille teſtudinem mortuam alicubi nactus, ex ea compegit inſtrumentum; brachiis adaptatis, & ſuperinducto jugo, deinde calamis infixis, & ſubjecto hemiſphærio (Καγάδιον προθεὶς) ex intentis inde ſeptem chordis, elegantem ſonum eduxit. Ibi Benedictus Interpres Luciani μαγάδιον habet pro hemiſphærio, Micyllus pro fundo & dorſo lyre; ſe. μαγάδιον diminutivum μάγαδος, apud Suidam lamina illa lignea repanda ſuper qua citharæ nervi contenduntur, & eriguntur ad perpendiculum ſupra μαγάδιον; qua parte lyra ſtare poterat erecta in pulpito, & ſonabat. Etenim ex Heſychio μαγὰς eſt lgneum aſſerculum quadratum.

Mentio fit in titulis Pſalmorum שמינית *ſcheminith*, quod habetur pro inſtrumento octo chordarum; qui numerus nomine iſto exprimitur. Alii aliter illud interpretantur, ut videbimus, cum titulos Pſalmorum conabimur illuſtrare. In Pſalmis mentio fit עשור, quod Græci & Latinus Interpres habent pro inſtrumento decem chordarum. Tot chordas Joſephus numerat in *cinyra*, & duodecim in *Nablis*. Hæc omnia muſica inſtrumenta ſolent a Græcis LXX. appellari ψαλτήριον; quod nomen in genere ſignificat inſtrumentum unum ex illis, quæ fidibus conſtant. Proprie ψάλλειν eſt nervum, ſeu chordam tangere, a ψάω id eſt, tango; ita LXX. Interpres nominaverunt illa inſtrumenta muſica, quæ conſtabant intentis nervis, & quæ David, & alii Cantores pulſabant, decantantes ſacra cantica. Sanctus Auguſtinus, & alii Doctores, cum loquuntur de Pſalterio Davidico; deſcribunt erectum ea forma, qua ſolet David depingi pſallens; eo fere modo, quo in antiquis nummis Apollo, & Arion, & alii muſici utuntur lyra. D. Hieronymus in Epiſtola de inſtrumentis mu-

musicis ad Dardanum, aut quis alius hujus Epistolæ auctor, Psalterium dicit habuisse triangularem formam; ita non dissimile litteræ, quam Græci appellant Δ. Videmus in dies permutari formam instrumentorum, quorum nunc est usus. Novas facies subire potuerunt illa, quæ nominantur in scriptoribus; ideo vera & antiqua eorum forma non potest definiri, nisi supersit in antiquis monumentis. In secundo libro Samuelis 6. 5. memorantur ligna fabrefacta, in quibus ludebat, sive canebat David cum Arcam deduxit ex domo Aminadab in domum Obededon, *David autem & omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris*. In fonte בכל עצי ברושים *becol etse berochim*. Hebræis *Berosch abies* est. Per illa ligna fabrefacta intelliguntur omnia instrumenta musica, polychordia, quæ solent fieri ex abiete, nempe tum tabula, supra quam extenduntur chordæ, tum ipsum concavum corpus, quod huic tabulæ subjicitur; facilius tremunt tenues ex hoc ligno asseres, & ideo reddunt sonum augentque. Quæ autem fuerit forma horum lignorum fabrefactorum dicere non possumus: lyræ, citharæ sunt ligna fabrefacta; sed hæc appellatio non dicit eorum formam; sicut nec nomen *organum*, quod usurpatur in sacro codice, tum Græco, tum Latino. Ὄργανον Græcis idem sonat, quod Latinis *instrumentum*.

Percurramus loca Scripturæ, in quibus mentio fit instrumentorum. Plura nominat Isaias cap. 5. 12. *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris*. In fonte כנור *cinyra*, sive cithara. נבל *nablum*, sive lyra. תף *tympanum*, חליל *tibia*. Instrumentum חליל *chalil* concavum est, & perforatum, a verbo חלל *perforari, perfodi, tripudiare*, ut observatum est. מחל *machol* significat *chorum*, in quo tibia personat. Tibias fuisse usitatas in templo videbimus; de quibus hæc dicit Mischna codice ערכין *Arachin* cap. 2. *Non utuntur paucioribus quam duabus* חלולין *chalilin* tibiis, *& non pluribus quam duodecim; & in die duodecimo anni* חליל *chalil pulsatur coram altari, dum mactatur Pascha primum, & dum mactatur Pascha secundum: in die festo primo Paschatis; in die festo* עצרת *atzereth, in octava solemnitatis*. In 3. capite Danielis v. 5. memorantur illa instrumenta. *In hora qua audieritis sonum tubæ, & fistulæ, & citharæ, & sambucæ, psalterii, & symphoniæ, & universi generis Musicorum, cadentes adorate statuam auream*. Horum nomina sunt in fonte Chaldæo קרנא *Karna*, id est, cornu Hebraice עין. Secundum instrumentum est משרוקיתא *Mascrokitha*, id est, fistula, a sibilando sic dicta, שרק *sibilavit*. Tertium קיתרום *Kethros*, non diversum a *cithara*, simile nomen ostendit. Quartum סבכא *sabecha*, similiter videtur fuisse *sambuca*. Quintum פסנתרין *Pesantherin*, Psalterium est. Sextum סומפניה *sumponiah*, Græcum est nomen *symphonia*; nisi potius habeatur pro speciali instrumento; neque enim verisimile est, tempore Danielis voces Græcas fuisse in usu apud Chaldæos. In Paraphrasibus eorum quandoque legitur אבובא *Abub* pro tibia, ut in Isaia cap. v. vers. 12. Inde factum est אנבוב *anbub* inserto *n*; qua voce usus est Horatius lib. 1. Satyra 2. & Svetonius in Nerone cap. 27. apud quos videre est mulieres *ambubaias*, esse tibicinas, ut Acron vetus Interpres Horatii adstruit. Instrumentum quoddam Rabbini celebrant, dictum ab illis מגריפה *Magrepha*, quo magnus edebatur sonus in Sanctuario. De hocce instrumento iterum loquemur infra capite sexto sectione prima.

Dum differo de tibiis, advertam antiquitus diversas fuisse earum species. Quædam constabant pluribus calamis; harum inventor Pan dicitur,

Pan primus calamos cera conjungere plures
Instituit.

Vario modo inspirabatur illis ventus.

Unco sæpe labro calamos percurrit hiantes.

Aliæ Phrygiæ, aliæ Doriæ, aliæ Jonicæ appellabantur. *Si quid flebile & luctuosum exprimere velimus*, inquit Vossius in libello de Poematum cantu, & de viribus rithmi, *non sufficit ut sonus sit gravis, & remissus, nisi etiam sit rarus, & quodammodo hians & fractus. Commode huic affectui ciendo inserviebat tibia Phrygia, longa quidem, sed pertenuis, & lugubrem idcirco edens vocem, præsertim si cornu appositum haberet. Hymnis vero & Deorum sacris adhibebutur tibia Doria, & ipsa quoque gravem emittens sonum, sed densum & plenum. Amatoriis & jucundis affectibus explicandis Jonicæ inserviebant tibiæ acutam simul & raram emittentes vocem. Iracundiam & bellicos motus inducentes, & ipsæ quoque acutum, sed tamen densum & plenum formabant sonum. Denique quot affectibus & motibus humani inquietantur animi, totidem quoque & plu-*

ra

ra ad expugnandas etiam quasvis quantumvis refractarias mentes adhibita olim fuere organa.

Jam breviter dicam de canticorum variis generibus, aut de iis, quæ in genere spectant illa cantica. Nomen מזמור *Mizmor* primum animadvertendum, quod sæpius redditur a Græcis ψαλμός *Psalmus*, raro ᾠδὴ ab Aquila μελῴδημα. Cum inscribatur quibusdam Psalmis, videtur genus aliquod cantici. Nomen Hebræum venit ex זמר *zamar*, quod idem sonat ac *putavit*, *præcidit*; quia psalmus est oratio in breves concisa sententias, sive quæ concisis membris constat; ideo tali nomine Hebræo significatur; nam Græcum indicat cantilenas esse, quæ aptantur citharæ lyræ, quarum chordæ pollice vel plectro tangebantur. ψάλλω *tango*, *pulso*, *& leni quodam motu perstringo*. Sic dicuntur Musici suas χορδὰ ψάλλειν, citharam pulsare, ut jam diximus.

Non satis nota est, sive poesis, sive musica Hebræorum, ut liceat varia distinguere canticorum genera. Alia genus suum, speciem, sive nomen proprium accipiebant ab instrumentis, quibus Musici illa cantabant, aut ab ipsis Musicis; aut a rebus, quæ Psalmistis præbuerant argumentum; aut a solemnitatibus per quas cani solebant: quæ distinctiones notantur in plurium Psalmorum titulis. Constat numeros poeseos Hebraicæ, & modos musicos Psalmorum, a sapientibus Cantoribus adinventos, convenisse cum rebus ipsis, & inter instrumenta alia aliis fuisse aptiora lætitiæ, vel tristitiæ significandæ. Tibiarum frequens erat usus in næniis, in planctu, ut videre est in Evangelio apud Matthæum cap. 9. ubi advocantur tibicines cum mortua est filia principis, quam Jesus suscitavit. Tubæ, buccinæ classicum canere possunt. Diversi Psalmi desiderabant his aut illis cani instrumentis; & a certis familiis ex classibus Cantorum, qui illos decantare consueverant, & ideo in illis erant exercitati. Ita non mirum est si designentur instrumenta propria cuique Psalmo, & idonei cantores.

In aliquibus Psalmis legitur vox illa שגיון *sigaion*. Nominis hujus origo est שגה *erravit*. Unde volunt esse oden erraticam, id est, mixtam, quæ multiplici cantu poterat decantari, & diversis instrumentis. Crebro occurrit in Psalmis vox סלה *sela*, quam LXX. Græci Interpretes transferunt Διαψάλμα. Quid sit autem *Diapsalma*, non liquet. Variæ sunt sententiæ circa hujus vocis significationem. Alii volunt significari *rithmi*, sive metri *commutationem*. Alii *vicissitudinem canendi*; Alii intermissionem spiritus, juxta Sanctum Augustinum ad Psalmum 4. *Diapsalma est interpositum in canendo silentium*. Alii, *alterius sensus exordium*, alii *rithmi distinctionem*. Alii vero *cujusdam musicæ varietatis silentium*. Hæc Latini Interpretes. De *sela* multas Bibliothecæ suæ paginas complevit Bartholoccius. Colligit Rabbinorum interpretationes diversas. Juxta aliquos *sela* nihil significat, sed tantum dirigit rationem seu concentum musicum. Erat veluti nota elevandæ, sive attollendæ vocis, quasi a סלל *extulit*, *elevavit*. Etiam deduci posset a סלה *stravit*, *prostravit*, quasi vocis sternendæ, & remittendæ symbolum; notans communem pausam, in qua voces omnes æquabili & temperato concentu quasi sternebantur & pausabant, non tam moderatæ respirationis, quam gravis cujusdam suavitatis causa. Hæc Kimchius apud Buxtorfium in Lexico. Idem Rabbinus notat *sela* idem significare juxta Jonathanem Paraphrastem quod לעולם *leolam*, id est, *in sæculum*. Aquila Interpres non dissentit. Hieronymus, & universa Synagoga accepit pro *semper*; suas preces claudens quandoque hac voce סלה *sela*. Bartholoccius subjicit omnia Psalmorum loca ubi occurrit, & monstrat his omnibus bene aptari interpretationem *semper*.

Quidquid vox *sela* significet, fuit quæpiam nota, quæ admoneret Cantores quando vox remittenda esset, & interpellandus cantus. Talis nota quovis nomine appellata sit prorsus necessaria erat, qua carere non poterat musica Hebræorum. Etenim illa aut quælibet alia fiebat observatione certorum intervallorum, quæ distincte numerantur. Inter instrumenta musica recenseri possunt omnia quibus excitatur sonus temperatus, sive capax alicujus numeri; quod experimur etiam in malleis fabrorum, qui cum numerantur intervalla percussionum, voluptatem pariunt. Non verisimile est in acclamationibus quæ in templo fiebant, tum buccinarum, tum tympanorum, tum cymbalorum, tum omnium musicorum instrumentorum nullam observatam legem. Non audiebantur voces inconditæ, præterquam quod fiebant repetitiones quarumdam pericoparum, ut *quoniam in æternum misericordia ejus*, vel *Alleluja*, sive *laudate Deum*; quæ repetitiones factæ per certa intervalla, modo remissa, modo contenta voce, nunc buccinis, nunc tibiis producebant harmoniam, quam cogitare facile est, explicare non item.

SE-

SECTIO VIII.

Musica templi, quæcumque fuerit, censenda præstantissima. Hebræis debetur origo musicæ, quam Græci tribuunt Pythagoræ.

BArtholoccius in tomo quarto Bibliothecæ Rabbinicæ contendit, Hebræos habuisse accentus, quorum diversitate dabatur quædam norma, & proportio, & qua gratus suavissimusque concentus resultabat. Hos numerat, & proprii distinguit nominibus, sed illi adnumerari possunt punctis, quæ vocalium nunc locum tenent in codice Hebræo Bibliorum; quod Massoretarum inventum est. Antiquitus quemadmodum sine punctis, ita & sine his accentibus Psalmi, Cantica exarabantur. Musicam Hebræorum parum notam esse omnes fatentur; scilicet quomodo apud eos inter se acutæ & graves voces consonarent, & nervorum disparem reddentium sonum fieret concordia, forsan adhuc nos latet. Certe resonabat in templo grata symphonia, licet nostris canticis simplicior; & multo magis illa commovebantur animi, quos diversitas cantus cum in varios trahat affectus, nullis potissimum incenduntur.

Hic ostendam originem musicæ deberi Hebræis, & nullo jure a Græcis tribui Pythagoræ. Jubal, ut vidimus, pater est canentium cithara & organo; igitur noverat diversas symphonias, quas si oportuit discere ex percussione malleorum, habebat coram se fratrem suum malleatorem. Cum rationem symphoniarum exquireret Pythagoras; *cumque eum frustra tantæ tamque arcanæ rei diuturna inquisitio fatigaret, sors obtulit*, inquit Macrobius in somnium Scipionis lib. 2. cap. 1. *quod cogitatio alta non reperit. Cum enim casu præteriret in publico fabri ignitum ferrum ictibus mollientes, in aures ejus malleorum soni certo sibi respondentes ordine repente ceciderunt: in quibus ita gravitati acumina consonabant, ut utrumque ad audientis sensum stata dimensione remearet; & ex variis impulsibus unum sibi consonans nasceretur*. Pythagoras diversos sonos primum putabat adscribendos fabrorum viribus; sed cum illi mutassent malleos, & his mutatis sonorum diversitas ab hominibus recedens malleos sequeretur, animadvertit concordiam sonorum ex lege ponderum provenire. Collectisque omnibus numeris, quibus consentiens sibi diversitas ponderum continebatur, reperit symphonias omnes, Diapason, Diatessaron, Diapente, scilicet mallei illi ferrei respondebant his numeris 12., *9.*, 8., *6.*, ita ut malleus 12. librarum cum malleo *6.* librarum collatus Diapason; malleus 12. librarum cum malleo *9.*; & malleus 8. cum malleo *6.*, in epitrita ratione inventi fuerint, ac proinde verum Diatessaron; malleus autem *9.* cum malleo *6.*, & 12. cum 8., Diapente. Denique malleus *9.* cum malleo 8. tonum in sesqui-octava ratione efformarint, ut notat Mersennus in Genesim pag. 1514.

Si vera Macrobius scripsit de Pythagora, musicæ auctor censendus est hic Philosophus, sed apud Græcos; gloria autem inventionis debetur Jubali, qui multis sæculis præcedebat Pythagoram. Is florebat eo tempore, quo Cyrus Babylonem cæpit; & ideo cum in ea urbe Judæi captivi essent, ante Christum natum 538., a templo condito 475.; id est, post quingentos annos per quos Hebræi musicam excoluerunt, & tot variis & diuturnis exemplis deprehendere potuerant symphonias fidium; quæ tamen, si credimus Macrobio, antea ignorabantur; nam Pythagoras, ut dicit ille, *ex malleis ad fides vertit examen; & intestina ovium & bovum nervos tam variis ponderibus illigatis tetendit, qualia in malleis fuisse didicerat*. Hæc quidem poterat didicisse ex suis per orientales plagas peregrinationibus, ubi occurrebant ubique Judæi, quibuscum commoratus, postea pro suis inventis venditavit, quæ statim ab initio mundi reperta erant. Jubal adverte poterat leges symphoniarum in malleis, cum fabri ferrum mollirent; siquidem in eodem loco Geneseos, ubi dicitur pater canentium in cithara & organo, protinus additur versu 22. *Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri*. Ita plusquam ter mille annos ante Pythagoram Jubal potuerat experiri, quod Græci de eo commenti sunt.

Hebræi a Patriarchis, quibus ortum suum debent, artes didicerant, ut diximus. Ipsi auctores Græci fatentur ortas scientias ex orientalibus plagis. Abraham plurimas artes si non adinvenit, saltem percalluit; quas scimus communicasse Ægyptiis, ut dicit Josephus. Scientias & artes sibi notas certe non invidit nepotibus suis, qui ut genus, ita & doctrinam traxere a parente doctissimo.

Scholas & Academias fuisse primis temporibus Patriarcharum innuit Paraphrastes Chaldæus Uzzielides in Geneseos caput 33. 17. ubi dicitur Jacob venisse in Sochoth, & ibi ædificata domo fixisse tentoria;

toria; quem ideo locum appellavit *Sochot*, id est, *tentoria*. Hunc locum habet ille pro Academia; dicit enim ibi Jacob ædificasse בית מדרשא *Beth midrascha*, id est, *domum doctrinæ*, sive Academiam. Satagebant Patriarchæ acceptam a patribus scientiam tradere filiis. Postquam Moyses instituit Rempublicam, ne quæ communis omnibus foret docendi functio, ab omnibus pariter negligeretur, inquit Jacobus Altingius in historia Academiarum in populo Hebræo, Sacerdotibus atque universæ tribui Levi, sacris mysteriis jam antea a Deo destinatæ, hanc curam peculiarem, fecit, ut studiis præessent.

Cum a temporibus Moysis dictam successionem doctrinæ pertexuisset Altingius: *ad Samuelis ætatem veniam*, inquit, *qui collapsam Ecclesiasticam pariter atque politicam gubernationem feliciter instauravit. Sub illius enim regimine eo usque effloruerunt studia litterarum, ut publica studiosorum collegia diversis in locis extarent. Huic assertioni confirmandæ facit quod Kiriathiearimis, ubi Arca fœderis a Philistæis remissa asservabatur, fuerit* collis Dei *ad institutionem juventutis in ipsius cultu destinatus, quem cœtus Prophetarum, id est, agmen Scribarum, seu studiosorum (qui crebrius filii Prophetarum appellantur) incolebat. Horum pensum erat musicam exercere, prophetare, hymnos componere in laudem Dei, de quo ibidem erudiebantur.*

Hæc ex viro docto protuli, qui rem diligenter prosecutus est, ut liqueat, Hebræos Sacerdotes & Levitas eruditos in musicis fuisse; studia enim sua omnia conferebant ad Deum, ut solerter injunctis muneribus defungerentur. De isto colle Dei supra sermonem fecimus, ad quem Samuel dirigens viam Saulis, ajebat. *Post hæc venies ad collem Dei, ubi est statio Philistinorum: & cum ingressus fueris ibi urbem, obvium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tybiam, & citharam, ipsosque prophetantes.* Pro *de excelso*, in Paraphrasi Chaldaica est *e domo consessus*, nempe a schola, ubi sedebant Doctores. In secundo capite libri primi Paralipomenorum mentio fit gentis, quæ excoleret litteras, & musicam. §. *Cognationesque scribarum habitantium in Jabes, canentes atque resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore patris domus Rechab.* Enumerat scriptor hujus libri *cognationes*, sive familias scribarum משפחות סופרים scilicet eorum, qui excolerent litteras: qui erant doctrina imbuti; & ut liquet ex sequentibus, qui egregii erant Musici, quos Latinus Interpres dicit habitasse in urbe Jabes, *canentes atque resonantes, & in tabernaculis commorantes*. Græcus Interpres habuit verba fontis pro propriis nominibus, quasi fuerint viri, qui dicerentur Θαργαθιìμ, ϗ Σαμαγθιìμ, ϗ Σωχαθὶμ, *Targasthiim, & Samagthiim, & Sochatim*. Latinus Interpres, qui ea habuit pro appellativis, deducit תרעתים ex תרועה *clangor, sonus, vociferatio*. שמעתים ex שמעה *auditus, sermo*. Tertium nomen *sochathim* deduxit a סכות *tabernacula*. Scilicet viri qui non habitabant domos sed vitam agebant sub tentoriis. Duæ autem litteræ ש & ס. *schin* & *samec* facile permutantur: ita שוכתים positum pro סוכתים. Nomen illud *sochatim*, ut dixere Græci, vel *suchatim*, ut expressit Arias Montanus; de viro, qui habitaret in tabernaculo intelligendum esse ostendit, quod addit Scriptura. *Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore*, in fonte Hebræo חמת, quod idem ac *calor* sonat, *patris domus Rechab*. Notum est Rechabitas ex instituto paterno habitasse in tabernaculis; hi autem, ut colligitur ex hocce loco, musicam colebant. Cognati erant Moysis, ut adstruitur libro Judicum cap. 1. 17. Ita adjungi poterant Levitis, quibuscum licitum illis erat in templo canere. Dum igitur scriptor sacer recenseret familias Leviticas, non prætermisit Cinæos. Unde constare debet Hebræos non caruisse viris a quibus ordinata est musica templi.

Erant, ut vidimus, quatuor millia Cantorum, qui distributi sunt in viginti quatuor classes, quarum singulæ serviebant in templo a sabbato in sabbatum. Quæque Cantorum cognatio destinata decantandis his & illis psalmis, voce, vel propriis instrumentis a teneris annis edocta; ut non solum numero Cantorum, sed & peritia antecelleret templi musica. Magnus ejus fuit apparatus; nam Josephus Antiqu. lib. 7. cap. 3. narras quæ fuerint parata a Salomone supellectilia templi, ita scribit. *Stolas autem Sacerdotales e bysso fieri curavit, cum decies mille zonis purpureis, & tubarum quales Moyses perscripsit, ducenta millia. Instrumentorum præterea musicorum, quæ Naula & Cinyra vocantur*, in usum *hymnodiarum, ex electro confecit quadraginta millia*. In eo numero non comprehendit Josephus instrumentaque inflantur, ut tibias, fistulas, & quæ pulsantur, ut tympana, & cymbala. Quid autem erat illud ἠλέκτρον *electrum* ex quo conflata naula & cinyræ, id est, lyræ, citharæ? In Lexi-

cis

cis Græcis ἤλεκτρος, vel ἤλεκτρον juxta Plinium erat metallum factum ex mixtura auri & argenti. Ex hoc electro potuit Salomon conflare tubas & alia instrumenta, quæ tinniunt. Verum citharas, & lyras faciendas curavit ex lignis pretiosis, quæ ei adducta fuerant e regione Ophir, ut narratur in tertio Regum cap. 10. 11. *Sed & classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit de Ophir ligna thyina multa nimis & gemmas pretiosas.* 12. *Fecitque Rex de lignis thyinis fulcra domus Domini, & domus Regiæ, & citharas, & lyras Cantoribus. Non sunt allata hujuscemodi ligna thyina, neque visa usque in præsentem diem.* Ista ligna dicuntur in fonte in 3. Regum אלמגים *almughim*, & in Paralipomenis אלגמים *algumim*. Græci Interpretes appellant ligna πελεκητά, id est, quæ dolari & expoliri possunt, qualia sunt illa, quæ ex India ad nos deferuntur. Vulgatus dixit ligna thyina, Græce ξύλον θύϊνον quod numeratur in Apocalypsi cap. 18. 12. inter merces pretiosas. Ligna θύϊνα erant odorata, & ad suffimenta apta. Ex his lignis Indicis hodie ex parte aut conflantur, aut ornantur pleraque instrumenta musica.

Templi musicam apud omnes ad quos fama ejus pervenerat, in multo habitam pretio, ostendunt verba Psalmi 136. Babylonii postulabant a captivis Judæis, ut cantica sua coram eis canerent. 1. *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus: cum recordaremur Sion.* Cujus urbis memoriam & desiderium renovabant interrogationes Babyloniorum; ideo tristes sedebamus juxta Euphratem & Euphratis alveos.

2. *In salicibus in medio ejus: suspendimus organa nostra.* כנורותינו *Kinnorothenu* citharas nostras; quia has pulsare ob mœrorem non poteramus. Forsan illi erant Levitæ, ex numero Cantorum, qui hocce instrumento solebant uti. Coram viris profanis pulsare citharas nolebant; ideo suspenderant.

3. *Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum; & qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.*

Voluerunt audire Babylonii, a quibus Judæi captivi facti sunt, modum psallendi in nostris sacris; & urgebant, sed renuebamus. *Oblivioni detur dextra mea*, si umquam pulsem citharam, *adhæreat lingua mea faucibus meis*, si unquam canam coram profana gente. Decebat musica domum Dei; in qua omni ratione, qua fieri potest, Deus laudandus est. Id observatum est in omnibus templis circa aras; unde testudo, sive lyra dicitur *amica templis*. Horat. lib. 3. Ode 11. Videre est apud Ciceronem in Oratione 2. pro lege Agraria, hostias majores ad tibicinem immolatas. Hoc innuit Seneca Tragœdus in Troadibus.

> *Nunc omne læta fronde veletur caput,*
> *Sacrifica dulces tibia effundat modos,*
> *Et nivea magnas victima ante aras cadat.*

Sic Plautus Epid. Act. Sc. 3.

> *Mane me jussit senex*
> *Conducere aliquem sibi fidicinem huc domum*
> *Dum rem divinam faceret, cantaret sibi.*

Ratio aperta est; quam reddit Cicero in tertio de Oratore. *Nihil est autem*, inquit, *tam cognatum mentibus nostris, quam numeri atque voces: quibus & excitamur, & incendimur, & lenimur, & languescimus, & ad hilaritatem, & ad tristitiam sæpe deducimur: quorum illa summa vis carminibus est aptior & cantibus, non neglecta, ut mihi videtur, a Numa Rege doctissimo, majoribusque nostris, ut epularum solemnium fides & tibiæ, saliorumque versus indicant.*

Supponit Macrobius lib. 2. in Somnium Scipionis cap. 3. cœlos motu suo mirabilem cantus conficere harmoniam: quod *Theologi comprobantes*, inquit ille, *sonos musicos Sacrificiis adhibuerunt, qui apud alios lyra, vel cithara, apud nonnullos tibiis, aliisve musicis instrumentis fieri solebant.* Inde causam reddit Macrobius, cur tantam vim in animos haberet musica. *Nam ideo in hac vita omnis anima musicis sonis carpitur, ut non solum, qui sunt habitu cultiores, verum universæ quoque barbaræ nationes cantus, quibus ad ardorem virtutis animentur, vel ad mollitiem voluptatis resolvantur, exerceant, quia anima in corpus defert memoriam musicæ, cujus in cœlo fuit conscia.* Supponit animam ortum ducere e cœlo, quod incoluerit antequam detruderetur in terras. *Et ita delinimentis cantici occupatur, ut nullum sit tam immite, tam asperum pectus, quod non oblectamentorum talium teneatur affectu. Hinc æstimo & Orphæi vel Amphionis fabulam, quorum alter animalia ratione carentia, alter saxa quoque trahere cantibus referebatur, sumsisse principium: quia primi forte gentes vel sine rationis cultu barbaras, vel saxi instar nullo affectu mobiles, ad sensum voluptatis canendo traxerunt. Ita denique omnis habitus ani-*

mæ cantibus gubernatur, ut & ad bellum progressui, & item receptui canatur cantu, & excitante & rursus sedante virtutem. Dat somnos, admitque; nec non curas & immittit & retrahit, iram suggerit, clementiam suadet, corporum quoque morbis medetur.

Cognationem habent numeri cum affectibus corporeis, quibus sunt affines; nempe corporis motibus respondent incorporei in anima motus. Alius est sanguinis motus in iracundia, alius in gaudio; sic affectus possunt excitari aut renovari similibus motibus. Sonus placidior movet ad misericordiam, commotior ad iram. Pendet autem ex industria tum fidicinum, tum tibicinum sonos acutiores vel graviores edere. Gravior est sonus, puta in fidibus, cum nervorum pars longior pinsitur, & motus fit tardior: qui fieret celerior, si pars minor nervorum attingeretur. Igitur penes musicos est quos velint edere sonos, sive motus, cuique affectui concordes; sive fieri potest ut adjuncta instrumenta musica etiam recitandis sermonibus, metrorum lege solutis, congrua sint. In tertio de Oratore adstruit Cicero Gracchum, dum concionaretur, habuisse tibicinem peritum, qui staret occulte post ipsum, inflans tibiam, ut cantu illum aut excitaret, aut a contentione revocaret. Vocis cum instrumentis musicis conjunctio usitata fuit, ut versus ille Virgilianus indicat.

Tu calamos inflare leves: ego dicere versus.

Viri Prophetæ, a quibus verba Psalmorum contexta sunt, & rithmis vincta, adhibebant eam artem, ut Psalmi eorum audiri non possent, quin commoverent animum omnibus affectibus, quibus decebat tum ipsos Cantores, tum Israelitas singulos commoveri. Sic pro tempore, pro conditione, pro statu rerum, videlicet in afflictionibus, ubi Deus iratus erat, videretur musica templi lugere; in acceptis beneficiis, hilarescere, lætari: in enarratione operum Dei, attolli, & admirari. Hæc experiremur si, ut habemus verba Psalmorum, pariter teneremus numeros quibus illi tum pronuntiabantur; tum cantabantur.

Quanta vis erat tot Cantorum, tot instrumentorum, in eundem modum concinentium, sine illis musices hodiernis figuris, quæ quidem multum placent auribus, sed amittunt vim suam, ut cibi nimia arte conditi, proprium saporem? Antiqua musica simplicior simul & efficacior fuit. Non prætermittendum instrumenta musices templi conflata, in aliquem peculiarem modum, ut scilicet redderent sonum, aut tristem aut lætum. Hoc olim observabatur, quod narrat Pausanias in Beoticis de Pronomo tibicine. *Cum diversæ essent ob diversa modorum genera tibiæ, & non iisdem omnino Dorii, Lydii, Phrygii modi incinerentur, primus ejusmodi tibias excogitavit, quæ inflatæ modos omnes eædem redderent.*

SECTIO IX.

An soli Levitæ canerent in templo? His adjungebantur Rechabitæ. Quo in loco starent Cantores? Quo ordine, quibus temporibus sacra cantica decantarent.

NEc virgines, nec mulieres admissas inter Levitas ad cantandum vidimus: an cæteris Israelitis qui non erant de prosapia Cantorum liceret in templo cantare quæritur. Modo vidimus inter cantores familiam Rechabitarum esse numeratam, Moysis enim cum cognati essent, sic pertinebant ad Leviticam gentem; id autem non cæteris Israelitis concessum. Josephus lib. 20. Antiq. cap. 8. dicit sub Rege Agrippa concessum Levitis omnibus, qui in templo ministrabant, sacros hymnos discere procul dubio ut decantarent; nam lectio Psalmorum nulli prohibita erat. Interpres Latinus hanc in partem accepit verba Græca O' Βασιλεὺς μετὰ γνώμην τῶν εἰς τῶ συνέδριον ἐποιχοιμένων συνεχώρσε τοῖς ὑμνωδοῖς ἀποθεμένυς τὴν προτέραν ἐσθῆτα, φορεῖν λινὴν ὅιαν ἠθέλησαν. Μέρυς δὲ τινος τῆς φυλῆς λειτυργῦντος κατὰ τὸ ἱερὸν, καὶ τύτοις ἐπέτρψε τὺς ὕμνυς ἐκμαθεῖν ὡς παρεκάλυν. Πάντα δὲ ἦν ἐναντία ταῦτα τοῖς πατρίοις, ὧν παραβαθέντων, ὐκ ἐνῆν μὴ ὐχὶ δίκας ὑποσχεῖν.

Rex de Synedrii sententia permisit hymnorum Cantoribus, ut deposito priore habitu, lineum, ut voluerunt, sumerent. Aliam etiam ejusdem tribus partem, addictam templi ministeriis, ipsorum precibus motus permisit sacros hymnos canendos ediscere. Quæ omnia fiebant contra instituta legis patriæ, numquam absque piaculo violatæ. Si non omnibus Levitis, nedum laicis, sive cæteris Israelitis licitum erat canere in templo; ita non nisi viris peritis & exercitatis: quapropter omnia sine confusione fiebant. Attamen alia est Rabbinorum sententia. Maimonides in Kele hamikdasch caput 3. inter Cantores ponit primum Levitas, deinde Israelitas illustres, qui affinitate juncti erant cum Sacerdotibus; *Nemo enim*, inquit ille

ille Rabbinus, *in pluteum Cantorum ire poterat, nisi vir illustris*.

Sacerdotum proprium munus erat tubas inflare, ut in Numeris adstruitur caput 10. 8. *Filii autem Aaron Sacerdotes clangent tubis: eritque hoc legitimum sempiterum in generationibus vestris*. In Ecclesiastico, sive in Sapientia Sirach c. 47. inter laudes Davidis ponitur quod cantum ordinaverit, & elegerit Cantores, & statuerit suo loco 11. *Et stare fecit Cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos*. 12. *Et dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora usque ad consummationem vitæ, & laudarent nomen sanctum Domini, & amplificarent manu Dei sanctitatem*. Irrepsit in versionem Latinam nomen *vitæ*, quod abest a fonte, ἔδωκεν ἐν ταῖς ἑορταῖς εὐπρέπειαν, id est, curavit ut festis diebus omnia fierent decore, καὶ ἐκόσμησε καιροὺς μέχρι συντελείας. *Ordinavit tempora usque ad consummationem*. Intelligo sic eum ordinasse ministerium Cantorum ut singuli vicibus certis suo fungerentur munere, & unus post alium, sive una classis post alteram impleret ministerium, donec vices recurrerent. Ita consummatio συντέλεια, ibi est orbis omnium classium; in quas distributi Cantores, ut laudarent Deum ἐν τῷ αἰνεῖν αὐτοὺς τὸ ἅγιον ὄνομα αὐτοῦ. καὶ ἀπὸ πρωΐας ἠχεῖν τὸ ἁγίασμα; id est, mane laudibus efferrent nomen Sanctum Dei; non quod tantum mane canerent, sed quod mane inciperent canere.

Locum in quo canerent Levitæ juxta Thalmudicos indicavimus in descriptione Thalmudica templi. Erat juxta Regem, vel ad manum Regis, nempe ad portam orientalem atrii Sacerdotum. Ibi Thalmudistæ collocant suggestum & pluteos Cantorum. Congruebat iste locus; decebat enim proximos esse altari, ne viderentur alteri quam Deo canere. In 1. Paralipomenorum xxv. 2. dicit Asaph unum e principibus cantorum fuisse juxta Regem. In fonte *ad manum Regis*; quod convenit loco in quo statuimus Cantores juxta thronum Regis, qui erat coram altari erectus.

Jam innuimus certis familiis demandata certa musices instrumenta, in quibus ergo pulsandis a teneris unguiculis erant exercitati. Id colligitur ex c. 25. libri 1. Paralipomenorum 1. *Igitur David & magistratus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph, & Heman, & Idithun: qui prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis, secundum numerum suum dedicato sibi officio servientes*. Qui modos adhiberent propheticis carminibus convenientes.

2. *De filiis Asaph: Zacchur, & Joseph, & Nathania, & Asarela, filii Asaph: sub manu Asaph prophetantes juxta Regem*.

3. *Porro Idithun: filii Iditun, Godolias, Sori, Jeseias, & Hasabias, & Mathathias, sex sub manu patris sui Idithun, qui in cithara prophetabat super confitentes & laudantes Dominum*.

Hi (quæ clarior interpretatio videtur) cithara cantabant Psalmos, qui in Hebræo fonte ab his verbis incipiunt, הדו *hodu*, id est, *confitemini*; & *Halleluia*, id est, *laudate Deum*.

4. *Heman quoque: filii Heman, Bocciau, Mathanian, Oziel, Subuel, Jerimoth, Hananias, Hanani, Eliatha &c.*

5. *Omnes isti filii Heman Videntes Regis in sermonibus Dei, ut exaltaret cornu &c.*

Heman & ipse est Videns, sive Propheta Regis, nempe vir peritus musices; quem David adhibebat *in sermonibus Dei*; in rebus gestis Dei, ubi enarranda mirabilia facta ejus, & efferenda laudibus; *ut exaltarent cornu, Dei potentiam*, & regni Davidici robur. Tunc sonora magis, &, ut ita dicam, fortiori opus erat musice; unde vox tubis attollenda; quod dicitur 2. Paralip. cap. 5. ubi enarratur quam solemni pompa Salomon induxerit Arcam in templo.

12. *Tam Levitæ quam Cantores, id est, & qui sub Asaph erant, & qui sub Eman, & qui sub Idithun, filii & fratres eorum, vestiti byssinis, cymbalis, & psaleriis, & citharis concrepabant, stantes ad orientalem plagam altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis*:

Fons melius redditus esset: *Et Levitæ Cantores universi, & qui sub Asaph &c.* Agitur hic enim de Cantoribus, qui omnes erant Levitæ. Stabant illi in loco, quem eis modo assignavimus, coram altari, juxta thronum Regis ad portam orientalem atrii. Sacerdotes tubas inflabant, dum Cantores pulsabant citharas, nablia, cymbala.

13. *Igitur cunctis pariter & tubis, & voce, & cymbalis, & organis, & diversi generis musicorum concinentibus, & vocem in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur, ita ut cum Dominum laudare cœpissent, & dicere: Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus: impleretur domus Dei nube*.

Hisce verbis Maimonides in tractatu de apparatu templi, capite tertio sic explicat Cantorum munera. „ Jam singulis quidem diebus in suggesto non consistebant pauciores quam duodecim Levitæ, qui carmen ad rem divinam „ con-

„ concinerent, sed his sine fine poterant „ adjungi. Hi quidem carmen non ca„ nebant nisi voce: etenim præcipuus „ est in ministerio sancto vocum cantus; „ verum astabant ibidem alii, qui fidi„ bus canerent. Horum erant alii Le„ vitæ, alii genere clari Israelitæ, qui „ Sacerdotibus collocarent filias. Nam in „ suggestum ascendebat nemo, nisi claro „ genere natus. Jam qui fidibus cane„ bant, his non poterat duodecim illo„ rum voce canentium absolvi numerus. „ Pergit loqui Maimonides. Quibus igi„ tur fidibus utebantur? Nabliis, tibiis, „ citharis, tubis, & cymbalis. Nablia „ nec pauciora duobus, nec plura sex. „ Neque pauciores duabus, neque plures „ duodecim tibiæ: tubæ non pauciores „ duabus, nec plures quam centum & „ viginti: citharæ non pauciores quam „ novem; sed augebantur ad infini„ tum: cymbalum adhibebatur duntaxat „ unum. “

His omnibus parem fidem non habeo. Ligtfootius ex Thalmude dicit Cantores unumquemque Psalmorum divisisse in tres partes, inter quas faciebant pausas non breves. Tunc pariter cessabant voces & instrumenta, nempe nablia, citharæ, tibiæ; per hæc intervalla tubæ canebant. *In unaquaque pausa*, ut dicitur in Thalmude, *erat sonitus tubæ, & ad unumquemque sonitum prostratio*. Videlicet populus prosternebat se humi, Deum adorans. Tres autem tubæ sonitus distinguuntur a Judæis. Primum erat unius tenoris & longus; deinde fractus & tremulus; tum iterum longus & uniformis sonitus. Non admiscebatur tuba canticis dum cantarentur, nisi in dictis vociferationibus; ita non Levitæ uti solebant tuba, sed soli Sacerdotes. Tuba autem singulis diebus ter audiebatur, cum aperirentur atriorum portæ; novies in oblatione matutina, & novies in vespertina. Quibusdam vero diebus erant peculiares Psalmi & cantus, inter quos & audiebantur tubæ, ut diximus. Ligtfootius ex Thalmude & aliis libris Judæorum notat qui canerentur Psalmi unaquaque hebdomadis die: Maimonides quibus diebus tuba personaret, & canerent tibiæ. „ Cunctis „ diebus solemnibus, & calendis, ad rem „ divinam Sacerdotes tubis clangebant, „ & canebant Levitæ carmen, quod a „ Lege dicitur, Num. capite 10. v. 10. „ *Si quando habebitis epulum & dies fe-* „ *stos, & calendas, canetis tubis*. De „ tuba in libris Judæorum hæc observa„ re est. Omnino duodenis in anno die„ bus ad aram tibiis canebant: ad im„ molationem Paschatis primi, ad im„ molationem Paschatis secundi, ad pri„ mam feriam solemnitatis hebdomada„ rum, & per octo dies solemnes sceno„ pegiorum. Atque hæc quidem adhibe„ batur tibia contra legem de sabbato: „ pertinebat enim ad sacrificium; quic„ quid autem ad sacrificium pertinebat „ pro sacrificio ipso putabatur. Sacrificium autem de Sabbato legem elevat.“ Videntur Judæi tibiam pro profano instrumento habuisse, quia adhibebatur funeribus, & tibicines conducebantur, qui in illis canerent; ita inter operarios numerabantur.

SECTIO X.

A quibus autoribus compositi Psalmi, & qua occasione. A quibus Cantoribus decantati, quibusve instrumentis musices. Hæc omnia indicant tituli Psalmorum, sed hi tituli non sunt omnes certæ autoritatis.

Restat ut lucem aliquam afferamus titulis Psalmorum, neque enim nisi ipse qui sit vir Propheta, omnem ab illis caliginem removerit. Sanctus Augustinus eos habet pro parte codicis sacri, & credit dictatos a Spiritu Sancto, sic tamen de illis loquitur Psalmo 89. *Non ergo consonat Psalmus titulo suo; & aliud portat in fronte, aliud in voce. Imo nihil aliud, sed intellectores quærit*. Sanctus Doctor & alii omnes fatentur hos titulos esse obscurissimos. Distinguunt autem eos, qui leguntur in Bibliis Hebraicis, hos credunt a Spiritu sancto dictatos; alios non item. Alii alia sentiunt, sed inter omnes Orthodoxos convenit nulla Ecclesiastica lege vetitum disputare de hisce titulis, & de rebus quas continent. Indicant hi tituli, a quibus Psalmus scriptus sit, aut decantatus & quibuscum instrumentis, quæ scire non multum interest. *Quid mea refert*, inquit *Theodoretus*, *an omnes Davidis, an aliorum nonnulli sint, cum universos Spiritus sancti afflatu conscriptos fuisse compertum sit?* Hic dicere possumus quod Gregorius Magnus de libro Job. Sunt qui disputant an auctorem habeat ipsum Job, an alium. *Cum ergo rem cognoscimus*, ait Gregorius, *ejusque rei Spiritum sanctum autorem tenemus, qui scriptorem quærimus, quid aliud agimus: nisi legentes literas de calamo perscrutamur?* Constat, si non omnes, saltem plurimos Psalmos a Davide scriptos fuisse; unde huic totus Psalmorum liber tribuitur. Appellatur egregius Psaltes Israel in secundo Samuelis cap. 23. 2. Christus Dominus apud Mat-

Matthæum capite 22. allegans locum Pſalmi 109. facit hujus auctorem Davidem; cui & Act. 2. 25. tribuitur Pſalmus 15. ſed nullibi ita adſtruitur auctor omnium, ut alteri ſaltem aliquem tribuere non liceat. Sicut ergo præter Pſalmos Davidis, plura alia Cantica, puta Moyſis, & ſororis ejus Mariæ, Deboræ, Annæ, quæ Samuelis fuit mater, fuerant cantata temporibus hujuſce Regis; ſic poſt eum alia carmina, quæ diverſi auctores compoſuerant, fuere in librum Pſalmorum relata. Ex hoc numero cenſentur, qui ſunt ſine titulo, & velut ἀνώνυμοι. Sanctus Hilarius dicit librum Pſalmorum conſtare diverſis Prophetiis diverſorum auctorum & temporum, quas collegerunt qui res Regum geſtas mandaverunt litteris. D. Hieronymus ad Sophronium ſcribit Pſalmos omnes eorum auctorum eſſe, qui ponuntur in titulis, Davidis ſcilicet, Aſaph, & Idithun filiorum Core, Eman, Ezrahitæ, Moyſis, & Salomonis, & reliquorum quos Eſdras in primo volumine comprehendit. Moyſis nomine Pſalmus 89. Salomonis 71. inſcribitur. Plures Aſaph 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. Præfigitur nomen Idithun Pſalmis 38. 61. Idithun, ut innui, non diſtinguendus ab Ethan, cujus nomen præfert Pſalmus 88. Unus Pſalmus 87. inſcribitur nomen Eman; ex quo oſtendam prognatos, qui appellantur filii Core, quorum legitur nomen in titulo ſequentium Pſalmorum 41. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 83. 84. 86. 87. Horum autem Pſalmorum nec Aſaph, nec Idithun, nec Eman fuiſſe auctores, ſed præcentores putat Ambroſius; & adſtruit de Pſalmo 38. juxta Græcos, cujus titulus eſt, *in finem* ipſi Idithun canticum David. „ Hunc, inquit Ambroſius, Pſalmum David ſcripſit, & Idithun viro diſciplinis Leviticis & Sacerdotalibus erudito canendum dedit; qui ante Arcam Domini Pſalmorum ſeriem pangendi ſolertiſſimus præcinebat. Ergo quia non Iditun ſcripſit hunc Pſalmum, ſed Propheta David & Idithun viro canendi perito pſallendum dedit: ideo ſic inſcriptus eſt titulus. “

Tres fuiſſe Cantorum principes conſtat, nempe Aſaph, Idithun, & Heman, quorum filii diviſi ſunt in viginti quatuor claſſes. Sæpius mentio fit Ethan, ſed, ut dixi, Idithun, & Ethan idem Cantor eſt. In capite 15. primi Paralipomenorum 17. *Conſtitueruntque Levitas Heman filium Joel, & de fratribus ejus, Aſaph filium Barachiæ: de filiis vero Merari, fratribus eorum Ethan filium Caſaiæ.* Et poſtea 19. *Porro Cantores Heman, Aſaph, & Ethan in cymbalis æneis concrepantes.* Ibi non nominatur Idithun inter principes Cantorum, ſed nec Ethan alio in loco. Nominantur, inquam, Aſaph, Heman, & Idithun. Præterea tres familiæ Leviticæ, Meraritarum, Gerſonitarum, Caathitarum habuere unaquæque ſuum Cantorum principem. Caathitæ habuerunt Heman, Gerſonitæ Aſaph, Meraritæ Ethan. Quod ergo oſtendit Ethanem non eſſe diſtinguendum ab Idithun, quæ duo nomina non diverſa ſunt, nam ידיתון *Idithun*, poſitum videtur pro יד איתן *jad Ethan*, id eſt, *manus Ethan* ſæpius occurrit illa locutio *per manus Aſaph*; unde ex *Jad Ethan* factum eſt Idithun.

In titulis plurium Pſalmorum occurrit nomen *filiorum Core*. Filios Core puto poni pro Hemanitis, ſive filiis Heman, qui in primo Paralipomenorum cap. 6. 38. numerantur inter poſteros Core, quem cum terra aperto ore ſuo devoraſſet: *factum eſt grande miraculum ut Core pereunte, filii ejus non perirent*. Numer. cap. 26. 11. Illi autem videntur evaſiſſe in muſicos præſtantiſſimos; dicitur enim in 2. Paralipomenorum cap. 20. 19. *Porro Levitæ de filiis Caath, & de filiis Core, laudabant Dominum Deum Iſrael voce magna, in excelſum.* Intelligo hos Levitas, qui erant ex familia Caath, & ex filii Core; ut ex Caathitis qui electi ſunt in Cantores, ducerent ortum ex filiis Core. Amat Scriptura in memoriam revocare celebria facinora, ſive mala, ſive bona fuerint; ita Cantores, quorum princeps fuit Heman, ſæpius appellat filios Core.

Hæc dicere poſſumus de Pſalmorum auctoribus, quos eorum tituli præferunt. Præter nomina autem auctorum & Cantorum, ſpeciem cantionis tituli Pſalmorum interdum indicant. Gatakerus Anglus peritiſſimus obſervat in *Cinno ſuo* cap. 10. generatim hymnos alios alta voce, alios ad organa muſica decantari ſolitos fuiſſe. Illos appellari שירים *ſchirim* ᾠδὰς ἄσματα, *cantica*, cantilenas, hos vero מזמורים *mizmorim*, ψαλμὺς Pſalmos, quales ſunt plurimi. Paulus ſcribens ad Coloſſenſes, diſtinguit cap. 3. 16. Νυθετῦντες ἑαυτὺς, ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς. *Commonentes voſmetipſos pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus.* Odæ vero, voce canebantur; Pſalmi inſtrumentis. Deinde cenſet Gatakerus ex Pſalmis decantatos alios vocibus prælatis; ita nempe ut in ſingulis verſiculis decantandis voces præirent, organa ſequerentur; unde שיר מזמור *ſchir mizmor*, quaſi di-

dicas *odæ pſalmi*, ut legitur in Pſalmis 29. 66. 67. 68. 75. 87. Alii organis prælatis cantabantur; ut hæc præirent, voces ſequerentur, ut מזמור שיר *mizmor ſchir*. Præit vox Pſalmi, ut in Pſalmo 47. Inde quidam hymni apud Græcos Poetas dicebantur in cithara regnantes; nempe quando primum pulſabatur cithara, deinde cantilenæ cantabantur.

Priuſquam ultra progrediar, paulisper morabor circa vocem למנצח *lamenatzeach*, quæ ſæpius Pſalmis præſcribitur. Aquila & Theodotion verterunt *τῷ νικοποιῷ ei qui victoriam præbet*; quaſi fuerint hymni *εὐχαριςικοὶ*, ſive in gratiarum actionem. Apud Simmachum eſt *ἐπινίκιος ᾠδὴ*, quæ canitur ob partam victoriam, canticum triumphale. Sed argumentum Pſalmorum, in quibus dicta vox occurrit, hanc interpretationem refellit. Verbum נצח *natzach* ſonat quidem idem ac *vicit*, *ſuperavit*, *præfuit*, *urſit*, unde participium מנצח *menatzeach*, *victor*, *præfectus*, reddi poteſt. Ille ſcilicet qui muſicam curaret, regeret, magiſter eſſet ſimphoniæ, ſive excellentiſſimus muſicus. In 1. Paralip. cap. 23. 4. & in 2. Paralip. cap. 2. 18. מנצחים *menatzechim* apud LXX. Interpretes *ἐργοδιῶκται*, qui opus urgebant, operi inſtabant, curabant, ut diligenter fieret. In capite ſexto Danielis verbum illud in hac ſignificatione uſurpatur. Quia autem נצח *netzech* ſignificat *æternitatem*, quaſi omnia vincentem, idcirco LXX. ſolent *lamenatzeach* reddere *εἰς τέλος in finem*; quaſi Pſalmi, qui habent hunc titulum, eſſent perpetuo canendi, ſive eſſent carmen perpetuum. Dicta vox præmittitur multis Pſalmis, quibus & nomen Davidis præponitur, qui non fuit præcentor, ſive præfectus ſymphoniæ. Non liquet quæ harum diverſarum interpretationum magis probanda ſit. Jam innui, Aſaph, Heman, & Ethan, ſive Idithun non ſolum ceciniſſe, ſed & forſan adinveniſſe modos muſicos, quos aptaverat hymnis David; aut his ille hymnos ſuos. Sed modi quidam potuere eſſe difficiliores; qui ergo non canerentur niſi a viro muſico, qui vinceret cæteros peritia, aut a magiſtro ſymphoniæ. Pſalmis & præfigitur hæc vox משכיל *maſechil*, id eſt, *intelligens prudens*; ut illi Pſalmi habendi ſint pro carmine erudiente, pro Ode didaſcalias. LXX. interpretantur *συνέσεως intellectus*. Nomen ergo illud admonet, Pſalmum plenum eſſe eruditione, doctrina inſigni & utili; vel non cantari potuiſſe niſi a peritioribus Muſicis. Sunt qui volunt *maſechil* eſſe nomen inſtrumenti, ſed ſine fundamento.

Quandoque titulis Pſalmorum deſignatur, quibus decantarentur inſtrumentis. Ita in quarto Pſalmo למנצח בנגינות מזמור לדוד *lamenatzeach bineghinoth mizmor le David*. Illud *neghinoth* indicat inſtrumenta, quæ manu, vel bacillis, aut plectro pulſabantur; a verbo נגן, quod idem eſt ac *pulſare*. Alia conſtabant ex tribus chordis, quæ dicebantur שלישים *ſcheliſchim*, trichorda: alia ex ſex, ideo dicta ששנים *ſoſannim*, id eſt, hexachorda, ex שש ſex: alia octo chorda שמינית *ſcheminith*. שמנה idem ſonat ac octo, שמיני octavus, inde שמינית *ſcheminith*. Has voces ſenes Græci quandoque interpretantur. In Pſalmo 45. *lamenatzeach* על ששנים *al ſoſannim*, id eſt, ſuper *ſoſannim*, ſive ſuper hexachordum, vertunt *ὑπὲ τῶν ἀλλοιωθησομένων*, pro his qui commutabuntur. Scilicet legerunt ששנים a שנה *mutari*, *variari*. Reipſa lilia dicuntur ab Hebræis *ſoſannim*, propter ſex folia, quibus conſtant flores eorum; Pſalmum ſic inſcriptum volunt, quia decantabatur, cum florerent lilia, & omnia læta eſſent; ut ſit amabile carmen. In fonte additur titulo שיר ידידות *ſchir Jedidoth*, id eſt, *canticum amorum*. Simmachus *ἆσμα εἰς τὸν ἀγαπητόν*. Totum titulum ſic verterat Interpres, *Triumphus pro floribus filiorum Core intelligentia*. Dici poteſt canticum in dilectum. Certe nuptiale carmen eſt, hicce Pſalmus juxta Hebræos 45. juxta Græcos 44. Veriſimile autem eſt *ſoſannim* non accipiendum pro liliis, aut alio quocunque flore, ſed pro hexachordo; ſicut in Pſalmo 49. Pariter de inſtrumento muſico interpretor titulum Pſalmi 6. על שמינית *al ſcheminith*, id eſt, ſuper octachordo. Verum quia LXX. Græci vertunt *ὑπὲρ τῆς ὀγδόης ſuper octava*, ſunt qui velint non indicari inſtrumentum, in quo eſſent intentæ octo chordæ; ſed tonum, qui a Muſicis appellatur *diapaſon*; octavum vocis diſcrimen dici poteſt, ut vidimus ſupra. Nomen Hebræum שמינית deducunt a שמן *oleum*, ſive quod pingue eſt; ita ut tonus ille ſic dicatur, quia pinguis eſt, ſive *ſubmiſſus*, ut dicitur. Paraphraſtes vero Chaldæus habet *ſcheminith* pro inſtrumento octo fidium. Non diffitear in titulis Pſalmorum indicatum tonum, qui conveniebat eorum argumento, gravis, vel acutus. In hunc ſenſum plerique accipiunt nomen עלמות *alamoth*, quod legere eſt in titulo Pſalmi 46. qui dicitur cantandus על עלמות *al alamoth*. Interpretes, prout illud derivant ab hac & illa origine, diverſimode reddunt. Græci *ὑπὲρ τῶν κρυφίων*, id eſt, *pro abſconditis*, ſive in Vulgata Verſione eſt, *pro*

pro arcanis. Nempe derivant a עלם *alam*, quod est, *latitavit*, *absconditum*, *occultum fuit*. Nomen autem illud accersi potest ex עלמה *alma*, *adolescentula*, *virgo*, & tunc indicare tonum acutæ vocis, quem virgines commode exprimunt, ut est Musicorum tonus superior & altus. Ita ut על עלמות *al alamoth* canendus Psalmus dicatur altiori & acutiori voce. Quidam volunt hunc titulum denotare vel instrumentum musicum, vel initium cujusdam vulgaris cantici. Sed decet magis interpretari de tono; sicut & על מות לבן *al muth laben*, quod habet titulus Psalmi 9. Illud autem על מות non mihi videtur esse nomen aliud, quam עלמות *almoth*, quod modo exposui. Sunt eædem litteræ. Insuper conjicio לבן *laben* positum per transpositionem litterarum pro נבל *nebel*, quod est instrumentum musicum, ut vidimus; ita ut *al-muth-laben*, sive *alamoth nebel* sit instrumentum musicum, quo virgines uterentur; vel cujus sonus imitaretur acutas virginum voces. Conjecturam confirmat quod legitur in primo Paralipomenorum cap. 15. 20. ubi recensentur Cantores, qui canerent בנבלים על עלמות *in nablim al alamoth*. In nabliis super *alamoth*. Ibi Vulgatus Interpres habet *in nabliis arcana cantabant*. Scilicet sequitur interpretationem Græcorum nominis *alamoth*. Constare debet ex hoc loco Paralipomenorum *al muth laben* non aliquid aliud esse quam *alamoth nebel*. Aliter tamen interpretatur Paraphrastes Chaldæus, juxta quem titulus Psalmi 9. ita intelligendus. *Ad canendum super mortem viri*, *qui exierat de inter castra canticum David*. In primo Samuelis cap. 17. 4. Goliat appellatur איש הבנין, id est, *vir intermedius*, nempe qui se interponens inter duo castra duello pugnam esset transacturus. In Vulgata versione dicitur *vir spurius*. Alii volunt esse canticum quod cecinerit David in morte Nabal, cujus nominis consonantes sunt in לבן *laben*. Alii in morte filii; quasi על מות בן. Ita Simmachus. Græci vero derivantes *almuth* ab *alam*, quod est *latuit*, vertunt ὑπὲρ τῶν κρυφίων τȣ̃ υἱȣ̃, *pro* occultis filii, ut habet Vulgatus. Theodotio ὑπὲρ ἀκμῆς quasi committendus fuerit ille Psalmus magistro symphoniæ acutæ; ita ut hi tituli Psalmorum designent rationem modulationis eorum: tonum aut acutum *alamoth*, nempe voces virgineas; vel שמינית *scheminith*, pinguem tonum, seu gravem; vel ad medianum, sive ut mos est loquendi *contra tenorem*. Sic Gataker. interpretatur *al muth laben*; quasi vox virginea sit, sed inter media, quia בין sonat idem quod medium.

Nomen שגיון *sigaion* apponebatur Psalmis, qui erratici dici poterant, & multiplici decantabantur cantu. Quidam enim Psalmi erant certis instrumentis decantandi, ut diximus, qualis quintus Psalmus, cujus est titulus אל הנחילות *el hanechiloth*. Ibi אל *el* ponitur pro על *al* quod est *super*. Græci interpretantur cum Vulgato *pro hæreditate* a נחלה *nachala*, id est, *possessio*, *hæreditas*. Paraphrastes Chaldæus interpretatur *ad canendum per choros*, id est, ut fit in choris, quia vocem quam legebat, deducebat a חליל *tibia*, *fistula*; unde *machol* chorus. Nempe Psalmus ille in choris tibia canendis erat; quod & dici potest de titulo Psalmi 52. In fonte אל מחלת *al machalath*. Græci LXX. ὑπὲρ μαέλεθ: Latinus pro *maeleth*. Paraphrastes *ob retributionem impiorum blasphemantium nomen Domini*. Scilicet vocem Hebræam deduxit a חלל *profanare*. Theodotio interpretatus est ὑπὲρ τῆς χορείας Simmachus διὰ χορȣ̃ *per chorum*, sicut & B. Hieronymus. מחול *machol* est chorus, & חליל tibia. Ut nullus sit dubitandi locus, quin dictus titulus admoneat huncce Psalmum cani debuisse tibia in choris.

Psalmus octavus notatur canendus אל הגתית *al hagithith*. Paraphrastes interpretatur citharam, quam David attulerat de Geth. LXX. deducunt a גתת *torcular*, ideo reddunt ὑπὲρ τῶν ληνῶν *pro torcularibus*. Puta quia Psalmus ille canebatur tempore vindemiæ. Alii volunt *Githith* esse nomen instrumenti: alii initium cantilenæ. In Psalmo 16. vox מכתם *michtam*, quæ legitur in titulo Hebræo Psalmi obscura est. Alii volunt esse instrumentum musicum, alii tonum, alii initium cantilenæ. Paraphrasti Chaldæo, & LXX. est Στηλογραφία *inscriptio*. Videntur legisse מכתב pro הכתם a כתב *scripsit*. Sed & כתם *Kethem* significat aurum purissimum, quasi dicatur aureum carmen. Existimo Psalmum 21. decantatum fuisse tempore matutino. Habet hunc titulum על האילת השחר *al ajeleth haschachar*. Paraphrastes Chaldæus: *super potenti oblatione perpetua auroræ*. Græci LXX. ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς, *pro susceptione matutina*. Sola difficultas est in voce האילת. Hebræis אילה vel אילת est *cerva*; unde illi solent reddere, *auxilium*, *super cervam auroræ*. Sed & אילות *fortitudo*, *virtus* redditur. Sentiunt alii esse initium cujuspiam cantilenæ.

Dies, quibus Psalmi decantarentur, tituli eorum forsan ostendebant. Ita Psalmi 29. titulus שיר ה חנכת *schir ha chanuchat*, id est dedicationis domus David.

Ψαλ-

Ψαλμὸς ᾠδῆς τοῦ ἐγκαινισμοῦ τοῦ οἴκου τοῦ Δαβὶδ: *In dedicatione domus David*. Græci Pſalmum 30. appellant ἐκστάσεως *pro extaſi*. Si titulus ille conveniat Pſalmo, forſan compoſitus eſt cum fugeret David, & exiret ex urbe.

Prætermittam titulos, qui continent hiſtorias notas; qualis eſt titulus Pſalmi 56. ſatis apertus, niſi quod in fonte mentio fit in titulo *columbæ mutæ*, quæ in remotis eſt. Videlicet David inter Philiſtæos ſe putabat ſimilem columbæ, quæ a propriis laribus remota eſt. Nonnullis Pſalmis præſcribitur, *ne diſperdas*, ſive *non corrumpas*. Si non initium carminis eſt, potuit eſſe monitum datum Cantoribus, aut genus precationis. Titulus Pſalmi 69. mihi videtur indicare eum decantandum, dum Sacerdotes incenſum ponerent in templo. In fonte eſt להזכיר quod verbum eſt a LXX. & Latino Interprete redditum *in rememorationem*. Verbum זכר ſonat quidem *recordari*, & הזכיר *recordari fecit*; ſed & *inſenſum poſuit*. Hunc ſenſum ſequitur Paraphraſtes Chaldæus ponens, *ad laudandum per manum Davidis, ad recordandum uſum thuris*. Veriſimile eſt totum hocce tempus quo fiebat incenſum, non tranſactum ſine precibus & cantu. In Pſalmo 81. mentio fit *Synagogæ*. Neſcio an illum canerent *Cantores*, dum in ſynedrio judicaretur; Paraphraſtes hunc inſcripſit titulum: *ad laudandum pro ſedentibus judicibus ordinariis, qui incumbunt teſtimonio legis*. Ibi nominatur סנהדרין *Sanhedrin*.

Gatakerus cenſet non ſolum modulationis rationem deſignatam quoad tonum, ſed & quoad ordinem canendi per vices, quo referendum eſt illud Pſalmi 87. לענות *leanoth*, id eſt, *ad reſpondendum*; quod verbum uſurpatur hocce ſenſu in Exodo *cap*. 15. 21. ubi legere eſt mulieres cum tympanis, & choris ſecutas Mariam, ſororem Moyſis, quæ ותען *& reſpondit &c.* Scilicet Pſalmus ille erat ἀμοιβαῖος carmen *amoibæum*, quaſi dialogus. Pſalmus 91. canendus erat die ſabbati. Pſamus 97. excitabat muſicos ut nova carmina, vel novos modos adinvenirent. Pſalmi 120. uſque ad 135. inſcribunt *graduum*, quod, ut volunt Judæi, cantarentur in quindecim gradus, quibus, ut diximus in deſcriptione Thalmudica templi, ex atrio mulierum aſcendebatur ad portam orientalem, ubi Cantorum pulpita, & totidem gradus numerabantur; ſic autem Pſalmos inſcriptos a Davide, quia prævidebat in his gradibus decantandos. Alii ſentiunt hos Pſalmos Graduales appellari, qui recitabantur ab his qui aſcendebant gradus templi, qui plurimi erant. At mihi viderentur ſic inſcripti Pſalmi, quia voce magna & ſublata in ſublime canendi erant, מעלה eſt aſcenſus excellentia. David præcipiebat in primo Paralipomenorum *cap*. 15. 16. Cantoribus ut vocem attollerent: *ut reſonaret in excelſis ſonitus lætitiæ*.



JOH.



JO: JACOBI SCHUDT
DE
CANTRICIBUS TEMPLI.

Nimis confidenter affirmatur, votum cælibatus inter fœminas V. T. plane fuisse incognitum; quid si nos provocemus ad claram & perspicuam textus literam, scilicet verba ista Und ward eine Gewohnheit in Israel/ quæ in versione ad vers. 40. referuntur, & cum his conjunguntur: Daß die Töchter Israel jährlich hingehen zu klagen die Tochter Jephta/ ec. non pertinent ad conventum filiarum Israel, sed ad vers. 39. ut in Hebræo manifestum, nam a conventu puellarum per accentum Sylluk, qui imperator maximus est, cum Soph Pasuk separantur, ut vers. 40. plane aliud quid, quod ad vers. 39. non pertinet, recitetur, sic enim habet textus vers. 39. *& fecit illi votum suum quod voverat; ut ipsa non cognosceret virum*, ותהי־חק בישרק *fuitque* (hoc, ut filiæ a se ipsis *Matth.* XIX. 22. vel a parentibus, *conf.* 1. *Cor.* VII. 37. devotæ virum non cognoscerent, ab hoc tempore) *statutum* (mos, consuetudo) *in Israel*. vero ne quidem per ו cohæret cum vers. 39. Baumannus Exercit. de V. J. §. XIX. recitata hac opinione fundamentum accentuationis non observavit, nec quicquam, quod reponeret, solidi habuit, simpliciter dicens, *alios melius edoctos verba ista ad vers. 40. referre*; Sed unde alii melius edoceantur, nobis non constat, accentuatio nos edocet, versum 39. a versu 40. plane distinctum esse; ut sensus sit: ex hoc tempore invaluit mos in Israel, ut aliorum quoque filiæ Deo hoc exemplo consecrarentur; observavit hoc quoque Lundius vom offentl. Gottes-dienst der A. H. Cap. 36. pag. 686. s. referens enim exemplum concubinarum seclusarum a Davide 2. *Sam.* XX. 3. subjicit, idem & Jephtæ filiæ factum; und diß meynen etliche/ werde klärlich gnug angedeutet/ wenn die Schrifft (nach der Grund-sprache) alsorede Judic. 11. 39. und ihr Datter that ihr/ wie er gelobt hatte/ (was denn? das folget iko) und sie hat keinen Mann erkannt/ und diss war gebräuchlich in Israel. Hie mache der Accentus Soph pasuc einen Punct/ und schliesse die vorhergehende Rede/ dass also die Erfüllung dess Gelübds gewesen/ dass sie keinen Mann erkannt/ sondern sich allein dem HERRN gewidmet (denn wie Paulus sagt: 1. Cor. 7. 32. Wer ledig ist/ der sorget was dem HERRN angehöret/ wie er dem HERRN gefalle zc.)

und diß sey in Israel gebräuchlich gewesen / (sich also dem HErrn zu heiligen und zu geloben.) Conf. & Dieteric. Ant. V. T. f. 335. b. sic sane Clariss. Heinsius Exercit. Sacr. in N. T. *lib.* 16. *cap.* 7. ad *Heb.* XI. 32. f. 576. seq. *quæ autem*, inquit, *proxime sequuntur*, *illa nempe*, & in consuetudinem in Israel fuit, *haud sine causa ambigua videntur. Quæ ad sequentia nonnulli referunt: illa nempe*: Annuatim ibant filiæ Israel, ut alloquerentur filiam Jephte, *cum potius fuisse morem dicat*, *ut*, *ex voto consecratæ Deo*, *hoc exemplo*, *aliorum quoque fuerint filiæ*. Unde initium hujus moris ad Jephtæ tempora refert Perkinsius Tom. 1. Oper. lib. 2. Cas. Consc. cap. 15. col. 1535. *consuetudo virginitatem vovendi*, *illis quidem diebus cœpit*; contradicit quidem huic D. Georg. König Cent. 2. Vindic. Sacr. Disp. 1. Loc. 4. §. 7. *Ad Perkinsum dico*, *ipsius assertionem fundamento destitui*, *& propriæ autoritati inniti. Quis*, *quæso*, *præter ipsum*, *vel ex Scripturis*, *vel alio indubio autore sufficienter probaverit*, *ætate Jephtæ tale vitæ genus extitisse*? addit, nec ipsos Romano-Catholicos ab illo tempore votorum suorum originem derivare. Sed pro Perkinsio resp. (α.) assertionem ejus robur accipere ex voce חק non ad sequentia in vers. 40. a quibus per accentum Sylluk distinguitur, sed ad antecedentia in vers. 39. relata: (β) cœpit illa ætate hoc vitæ genus, quod ante illa tempora Juædis ignotum, voto autem temerario & instituto ipsius Jephtæ introductum; *more Gentilium*, *& etiam Hebræorum*, *fœminas habebant*, *ministrantes aliquo modo cultui distino absque maritis*, *& virgines*, *vel etiam viduas*, *quemadmodum in lege legimus*, *& evangelio*, *qualem permansisse filiam Jephte*, *non est inconveniens dicere*, Conr. Pellicanus Tom. 2. Oper. Comment. in Jud. f. 44. b.

Objicitur nullum ex voto servati inter Judæos cælibatus exemplum ex Scriptura Sacra posse produci, sic König l. c. aliique. *Resp.* Votum continentiæ seu virginitatis servandæ, vel saltem abstinentiam a rebus venereis, vel ad tempus, vel per totam vitam, Judæis ignotam plane non fuisse, exempla Jeremiæ, Danielis, Johannis Baptistæ, Johannis Evangelistæ, & S. Pauli docent, qui ἄγαμοι *cælibes* vixerunt, David quoque ad Abimelechum dicit, sibi sociisque mulieres triduo fuisse prohibitas 1. *Sam.* 21. 5. & quacunque de causa a virorum & hominum aliorum consortio mulieres quandoque fuisse remotas, exemplum decem concubinarum Davidis inclusarum docet 2. *Samuel.* XX. 3. quod non absurde aut ridicule, ut Pfeiffero Exercit. Philol. de V. J. §. 11. pag. m. 164. videtur, Grotius ad h. l. urget, non enim disparitas causæ quicquam obstat, cum id tantum evincere velimus, Judæis ejusmodi cælibatum, vel perpetuum vel πρόσκαιρον ignotum aut plane inusitatum non fuisse; accedit Hannæ viduæ exemplum *Luc.* 11. 36. 37. quam virginem mansisse sunt qui putant, non obstante quod *vidua* dicatur, solebant enim Hebræi filias suas nondum nubiles despondere, quæ vel in domo patris vel sponsi ad ætatem viro maturam manebant, moriente vero ante ætatem sponsæ nubilem sponso, relicta sponsa virgo, *vidua* dicebatur, Maimon. de Conjug. *cap.* XI. §. 1. (idem Turcarum Imperatores observare in filiabus suis despondendis nudum nubilibus) *Ad has Virgines*, *quæ ductæ erant & vivebant cum maritis in Virginitate sua*, *antequam ad annos nubiles pervenissent*, *referunt Philologi Hannam*, *de qua luculenter asseritur*, *quod juxta Virginitatem vixerit.* Dassovius Dissertat. de Vidua Hebræa Thes. XI. n. 4. Paulus quoque jam sua ætate ejusmodi propositum aut votum cælibatus, cæteris paribus, non incognitum aut inusitatum fuisse, innuit 1. *Cor.* VII. 37. *Cæterum qui stat firmus in corde*, *non habens necessitatem*, *sed potestatem habet propriæ voluntatis*, ϗ τοῦτο κέκρικεν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ *& hoc* Decretavit *in corde suo*, *servet suam virginem*, *bene facit*. Et cum Judæi (ut adhuc hodie) verba פרו ורבו *crescite & multiplicamini Gen.* 1. 28. præceptum affirmativum esse contenderent, quod omnes, simul ac ad matrimonium per ætatem apti essent, ad illud ineundum obligaret, vid. Hist. nostra Jud. lib. 3. cap. 9. p. 467. his se opponit Paulus l. c. vers. 6. se non ex Dei præcepto de matrimonio necessario contrahendo hic agere, *determinat ergo Apostolus contra Scholas Judaicas*, *non obligari hominem ex lege ad matrimonium*, *sed sui juris in hac re esse*, *ut contrahat vel non*, *prout se experiretur continentem vel secus. Dixerunt illi*, *præceptum est*, *ut unusquisque uxorem ducat; at dicit ille*, *præceptum non habeo*. Lightfoot. Hor. Talmud. in 1. Cor. VII. 6. p. 189. unde idem Apostolus l. c. vers. 25. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo*, i. e. Deus in verbo suo de virginitate vel servanda vel non servanda nihil præcepit, sed cujusvis arbitrio hoc reliquit liberum, meum tamen consilium ego do, propter præsentem necessitatem bonum esse ἄγαμον & in cælibatu vivere, Conf. & vers. 36. 37. quo etiam pertinent *Eunuchi*, *qui se ipsos castrarunt propter regnum cœlorum*, Matt. XIX. 12. tales nempe, qui, cum donum Dei

Dei habeant caste vivendi in cælibatu, illo vel ex voto vel sponte utuntur, ut rebus divinis melius vacare possint; Luther. in Glossa exponit willige Keuschheit; tales autem inter Judæos jam Christi ætate fuisse, ex l.c. liquet, loquitur enim Servator, non in futuro, tales imposterum sub N. T. fore, sed in præterit. οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτὲς, *qui castrarunt se-ipsos*; in V. T. Jeremias & Daniel, in N. T. Joh. Baptista, Johannes Evangelista & Paulus Apostolus ἄγαμοι vixerunt.

Objic. Ex nullo probato Judæorum Scriptore ejusmodi vota virginitatis & cælibatus exempla posse confirmari; sic König l. c. aliique: præsertim Josephi, Judæorum historici silentium urgetur; sed R. (א) Rabbinorum hodiernorum plerique suas ignorant antiquitates, atque hac in controversia in partes scinduntur, R. Sal. Jarchi Jephtæ filiam vult immolatam; contra R. Joseph & Rab. David. Kimchi, pater & filius, Rab. Levi Ben Gersom, R. Salomo Ben Melech, aliique eam virginitatem servasse ex voto statuunt; quid quod R. Azarias in Libro *Imre Binah* cap. 60. (citante Josepho de Voisin Observat. in Proem. Pugionis Fidei Raym. Martini f. m. 185. b.) scribat חמצא לירידיה האלכסנררי אשר אמרנו הםצאו קודם חרבן שני כי בפרק המתואר מחוי ההתבודדות בזכרו איך היו אז בין היהודים כתורת של אישים ונשים אשר נפרדו מתאות העולם לעבודת האלקים ולבקשת החכמה בכלל סדרי האחים והאחיות הנמצאים ביום בין הנצרים: *Reperies apud Jedidæum Alexandrinum, quem diximus extitisse ante excidium Templi Secundi, in Capite, quod inscribitur:* de Vita Solitaria, *ipsum describere, quomodo fuerint tunc inter Judæos cœtus virorum & mulierum, sese a concupiscentiis mundi separantium, ad colendum Deum, & ad investigandam sapientiam, quales adhuc hodie sunt ordines fratrum sororumque inter Christianos*. Et fuisse inter Judæos, (saltem sub Templo Secundo extitisse) fœminas, quæ a reliquo hominum cœtu segregatæ, vitam pietatis & legis studio unice deditam agebant, exemplum Hannæ docet Luc. II. 36. 37. cujus generis plures fuisse, textus indicat, dicens, Hannam locutam fuisse ad omnes expectantes redemtionem Hierosolymis vers. 38. Virgines & viduas quam plurimas ex arbitrio & voto Pharisaismum amplexas, docet Lightfoot. Hor. Talmud. ad Matt. III. 7. p. 229. 231. De Essæis seu Essenis, (quos Judæos fuisse dubium non est, Josepho lib. 2. de B. J. cap. 7. (in Græc. est cap. 12.) de ipsis dicente, Ἰουδαῖοι μὲν γένος ὄντες, *genere sunt judæi*) certum est, ipsos ἀγάμες in cælibatu vixisse, Josephus inter κυρίας δόξας *præcipuas doctrinas* ipsis l. c. γάμε ὑπεροψίαν *matrimonii contemtum* tribuit; paucos Essæos circa matrimonium a reliquis dissensisse ibidem observans, unde Kipping. Exerc. 19. de Script. S. §. 4. p. 134. *Librum Sapientiæ* ab Esseno conscriptum esse, conjicit, quia vilius de Conjugio videtur loqui Sap. 3. 13. cap. 4. 1. ב. Quod ad Josephi silentium attinet, illud nos parum movet, cum aliqua quoque notiora & vel maxime memorabilia ille omiserit; equidem quod *Jobi* non meminerit, excusari posse videtur cum Frid. Spanhemio in Historia Jobi cap. 1. §. XI. p. 25. *Josephi porro in Antiquitatum Libris silentium haud mirum videri debet. Siquidem rerum ille modo Judaicarum originem; progressum, seriem, resve cum iis omnino connexas, complexus fuerit, secundum Mosaicæ Historiæ consecutionem*. Et p. 26. *Jobi autem nostri historia, ut privata, ut in extranea gente, sic nihil quicquam cum Judæorum rebus habet connexionis*. Et p. 27. *Sed accessit silentii alia ac verissima ratio, quod videlicet nescius Josephus in tanta sive dissensione sive obscuritate, ad quæ tempora commodum referret, aut cum Mosis narratione connecteret*. Verum quid de rebus Judæorum, ab ipso neglectis, dicendum? de lacu Bethesda, miraculose morbum quecunque primum post commotionem ab Angelo factam ingressi sanante Joh. V. 1. ff. ne literula in ipso occurrit; adventum Magorum, quo tota Hierosolyma commota legitur Matth. II. 1. 2. 3. alto prætermisit silentio, & cum Herodis Ascalonitæ res fusissime persequatur, rem omnium notatu dignissimam, infanticidium Bethlehemiticum Matth. II. 16. ff. non commemorat, cujus tamen homo gentilis Macrobius l. 2. Saturnal. cap. 4. meminit, vid. Histor. nostr. Jud. lib. 1. cap. 22. pag. 243. seq. unde merit Spanhemius l. c. p. 27. *Et si in Josephi*, inquit, *silentio tantum sit momenti, jam infanticidium Bethlehemiticum, Piscinæ Hierosolymitanæ miracula, atque alia Scripturarum, obelis signanda fuerint*.

Objic. Rem esse inauditam & pene ridiculam, Moniales V.T. statuere; R. 1. nos neutiquam Moniales V. T. introducere, de quibus Baronius aliique ex Pontificiis multa configunt, præsertim quod in cellulis circa Templum habitaverint, inter quas Hanna Luc. 2. vixerit, ac beata virgo Maria educata fuerit; quæ figmenta ex nostratibus tamen placuerunt Dieterico Antiquit. V. T. f. 202. a scri-

benti: *Mulieribus hisce post ædificatum Templum certa sedes juxta illud est attributa, & inter has vixisse probabile est Annam Prophetissam* Luc. II. 36. & *virgines illas, quæ dicuntur* occlusæ 2. Mach. III. 19. *inter quas educata fuit Maria;* nec non Friedlibio in Theolog. Exeget. ad Exod. f. 180. a *pias mulieres* (Exod. 38.) *quæ frequenter conveniebant ad templum Dei oraturæ, postea ædificato templo certam sedem juxta illud accepisse, interque eas vixisse Annam Luc.* 2. & *virgines, quæ conclusæ dicuntur* 2. Mach. III. *nec non inter eas educatam Beatam Virginem Mariam*. Quæ videntur ex Cornelio a Lapid. comment. in I. Sam. II. 22. f. 230. b. desumta, qui scribit: *Erant enim hæ fœminæ piæ*, (Exod. 38. & I. Sam. 2.) *quæ se Deo, ad ei in tabernaculo serviendum, dicarant, inter quas educata fuit Beata Virgo, uti sunt nostræ moniales, de quibus dixi* Exod. XXXVIII. Verum nihil solidi in comment. ad Exod. XXXVIII. fol. 633. a. affert Cornelius a Lap. Sed dubie & timide, cœtum religiosum fœminarum devotarum illius temporis peculiari loco circa tabernaculum, & postea Templum habitasse, ait, tanquam typum & quasi umbram Religiosarum pontificiarum, quæ merito ab his originem & antiquitatem suam arcessere possint. Hæc & hujus generis similia nos non admittimus, ut qui Moniales ejusmodi pontificias V.T. dudum explosas & ex cellulis istis circa Templum ejectas novimus a Casaubono Exercit. I. ad Apparatum Annal. Baron. C. 21. ff. p. 83. ff. Conf. & Chamier T. 3. Panstrat. Cathol. lib. 20. cap. 14. fol. 388. ff. Wagenseil Sota cap. 3. Mischnæ pag. 431. Pfeiff. Dub. Vex. Cent. 2. Loc. 5. p. m. 253. seq. neque αἱ κατάκλειστοι τῶν παρθένων *virgines inclusæ* 2. Mach. 3. 19. moniales aut personæ Deo sacræ fuere, de quibus textus ille non loquitur, sed filiæ seu virgines Israeliticæ, non religionis causa aut ex voto, sed honestatis gratia & ex more Orientalium (ut & Græcorum, vid. Cornel. Nep. in præfat. circa fin.) solicite filias a virorum conspectu custodientium, inclusæ; unde Phocytides in Carmine Admonitor. vers. 198. seq. Patrem adhortatur:

> Παρθενικὴν δὲ φύλασσε πολυκλείστοις θαλάμοισι,
> Μηδέ μιν ἄχρι γάμων πρὸ δόμων ὀφθῆναι ἐάσῃς.
> *Virginem vero custodi bene clausis ædibus,*
> *Neque ipsam usque ad Nuptias ante ædes conspici sinas.*

Dicitur enim Hebræis *virgo* עלמה ab עלם *latuit*, quasi occulta & κατάκλειστος *inclusa*, vid. Trifol. nostrum p. 422. seq. & hac denominatione vocis κατάκλειστος, Autor libri hujus *expressit vim vocis Hebrææ* עלמות, *apparet id ex tertio Maccabaico, ubi additur* ἐν θαλάμοις, observante Grotio in Comment. ad 2. Mach. III. 19. hunc locum egregie quoque contra Baronium vindicavit Casaub. l. c. cap. 23. p. 87. seq. & Dieteric. Antiqu. V. T. fol. 763. Resp. porro 2. ex iis, quæ Casaubonus l. c. Baronio opponit, tantum sequi (α) fœminas ejusmodi pias Deoque devotas non in Templo aut cellulis circa Templum habitasse. (β) Eas non habuisse sodalitates, aut catervatim in uno aliquo loco conjunctim habitasse, ut in monasteriis pontificiorum moniales solent, seu, non fuisse integra collegia fœminarum, ex voto conjunctim habitantium & Deo servientium; quod utrumque lubentes largimur; fuisse vero multas virgines & viduas, a reliquo cœtu hominum separatas & vitam solitariam, quæ viduas decet I. Tim. V. 5. agentes, Deoque servientes, exemplum Hannæ & sociarum ejus Luc. II. 37. 38. dubitare non sinit, sub primo templo aut sub tabernaculo rariora, non quotidiana, ejusmodi filiarum fuisse exempla non inficiabimur; rem vero totam negare, esset nodum non solvere sed secare; nec Casaubonus evictum dedit, nulla plane cælibatus vota sub V. T. fuisse usitata. Resp. 3. fabulam nugacium Græculorum procul dubio esse, quod traditur de Beata Virgine Maria, matrem ipsius diu sterilem votum Deo nuncupasse, infantem, ex se nasciturum, Deo sacrum ac devotum fore, filiam itaque Mariam enixam esse, quam triennio exacto ad Sacerdotes in templum duxerit, ubi educata in Templo, vel ut alii tradunt, in Sancto Sanctorum; quis non videt ex historia Hannæ & Samuelis I. Sam. I. & II. cap. hæc conficta esse? Gregorius tamen Nyssenus Sermon. in Natal. Domini T. 3. Oper. (edit. Paris. a. 1638.) f. 346. seq. *historiam incerti autoris & apochrypham* appellat, quam *non penitus absurdam* putat; fabulam ex Christophoro de Castro in compendium redactam his refert Dan. Chamier lib. 20. Panstr. Cathol. cap. 14. §. 26. fol. 388. a „Parentes Joachimum „& Annam, longo tempore steriles, tandem multis precibus ac votis hanc obtinuisse natam, Deo consecrasse, anno „ætatis tertio in templum deduxisse, „intra ejus septa educandam in loco „virginibus custodiendis assignato, ab „iis fœminis separatam, quæ divino cul-

„tui

„ tui facroque minifterio dedicatæ, ex „ templi reditibus alebantur. Eo loci, „ non tantum Angelorum ufam allo- „ quio, fed & cibo divinitus comparato „ interdum fuftentatam, maxime cum „ prope aram in adytis, fecretiori in „ Templo loco, virginibus ad orandum „ conftituto, confideret. In eo ftatu cum „ exegiffet annos novem, parentibus amif- „ fis, liberam virginitatem fuam omnium „ primam voviffe. Nubilem & formo- „ fam inter Sacerdotes verfari cum effet „ indecorum, viro tradere vifum eft. „ Sed ea profitente votum, confultum „ oraculum: Refponfum relatum, con- „ gregatis omnibus ex familia Davidis, „ forte fponfum eligendum, qui tamen „ ne attingere quidem auderet, fed cu- „ ftodis tantum ac patroni munere fun- „ geretur, forte Jofephum deprehenfum.„ Alii alias addunt figmenro circumftantias; Fontem fabulæ detegit Chemnit. part. 3. Exam. Conc. Trid. cap. 9. f. m. 483. b. *Quia Maria*, inquit, *Luc.* I. *non in præterito, fed in præfenti loquitur*, virum non cognofco. *Fingunt igitur Mariam habuiffe propofitum, & feciffe folemne votum fervandæ perpetuæ virginitatis. Et mox addunt rhetoricas-amplificationes. Deum in fanctiffima Deipara virgine, votum perpetui cælibatus in novo Teftamento voluiffe dedicare. Sumta autem hæc funt ex Apocryphis traditionibus. Extat enim Protoevangelium Jacobi, ubi narratur, Mariam anno ætatis tertio, accenfis lampadibus, per puellas folenniter ductam fuiffe in templum, ac juxta votum confecratam, in fancto fanctorum ipfam de manu Angeli cibum accepiffe. Anno vero ætatis* 12. *Angelum apparuiffe Pontifici & juffiffe, ut alicui ex maritis viduis traderetur in cuftodiam, virgo fervanda. Hæ apocryphæ fabulæ, fpeciofo titulo traditionum, fæpe etiam Patribus impofuerunt. &c.* Quod Gregorio Nyffeno accidit l. c. Solide refutarunt fabulam hanc Cafaubonus Exer. I. ad Appar. Annal. Baronii cap. 21. pag. 83. feq. Chamier l. c. fol. 388. ff. noftras tamen obfervationes quoque adjiciemus, (א) Gregorius Nyffenus rem incerto tribuit autori, adeoque dubiam cenfet; & fi quam ei fidem habuit, fpeciofo traditionum titulo deceptus eft. (ב) Mirum effet, Evangeliftas, præfertim Lucam, rem tam memorabilem, circa B. virginem, plane filentio prætermififfe. (ג) Sterilitas parentum B. Virginis fupponitur, non probatur. (ד) quod fi B. Virgo a reliquis in Templo fœminis, Deo confecratis, feparata, quis, quæfo, eam educavit? quis virtutes & alia huic fexui convenientia eam docuit? an viris puellæ educatio demandata? ἄτοπον! (ה) Ex templi reditibus fœminas fuiffe fuftentatas, Judæorum antiquitates ignorant. (ו) Alii Pontificii virgines & devotas Deo fœminas in cellulis circa Templum collocant, hic vero B. Virgo in ipfo Templo, circa altare, quin in Sancto Sanctorum vixiffe dicitur, craffo & crudo figmento, cum ne viris quidem, præter Sacerdotes & Levitas, nedum fœminis, ad altare accedere licuerit, fœminæ enim in atrio mulierum facra fua faciebant; ne quid dicam de hodiernis Judæis, qui nonnifi uxores fuas & viduas, nec nifi cancellis a viris femotas, admittunt in Synagogam, virgines plane ab illa arcent, qui mos ex antiquo Judæorum inftituto fluere videtur. (ז) Si Maria virginitatem feu cælibatum vovit, cur viro defponfata legitur? (ח) nam fatis ridiculum eft, quod juffu Dei Jofepho defponfata dicitur, cuftodi tantum pudicitiæ, non marito; Scriptura contrarium indicat, Jofephum voluiffe defponfatam fuam clam deferere, cum gravidam ipfam fentiret Matth. I. 18. 19. & cur viro, nec potius matronæ provectæ ætatis cuftodia pudicitiæ demandata? aut fi viro, cur non Sacerdotibus in Templo? fed figmento opus erat, quo Jofephi cum Maria ineundum matrimonium Matth. I. 18. Luc. I. 27. cap. II. 5. eluderetur. (ט) Nubilem & formofam virginem inter Sacerdotes in Templo verfari, indecorum pronuntiatur, & tamen integri fœminarum & virginum cœtus in Templo vixiffe traduntur. (י) Quodnam aut quale Oraculum confultum? Propheta nullus in promtu; Urim & Thummim defecerat. (כ) Omnes ex familia David congregati dicuntur, qui tamen fub paupertate & vili conditione t. t. plerique latebant, perfecutionem ab Herode M. paffi. Porro (ל) abfurdiffimum eft fingere, B. Virginem in ipfo Sancto Sanctorum degiffe, quo nemini tamen, nifi foli Sacerdoti fummo, femel in anno, die expiationis, ingredi fas & licitum erat Levit. XVI. 2. ff. (מ) Si Angelorum colloquio in Templo toties gavifa B. Virgo, cur Angeli apparitionem & falutationem, tanquam rem infuetam, fantopere admiratur? Luc. I. 29. (נ) Denique quam facilis fuerit Gregorius Nyff. ad talia apocrypha credenda, in eodem Sermone f. 345. docet fabula, quam de Zacharia Sacerdote tradit, quod partum Mariæ illæfa virginitate & abfque cohabitatione maritali factum propugnans, a Judæis ad ipfum altare facrificans occifus fuerit. ℞. 4. Clara proftare loca Scripturæ V. T. quibus evincitur,

tur, jam Moſis tempore in deſertis, & poſtea Samuelis ætate, pias fœminas cultui rebuſque divinis, abjecta ſeculi cura, unice vacaſſe; ſic Exod. XXXVIII. 8. dicitur: *fecitque labrum æreum & baſin ejus æream*, במראת הצבאת אשר צבאו פתח אהל מועד *in* (ex) *ſpeculis militantium* (turmatim convenientium ſcilicet mulierum) *quæ militabant* (conveniebant) *ad oſtium tabernaculi*, LXX. ἐκ τῶν κατόπτρων τῶν νηστευσασῶν, αἳ ἐνήστευσαν παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου; ipſos pro צבאות legiſſe דאחין צמאות *fœminæ quæ venerant ad orandum*. LXX. *jejunaſſe* illas dicunt, utrumque conjungendum, exemplo Hannæ, quæ νηστείαις καὶ δεήσεσι λατρεύουσα *jejuniis & orationibus ſervientibus* dicitur Luc. II. v. 37. Produnt quamplurimi ex Chriſtianis & Judæis cum Aben-Eſra in h. l. ac Lyra in h. in Iſraele fuiſſe mulieres pias ac Deo devotas, quæ agnita mundi vanitate concupiſcentiis carnis renunciantes, ſpecula, quibus ad ſeſe ornandum uſi fuerant, Deo ejuſque cultui obtulerint, ut quæ non ſpecula amplius ſed ſacra Templi in deliciis haberent, vid. Cartwrigt in Exod. p. 450. ſſ. alter locus parallelus eſt 1. Sam. 2. 22. *& quod* (filii Eli) *cubarent* את־־הנשים הצבאות *cum mulieribus miniſtrantibus* (alii: turmatim convenientibus) *ad oſtium tabernaculi*; Hugo Grotius ad Exod. 38. *hæ mulieres abdicata cultus ſui cura inſtrumenta ſua in ſacros uſus adferebant*, ſic & Witſius lib. 2. Miſcell. Sacr. Diſſert. 1. §. 17. p. 406. ſeq. ac plerique celeberrimorum Philologorum, quos vide T. 1. Biblior. Critic. ad Exod. 38. col. 703. ſſ. ſimile exemplum de mulieribus Crotonæ in Italia refert Juſtinus lib. 20. cap. 4. ubi *Pythagoras conſecutus diſputationum aſſiduitate erat, ut matronæ auratas veſtes, ceteraque dignitatis ſuæ ornamenta, velut inſtrumenta luxuriæ deponerent, eaque omnia delata in Junonis ædem ipſi Deæ conſecrarent, præferentes, vera ornamenta matronarum pudicitiam, non veſtes eſſe*; pari ratione Philo lib. 3. de vita Moſ. fol. m. 673. ſeq. de piis his Iſrael. fœminis tradit: κάτοπτρα γάρ, οἷς εἰς εὐμορφίαν εἰώθασι διακοσμεῖσθαι, μηδενὸς προστάξαντος, αὐτοκελεύστῳ προθυμίᾳ σωφροσύνης καὶ τῆς περὶ γάμον ἁγνείας, καὶ τί γὰρ ἢ ψυχικοῦ γάλλους, ἀπαρχὴν πρεπωδεστάτην ἀπήρξαντο, *ſpecula enim, ad quæ formam curare ſolitæ fuerant, ſponte, nemine jubente, Deo dicaverant, ceu primitias conjugalis pudicitiæ, pulchritudiniſque animæ decentiſſimas*. Specula mulieribus ænea olim fuiſſe uſitata, Aben-Ezra ad h. l. probat, quin ex auro, argento, ære, ſtanno, omnibuſque metallis ſpecula olim facta fuiſſe, docet Dougtæus Analect. Sacr. Excurſ. 44. pag. 76. ſeq. unde ſpecula proprie dicta hic intelligi, contra ſecus ſentientes, præclare demonſtrat M. Gottfried Thymus in Exercitat. de *Labro Æneo* (Cygneæ a. 1675. in 4.) cap. 6. §. 5. ſſ. p. 84. ſſ. Sunt qui putant, *labrum illud non conflatum eſſe ex ſpeculis totum, ſed ea circumcirca ipſi fuiſſe inſerta & intexta, elegantiæ & ſplendoris gratia, uti calices aurei intexuntur adamantibus*, Calov. Bibl. Illuſtr. ad h. l. f. 462. Varenius in Exod. ad h. l. p. 430. conjicit, annon במראות הצבאות reddi queat: *ſpeculis magno numero congregatis, quæ coacervaverant ante tentorium conventus*; cui Pfeiffer Dub. Vex. Cent. 2. Loc. 5. p. 254. opponit emphaſin verbi צבא ſignificantis, *congregare* vel *ſiſtere ſe*, atque de perſonis uſurpatur, ut 1. Sam. 2. 22. Ab omnibus aliis vero recedit Frantzius de Interpret. Script. S. P. 1. p. m. 32. *De Ex. 38. in Hebræis fontibus omnino aliud dicitur, videlicet*: Fecit concham & baſin ejus æneam, ut in ea ſe contueri poſſent, *ſcilicet Levitæ, non vero e ſpeculis mulierum, quæ conveniebant ad oſtium tabernaculi, quia nec ad oſtium erat ſingularis conventus mulierum, & in textu vocabulum mulierum plane abeſt*. Sed Glaſſius Phil. S. L. 4. Tr. 1. Obſer. V. p. m. 861. hanc Frantzii ſententiam refellit; "Verum, *inquit*, rationes hæ non „ videntur ſatis firmiter concludere. Omnino enim ad oſtium tabernaculi, conventus piarum & religioſarum mulierum in populo Iſraelitico erat, & expreſſa ejus fit mentio 1. Sam. 2. 22. ubi eadem phraſis eſt, quæ h. l. extat, & nomen נשים *mulierum* additur. Etſi vero in textu vox *mulierum* non habetur, habetur tamen particip. fœminum הצבאות *turmatim convenientium*, quod ſubſtantivum, *mulierum*, includit. Quod autem allatam concernit expoſitionem, *fuiſſe concham & baſin ejus æneam, ut in ea ſe contueri poſſent Levitæ*: ſubſiſtere ea non poteſt, *tum*, quod Levitarum in textu nec ῥητῶς, nec per διάνοιαν h. l. fit mentio, (per הצבאות vero ii intelligi non poſſunt, ob genus, quod fœmin. eſt) *tum* quod contuitione hac ſuiipſorum haudquaquam fuit opus." Sed quicquid ſit de ſpeculis vel labro iſto æneo, id ex utroque loco fluit Exod. XXXVIII. 8. & 1. Sam. II. 22. fuiſſe virgines, viduas ac mulieres pias, quæ rebus & meditationibus divinis, nec non miniſterio Templi ſe conſecrarunt; Dn. Daſſovius in Diſſertat. de Vidua Hebræa (Wittenb. a. 1699.) Theſ. 8. ſentit, 1. Sam. 2. 22.

filios

filios Eli *consuevisse cum fœminis*, *quæ ante ostium tabernaculi commorabantur*, *id est cum novellis puerperis*, *quæ ante ostium tabernaculi exspectabant tempus*, *quo offerre sua sacrificia turturum columbarumque possent*; *MINISTRARE* vero *de cultu Deo sacrificiis exhibendo* exponit.

Hac ratione statui, mulieres ministeriis circa tabernaculum ac templum functas, quod constanter tamen Hebræi negent; urget hoc Pfeiffer Dub. Vex. Cent. 2. Loc. 5. p. 253. Sed (α) verbum צבא quod in utroque loco citato adhibetur, non in sensu *turmatim*, ut milites solent, *conveniendi*, sed in sensu *ministrandi* est positum, prout de eodem tabernaculo usurpatur Num. IV. 23. כל--הבא לצבא צבא לעבד עבדה באהל מועד *omnis qui venit ad militandum militiam*, (ubi non potest significare *turmatim convenire*, quia הבא est *veniens*) quid vero hoc sit, *militare militiam*, statim ἐξηγητικῶς subjicitur, *ad ministrandum ministerium in tabernaculo conventus*, ad quam phrasin Paulus respiciens, id reddit, ἵνα στρατεύῃ ἐν αὐταῖς καλὴν στρατείαν 1. Tim. 1. 18. Unde & Lutherus utrumque locum reddidit, die dieneten für der Thür ꝛc. Schmidius in Job. cap. VII. 1. p. 288. reddit: *mulieres ministrantes*; (β) non necessario statuendo ipsas publico officio, a Magistratu ipsis demandato, aut eodem, quo Sacerdotes, ministerio functas, quod Vulgata Versio velle videtur, reddens: *quæ excubebant in ostio tabernaculi*, sufficit, quod vel voto, vel pio proposito se ipsas destinaverint cultui divino pro viribus suis promovendo, unde Lucas Osiander 1. Sam. II. 22. ita παραφράζει p. 287. *quæ ideo huc se contulerant*, *viduæ*, *ut Deo servirent*: *orantes & crebro jejunantes*: *ac præterea*, *si qua possent*, *cultum Dei & ministerium juvarent*; sic & Lutherus Exod. XXXVIII. 8. exponit: das waren Wittwen/ die nach ihrer Männer Tod/ sich begaben zum Dienst deß Stifts/ T. 8. Jenens. fol. 216. b. scilicet vasa purgando, nendo aut texendo, ut olim in desertis Num. IV. 23. quod & idololatricæ Israelit. mulieres (procul dubio cultum Dei veri æmulantes) fecisse leguntur 2. Reg. XXIII. 7. ut Friedlibius quoque in Theolog. Exeget. in 1. Sam. II. quæst. 10. f. 358. a censet, *fuisse virgines aut viduas*, *quæ in tabernaculo operabantur*, *vestes sacras texentes*, *abluentes*, *sarcientes*, *& cætera facientes*, *quæ muliebrem industriam requirunt*, *ut olim in desertis factum* Exod. XXXV. 25. 26. (γ) Vulgo quidem statui, nulla mulieres ministeria obiisse in Tabernaculo & Templo, unde Frantzius de Interpr. Script. S. Orac. 15. p. m. 218. *Nam alioquin mulieres nulla officia in Templo Domini habuerunt*, *id quod nec ex* Exod. XXXVIII. 8. *colligi potest*, *utut alii laborent*; Sed res tam liquida non est, quam censetur, nam Nehem. VII. 67. & Esræ 26. *cantrices*, tanquam personæ Ecclesiasticæ describuntur, quicquid alii, hypothesi faventes, regerant; nihil plane solidi opponit Pfeifferus in Dub. Vex. Cent. 2. Loc. 5. p. 253. tantum dicit: *Cantrices*, *non necessario erant personæ Ecclesiasticæ*, *R. Lipmanno sunt cantorum uxores*; quæ opinio & Lundio placet im offentl. Gottesdienst der Alten Hebr. cap. 54. p. m. 1053. sed Dn. Wagenseilio in Mantissa ad Sotam p. 1119. R. Lipmanni sententia non satisfacit, *cantrices* dici cantorum uxores, quod nec nobis placet, (א) quia Scriptura S. ab officio viri nunquam uxores denominat. (ב) Si hoc voluisset Scriptura indicare, dixisset: *cantores* ונשיהם *& uxores illorum*, (ג) h. l. homines non simpliciter numerantur, quod vers. 66. factum, sed per officia distinguuntur vers. 67. totique populo opponuntur, refertur enim, quot servos & ancillas, quotve cantores ac cantrices populus, vers. 66. nominatus, habuerit nec apparet, qui de toto cœtu Israel dici possit ולהם *& ipsis* erant *cantores & cantrices*, Luth. und hatten Sänger und Sängerin/ si per *cantrices* non fœminæ officio publico functæ, sed cantorum tantum conjuges, indicentur; de talibus enim dicendum fuisset, quod *maritis* suis, *non* quod *cœtui* Israel *fuerint*; nec solida potest reddi ulla ratio, cur h. l. *Cantorum* uxores exprimantur; quid quod expresse *cantrices* cum *cantoribus threnos* dixisse seu *cecinisse* dicantur in luctu publico ob Josiæ Regis mortem, 2. Chron. 35. 25. unde & has *cantrices* cum cantoribus ab Israele adhibitas להלל ליי *ad laudandum Dominum* affirmat Rab. Aben-Esra ad Esr. 2. 65. Et R. Sal Jarchi ad h. l. scribit de Israelitis לפי שהיו עולים בשמחה מבבל לארץ ישראל היו צריכים למשוררים ומשוררות: *quia ascenderunt cum gaudio Babylone in terram Israel*, *opus erat cantoribus & cantricibus*, ut per illos summum gaudium indicarent; Choro musico, laudes Dei canenti, interfuisse & *Virgines*, manifestum est Psalm. LXVIII. vers. 25. 26. (ד) fœminas quoque arti musicæ inter Hebræos operam dedisse Syr. IX. vers. 4. ex Scriptura Sacr. liquet, est enim mulieribus, cumprimis virginibus, virum nondum passis, vox gracilior ac subtilior, quæ graviori & asperiori virorum voci mixta multo suaviorem ac jucundiorem facit Symphoniam; unde & David

vid mensæ regiæ delectationis gratia adhibuit *cantores & cantrices* 2. Sam. XIX. 35. ut & Salomo Eccles. II. 8. unde & Mirjam Exod. XV. 20. 21. virgines cum filia Jephtæ Judic. XI. 34. & mulieres Israel Sauli & Davidi victoriam gratulantes 1. Sam. XVIII. vers. 6. 7. instrumenta musica adhibuisse ac ἐπινίκια cantasse leguntur. (ה) Quapropter Dn. Wagens. l. c. *non nimis absurdum* judicat, *si quis asserat, in atrio mulierum mulieres quasdam voce & fidibus Dei laudes quandoque in Templo decantasse. Nihil enim in ea re vitii, & præiverat suo exemplo Mirjam* Exod. XV. 20. 21. (ו) addimus, virgines ad laudes Dei decantandas æque admoneri ac viros Psalm. 148. 12. 13. (ז) Si quis excipere velit, omnium Israelitarum fuisse, Deo in Templo servire; id quidem generaliter verum, specialiter tamen Sacerdotes, Levitæ, cantores & cantrices Deo ministrant in Templo, prout Samuel ex tribu Levi jam ministerio Dei erat destinatus, quem tamen mater peculiariter Domino ejusque ministerio devovit ac consecravit.

SPECIMEN EX

AUGUSTO PFEIFFERO

De Monialibus, Vet. Test. *Exod.* XXXVIII. 8.

ויעש אש הכיור נחשת ואת כנו נחשת במראת הצבאות אשר צבצו פתח אהל מוער:

Et fecit labrum æneum & scapum ejus æneum e speculis mulierum turmatim convenientium ad portam tentorii conventus.

QU. *Cur fœminæ dicantur* צובאורת *& quales fuerint?* Sentent. Var.

I. V V. *Excubabant*, ita & Schindlerus *in Lex.* unde nonnulli ansam captant hinc accersendi Moniales, Vestales sive fœminas voto religioso obstrictas, quæ in cellis juxta templum habitantes nunquam inde recesserint, quas inter deinde & beata virgo educata sit. Corn. a Lap. has fœminas, ait, typum gessisse monialium nostri temporis. Sed conf. hic Casaubonus *Exerc. 1. contra Baron. c.* 23.

II. LXX. vertunt νηστευσάντων *jejunantium*, quos Capellus *in Crit. Sacra* frustra conjicit legisse צמורת.

III. Chald. *Quæ veniebant ad orandum*, sed nec de jejunio, nec de oratione in textu extat vocabulum. Addiderunt illud & hic & illi, ut sua opinione sensum commodius exprimerent.

IV. Recentiores nonnulli volunt צבא proprie inferre *servitium* sive *ministerium*, voluntque has mulieres fuisse *ministras*, ut צובאורת quodammodo accedat ad nostrum Zofen. Conf. Dn. D. Seb. Schmidius *in Job. p. 286. seq.* At vero mulieres ministeria ulla circa tabernaculum vel templum obiisse negant Hebræi. Neque enim locus 2. *Reg.* XXIII. 7. huc quicquam facit. Agit enim non de legitimis ministeriis, sed abominationibus nefandis. Et *Cantrices Neh.* VII. 67. non necessario erant personæ Ecclesiasticæ. R. Lipmanno sunt cantorum uxores *n.* 340. *p.* 189. Conf. Lightfootus *Hor. Hebr. in Luc. p.* 738. *edit. Carpz.* Cl. Dn. Wagenseil *in Sota p.* 431. & 1119. Quod si vero alias ancillas intelligi velis, quæ forte præstolatæ sint Dominas suas, mirum, qui factum, ut illæ & non ditiores vel Dominæ ipsæ specula sua contulisse dicantur.

DECISIO.

Mulieres צובאורת *dicuntur, quod turmatim sive instar exercitus magno numero confluerent juxta tabernaculum.*

PROBATIO.

I. EX *famosa vocis significatione*. Certe צבא *turmam* sive *exercitum* notat, & צבא *turmatim convenire* & quasi *obsidere*, us *Zach.* XIV. 12. A qua ut hic loci discedamus, nulla cogit necessitas.

II. Sic optime sibi constat textus: Mulieres ipsæ pio zelo viris non cessuræ, confertim atque certatim advenientes, & tabernaculum quasi obsidentes, etiam specula sua (quæ ænea erant, de qualibus conf. Meursius *Exerc. Crit. lib.* 2. & Joh. Doughteius *Anal. p.* 123.) contulere ad labrum. Conjecturæ a D. Varenio additæ *p.* 430. annon scil. במראורת הצבאורת reddi queat: *speculis magno numero congregatis, quæ coarcevaverant ante tentorium conventus*, obstat emphasis verbi צבא, quod significat *aggregare* sive *sistere se*, & usurpatur de personis uti 1. *Sam.* II. 22. Conf. Aben Melec *in Michlal Jophi h. l.* Cajetanus *h. l.* Casaubonus *Exercit.* 1. *contra Baron. l. c.* Buxtorfius *in Anticrit. P.* 2. *c.* 8. *p.* 637. Sixt. Amama *Antib. Bibl. pag.* 367. ex nostris D. Dannhawer *præf. Colleg. Decal.* D. Calovius *h. l.* & *Crit. p. m.* 415. &c.

JO:



JO: HENRICI BOCRISII
DE
MUSICA PRÆESERCITAMENTO HEBRÆORUM,
Quibus ad Sapientiam diviniorem ſe præparabant.

I. PLerosque fere Gentilium Philoſophos ſua habuiſſe præexercitamenta, quibus ſe ad ſapientiam facilius conſequendam præparare ſolebant, non eſt cur quiſpiam neget, cum monumenta *Hiſtoriæ Philoſophicæ* id ſatis teſtentur. Has exercitationes Græci vocabant *ἀσκήσεις βασάνους*, *ἀγῶνας*, quibus diſcipulos ſuos ad ſapientiam quaſi manu ducebant. Licet igitur nec *Stoicis* aliiſque Græcorum, aliarumque Gentium Philoſophis talia media deeſſent, quæ *Marc. Aurelius Antonius* eleganter *ἑλληνικὴν ἀγωγὴν* vocat, (*De ſe ipſo ad ſe ipſum lib.* 1. §. 6. *add. Gatakerus comment. in h.l.*) attamen *Pythagoras* reliquis ſectis omnibus palmam præripiebat, cujus diſciplina pulcherrimis conſtabat præexercitamentis, uti hæc omnia peculiari diſſertatione prolixe adduxit Dn. D. *Buddeus. de ἀσκήσει Philoſophica*, *quæ extat Analect. hiſtor. Philoſop. pag.* 409. *conf. Speneri Diſſ. hiſt. de Temperamenti* §. XII. *ſeqq.* Hinc & de *Hebræis* idem facile probatu erit.

II. Apud veteres quidem *Hebræos*, ceu populum Dei maxime dilectum, vigebat donum vaticinandi, & ſtudium excellentiori altiorique quadam ratione divina puro animo tractandi conſiderandique, utpote in quibus ipſis etiam potior pars *Sapientiæ* conſiſtebat cum *eruditionis*, quæ multum a *Sapientia* differt (*Dn. D. Buddeus Theol. moral. cap.* 1. *ſect.* 2. §. 56. *ſeqq.*) mediorumque, quibus ad eam contenderent, aut nulla aut rara admodum fiat mentio. Hunc in finem etiam Societates quædam atque Collegia Prophetarum ſeu Doctorum divinoris Sapientiæ in Gente Iſraelitica fuere conſtituta, quibus ad Sapientiam influxumque divinum recipiendum præbarabantur, quemadmodum iſtiuſmodi Scholis Prophetarum varia loca verſic. 9. *Najoth* in Rama 1. Sam. XIX. 19. 20. *Bethel* 2. Reg. II. 3. *Jericho* 2. Reg. II. 5. 7. 15. *Gilgal* 2. Reg. IV. 38. ut & Hieroſolyma 2. Reg. XXII. 14. admodum conſpicua fuere, add. 1. Sam. X. 10.

III. In his Scholis *filii prophrtarum*, uti diſcipulos appellabant, cum doctores Pa-

Patres dicerentur, (*Goodwin Mos. & Aar. lib.* I. *cap.* VI. *p.* 54. *Leusden Philol. Hebr. p.* 37. *in lege morali*, *ceremoniali*, *& forensi*) erudiebantur, maxime autem ad pias considerationes de *futuro Messia* instituebantur, quibus dum sedulo operam dabant, haud vero superveniebat inflatus Spiritus S. ceu qui erat complementum informationis illorum, unde fiebat, ut interdum ex hac θεοπνευςία Psalmos & pias Cantiones in laudem Dei sua sponte concinnarent & profunderent, ad quæ omnia musicis se præparabant exercitationibus. *Kopken Theol. mystic. c.* I. *p.* 24. *seqq.* Et quamquis non semper extraordinarii, & sublimes motus prophetici, sed modo ordinarii, fructus mirandi tamen, a Spiritu S. ibidem producerentur; Deus tamen Opt. Max. haud raro prophetas proprie dictos & donis excellentioribus instructos inde tanquam ex Seminario desumsit, & ad gentes misit, utut hunc ordinem non ubique observabat, uti id exemplo *Amosi* aliorumque patet, qui in istiusmodi Collegiis non erant informati. *Amos.* VII. 14. 15.

IV. Potiores quidem partes hic absolvebat Spiritus S. qui est verus & unicus Doctor Sapientiæ. Interea illud quoque non negandum, Deum in more positum habere, gratiæ suæ & divinæ sapientiæ dona ad modulum virium naturalium, rationemque hominis temperamenti & indolis dispertiri, accommodare, & pro conditione illius augere vel imminuere. Equidem si Deus ex absoluta sua potentia nobiscum agere vellet, omnino non solum nos omnes convertere, illuminare, & quævis impedimenta, quæ vel ex constitutione corporis vel animæ oriuntur, facili negotio discutere posset. Verum clementiæ divinæ semper convenientius visum est, ordinem observare, & gratiæ ac inspirationis dona naturæ & temperamento hominis attemperare, porro & homini ipsi liberum relinquere, ut hæc obstacula, quæ ex natura ejus proveniunt, aut plane tollat, aut saltem infringat, viresque naturales per Spiritum Sanctum illustrandas & exaltandas, quantum fieri potest, ad recipiendam illius gratiam magis idoneas reddat.

V. Quod autem Spiritus S. gratia & inspiratio temperamentum hominis aliasque vires adeo non subvertat, ut potius iisdem sese accommodet, & juxta illa mensuram Sapientiæ divinioris instituat, cum ex aliis rerum monumentis, tum potissimum ex diversitate styli in prophetis & Apostolis apprime dispalescit, ubi ex ipsorum genere scribendi videre est, quali temperamento quivis gavisus fuerit, cui Spiritus S. in inspiratione sua modum proponendi accommodarit. Nisi enim id factum esset, in omnibus unum idemque esset scribendi genus. Ita v. g. nihil facilius est, quam ex stylo *Johannis Evangelistæ* probare posset, eum temperamento *Sanguineo* præditum fuisse, cum ex ipsius scriptis præsertim epistolicis suave scribendi genus, nil nisi merum amorem spirans, & istiusmodi hominibus proprium, clarissime elucet, ad quod deinde Spiritus S. in θεοπνευςία res & verba direxit.

VI. Hisce probe consideratis facile patet, cur Hebræi *Musica* tanquam *præexercitamento ad Sapientiam diviniorem se præparare voluerint*. Sicut enim in naturalibus & humanis non datur occasio res penitius investigandi, nisi corpore & anima pariter in statum sanum & tranquillum redactis (*Ovidius lib.* I. *Eleg.* I.) ita id in ediscenda Sapientia diviniori quoque maximopere necessarium est, ubi summa quiete animi & corporis opus est, quo dicta Spiritus S. in corde docentis eo commodius audiri queant. Quantum enim abest, ut navis felici cursu progredi possit, mari procellis ventisque horrido; tantum abest, ut ideæ animis hominum sinceræ, multo minus divinæ imprimi possint, tumultuantibus hinc inde affectibus curisque. Cum igitur id munus *Musices* sit, si nempe rite comparata est, ut se blanda vi in corpus & propter arctissimam unionem etiam in animam diffundat, sanguinis motus inordinatos suavi ratione sistat, eundem grato modo moveat, affectus molestos excutiat, sobrios excitet, imo corpus & animam ægritudine liberet, inque statum rectum redigat, uti id experientia aliorumque infinitis testimoniis comprobatur; *Pfeiffer antiq. Græc. lib.* 2. *cap.* 64. *Heidegger hist. Patriarch. tom.* I. *Exerc.* VI. *Parag.* 13. *seqq. add. Zeilleri Epist.* 87. *pag.* 526.) omnino non est mirandum, cur Hebræi hoc medio, *Musica* nempe prævia, in scholis suis præparare se voluerint, & viam quasi munire studuerint, ut Spiritus S. commodius agere queat, inque animis hominum, remotis hac ratione impedimentis, lætiores divinæ Sapientiæ fructus procrescere possint.

VII. Sicuti enim ex omnibus nihil quicquam inspirationis Spiritus S. magis contrarium est quam *melancholia atque tristitia* ob causas præsertim temporales oriunda, quia est affectus Deo valde exosus, ut etiam Judæi dicere soleant, *Spiritum S. non residere super hominem mœstum*, maxime cum Diabolus horum hominum tristibus & perversis ideis ad sua

opera

opera abutatur; ita tales nubeculæ mentis felicissime ope *Musices* dispelli possunt, ceu cujus subsidio crassus sanguis discutitur, & ad gratum fluxum ac amœnas ideas disponitur, quas postmodum Spiritus S. ad suam voluntatem ordinat, illuminat ac dirigit. Hinc cum *Elisa* quondam animo perturbatus esset, & tamen vaticinari juberetur, prius ope *Musices* animum serenum reddidit, eumque motibus inordinatis liberavit. 2. Reg. III. 15.

VIII. Imo etiam *Saul*, qui temperamento melancholico instructus erat, quod ex omni vitæ genere dispalescit cum melancholiæ & tristitiæ se daret, forte quod *Samuel* jussu Dei *Davidem* in Regem unxisset, accidit, ut hoc ipso Spiritus S. operationibus obex poneretur, isque ex more istiusmodi hominum subinde perterreretur, difficilis admodum atque tristis fieret, variis insuper pravis atque desperabundis cogitationibus inquietaretur. Ut igitur animus *Saulis* denuo placaretur, accersebatur David, qui in arte *Musica* præ reliquis probe erat exercitatus, dum ad hanc cognitionem naturalis aptitudo multum conferebat, quod erat temperamento *sanguineo* præditus, ad studia musica præ cæteris apto & commodo, quæ ipsius indoles expressis verbis in Scriptura Sacra indicari videtur, apertissimis indiciis istiusmodi temperamenti ibidem adductis. Vid. 1. *Sam.* XVI. 12. ubi ita describitur: והוא ארמוני עם יפה עינים וטוב ראו ex quibus omnino colligitur, apud *Davidem* temperamentum Sanguineum prævaluisse.

IX. *Davidi* igitur incumbebat, ut per *Musicam* inordinatos sanguinis motus sisteret, mentem tranquillam redderet, quo deinde per admixtas cantiones pias diabolo, humoribus istiusmodi melancholicis abutenti cogitationesque desperatas suggerenti, obviam procederetur, ipseque *Saul* ad mentem saniorem rediret, diviniori objecto & materia efficaciter tam grata ratione repræsentata. Et sic explicandum esse censeo, cum dicitur, Spiritum Dei bonum a Saule discessisse, & malum advenisse, qui esset iterum pellendus. Corporaliter enim statim obsessum fuisse non dixerim. Porro etiam tali *Musica* ita mutatus & affectus fuit, ut, cum antea per naturam ab eadem abhorreret, illius ope alius plane fieret homo, & ipse quoque in istiusmodi societatibus sacris commoraretur, quod aliis adeo admiratione dignum videbatur, ut in proverbium abiret, *num Saul quoque inter prophetas?* Neutiquam interim putandum, ac si opus solius *Musices* Dæmon fugari posset, quemadmodum nec illius subsidio Spiritus S. accersitur quod tamen *R. Maimonides* statuisse videtur, *More nevoch lib. 2. cap. 36. conferri maxime hic meretur Disp. Magnifici Dn. D. Henricii Pippingii, Theologi in Saxonia summi, de Saulo per Musicam curato.*) Sed tantum obstacula nonnulla removentur, quæ in corpore & anima ratione physica sese offerunt, & diaboli tentaminibus inserviunt, quo lux Spiritus S. eo fortius se postmodum infundere possit, uti solis jubar, remotis nubibus, luculentius terrarum orbem aspicere solet.

X. Hæc igitur causa erat, cur Hebræi *Musicam* inter præexercitamenta Sapientiæ retulerint, quemadmodum & eandem ob causam *Levitæ* cum rem divinam facerent, ad affectuum puritatem, sinceritatem, atque ardorem in rebus spiritualibus excitandum exprimendumque *Musica* usi sunt. (*Vid. omnino Hafenrefferi commentar. in Templ. Ezech. pag.* 236.) Nec sane ulla alia erit alleganda causa, cur veteres Christiani, piique majores *Musicam* in Ecclesiam suam quoque introduxerint, licet primis temporibus parce admodum musicis instrumentis usi sint. (*Gottfr. Arnol. Abbild. der ersten Chriestien lib.* 1. *pag.* 161.) Habebant equidem Hebræi adhuc alia præexercitamentorum genera, quæ omnino non sunt contemnenda, sed magni facienda. Huc pertinent *preces*, quibus Deum, ceu fontem sapientiæ, divinam Sapientiam orabant: *Timor Domini humilitas, & pietas*, ceu quæ est initium Sapientiæ, cum Spiritus S. non veniat ad animam impiam: *Temperantia in cibo & potu*, cui eapropter *Daniel* se dedit, opiparis Regis eduliis penitus spretis, quorum tamen ex voto particeps fieri poterat, & alia. Sed de his jam non est agendi locus, licet elegantissima alias adduci possent. *Valerius Philosop. Sacr. p.* 203.

XI. Cæterum Gentiles quoque *Musica*, præexercitamento ad sapientiam suam, quam sibi finxerunt, usos fuisse, quo homo ad eam capiendam aptior redderetur, luce meridiana clarius est. Ut jam nihil dicam, quæ de *Orpheo*, *Amphione* aliisque narrabant, fingentes, eos tanta scientia *Musices* præditos fuisse, ut etiam res inanimatas in obsequium ducere potuerint. (*D. Fabricius Bibliot. Gr. lib.* 1. *C.* 2. *c.* XX. *Pfeiffor l. c. p.* 434. *Franc. Prætorius orat. de præstant. Musices.*) Hæc enim ut improprie sunt intelligenda, ita mentem nostram egregie illustrant. Modo adducam, quod *Pythagorici* præ reliquis *Musicam* eum in finem adhibuerint, quem nos hac vice descripsimus. Ita enim cla-

clare inquit *Quintilianus Institut. orat. lib.* IX. *cap.* IV. *Pythagoreis moris fuit, cum evigilassent, animos ad lyram excitare.* Et Jamblichus cap. XXV. inquit: *Mane surgentes ex somno communem utilitatem afferente capitis gravedines rursum aliis atque aliis cantilenis pellebat.* Idem faciebant vesperi, cum lectum petituri essent, ut prius mentem ad lyram lenirent, quod, si quid turbidiorum fuisset cogitationum, componerent ipsique eo melius examen in conscientia sua de iis instituere possent, quæ per diem ab iis essent peracta. *Boetius de Musica lib.* I. *cap.* I. *it. Schefferius de Philosoph. Ital. p.* 167. *Quintilianus l. c.*

XII. Imo quoque credibile est, ab *Hebræis* hunc morem per næno ζηλῶν ad reliquos ethnicos venisse, ut ipsi quoque circa cultum suum *Musica* cantionibusque uterentur. Quemadmodum enim illi fere in omnibus instituta *Hebræorum* imitati fuerunt, uti id innumeri scriptores prolixius diduxerunt; ita hac quoque in re illius Simiæ esse voluerunt, ut pene quemvis Deastrorum suorum peculiaribus cantilenis modisque musicis colerent; (*Scaliger conjectur. in Var. pag.* 121. *David Nerreter in addit. ad Alex. Rossens Juden und Heiden-Tempel pag.* 907.) Sed hac ipsa sua *Musica* mentem suam adeo non præpararunt, aut serenam compositamque fecerunt, ut potius strepitu hoc importuno & temerario, instigante præsertim diabolo, ad furorem usque sint emoti, sicuti id præter alios pulchre demonstrat *Stillingfleet orig. S. p.* 310. Tandem a re posita non esset alienum, de ratione *Musices* ejusque instrumentis apud *Hebræos* usitatis commentari. Sed cum id alii jam pluribus explanare sint conati: (*Vid. Dn. D. Fabricius Bibliograph. antiqu. pag.* 372.) totaque res ad meras conjecturas redeat, instrumentis istiusmodis pridem deperditis, paginas hisce complere noluimus, cum nobis sufficiat, causam adduxisse, cur Hebræi *Musicam* præexercitamenti loco in Scholis suis adhibuerint.

XIII. Et sic facile patet, quid de *Musica Ecclesiastica* in genere sit censendum. Quatenus enim per istam finis obtinetur, ut animi hominum melius præparentur, utpote quem hactenus explicuimus, quemque ipse Deus numquam improbavit, maxime laudanda & celebranda est, licet primum inventorem habeat *Tubalem*, Caini propagionem, (*Dn.D. Buddeus hist. Ecclesia V. Testam. p.* 153. *Heidegger hist. Patriarch. Tom.* I. *pag.* 216.) cum plures res ab hominibus minus piis sint inventæ, quæ tamen, si sana ratione adhibeantur, suum usum præstare, & gloriam Dei augere possunt. Simul ac vero hosce terminos transcendere incipit, & strepitu suo ad vanitatem seculi adornato mentem auditorum magis turbat, quam amice sedat, tantum abest, ut eam quispiam approbare possit, cui de meliori luto fictus est animus, ut potius e pomœriis Christianorum jure exterminandam esse statuere cogatur. (*Dn.D.Gerber unerkannteclunden Tom.* I. *cap.* 81.) Ad ipsam tamen artis musicæ excellentiam, quæ in dies illustrior redditur, merito respiciendum est, utpote quæ Musicam ecclesiasticam eo magis approbandam suadet, quo elengantiori concentu, & ad excitanda pia suspiria composito, audientium animos afficere solet.

AUGUSTINI CALMET

De Psalmis Graduum

DISSERTATIO.

TAnta est de Psalmis Gradualibus sententiarum inter varios Scriptores varietas, ut operæ pretium nos facturos arbitremur, si fusius hac Dissertatione nostra idem argumentum dignum sane Dissertatione, tum merito suo, cum arduitate, tractaremus. Illud ergo agendum est nobis, ut certus, si fieri potest, Autor, finis, occasio, tempusque scribendi, quibus incognitis vix Psalmos illos intellectu assequeremur determinetur.

Titulus ipse in hæc verba conceptus, *Canticum graduum*, plura observanda proponit. Theodotion vertit, *Cantica ascensuum*; nec abludunt Aquila, & Symmachus, reddentes, *Cantica pro ascensibus*. Chaldæus habet: *Canticum in gradibus abyssi*. Obscura plane inscriptio, quæ Hebræorum traditione in Thalmud relata ex-

explicatur [1]. Narrant igitur Hebræi quo tempore secundi Templi fundamenta, soluta jam captivitate, jaciebantur, ubberrimam aquarum venam e terra pullulasse, ut ad altitudinem 1500. cubitorum assurgentes jam aquæ, totius mundi demersionem minitarentur, nisi Achitophel [vir ille celebris, qui laqueo sibi fauces præcidit sub Davide nempe 400. annis ante solutam captivitatem] promte ac currens, opportune ineffabile Dei nomen stans super 15. gradus Templi descripsisset. Is velut agger aquis crescentibus appositus est. Totam hanc fabellam construunt Hebræi super illa verba Psalmi 129. *De profundis clamavi ad te Domine*. Validum sane fundamentum genti, quæ in procusas a patribus suis fabellas cæcorum more feruntur. Junius, & Tremellius reddunt Hebræum illud, *Cantica excellentiarum*; quod De Muis, aliisque nonullis peritis Interpretibus non displicet. Vulgo tamen receptior est lectio, *Canticum graduum*.

Sed qui gradus isti, unde quindecim Psalmis titulus? Non alio quærendos illos Interpretes reputarunt, quam in Templo Hierosolymitano; & cum quindecim Psalmi ea inscriptione donentur, totidem etiam gradus in templo investigandos susceperunt. Minus opportune Ezechiel nonnisi septem statuit, pro singulis quatuor januis, atrii populi [2], & octo pro atrio Sacerdotum [3], totidemque tandem ex atrio Sacerdotum ad Templi vestibulum, eodem Ezechiele authore, ascendebatur. (*Ezech.* 40. 49.) Cum igitur nihil suppetat opportunum in Scriptura, ad Josephum confugiunt, cujus testimonio constat, ex atrio mulierum per quindecim gradus ad magnum atrium ascendi; isti autem gradus; ait, humiliores erant aliis quinque, quibus ad alias portas ascendebatur; addit demum, in Sanctuarium per 13. gradus ascendi [4]. Itaque super quindecim hosce gradus e claustro mulierum ad magnum atrium deducentes, inquiunt hujus sententiæ patroni [5], quindecim isti Psalmi cantabantur. Affirmandum tamen mihi sumo, nullius censuram timens, numquam Levitas eo loci cantasse. An quindecim isti gradus ejusdem essent ætatis ac Authores Psalmorum; an pariter Levitæ eo loci unquam stare ad cantandum consueverint, nemo sane demonstraverit. Consuetus cantandi locus constitutus erat in atrio Sacerdotum, & quandoque pariter, uti facile credimus, in superiori atrii Israel parte, e regione portæ ad atrium Sacerdotum deducentis.

Alii decantatos Psalmos illos credunt [6] super quindecim gradus ad vestibulum Sancti. Verum gradus in Sanctum deducentes Ezechiel sua ætate 8. Josephus 12. enumerat; ex quo sententiæ illius fundamentum omne corruit. At enim in Templo Salomonis quindecim erant gradus. Esto, fuerint; sed primo quindecim isti Psalmi Salomonis ætate posteriores sunt. 2. Quindecim gradibus ex atrio Sacerdotum ad vestibulum Sancti aditum patuisse in Templo Salomonis, quo indicio demonstratur? Res est igitur incerta, adeoque proposito nostro minus servit; principio enim incerto posito, nihil certi deduci potest.

Sunt qui gradus illos non in Templo quidem, sed per totam Urbem discurrentes, tandem in vertice montis Sancti repererint. Recentior quidam Author [7] censuit, Psalmos illos decantandos fuisse a Levitis excubias in Domo Dei agentibus, super ascensum ex Urbe ad Templum. Per singulas noctis horas Levita excubias agens Psalmum cantabat, quo fratres suos ad vigilandum laudandumque Dominum hortaretur. Porro hujus adhortationis formula legitur in Psal. 133. qui unus est ex Gradualibus. Sed, ut cetera admittamus de Levitis excubias in Templo agentibus, quod in Scriptura pariter insinuatur [8]; affirmandum non abs re susciperemus. Cantica illa nihil præseferre congruens ascensui illi ex Urbe ad Templum; sicut etiam nullo argumento probari, Levitas per varias noctis horas varia carmina decantasse; ac tandem in eum usum quindecim istos Psalmos destinatos.

Nec moror eorum sententiam, qui spectatos credunt in inscriptionibus istis gradus Templi Salomonici, sive Horologii Achaz; temere hæc omnia effutiuntur, & quo magis Psalmi illi discutiuntur, eo minus hisce conjecturis credimus.

Quicumque in ea fuerunt sententia, Psalmos illos ideo potissimum ascensuum sive elevationis inscriptos, quod a Levitis in prominenti aliquo suggestu in Templo posito cantarentur; egregie illi quidem demonstrant, post solutam captivitatem in superiori atrii Israel parte suggestum quoddam fuisse, unde a Levitis Textus Legis legebatur pariter & explicabatur; 2. *Esdr.* 9. 4. *Vide Lyran. Moller. Hamm.* quemadmodum nostra etiam ætate Sacri Oratores e suggestu verbum Dei annunciant, & Diaconus Evangelium legit. Sed illis demonstrandum pariter superest, eo loci decantari Psalmos consuevisse, & potissimum quindecim, de quibus impræsentiarum; quod numquam evincent.

Hie-

Hieronymaster [9] tradit, in Templo Hierosolymitano plures fuisse dignitatum gradus, quibus singulis distinctus in Templo locus constitueretur. Supremus, qui & decimus quintus, summo Sacerdoti destinatus: secundum tenebant inter Sacerdotes Viri amplissimi, alterum a Summo Pontifice dignitatis gradum obtinentes. Tertius erat Sacerdotibus; quartus Levitis, inter quos variæ classes cetera implebant loca a quarto usque ad postremum. Totum hoc systema merum est commentum; fac autem verum fuisse; quid hæc ad quindecim Psalmos? mentem suam in ea re confuse adeo & parum exacte explicat Autor ille, ut inexplorata nec satis sibi credita loqui videatur.

Rabbinorum nonnulli [10] quos Commentatores plurimi sequuntur [11] vertendum credunt, *Psalmus elevationis*, qua scilicet inscriptione designetur, Psalmos illos elatissima voce cantandos; sive quod Cantores sensim vocem suam ad singula Cantica intenderent; ut decimusquintus Psalmus totidem musicis notis altius quam primus cantaretur. Malunt alii [12], vocem *Mahaloth*, quæ in Originali Hebræo legitur, designare, sive musicum instrumentum Judæis peculiare, sive vulgarem quamdam, ad cujus normam Psalmi cantus dirigeretur, cantilenam, vel musicam quamdam ejus decantandi Psalmi rationem: vana omnia & frivola.

Nec minus committuntur inter se Scriptores in assignanda eorum Carminum scribendorum occasione. Persuasum habent nonnulli, decantatos eos Psalmos tribus majoribus anni Solennitatibus, Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum; cum scilicet populus ascenderet seu veniret ex universa undique regione Hierosolymam; vel saltem cum inde ad propria remearet; ex quo; inquiunt, inditum Psalmis illis nomen *Cantica graduum*. Statuunt alii, Davidem carmina illa dictasse, cum adversarium haberet Saulem [13], sive cum arma in se Absalomi experiretur; vel cum Arcam ac Tabernaculum in Urbe Hierusalem constitutum traduceret; vel tandem in variis rerum vitæ suæ eventibus: neque enim satis convenit, omnes istos Psalmos ad idem tempus idemque argumentum spectare. Credunt alii [14], celebrata illis prodigia in egressu ab Ægypto, & captivitatem, in ea regione ab Israelitis toleratam, in toto eorum Psalmorum contextu spectari. Origines Salomoni tribuit ratus ab eodem Principe elucubratos, cum Arcam solenni pompa in Templum a se constructum deduceret [15]. R. Salomon [16] ad dispersionem Judæorum revocat, tristemque rerum quem nunc habent statum; cum scilicet post eversionem Templi & Urbis per Romanos, per omnem terrarum orbis faciem palantes dispergantur.

Ex Patribus plerique literæ Psalmorum inhærentes, in toto eorum contextu animadvertunt captivorum Babyloniæ sensus, modo vices suas longumque exilium dolentium, modo libertatem a Deo flagitantium, modo de concessa sibi ea libertate gratias agentium, modo Festum celebrantium pro dedicatione Templi; ac tandem Sacerdotes, & Levitas ad servitia Domino præstanda hortantium: hæc enim omnia in Psalmis istis apparent. S. Athanasius, S. Chrysostomus, Theodoretus, Euthymius, vetus Paraphrastes Græcus sæpius a nobis laudatus, Beda, Syriacus, aliique plures veteres Interpretes a S. Hilario laudati; & inter Recentiores, Genebrardus, Vatablus, Ferrandus, D. Bossuet Episcopus Meldensis, aliique plures eamdem sententiam adoptarunt; quod etiam a nobis præstandum, & adductis e re ipsa argumentis demonstrandum est.

Solenne est Hebræis, quoties reditum suum e Babylone exprimunt, verbum *ascendere* usurpare. Ita Cyrus copiam faciens Judæis ad propria remeandi [17] ait: *Quis est in vobis de universo populo ejus? Ascendat in Jerusalem, quæ est in Judæa*. Et facta a Rege potestate, *surrexerunt ut ascenderent ad ædificandum Templum Domini*. Et Sassabassar discessit cum iis, *qui ascenderunt de captivitate, quam transtulerat Nabuchodonosor in Babylonem* [18]. *Hi sunt autem provinciæ filii, qui ascenderunt* [19]. Ipse Esdras de Babylonia alios secum magno numero adducens, *primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone* [20]. Porro hoc vox *ascendere* ideo potissimum in rem præsentem animadvertenda, quod eadem recurrit in inscriptione horum Psalmorum. In Psalm. 121. uno e Gradualibus, Autor ædificatam dicit Hierusalem, velut novam aliquam civitatem; *illuc enim ascenderunt Tribus Domini ad confitendum nomini Domini*. Jeremias e captivitate Judæos regressuros his verbis prædicit: *In Babylonem transferentur, & ibi erunt usque ad diem visitationis suæ; & auferri faciam eam* (ascendere faciam) *& restitui in loco isto* [21]. Pronum est igitur, ut Psalmum *ascensuum* decantatum credamus a Judæis e captivitate regredientibus; congruunt enim qua voces, qua phrasium analogia, qua eventuum designatio.

Validius aliud argumentum ex eo dedu-

ducitur, quod ea ſemel interpretatione admiſſa, prona ſunt in quindecim illis Pſalmis omnia. Porro in eo argumenti genere ſi tandem ſyſtema aliquot ſtatuatur, quo poſito tota Textus interpretatio prona & naturalis fluat, ipſumque vero ſyſtema hiſtoriæ maxime congruat, nihilque habet ſive temporum ſive locorum, ſive perſonarum circumſtantiis repugnans; illud ſine controverſia probatur. Plus aliquid in rem noſtram additur; non enim eo ſemel ſyſtemate conſtituto, prona fluunt omnia; ſed vix aliter exponi poſſunt plurium Pſalmorum loca, niſi miſere detortis ſententiæ verbis, ſiquidem alio quam ad captivitatem Babylonicam diſtrahantur. Lege e. g. illud Pſalmi 119. 1. *Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me ...... Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt! habitavi cum habitantibus Cedar* (Hebraice Meſech & Cedar:) *multum incola fuit anima mea*. Et Pſalm. 120. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi. Auxilium meum a Domino, qui fecit Cœlum & terram*. Et Pſ. 121. 1. &c. *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in Domum Domini ibimus. Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem! Hieruſalem quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipſum. Illuc enim aſcenderunt Tribus, Tribus Domini, teſtimonium Iſrael, ad confitendum nomini Domini. Illic ſederunt ſedes in Judicio, ſedes ſuper domum David*. Et Pſal. 122. 1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis*. Et verſ. 3. *Oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Miſerere noſtri, Domine, miſerere noſtri, quia multum repleti ſumus deſpectione, quia multum repleta eſt anima noſtra opprobrium abundantibus* (divitibus) *& deſpectio ſuperbis*. Superborum nomine Babylonios deſignari non ſemel obſervavimus [22].

In Pſal. 123. fatentur Hebræi futurum fuiſſe, ut ab hominibus vivi deglutirentur & aqua abſorberentur, niſi ſpeciali Domini protectione defenſi fuiſſent. Reſpexiſſe Deum profitentur in Pſalmo 124. ad eam, quam in ipſo repoſuerant, omnem fiduciam; id ſcilicet committendo, ne diutius ſubjici virgæ peccatorum cogerentur. Tandem in Pſalmo 105. apertius etiam produnt: *In convertendo Dominus captivitatem Sion facti ſumus ſicut conſolati. Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione*. Cum tamen non omnes e Babylonia rediſſent, addunt: *Converte Domine captivitatem noſtram, ſicut torrens in auſtro. Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent*. (ibant in captivitatem lugentes, redibant exultantes). De reſtitutione Templi poſt captivitatem, toleratiſque Samaritanorum perſecutionibus hæc legas in Pſalmo 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*. Deſcribunt deinde in eodem Pſalmo & ſequenti felicem timentium Deum ſtatum, florentem eorum poſteritatem, læta connubia, proſperum laborum ſuorum & expeditionum eventum, novaſque conſtitutas in Hieroſolyma ſedes & politiam.

Sermone deinde ad populum e captivitate receptum converſo, hæc habet Pſalmus 128. *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, dicat nunc Iſrael. Sæpe expugnaverunt a juventute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolungaverunt iniquitatem ſuam. Dominus juſtus concidet cervices peccatorum*. Quibus poſtremis verbis excidium Babylonis, ac Babyloniorum ſub Cyro ſervitus inſinuatur. In Pſ. 129. Iſrael veluti de carcere ab ipſo ſepulchro clamans ad Deum, crimen ſuum confitetur, a quo tandem ſperare ſe dicit futurum, ut *redimat Iſrael ex omnibus iniquitatibus ejus*; ex omnibus nempe malis, quæ criminum merito in ſe induxit. Eadem confeſſio proxime ſequenti Pſalmo continuatur, & venia ſperatur a Deo, cujus oculi ad humiles animos demittuntur.

Iſraelitæ in captivitate Deum rogant in Pſal. 131. ut promiſſionum, quibus fidem ſuam Davidi obſtrinxerat, memor, de Templo ſcilicet in æternum permanſuro, ac de regno in familia Davidis proſtratum relevet. Poteſt etiam non incongrue idem Pſalmus haberi tamquam oratio Hebræorum e captivitate Babylonica reducum, & tanquam carmen in dedicatione ſecundi Templi decantatum; quemadmodum etiam apte de duobus proxime ſequentibus Pſalmis ſuſpicaremur. In Pſalmo 132. pulchra Sacerdotum, & Levitarum in Templo Domini concordia ſpectatur; & in Pſalmo 133. poſtremo e Gradualibus, populus Levitas hortatur ad agendas in laudibus Domini noctes, opemque Divinam ſuper Iſraelem implorandam. Hæc ſumma Gradualium. Aperti in illis plane exprimuntur characteres, qui reditui e captivitate Babylonica congruunt, nihilque continent huic ſyſtemati repugnans. Quare ſcriptos illos habente jam, & ſoluta etiam captivitate nonniſi probabiliſſime ſuſpicaremur. Deſcribit in illis Pſalmiſta, juxta ac Theodoretus obſervat, mala omnia quæ tolerari in exilio

exilio contigit, tum & gaudium recepto libertatis nuncio, lætoque ad propria regressu, Templi restitutione, & quæ in eo moliendo ab Adversariis illata sunt mala.

Vix autem, & ne vix quidem, certus omnium horum Carminum Vates designaretur; an etiam omnia ad unum, eumdemque Scriptorem pertineant, ambiguum. Qui Davidis opus credunt, scripta ab Autore prophetico spiritu sibi persuadent; quippe qui vices omnes Israelitarum tum in captivitate Babylonica, cum & reditum ipsorum ad propria divinitus revelata prospexerit [23]. Veterum nonnulli Salomoni tribuerunt [24]; facile quod Psalmus 127. in nonnullis Exemplaribus ejusdem Regis nomine inscribitur. Malunt alii partem David, partim Salomoni, partim autem vindicare Autoribus Sacris, captivitate posterioribus, uti Esdræ, Aggæo, Zachariæ, Malachiæ, Ps. 122. & 124. & 131. & 133. Davidis nomen in Hebræo preseferunt, sicut & 137. Salomonis. Quod autem suspicionem in titulos illos creat, illud est, nimirum neque in Septuaginta, neque in Vulgata legi; unde non levis ansa suspicandi datur, recentius in Exemplaria Hebræa inscriptiones illas irrepsisse.

Quicumque tandem Autor lucubrationes illas scripserit, post solutam captivitatem Babylonicam vitam produxisse constat. Neque enim oracula fundit, at sensus doloris, tædii, gaudii, actionis gratiarum, populi captivi, in libertatem restituti, libertatem sperantis, sive de recepta secum plaudentis, exprimit. Nec tamen minus Spiritu S. afflante scribit, quam si præterita, sive futura nunciaret.

Stilo sunt eleganti, jucundo, florentique brevibusque conceptus suos omnes, maxime patheticos, sed luculenter exprimit Autor. Simili artificio, atque elegantia lucubrationes hasce suas scripsit, qua solent epigrammata; brevibus enim ingentem aliquem sensum complectitur. Plurimi semper facta sunt Cantica illa ab Ecclesia, cujus in Officio tum frequenter leguntur, cum etiam in capite potissimum ejusdem Officii nocturni pluribus anni diebus recitanda præscripsit. S. Benedictus inter vetustissimos Scriptores, qui certam Psalmorum per anni circulum decantandorum regulam statuerit, novem priores Psalmos Graduales distribuit in Horas, Tertiam, Sextam, & Nonam tota hebdomada recitandas, excepta tantum Dominica, & feria secunda, quibus diebus Psalmus 118. in varias partes distributus totum Horarium Officium tenet [25].

Patres, qui intra sensus spiritualis fines sese continuere [26], quindecim illos Psalmos perinde habent, ac totidem gradus, quibus ad veritatem, æternitatemque deducimur. Præclara in illis ad mores formandos documenta, eximii religiosæ animæ conceptus, atque ad omnem vitæ statum accommoda exempla. Sive enim pondere molis corporeæ oppressa ingemiscat anima, sive ad superna adspiret, sive de acceptis e Deo beneficiis grati animi sensus exprimat, sive promovendæ gloriæ Domini, & decoris Domus Dei ardet amore, quibus vota hæc sua omnia expleat, abunde eorum Psalmorum penus sufficiet.

NOTÆ.

(1) *Talmud. Tract. Succah. c. 5. sect. 4. kimchi, alii Pseudo Evang. de Virginis Nativitate n. 6. insinuat, 15. Psalmos in 15. gradibus cantari. Receptum id est Hebræorum traditione.*
(2) *Ezech.* 40. 22. 26.
(3) *Ezech.* 40. 31. 37.
(4) *Joseph. l. 1. c. 13. in Græc. pag.* 917.
(5) *Rasi, Kimchi, alii.*
(6) *Hilar. Heracleot. Pineda, Menoch. Grot. &c.*
(7) *Vide Epistolam Anonymi in lib. Memoires pour servir a l'histoire de la Republique des Lettres, mois de Novembre 1705. pag.* 515.
(8) *Vide 1. Par. 23. 30. 31. 32. Malac. 2. 1. 2.*
(9) *Expositione 2. in Psalm. 119. pag. 514. nov. E.*
(10) *Saadias.*
(11) *Vid. Hamm. Vat. Gatak. du Pin, Ainsvort.*
(12) *Vid. R. Kimchi, Levi, Abenesra, Le Blanc, Ferrand. hic.*
(13) *Moller. Muis.*
(14) *Vide Riberam & Villalpand.*
(15) *Origen. lib. 3. de Principiis.*
(16) *Apud Lyran. hic.*
(17) *1. Esd. 1. 3. 5. 11. & 2. Esd. 7. 5. 6.*
(18) *1. Esd. 2. 1. 2.*
(19) *Esd. 1. Esdr. 7. 6. 7.*
(20) *Ibid. vers.* 9.
(21) *Jerem.* 22. 22.
(22) *Psal.* 118. 21. 51. 66. 78. 122.
(23) *Vide S. Chrysost. & Theodor.*
(24) *Origen. de Princip. lib.* 3.
(25) *S. Bened. Regul. cap.* 18.
(26) *August. Hieron. Hilar. Vide & Chrysost.*

DIS-

DISSERTATIO AUGUSTI PFEIFFERI

SPECIMEN DE PSALMIS GRADUUM

Psalm. CXX. usque ad CXXXIV.

quorum communis titulus

שיר המלות:

CANTICUM GRADUUM

Qu. *Cur isti quindecim Psalmi vocentur* Cantica Graduum? SENTENT. VAR.

I. TAlmudici *in Tr. Succa* & Chaldæus denominatos censet a gradibus, quos David fecerit, ut adduceret abyssum. Fabulam R. Arama his verbis recenset: *Quando David fodiebat fundamenta sanctuarii timebat, ne abyssus inundaret mundum. Achitophel scripsit Schembamphorasch, & posuit in abysso, descenditque abyssus per 16. millia cubitorum. Dicebant vero, non est utile mundo, ut abyssus sic descendat, quia aquæ humectant terram, ideo dixit David XV. Psalmos de ascensione abyssi ad 15. millia cubitorum, & abyssus mille cubitorum profunditatem habens stetit.* Peracta est fabula, plaudite.

II. In *Haggada* exponunt Psalmos hos per *centum victimas*, quasi scriptum sit לאמה עלות referente Raschi, quod valde frivolum.

III. Raschi ipse *ad CXXI. Psal.* ait dici ab ascensionibus seu gradibus, quibus ascendent in futuro seculo justi de arbore vitæ in Eden ad thronum gloriæ. Sic Chrysostomus gradus ait innui cœlestes, ut in scala Jacobi.

IV. R. Salomon ben Melech *in Michlal Jophi h. l.* refert, 15. Psalmos hosce respondisse 15. gradibus, quibus ex atrio mulierum ascenderetur ad atrium Israelitarum seu populi, & in singulis gradibus unum Psalmum recitatum esse. Neque abnuit L'Emper. *ad Midd. p.* 71. Sed hoc incertum, & templum tum erat non-ens.

V. Alii, respici ad 15. gradus in templo Ezechielis, scil. 7. in atrium exterius, & 8. in interius. Conf. Viccars *pag.* 120. Sed inscriptiones istæ Psalmorum non sunt propheticæ, verum memoriales. Ubi autem tempore Davidis templum & ejus gradus?

VI. Alii, referente Kimchio, quod agant de ascensione Israelitarum e captivitate (Syrus Paris. addit Babylonica) & dictos esse sub persona captivorum. Ita & Midras Tillim. Et hanc sententiam ceu probabilem suo relinquimus loco.

VII. R. Saadia Gaon, dici Psalmos Graduum, quod voce intensiori decantarentur; seu a tonis, ut notæ Italicæ habent, quorum unus altero semper altior. Sed מעלות in plur. *gradus* proprie notat, per quos localiter scanditur.

VIII. Alii (ut D. Joh. Schreiterus *Pentadec. Citharæ Dav. s. de Psalm. graduum p.* 11.) dictos censent, quod cantarentur a Levitis in loco editiori. Sic forte Lutherus: im höhern Chor. Eo scilic. per gradus ascendendum erat. Sed cur præ cæteris in loco editiori? & ubi iste? Licet neque hanc sententiam omnino repudiemus. *Ascensionem localem* & *elevationem mentalem* jungit Dn. D. Olearius *Univ. Theol. p.* 1441.

IX. Alii, quod decantarentur ad melodiam odes cujusdam, quæ inciperet a voce המעלות. Ita Aben Esra. Sic diceretur על המעלות, vel ad evitandam ambiguitatem addita quoque esset vox altera.

X. R. Obadia Gaon, quod sint compositi pro omni gradu hominum, & omnibus personis.

XI. Gregorio Nysseno innui videtur τελέωσις in operibus bonis, quam sequitur laus Dei Halleluja & non alius titulus. Quod coactissimum est.

XII. Junio, Muisio, Piscatori, Gatakero *Cinn. p.* 127. & aliis *canticum graduum* est *Excellentissimum. Eligat jam cordatus lector, quod sibi visum fuerit commodum: de articulis fidei hic agitur nequaquam*, concludimus cum Dn. D. Ge-

jero, simulque & sequentem sententiam, quæ nobis olim in mentem venit, lectori expendendam relinquimus.

DECISIO.

Psalmi graduum dicti sunt, quod a Musicis Davidis solenniter decantarentur ad gradus arcis Regiæ, in Dei gloriam, quod sedem istam firmasset.

PROBATIO.

I. PSalmi hi procul dubio compositi sunt a Davide: Denominati vero a gradibus scansoriis, ad quos decantarentur. Hinc *Psalm. CXXI.* למעלות. Templum tum nondum erat. E. neque gradus ejus. Neque titulus *propheticus* facile dici debet, sed *memorialis*. Commodissime intelligitur gradus arcis Davidicæ *Neh.* III. 15.

II. Imitati tale quid videntur Esdras & Nehemias in restauratione sacri cultus *Neh.* XII. 31. *&* 37. Hæc nostra est sententia, quam nemini obtrudimus. Certe nullis urgetur absurdis, & non uno nomine expeditior videtur illis, quas recensuimus nos, vel habent Johann. Viccars *in Decapl. ad Psalmus* 120. & D. Sennertus *ad Psalmos graduum ab initio*.



EX-



EXCERPTA
EX
BIBLIOTHECA RABBINICA
JULII BARTOLOCCII
De Voce סלה.

QUæres quid significet illa vocula סלה *Sela*, quæ inter versiculos aliquorum Psalmorum scripta reperitur?

Resp. ex testimonio Origenis apud D. Hieronymus Epistola 138. ad Marcellam, quæ incipit: *Quæ acceperis*; Septuaginta, Theodotionem, & Symmachum hanc vocem סלה *Sela* transtulisse Διάψαλμα, *Diapsalma* autem quid significet, variæ sunt Latinorum Interpretum sententiæ. Alii volunt significare *Rhythmi commutationem*; alii *vicissitudinem canendi*; alii *commutationem metri*; alii *pausationem spiritus*; alii *alterius sensus exordium*; alii *Rhythmi distinctionem*; alii vero *cujusdam Musicæ varietatis silentium*. Hæc forsan si cum vocis Græcæ etymo conferantur, quadrare utcumque videbuntur; sed nunquam his interpretationibus recte explicatur significatum vocis *Sela*: nam cum hæc in quibusdam brevioribus Psalmis non semel reperiatur, ut in Psalmo 3. ter; in Psalmo 32. ter; in Psalmo 77. ter; in Psalmo 87. qui est brevissimus, bis; & in Psalmis longioribus veluti in Psalmo 37. & in 78. penitus non inveniatur; liquet profecto, non posse hac voce סלה *Sela* significari, vel Rhythmi, au Metri commutationem, vel canendi vicissitudinem; vel cujusvis Musicæ varietatis silentium. Aliam igitur significationem hujus vocis inquirere oportet. Rabbi Aben Ezræ in Comment. Psalm. 3. vers. 3. ad vocem סלה *Sela* sic de ea loquitur.

יפרשו סלה כמו לנצח ואיננו נכון ומתרגם ספר ההלות לאחרים אמר כי מלת סלה אין לה טעם רק היא לתקון טעם הננון והעד כי לא תמצא זאת המלה בכל מקרא כי אם בתפלת חבקוק שלשה שהיא כדרך תחלות על שגיונות כמו שגיון לדוד למנצח בנגינות והנה והיה פירוש סלה לנצח וכתוב על מי מריבה סלה ופעם אחרת היתה גם כתוב וקדוש מהר פארן סלה: וי״א כי סלה שב אל וקדוש ועוד כתוב ערות יסוד עד צואר סלה והנכון כי טעם סלה כמו כן הוא או ככה ואמת הדבר ונכון הוא:

Exposuerunt (aliqui) סלה *Sela sicut*

לנצח *Lanetzach in seculum. Et hoc non est rectum. Et qui interpretatur librum Psalmorum extraneis* (intelligit aliquem ex nostris Expositoribus) *dicit: Quod dictio* סלה *Sela nihil significet, sed tantum dirigat rationem, seu concentum musicum. Hujus rei testimonium est, quod illam non reperies in tota Scriptura, nisi tantum in Oratione Chabakkuk, ter, quæ est ad instar Psalmorum* על שגיונות *super Scighionoth ut* שגיון לדוד *Scighaijon ipsi David* (Psalm. 7. 1.) למנצח בנגינות *Lamnatzeach binghinoth* (Psal. 4. 1.) *Et ecce expositio* סלה *Sela*, hoc est לנצח *Lanetzach* in æternum. *Et scriptum est:* על מי מריבה סלה *Al-me meriva Sela* Super aquas litigii Sela in æternum (Psalm. 81. 8.) *Et alibi scriptum est* (Chabakkuk 3. v. 3.) Et sanctus de monte Paran Sela in æternum, *Sunt, qui dicunt, quod* סלה *Sela referri debeat ad* וקדוש *&* Sanctus. *Et ulterius scriptum est* (ibidem 3. 13.) Denudando fundamentum usque ad collum סלה Sela. *Et rectum est. Ut* סלה *Sela exponi debeat veluti* כן הוא *Chen Hu* Ita est; *vel* ככה *Chacha* Sic est; *&* ואמת הדבר *Vehemeth haddavar* Est veritas rei.

Ita Aben Ezra de hac voce סלה *Sela*. Cujus opinio est, ut *Sela* significet, *Ita est;* vel *Sic est*, aut *Veritas rei est*. Secundum hanc sententiam, hujus vocis *Sela* significatum parum distat a significatu vocis אמן *Amen*. Quod autem Aben Ezra dicat סלה *Sela* secundum opinionem aliquorum ex nostris nihil significare, sed tantum musicum concentum dirigere; non nostrorum aliquot fuit opinio, sed etiam Hebræorum nonnullorum. Videndus est David Kimchius in Psal. 3. v. 3. qui & ipse negat *Sela* aliquid significare, sed tantum eam esse notam elevandæ, seu attollendæ vocis. Illius verba sunt:

והחכם ר' אברהם בע' ז'צ'ל פירש שהוא (סלה) כמו אמת: ואני אומר כי איננה מלת עניין ופי' לשון הַנְבהה מן סולו המסילה כלומר באותו המקום שהיא נזכרת ונקראת ואת המילה היתה הרמת קול המזמור והראיה לא חמקא אותה אלא בזה הספר ובתפלת חבקוק שהיתה שיר כמו שכתוב גם כן שם למנצח בנגינות:

Et sapiens R. Abraham Ben Ezræ b. m. exponit, quod sit (Sela) *veluti* אמת Emeth, *hoc est* Vere. *At ego dico, quod ista dictio non sit significativa, sed sit nota elevandæ vocis, & deducatur a verbo* סלל *Salal elevare, juxta illud* (Isai 62. 10.) סולו סולו המסילה Elevate, elevate stratam viam, *hoc est, eo in loco, ubi ista dictio reperitur & legitur, fieri debet vocis elevatio in Psalmo. Probationis autem exemplum non invenies, nisi tantum in hoc libro* (Psalmorum) *& in oratione Habacuc, quæ Canticum est: nam etiam ibidem scriptum est* למנצח בנגינות *Lamnatzeach binghinoth* Victori in Neghinoth.

Sed dicat Kimchius, ob quem finem fuerat elevanda vox in fine secundi versiculi tertii Psalmi, & iterum post quintum versum, ita ut infra quatuor versibus bis esset elevanda, quia ibidem bis dictio *Sela* reperitur? Quin & in fine Psalmi istius, eadem vox *Sela* notatur; an, ut quando quiescendum erat, tunc altius vox extollenda esset? Non intelligo. Melius quidem censent alii, & quidem communiter, ut notat idem Kimchius ibidem, quod vox סלה *Sela* significet לעולם *Leolam in seculum, in æternum*. En ejus verba:

ומלת סלה רוב המפרשים אמרו שהוא כלו לעולם: וכן תרגמה יהונתן בתפלת חבקוק לעלמין:

Dictionem סלה *Sela plurimi Interpretum dixerunt: esse veluti* לעולם *Leolam In seculum, sive in æternum, & sic interpretatur Ionathan Paraphrastes Chaldæus illud* סלה *Sela in oratione Habacuc* לעלמין *Lealamin* In sæcula.

Hanc interpretationem sequitur lectio Syriaca, dum eandem voce סלה per ܠܥܠܡ *Laolam In seculum* vertit. Vide Psalm. 3. vers. 9. & Psalm. 4. numer. plurali ܠܥܠܡܝܢ *Leolmin In secula*, licet plurima sint loca, in quibus omissa est interpretatio vocis *Sela*. In Bibliis vero Regiis Parisiensibus, & in eadem versione Syriaca frequenter vox Græca Διάψαλμα retenta est, sed literis Syriacis decurtata hoc pacto notata cernitur in Psalm. 52. vers. 2. bis ܕܝܦܣ *Diaps. Diapsalma*, & sæpius per totum Psalmum; cujus vocis cur sit tam crebra replicatio, & a quonam exemplari sit desumta, plane ignoro.

Ab hac interpretatione non longe distat alia, quæ est Aquilæ, Verborum Hebræorum (juxta Hieronymi testimonium epist. 138. ad Marcellam) diligentissimi explicatoris, qui סלה *Sela Semper* transtulit. Hanc sequitur Hieronymus, & post eum quamplurimi alii Interpretes Latini & Hebræi; quinimmo & universa Synagoga Judaica hanc vocis *Sela* interpretationem sequitur, & pro *semper*, vel *in perpetuum* accipit, dum suas preces quandoque hac voce סלה claudit, ut idem R. David Kimchius refert Comment. in Ps. 3. ubi sic habet:

וכן היא סגורה זאת המלה (סלה) בתפלתינו בזה הענייו:

Et

Et in hoc sensu (scilicet semper, vel in perpetuum) *hæc dictio* (Sela) *claudit preces nostras*, & orationes publicas. Vide in Machazore Bononien. Par. I. in סדר ענין פורים *Ordine festivitatis Purrim* in fine precationis, quæ incipit על חנסים ועל הגבורות & aliis libris Precum, tum in loco citato, tum in סדר ענין חנוכה *Ordine festivitatis Channuca Enceniorum*. Et secundum hunc sensum hodie communiter Rabbini Itali explicant סלה *Sela Sempre*. Et apposite quidem: nam ex 71. locis, quibus in Psalmorum libro hæc vox reperitur, nullus est, cui pro סלה *Sela* non bene aptetur interpretatio *Semper*: quod per singulos decurrendo Psalmos manifestum est.

Loca ex Psalmorum libro, in quibus reperitur vox סלה Sela, *quæ apposite per* Semper *exponitur*.

1. In Psalmo 3. vers. 3. *Non est salus ipsi in Deo ejus* סלה *Sela semper*.
2. Ibid. v. 5. *Et exaudivit me de monte sancto suo* סלה *Sela semper*.
3. Vers. 9. & ult. *Et super populum tuum benedictio tua* סלה *Sela semper*.
4. Psal. 4. vers. 3. *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* סלה *Sela semper*.
5. Vers. 5. *In cubilibus vestris compungimini* סלה *Sela semper*.
6. Psal. 7. ver. 6. *Et gloriam meam in pulverem deducat* סלה *Sela semper*.
7. Psal. 9. v. 17. *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator* סלה *Sela semper*.
8. Vers. 21. & ult. *Ut sciant gentes quoniam homines sunt* סלה *Sela semper*.
9. Psal. 20. vers. 4. *Et holocaustum tuum pingue fiat*: סלה *Sela semper*.
10. Psal. 21. ver. 3. *Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum* סלה *Sela semper*.
11. Psal. 24. vers. 6. *Quærentium faciem tuam Jacob* סלה *Sela semper*.
12. Vers. 10. & ult. *Dominum virtutum ipse est Rex gloriæ* סלה *Sela semper*.
13. Psal. 32. vers. 4. *Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina* סלה *Sela semper*. Vel secundum literam Hebraicam: *Versus est viror meus in siccitates æstatis*, סלה *Sela semper*.
14. Vers. 5. *Et tu remisisti impietatem peccati mei* סלה *Sela semper*.
15. Vers. 7. *Erue me a circumdantibus me* סלה *Sela semper*.
16. Psal. 39. vers. 6. *Veruntamen universa vanitas, omnis homo vivens* סלה *Sela semper*.
17. Vers. 12. *Vane conturbatur omnis homo* סלה *Sela semper*.
18. Psal. 44. v. 9. *In Deo laudabitur tota die: & in nomine tuo in seculum confitebimur*, סלה *Sela semper*.
19. Psal. 46. v. 4. *Conturbati sunt montes in fortitudine ejus* סלה *Sela semper*.
20. Vers. 8. *Susceptor noster Deus Jacob* סלה *Sela semper*.
21. Vers. 12. & ult. *Susceptor noster Deus Jacob* סלה *Sela semper*.
22. Psal. 47. vers. 1. *Speciem Jacob quam dilexit* סלה *Sela semper*.
23. Psal. 48. vers. 9. *Deus fundavit eam in æternum* סלה *Sela semper*.
24. Psal. 49. v. 14. *Et postea in ore suo complacebunt* סלה *Sela semper*.
25. Vers. 16. *Cum acceperit me* סלה *Sela semper*.
26. Psal. 50. vers. 6. *Quoniam Deus Judex est* סלה *Sela semper*.
27. Psal. 52. v. 5. *Iniquitatem magis quam loqui æquitatem* סלה *Sela semper*.
28. Vers. 7. *Et radicem tuam de terra viventium* סלה *Sela semper*.
29. Psal. 54. v. 5. *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum* סלה *Sela semper*.
30. Psal. 55. v. 8. *Et mansi in solitudine* סלה *Sela semper*.
31. Vers. 20. *Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante secula* סלה *Sela semper*.
32. Psal. 57. vers. 4. *Dedit in opprobrium conculcantes me* סלה *Sela semper*.
33. Vers. 7. *Foderunt ante faciem meam foveam: & inciderunt in eam* סלה *Sela semper*.
34. Psal. 59. v. 6. *Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem* סלה *Sela semper*.
35. Vers. 14. *Et scient quia Deus dominabitur Jacob: & finium terræ* סלה *Sela semper*.
36. Psal. 60. v. 6. *Ut fugiant a facie arcus* סלה *Sela semper*.
37. Psal. 61. v. 5. *Protegar in velamento alarum tuarum* סלה *Sela semper*.
38. Psal. 62. v. 5. *Et corde suo maledicebant* סלה *Sela semper*.
39. Vers. 9. *Deus adjutor noster* סלה *Sela semper*.
40. Psal. 66. v. 4. *Psalmum dicat nomini tuo* סלה *Sela semper*.
41. Vers. 7. *Qui exasperant non exaltentur in semetipsis* סלה *Sela semper*.
42. Vers. 15. *Offeram tibi boves cum hircis* סלה *Sela semper*.
43. Psal. 67. vers. 2. *Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri* סלה *Sela semper*.
44. Vers. 5. *Et gentes in terra dirigis* סלה *Sela sempe*.

45. Psal.

45. Psal. 68. v. 8. *Cum pertransires in deserto* סלה *Sela semper*.

46. Vers. 20. *Deus salutarium nostrorum* סלה *Sela semper*.

47. Vers. 33. *Psallite Domino* סלה *Sela semper*.

48. Psal. 75. v. 4. *Ego confirmavi columnas ejus* סלה *Sela semper*.

49. Psal. 76. v. 4. *Ibi confregit potentias; arcuum, gladium, & bellum* סלה *Sela semper*.

50. Vers. 10. *Ut salvos faceret omnes mansuetos terræ* סלה *Sela semper*.

51. Psal. 77. vers. 4. *Et deficit spiritus meus* סלה *Sela semper*.

52. Vers. 10. *Aut continebit in ira sua misericordias suas* סלה *Sela semper*.

53. Vers. 16. *Redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob, & Joseph* סלה *Sela semper*.

54. Psal. 81. v. 8. *Probavi te apud aquam contradictionis* סלה *Sela semper*.

55. Psal. 82. v. 2. *Et facies peccatorum sumitis* סלה *Sela semper*.

56. Psal. 83. v. 9. *Facti sunt in adjutorium filiis Loth* סלה *Sela semper*.

57. Psal. 84. v. 5. *In secula seculorum laudabunt te* סלה *Sela semper*.

58. Vers. 9. *Auribus percipe Deus Jacob* סלה *Sela semper*.

59. Psal. 85. v. 3. *Operuisti omnia peccata eorum* סלה *Sela semper*.

60. Psal. 87. v. 3. *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei* סלה *Sela semper*.

61. Vers. 6. *Et Principum horum, qui fuerunt in ea* סלה *Sela semper*.

62. Psal. 88. vers. 8. *Et omnes fluctus tuos induxisti super me* סלה *Sela semper*.

63. Vers. 11. *Aut medici suscitabunt & confitebuntur tibi* סלה *Sela semper*.

64. Psal. 89. vers. 5. *Et ædificabo in generationem sedem tuam* סלה *Sela semper*.

65. Vers. 38. *Et sicut Luna perfecta in æternum: & testis in Cœlo fidelis* סלה *Sela semper*.

66. Vers. 46. *Perfudisti eum confusione* סלה *Sela semper*.

67. Vers. 49. *Eruet animam suam de manu inferi* סלה *Sela semper*.

68. Psal. 140. v. 4. *Venenum Aspidum sub labiis eorum* סלה *Sela semper*.

69. Vers. 6. *Juxta iter scandalum posuerunt mihi* סלה *Sela semper*.

70. Vers. 9. *Ne derelinquas me, ne forte exaltentur* סלה *Sela semper*.

71. Psal. 143. v. 6. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi* סלה *Sela semper*.

Non minus apte alia tria loca in Oratione Habacuc, ubi סלה *Sela* reperitur per *semper* interpretari poterimus. Ea sunt:

Habacuc cap. 3. v. 3. *Deus ab Austro veniet, & Sanctus de monte Pharan* סלה *Sela semper*.

Vers. 9. *Juramenta tribubus, quæ locutus es* סלה *Sela semper*.

Vers. 13. *Denudasti fundamentum ejus usque ad collum* סלה *Sela semper*.

Præter hæc nullus alius in tota Sacra Scriptura extat locus in quo vox סלה *Sela* scripta inveniatur. In his autem locis manifestum est סלה *Sela* per *Semper* aut *in æternum* bene verti cum Hieronymo, Eugubino, Pagnino, & universa Rabbinorum caterva; quin & Vulgata eandem interpretationem admittit, cum & ipsa vocem סלה *Sela* per *æternum* reddat in Psalmo 62. vers. 9. *Sperate in eo omnis congregatio populi, effudite coram illo corda vestra* אלהים מחסה לנו סלה *Deus adjutor noster* סלה *Sela in æternum*. Non est igitur ambigendum *Sela* pro *semper*, & *in æternum* esse vertendum; cum animadvertamus (ut inquit Hieronymus) hoc verbum superiora pariter inferioraque connectere; aut certe docere sempiterna esse, quæ dicta sunt. Nec deest autoritas Talmudis, in hunc sensum *æternitatis* accipi vocem סלה *Sela*, cum legamus in Codice בבא בתרא *Bava Bathra* c. 5. pag. 73. paulo post medium, quod:

אמר רבה אשתעו לי נחותי ימא האי גלא דמטבע לספינה מיתחזי כי צוצית' דנורא חיוורתי ברישה ומחינן ליה באלוותא דחקיק עליה אהיה אשר אהיה יה יהוה צבאות אמן אמן סלה ונייח:

Dixerat Rabba: Narraverunt mihi quidam, qui descenderant Mare (in Navibus) *fluctus hic, quo absorbetur Navis, apparebat cum favilla ignea ardente, alba in summitate ipsius: Percutiebamus eam fustibus, quibus incisa erant* (hæc verba) Ero qui ero, Deus, Dominus exercituum, Amen, Amen Sela *& quiescebat*. Vide etiam עין ישראל *En Israel* part. 11. pag. 81. col. 4. num. 48.

Alius est insuper locus Talmudicus, quo evidenter ostenditur vocem סלה *Sela* habere significationem *æternitatis* & *perpetuitatis*. In Cod. ערובין *Iruuin* c. 5. pag. 54. post medium, tria assignatur vocabula, quæ *sempiternitatem*, sive *perpetuitatem* significant, ea sunt נצח סלה ועד *Netzach*, *Sela*, *& Ed*, de quibus ita in *Ghemara*:

תנא דבי רבי אלועזר בן יעקב כל מקום שנאמר נצח סלה ועד אין לו הפסקא עולמים נצח דכתיב (ישעיה נ"ז: ו"ו:) כי לא לעולם אריב ולא לנצח אקצוף: סלה דכתיב (תלים מ"ח: ט':) כאשר שמענו כן ראינו בעיר יהוה צבאות בעיר אלהינו אלהים וכוננה עד עולם סלה: ועד דכתיב (שמות ט"ו: יח":) יהוה ימלוך לעולם ועד:

Est traditio Scholæ R. Elizier Ben Jacobi

cobi: Omnis locus, in quo dictum est נצח סלה ועד *Netzach, Sela, & Ed, non est ei interruptio æternitatis. De* נצח *Netzach scriptum est* (Isai. 57. v. 16.) Quia non in æternum litigabo, neque לנצח *Lanetzach* in perpetuum irascar. *De* סלה *Sela scriptum est* (Psal. 48. 9.) Sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Domini exercituum, in Civitate Dei nostri: Deus fundavit eam usque in æternum, סלה *Sela* in æternum. *De* עד *Ed scriptum est* (Exod. 15. 18.) Dominus regnabit in æternum ועד *Va-Ed* & in perpetuum. Vide in *En Israel* par. 1. pag. 85. col. 1. num. 20. paulo post medium.

Ex hisce Talmudis locis manifeste apparet, vocem סלה *Sela* significare *perpetuitatem*, seu *æternitatem*. Habet etiam connexionem & convenientiam cum voce אמן *Amen*, quæ in fine Precum plerumque additur, & tunc significat *Vere fiat firmum & ratum sit;* & additio סלה *Sela, ratum & firmum sit, semper, in æternum*. Hinc Hebræi in Epitafiiis, ut pro animabus suorum defunctorum bene precentur, solent has notas addere, א'א' ס'ס' hoc est אמן אמן סלה סלה *Amen Amen Sela Sela, fiat fiat, semper semper in æternum*.

Cæterum de hac voce סלה *Sela* ex professo agit D. Hieronymus epist. ad Marcellam, Comment. in Psal. 4. & in Habacuc cap. 3. Pagninus in Psal. & in Thes. Linguæ Sanctæ Rad. סל Et alii Lexicographi cum Marino, Eugubin. in Psalm. 3. Cornel. a Lapide in Habacuc cap. 3. vers. 3. & alii.

Ex Hebræis R. Abraham Aben Ezræ in Psal. 3. & ibidem R. Salom. R. D. Kimchi, & R. Joseph Aben Jachiia, & Lexicographi omnes.

Sub voce Διάψαλμα agunt Athanasius in Synopsi, Chrysostomus Præfat. in Ps. Eusebius in Psal. 4. Hieronym. locis citatis. Augustinus in Psal. 4. Agellius in Præfatione in Psalmos. Cornelius a Lapide in Habacuc supra cit. & quamplurimi alii.



M. JOH.



M. JOH. PASCHII

DISSERTATIO

DE SELAH

PHILOLOGICE ENUCLEATO.

בס״עד

ΠΡΟΘΥΡΟΝ.

APte & decore *Judæorum Magiſtri* ſcribuut DEUM præceteris mortalibus TRES amare *Homines* : מי שאינו כועס ומישאינו משתכר ומישאינו מעמיד על מדותיו: h. e. *Eum, qui non iraſcitur ;* & *Iſtum, qui ſe non inebriat ;* & *Illum, qui non inſiſtit proprietatibus ſive affectibus ſuis, id eſt qui non mordicus ſuæ indulget ſententiæ*. Quod *ultimum* ſicuti *humanæ imbecillitati* & propenſioni apprime placet, ita *nudæ veritati* & *ſolide eruditioni* e diametro contrariatur atque efficit : Pertinax enim & cerebroſus homo *veritatem reconditam* nec *profunde* ſatis eruit, nec *accurate* expendit, neque ad lydium συναλλοσκοπίας lapidem *prudenter* æſtimat; Sed quod ſemel ἐκ τῆς προπετείας placuit, id ſemper ex cæco impetu & vana ἀναμαρτησίας umbra arridet, quia ſic *vult*, *jubet*, *ſtat* pro ratione voluntas. Hoc ſicuti per varias *artes* atque *ſcientias* rationi ſubjectas occurrit, ita nec *ſacra Hermeneutica* illo deſtituitur obſtaculo, ut ob præconceptam *opinionem*, partium *ſtudium* & lubricam aliorum *auctoritatem* ſæpe prohibeatur, quo minus in dubiis vexatiſque *Philologematibus* plus ultra progredi & certioris ve-

veritatis *fastigium* assequi possit. Etiamsi autem *sacra Philologia* quoad *credendorum agendorumque perspicuitatem* nec *rationi* & sapientiæ *humanæ*, nec *autoritati* Magistrali, nec *placito* Majorum subest, sed *Domino Doctori suo*, *Spiritui S.* gloriam obsequii debeat. Tamen in *profundis vaticiniorum sensibus*, *phrasibus* ac *vocibus* evolvolvendis a Sanctis Dei Viris nondum ita occupata est, ut in bello præda, sed omni seculo atque ætati aliquid investigandum superest. *Sigillatim* illud ab *Interpp.* explicati meretur *nomen*, quod a Sanctissimo Psalte *Davide septuagies & semel*, & ab *Habacuco ter* usurpatum, & *Lutero*, ut jacet in *fonte*, sic in versionis *rivulo* semper relictum legitur; SELA dico. Cum vero *Interpretum Scripturæ* conditio non una sit. *Alii* enim ex *Synagoga Judaica*, *alii* ex *Schola Christiana* originem ducunt. In *illa* eminent partim *Targumici*, partim *Rabbinici* Glossatores. In *hac* se commendant tam *Luterani*, quam *Romano-Catholici* & *Reformati* expositores. Non omnium eadem mens est in *vocis* SELA *ortu & sensu determinando*, aliter enim *Judæi*, aliter *Christiani* nos, sed citra fidei jacturam atque discrimen erudiunt, quæstio enim hæc non est *de fide*, sed circa *fidem*, non dogmatis *Thetici*, sed meletematis *hermeneutici*, non est de rei significatæ *Existentia*, sed de vocis significantis *sententia*. In *cujusmodi vocis* analogo *sensu* accipere licet, quod libet, *quodque* judicio *Grammatico* & *Logico* quamproxime congruit. Nemo igitur nobis jure succensebit, si pro *libertate Academica* id nobis placere dicamus, quod *aliis* displicet, usuque nondum receptum & comprobatum est. *Utemur* quidem (liceat *Senecæ lib.* 1. *epist.* 23. verbis uti) *via veteri*, sed si *propiorem invenimus*, hanc munitam dabimus. Nam qui ante nos ista moverunt, non *Domini* nostri, sed *Duces* sunt; non *Dictanitores*, sed *Senatores*. Et, si rigidis displicemus *Arbitris*, sufficiat nobis placuisse Deo, qui amat veritatis cupidos & affectibus vacuos, quod *ab initio* & semper nos solatur.

PARS PRIMA.

Varias Interpretum Gloſſas ἱστορικῶς *dinumerat.*

GLOSSEMA I.

Reperiuntur magni Nominis multique judicii VIRI, qui vocis SELAH dubiam vexatumque ſenſum ignorare, quam proſtituere malunt.

EXEGEMA.

I. EQuidem non indigito illam *rudium* atque *rudentium Hominum inſcitiam*, qua res omnino intelligendas & cognoſcendas turpiter neſciunt. Neque famoſos, Monachos (1), qui *nihil ſcire*, aut *pauca de Chriſto*, *Maria* & S. *Franciſco* noſſe pro *Summo* habebant *Bono*. (2) Sed illam intendo *ignorantiam*, quæ rerum *ſublimium*, *ſubtilium* & *difficilium* eſt, dicique poteſt nunc *pia*, quæ *myſteriorum* cauſas ignorat; nunc *provida*, *quæ pericula*, famæ aut vitæ diſſimulat; nunc *erudita*, quæ modeſte ſeipſam agnoſcit, eoque declinat rerum *dubiarum ac incertarum determinationem*. Sic *Jobus* (3) de operibus Creationis in univerſum pronuntiat *exiguam particulam viarum Dei nobis eſſe cognitam*. *Lindanus Onuphrius* atque *Baronius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* ἄδηλα, libenter agnoſcunt, ejuſque defectus ſatis deplorant. *Judex Romanus* ob diviſa ſuffragia olim pronuntiabat: non liquet. (4) *Cardanus* Medicinæ doctam ignorantiam ſatis expoſuit in *labyrintho contradicentium Medicorum*. Quilibet Philoſophorum in ſua arte habet, quod doctæ ignorantiæ latum campum aperit.

II. Cumprimis *Sacra illa Philologia* plurima in S. Codice offendit *dubia*, quæ *vexata* ſunt atque manent. Inter quæ eminet vox SELAH. Sed *Gordium* hunc *nodum* exquiſitiſſimi quidam *Philologi* potius intactum *relinquere*, quam *implicare* maluerunt. Sic *Sal. Geſnerus* & *Heſhuſius* in vocabuli hujus ſenſu determinando Judicia ſua ſuſpenderunt. Quod *Joh. Capnio* (alias *Reuclinus*) Criticorum *Primicerius in concordantiis* imitatus, non tam *ſuam*, quam *Judæorum* de hac voce opinionem expoſuit. *Martinus Gejerus* (5) opinatur non poſſe *ſolidi quid* afferri, proinde ex adductis *Aliorum* conjecturis id, quod *probabiliſſimum eſt*, eligendum ſuadet. *Sal. Glaſſius* (6) *Sixt. Amama Optimus Scripturæ S. Vindicator* dictus, noſtrum SELAH inter *dubiæ* ſignificationis *voces* refert. V. noſter Senior Andr. Sennertus (7) de hac voce quidem *Aliis Aliud* placere dicit, ſed *certi aliquid* heic afferri poſſe graviter dubitat.

III. Nos lubens meritoque *Tantis* tamque *modeſtis Judiciis* noſtrum ſubſcriberemus ἐπέχειν niſi jam ex inſtituto hanc in rem & liberius *commentandum eſſet*. Quia igitur nobis ſemel placuit *loqui*, nunc non convenit *tacere*. Loquendum enim & tentandum. *Tentando* Trojam quondam venere *Pelaſgi*. Nullum *quoque* heic eſt *periculum fidei aut morum*, quin tuto opinari, eamque certitudinem adſpirare queamus, quam conſequi licet, & par eſt. *Accedit*, quod tum demum aliquid rite ignoremus, aut aſſeverare verecundemur, quando cum ratione veroſimili, aut alio quocunque plauſibili conſilio ſententiam noſtram ſtabilire non ſufficimus. Sed vero illud hic tantum abeſt, ut metuamus, ut potius & mentem & rationes noſtras inferius numerandas ac benevole ponderandas proponamus.

GLOSSEMA II.

Dantur quoque Auctores, qui τὸ SELAH *per notam & emphaſin æternitatis aut perpetuitatis vertunt.*

EXEGEMA.

I. INter *Targumiſtas* (qui ſc. paraphaſes *Pſalmorum & Prophetarum Chaldaicas* conſignarunt) facile primus, qui huic gloſſemati ſubſcripſerat, eſt *Raf Joſe*, aut *Joſeph paraphraſtes* Hagiographorum, ut videtur, feliciſſimus, alias סני נהור πολυφθεγγὴς cognominatus (forte ob mentis *perſpicaciam*, vel ut Hottingerus (8) conjicit, κατ' ἀντίφρασιν ſic dictus, quaſi oculis corporis infirmus atque adeo luſcus & cæcus fuerit.) Prælaudatus ille *Joſephus* vocem SELAH in *Pſalmis* ubique transfert per לעלמין l. לעלמי עלמין *in ſecula* ſeculorum. Quam ſententiam *Jonathan*, *Prophetarum Interpres* Chaldaicus, Filius *Uzielis*, qui fuerat *Hillelis* conſtantiſſimus diſcipulus vel *præparaverat*, vel non omnino deſeruerat; niſi quod *Joſephi* לעלמין cum ellipſi quadam & τὸ סלה cum hoc ſupplemento expoſuerit בגבורת עלמין e. g. *in fortitudine ſeu potentia ſeculorum ſ. æternitatis*. Quod eſt

περι-

περιφραςικὸν Messiæ nomen. (9) Clarius in duobus (10) Habacuci commatibus idem SELAH sub hac περιφράσει effatur *Jonathan* מימרך קיים לעלמי e. g. *Verbum tuum* (h. e. *Messias λόγος tuus*) *o Deus! hoc ita decrevit atque constituit in æternum*. Non secus *Syrus Interpres* nostrum SELAH *aliquando* vertit, quam per לעלם sive *in æternum*. Quamvis *idem Interpres* hanc versionem non ubivis locorum repetat, sed sæpe numero plane omittat.

II. Ex *Rabbinis* unus instar omnium est *Raschi.* sive *R. Sal. Jarchi*, (11) qui vocem SELAH in Habacuci precibus expositurus amplectitur paraphrasin לעולם in seculum. Similiter *Rab. Abr. Aben Ezdra* (12) inter alias conjecturas sibi quoque placere dicit istam τῦ סלה expositionem, quæ fit per לנצח *in æternum*, quod ex quibusdam *hymnorum* locis ad hunc sensum explicatis probat, videl. ex Psalm. 81. 8. Hab. c. 3. 3. 13. Eandem mentem propugnat *R. Sal. Ben Melec* (13) quando *æternitatis* & *sæculi* sensum substituendum docet. Simile quid sentiunt *Mardochai Nathan*, aliique. Quorsum etiam facit Judaica traditio ex domo *Rab. Eliesar Ben Jacob*, cujus *Ben Melech* (14) & *Galatinus* (15) ex *Rab. Kimchi* meminit, quod omnis locus, in quo reperitur נצח, סלה, ועד, non habeat intermissionem, sed in *seculum*, & *in secula seculorum* significet. Exempla, quæ adducit, sunt de נצח Esa. 57. vers. 16. de סלה Psalm. 48. 9. de ועד Exod. 15. 18. Huic favet *pium illud votum*, quod *clausulis librorum Hebræi* adjicere solent: אמן, נצח, סלה, ועד quod *abbreviate* sic scribunt: Et sic quoque Jehudæi claudunt *Epitaphia* sua, uti *Basileæ Sebast. Munsterus* (16) hæc verba lapidi inscripta legit נשמתה תהא צרורה בגן ערן א. א. א. סלה h. e. *Sit anima ejus ligata in paradiso*, *Amen*, *Amen*, *Amen*, *in sempiternum*. Et *Heidelbergæ* lapis est ante 300. ferme annos sculptus, cujus inscriptio in hæc desinit verba מנוחתה בצרור החיים עם שער צדקניות א. א. סלה h. e. *quies ejus sit in fasciculo vitæ cum reliquis justis mulieribus*. Hinc *Dn. meus Edzardi* non semel *Chaldaicos Paraphrastas*, *Rabbinicos Interpretes*, & *Judaicas preces* atque *epitaphia* observare inculcavit, quippe quæ סלה per נצח omnium commodissime verterent atque intelligerent. *Denique* his suffragari videtur *B. Hieronymus* (17) & Aquila, qui τὸ Selah per *semper* verti voluerunt.

III. Quamvis ad *Horum Autorum* sententiam præcipue decurrere nobis visum & constitutum sit infra, non possumus tamen non subindicare causam, quæ nos ab *illorum* intimiori necessitudine & admissione retrahit. Nihil enim pro sua causa admittere habent, nisi *opinionis antiquitatem*, *parcam* & in nonnullis exemplis hiulce connexionis *accommodationem*. *Sicuti* vero *multitudo errantium errori non patrocinatur*, ita nec *Chaldæi* aut *Judæi* semper penitiorem textus aut vocabuli cujusdam sensum assecuti sunt, quod plurima *de Messia* loca probant. *Neque* illa *æternitatis* & *seculi* glossa singulis τῦ Selah exemplis sine trajectione & absurditate applicari potest. Evolve sis *Psalm.* 32. 4. 81. 8. κ᾽ τὰ λοίπα, & applica *æternitatis* sensum, videbis! Neque per triplex *Habacuci* Selah salva veritate intelliges *æternitatem*, aut *secula seculorum*, quia *hæc oratio* res facti *præteritas* non *æternas* prædicat atque celebrat. *Præterea* quomodo radices & formales significatus *Chaldaici* עלמין, *Syriaci* עלם & Rabbinici עולם aut נצח cum nostri סלה *radice* סלה vel סלל conveniunt? Sane nec *materialiter* & quoad literas, nec *formaliter* & quoad sensum concordant. *Illæ* enim *durandi*, *hæ sternendi* & *exaltandi* conceptum pariunt. Quod cum advertisset *R. David Kimchi* (18), maluit voce Selah indicari *elevationem* aut *exaltationem* vocis, quasi esset a rad. סלל id est, *extulit*, *exaltavit*. *Accedit*, quod multi *Rabbinorum*, dum suas sententias afferunt, *ipsi* sui immemores nunc *hoc*, nunc *aliud statuant*, nihil quicquam *probent*, animi *pendeant*, eoque sic Lectorem in ancipiti *relinquant*. (19) Recte igitur huic sententiæ absolutum addere calculum veremur.

GLOSSEMA III.

Sunt vicissim alii, qui vocem SELAH *assertive explicant per ita est, verum & certum hoc verbum est, profecto, Amen.*

EXEGEMA.

I. HAnc sententiam *R. Abr. Aben Esra* post varias animi dubitationes pro rata & certa habet. Cum quo conspirare videtur *R. Dav. Kimchi*, (20) quasi אמר סלה s. *dictum Sela* stabiliendi promissi causa adduceretur, ut instar sigilli, quod certitudinis loco alias suffigi solet, *valeret*, quo Deus se id oratori servaturum obligat, quod *Patribus* sancte pollicitus erat. His adstipulantur *Junius* atque *Tremellius*, qui, cum in prima Bibliorum editione vox *Selah* αὐτολεξεὶ fuisset retenta, in posteriori *illam* pro com-

commoditate textus in *adverbium* intendendi & asseverandi transtulerunt, ac si esset καθ ὑπερβολὴν καὶ ἐξοχὴν intelligenda. Hinc loco τȣ̃ Selah in *Psalm.* 3. 3. positum *plane*. In *Psal.* 3. 5. 9. 4. 5. 20. 4. 21. 3. 47. 5. *Hab.* 3. 9. 13. *maxime*. In *Psal.* 4. 3. 9. 17. 24. 6. 44. 9. *Hab.* 3. 3. *summe*. In *Psal.* 9. 21. 52. 5. 7. 55. 8. *vehementissime*. In *Psal.* 60. 6. 66. 15. 88. 11. *potentissime*. In *Psal.* 68. 8. 20. *excellentissime*. &c. Similiter Dn. D. *Luc. Osiander* (21) in castigatione vulgatæ versionis (quæ vulgo τὸ SELAH plane omittit) humiliori typo scripsit *Salah*, & in parenthesi explicuit per *profecto*. *Denique* & illi huc collimare videntur, qui dicunt *Selah* esse vocem, qua alicui *felicitas* optatur, quasi coincideret cum nostro usitatissimo *Amen*, quod in V. T. *trigesies sex*, in N. T. *quadragies sex*, & ubique *cum voto* occurrit omnibusque nostris precibus in calce annectitur. Sic *Paul. Fagius* (22) observat tres esse voces, quibus *Hebræi* apprecantur rebus suis felicitatem & successum, videlicet סלה, שלום & אמן. Inde fortassis est, quod formulæ precum Judaicarum sic desinant in סלה uti nostræ in אמן. Alias τὸ *Amen per rasche tebbot* pie sic resolvitur, quasi *Redemtor* nobis diceret: אני מלך ניצרים id est, Ego Rex Judæorum; Cui *nos* respondemus: ארני מלך נאמן hoc est, *Dominus est Rex fidelis*. (23) De cætero certum est hac voce *Amen formaliter* neque *juramentum*, neque *felicem successum*, sed tantum *assertionem* seu *consensum* & voti *complementum* exprimi (24).

II. Sed nulla *probandi causa* hujus sententiæ *Patronis* incidit aut revera suppetit, qua illud, quod dicunt, *vel in speciem* probare possent. Nulla quoque *radicis* & *accidentium Grammaticorum* analogia illis adducitur, qua longius hanc petitam significationem excusarent aut præcaverent. Nec video, cur non illo sensu etiam vox *Sela* extra *Psalmos* & *hymnos* collocari potuisset? Quinimo si omnibus *Selarum* locis talem asseverandi *sensum* affricares, nil sæpe absurdius, & inconvenientius explicasses. Nam quando *Psaltes* Psalm. 4. 3. quærit: *Quousque diligetis nænias? quousque conquiretis mendacium?* Tu si hoc adjectum Sela interpretaturus esses per *Verum* hoc & *certum* est? Sane hiulca & dissoluta hinc emergeret συνέπεια καὶ συνάφεια. Nisi fortassis inusitato & *Hebræis* incudito exemplo per *apostrophen* subaudire velis integram hanc periodum: Denn das ist gewiss und wahrhafftig, dass ihr Eitelkeit und Lügen lieb habt. Quod μεταφραστικῶς per te significabit SELAH. Scilicet! Addatur ejusdem *Psalmi* vers. 5. *Psalm.* 89. 49. Ubi similiter SELAH non *affirmative*, sed *negative* vertendum occurrit. Concedo tamen, τὸ SELA περιφραστικῶς per *illos glossematis formulas* כן הוא & אמן non semel diduci & declarari posse; A παραφράσει autem *Rethorica* ad μετάφρασιν *Grammaticam* N. E. C.

GLOSSEMA IV.

Sunt quoque non pauci, qui SELAH pro ditione enclitica poetica & supervacua habent.

EXEGEMA.

I. HI illi sunt, qui voculam *Selah* duntaxat pro *non significativa notula* venditant. Ex quibus præcipui: *Paulus, Episcopus Burgensis* (25) qui, postquam *æternitatis* & *perpetuitatis* expositionem cum ratione rejecerat, mox sine ratione vocem Selah *significativam* esse negat. *D. Joh. Forsterus* (26) itidem nostrum Selah pro *dictione enclitica*, *paragogica*, *Poetis familiari*, & *in carmine usitata* accipit, quasi non *significative*, sed tantum *ad supplendum modulamen cantus* ponatur. Hinc *illud* cum *copula vau* aliisque *syllabis* atque *voculis* in *Psalmis* sæpenumero otiosis, nullaque significandi necessitate, sed tantum, *carminis gratia* positis paria facere opinatur. Quin & ipsius *radicis* סלה significationem hoc innuere censet, quasi a Poeta adhibitum fuerit, ut *carminis pes* in *strata hac via* longius iret & progrederetur, modulatio cantus atque numerus suppleretur. *D. Nicol.* Selneccerus (27) quoque *encliticam* hanc mentem sequi nostrumque SELAH pro voce nullius certe rei indicativa habere videtur. Quod & *Val. Schindlerus* (28) itemque Kircherus (29) faciunt.

II. Ceterum qua fronte hi *Autores* annuere possunt SELAH esse *vocem poeticam?* cum *genera* Psalmorum & *Poesin Hebræam* se ignorare libenter agnoscant? *Perinde* est, ac si ego dicerem *Han-lu* esse *Chinensium vocem Poeticam*, cum tamen *Sinicam poesin* plane ignorem. *Deinde* continuativus accentus voci SELAH adscriptus satis arguit illam non esse *encliticam* & *a textu discretam* particulam, sed vi proprii sui sensus ad textum omnino pertinere. *Porro* videtur hoc asserto *Canonica* Scripturæ *perfectio* corrumpi, huic enim nihil *adimi*, nihilque *apponi* debet, nedum ut πλεοναστικὴ κεραία *superflua* vox (ein poetisch Füll-Wort) ex Autoris Spiritus S. debilitate *sive* penuria interseri fingatur (30.) Neque est, quod D. *Forsterus* ad radicem vocis Selah provocet

vocet, quam aut סלה aut סלל esse supponit, hæ enim radices vi etymi neque poeticos pedes, neque supervacuam, neque modulationem cantus, sed proprie viam aggesta terra *sternendam* & *elevandam* significant. Sic Prover. 15. 19. dicitur *via justorum* סללה *bene strata*, non cantata. Conf. Esaiæ cap. 57. vers. 14. cap. 62. vers. 10. Ubi non de *cantione*, vel vocis prolungatione, sed miserorum hominum *commoda & bene digesta statione* sermo est. Nihil igitur hoc ad supervacuam illa sententiam facit. Postremo sicut *Paulus Burg.* imperite statuit dari in *Nomenclatura Hebræa dictiones* cum otio *encliticas*, ita inique supponit *voces encliticas* promiscue *sine sensu* & *usu* venire. Cum tamen *Græcorum*: τȣ, μȣ, πως, νυν, τινος, σφως, φημε, ποθι &c. Latinorum: *que*, *ne*, *ve* &c. expresse contrarium probent. Et si *hi Autores* nobis dederint *similes* in L. S. *encliticas*, tunc vinctas manus dabimus.

GLOSSEMA V.

Nonnulli vocem SELAH *epiphonematice reddunt ad sensum exclamationis admirationis, attentionis aut suspirii?*

EXEGEMA.

I. RAb. *Dav. Kimchi* ab hac sententia non procul abludit, quando סלה a rad. סלל deducit, & per *elevationem*, quod superius monitum, exponi posse credidit. *Joh. Calvinus* æque indicem digitum ad radicem סלל intendit, eorumque opinionem probabilem esse dicit, qui hac voce *elevationem* in cantu notari putant, ita ut *canendi modulus sententiæ aptatus*, & concentus cum re vel subjecta materia conjunctus fuerit. *Henricus Mollerus*, (30) *Reformatus* ille in hanc quoque descendere videtur sententiam, quando τὸ *Selah* ad *Musicam* pertinere, & *melodiæ* potius, quam *rebus ipsis* convenire existimavit. *Petrus Ravanellus* (31) itidem vertit per *elevationem*, quia, inquit, *Cantor*, *ubi ad hanc vocem pervenerat*, *attollebat vocem suam*, *& hoc signum erat*: *gravem ibi sententiam contineri in quam animus intendendus erat*. *Francisc.* Vatablus (32) *Lutetiis Paris. Prof. Hebr. ling. Catholicus* pariter annotat *voce Selah* significari *elevationem*, *& exclamationem*, quasi in illis locis ubi ponitur, signum sit excitandæ vocis & animi maxime intendendi. Quod itidem ex praxi *Cantorum Judaicorum* probare satagit. Pro varietate textus autem *Vatablus* suam *exclamationem* variat. Ita *Psalmi* 3. *vers.* 3. *Sela* sic vertit: *o gravem calamitatem meam!* Psalmi 20. commatis 4. Selah (33) ad hunc tenorem exprimit: *Quam magnum est offerre oblationem Deo gratam; magni momenti est holocaustum a Deo probari & preces ab eo exaudiri!* Ps. 21. vers. 3. *Selah* ita circum loquitur: *O magnam & admirabilem Dei benevolentiam erga Davidem!* &c. Ad *Hujus* exemplum *Nonnemo Selah* redidit Ach ja!

II. Sed ὡς ἐν παρόδῳ, heic observandum, quod versio illa *Vatablo* plerumque tributa non sit per omnia *Vatabli*, sed *Tigurinorum Theologorum*, utpote *Leonis Judæ*, (ex Judæo Zwingliani) *Theodori Bibliandri*, *Petri Chaolini* & *Rudolphi Gualtheri* (34) *Henrichus Stephanus* autem hujus erroris causa est, eo quod illam *Parisiis* per hanc inscriptionem ediderit: *Cum versione & notis Vatabli*. Quæ inscriptio ipsos etiam *Hispanos* decipit, quibus illa *Versio* adeo placuit, ut *Salmanticæ* eam typis recudendam curaverint, quam tamen, si scivissent *Reformatorum* esse, ad orcum potius damnassent.

III. *Matthæo Polo* (35) Criticorum facile *Principi* inter alias conjecturas hic qq. τȣ *Selah* sensus arridet, quod non tantum *Musicæ*, sed & *exclamationis & attentionis* nota sit, ac si ad ejusdem recitationem aut cantionem mens elevata fuerit, q. d. *O magnam blasphemiam! an sic licet providentiam Dei in dubium vertere?* Pro qua sententia statuminanda videtur *Polusprimo* ad *Rad.* סלל quasi *Selah* per *Sellah* esset; deinde ad *ritum Judaicorum Cantorum* atque *Lectorum* audacter provocare, quasi *Cantores* in locis hisce decantandis una cum corpore vocem s. *gaudii* s. *mœroris* causa intendissent, eoque signo mentes suas aliorumque ad attentionem contemplationem istorum, quæ canebantur, excitassent. *Lectores* autem admoniti fuissent, quod ibi, ubi *Selah*, *Psalmista* mentem elevaverit. Similiter *Matth. Flacio* (36) illa semper probata est sententia, quod Selah *& vocis*, & *animi* in adjuncto versiculo canendo *intensionem* adhibendam esse indicet. *Eduardus Leigh* (37) *Eques* L. A. M. *& Aulæ Magdal. Oxon. Præpositus* similiter censet Selah denotare *elevationem* sive *excitationem*, & quidem vel *mentis* ut *attendat*, vel *vocis* ut *intendatur*, vel etiam *utriusque*. Cæteris *Exclamatores* transeant.

IV. Posset equidem τὸ *Selah ex horum Autorum mente* intellectum facile comparari cum *Nostrorum Musicorum praxi*, qui, quando ad textum *laude & attentione dignissimum* decantandum perveniunt, extemplo *totum Chorum cum fundamento ducto & instrumentis tam inflandis quam* pul-

pulsandis conclamare jubent. Quod *Tutti*, *Levano*, *allegro*, forte, frisch *Musicis Italis* aliisque vocatur. Sed conjectura hæc *nullam probandi causam* habet, neque *divinior* atque *devotior* illa *Musices Hebrææ* ratio cum nostra *leviori* ullum comparationis terminum habet, quia *illa* jampridem antiquata cum ipso cultu exolevit, & nil nisi textum legendum reliquit. Frustra igitur *Vatablus* atque *Polus* ad *Ritum Judaicum*, quem nesciunt, provocant. *Deinceps* si *Hebræorum Selah* cum *Italorum Levano* contendis, dic mihi, quid *Italorum piano* apud *Hebræos* æquivaluerit? Hæc enim duo apud *Musicos* in relato usu consistunt. *Præterea* vox *Selah* continuam habet *accentuationem*, ergo non potest esse *nota musica* a textu discreta, sed oportet, ut ad textum pertineat, quod eleganter & accurate monet Pfeifferus. (39) Et mirari me subit, cur *Reformatorum plerique* hanc voculam *Selah* ad *Musicam Hebræam* tam presse relatam velint, quam *tamen* alias odio & despicatui habent ipsorum plurimi. Sic *Joh. Henr. Alstedius*, qui κατ᾽ ἀναγρ. Sedulitas ipsa fuit, morose statuit, (40) Illos *Synagogam* pridem sepultam refodire, qui *Instrumenta Musica* tuentur. Quia vero *Hic* seipsum sedulo corrigit, nostra correctione vix indiget; dicit enim alibi (41) quod per *Musicam Instrumentalem* pædagogia & Infantia veteris populi neutiquam postliminio introducatur. Interim fateor *hujus glossematis* sensum quoque in nonnullis casibus bene adhiberi posse, sed *vim etymi* & *intentionem Spiritus S.* hoc ipso plenissime exprimi diffiteor.

GLOSSEMA VI.

Multis iisque Gravissimis Viris perplacet significatio generalis pausæ, quæ totius chori vocem & instrumenta silere, nunc autem devotissima præcedentium verborum consideratione opus esse commonefecit.

EXEGEMA.

I. NOli *Horum* generale & improvisum silentium cum *Antecessorum* sonora atque conclamata *voce* commiscere, ne diversæ, ipsis *Autoribus* renuentibus, consonent sententiæ. Licet enim *utrobique* tam in *glossemate præcedenti*, quam *præsenti* mentis excitandæ, & attentionis indicandæ causa agatur, *illi* tamen istud sub *vociferationis*; *Hi* sub *silentii* lege intellectum volunt. Mens igitur horum *Autorum* eo recidit, ut *Selah* pro signo primario vocis & soni subito reprimendi habeant, quo represso universus populus ad proxime decantata ceu singularia & ἀξιομνημόνευτα verba animum desigere jussus sit.

II. Noster *Lutherus* (42) huic judicio suum addidit calculum, cum scribit: Selah bedeutet ein Stillhalten und fleißiges Auffmercken. Quam hypothesin pio admodum commentario ibidem illustrat, ita quidem ut nemini illam velut *apodicticam* obtrudat, sic enim desinit: Daß sey meine Meinung von dem Wort Sela / doch halt ein jeglicher was Er wil / ich bins wol zu frieden. *Dn. Joh. Tarnovius* (43) itidem hanc sententiam & omnium maxime *verisimilem* & derivationi τȣ̃ Selah (a סלה stravit) *optime congruam* statuit. A quibus necdum dissentiunt Nostrates *Theologi omnes omni nostra laude majores*. Ita enim τὸ Selah explicandum sumsit *Summus noster* Calovius. (44) Ita *Optimus noster* Deutschmannus. (45) Joh. Olearius. (46) *Maximus* & harum rerum perstitissimus Pfeifferus. (47)

III. Ast *Hæc* sunt illa *veneranda Capita*, quorum *consilia* instar *oraculi* æstimo, quorum *judicia* omni exceptione *majora* habeo, ut mihi nunc religio sit *Tot Tantisque Viris* vel *nutu* refragari. Nil causæ igitur habeo, quod huic sententiæ opponam, nisi quod mihi *pia* magis, quam *vera* videatur.

GLOSSEMA VII.

Alii voculam SELAH *pro Charactere Musicæ vocalis finiendæ, & instrumentalis inchoandæ æstimant.*

EXEGEMA.

I. HAnc opinionem fovere videtur *Dn. Marcus Marinus Brixianus* (48) *Canonicus Regularis*. Cujus mens ita concipienda, ac si *Selah* fuerit signum altioris vocis in cantu, ad quod cum pervenirent Musici TANTUM organa pulsari debuerint. Et ob id Selah fere semper in illis *Psalmis* poni credidit, qui מזמור h. e. *cantiones & voce & organo per vices decantandæ* inscribuntur. Cætera autem *Psalmorum* exempla hac ἐπιγραφῇ destituta & nihilominus voce *Selah* suppleat *metri* defectum, & animum excitet ad sublimitatem eorum, quæ dicuntur, considerandam.

II. Sed mera hæc est *conjectura*, quæ, quia nulla solida stipatur ratione, per seipsam titubat. Occurrunt enim Psalmi (49), in quibus *instrumenta* musica *enchordica*, *crustica*, & *pneumatica*, ad laudem

dem Dei producenda jubentur, & fortassis etiam adhibita fuerunt, ut tamen nulla inibi fiat τȣ̃ *Selah* mentio, quod *vocum pausam* & *instrumentorum sonitum* argueret. *Sæpe* etiam *Psalmi* (50) *pœnitentiales*, *passionales* aliique *queruli* illud SELAH insertum habent, ubi tamen Judæos *Instrumenta* adhibuisse mihi non fit verisimile. Accedit, quod *Brixianus* confundat זמרה cum מזמור *illud* quandoque *Psalmodica instrumenta; hoc* duntaxat *canticum numeris atque cæsuris artificiose distinctum* arguit. (51) Reliqua Brixiani παραφθέγματα ex superioribus facile divelli possunt.

GLOSSEMA VIII.

Postremo dantur Nonnulli, qui vocem סלה *nunc per* ΔΙΑΨΑΛΑΜ, *nunc* ἐς τέλος *vertendum ducunt.*

EXEGEMA.

I. SEptuaginta *Interpretes* in Græcanica sua Psalmorum versione loco *Hebraici* סלה plerumque majusculi literis ΔΙΑΨΑΛΜΑ collocant, sed Habacuci סלה ἐς τέλος vertunt. Quid vero διάψαλμα denotet, inter *Autores* non bene convenit. *Suidas*, *Monachus ille Byzantinus & Grammaticorum unus instar omnium* illud exponit ἐναλλαγὴν μέλȣς, h. e. *mutationem cantus*. Quam sonorum & melodiæ mutationem amasse quoque videntur *Hieronymus*, (52) *Cassiodorus*, & Vir sui nominis *Grotius*. (53) *Genebrardus* illud vertit *musicæ varietatis exordium*. Alii *sensus novi initium*. Alii *pausationem spiritus*. Alii *rythmi distinctionem*, aut *commutationem metri*. *D. Forsterus* (54) vertit *distinctæ continuationis quietem*. Quorsum τὸ τέλος collimat, quasi tam διάψαλμα, quam τέλος quandam *finis connotationem* dicant, ut sensus fit finiri ibi cantum aut rythmum, novumque esse inchoandum. Quod inter alios quoque placet *Ludovico de Dieu*, (55) & *D. Job. Micrælio*. (56)

II. Sed his *Mutatoribus* contradicit *genuinus* & vocis SELAH *primitivus significatus*. Quid enim סלה *stravit*, aut סלל *aggeravit*, *exaltavit* ad mutationem cantus? Deinde videntur *Diapsalmistæ* supponere *voculam Selah* semper *in fine versuum hærere;* cujus tamen contrarium αὐτοψία indicat. *Quatuor* enim extant *loca*, ubi *in medio* commatum legitur *Selah*, videlicet *Psalm.* 55. 20. 57. 4. *Hab. cap. Hebr.* 3. *Germ.* Luth. 4. 3. 9. *Denique* illud monendum duxi, quod ex falsa hac aut male intellecta sententia fluat, quicquid *alii* de *prosodico* aut *musico* vocabuli *Selah* sensu supposuerant aut tradiderant supra. Cum tamen *inconsutilis* fit *sequela:* Διάψαλμα significat *notam Musicam*, ergo *Selah* denotat *pausam;* Nam *a non distributo ad distributum* N. V. C. *Tantum* de tot tantisque *sententiarum* divortiis dixisse sufficiat.

NOTÆ IN PRIMAS PARTEM.

(1) V. *Rud. Hospinian. de Orig. Monach. c.* LXX. *Adde Kechermann. Præcogn. Philos. lib.* I. *cap.* III.
(2) *Conf. Voetium Vol.* III. *Disp. de Ignor. docta pag.* 11. §. 1.
(3) *Cap.* XXVI. *vers. ult.*
(4) *Conf. Reg. lib.* 20. & *ff. de LL.*
(5) *Comment. in Psalm. David ad Psal.* 3. *Expl. vers.* 3. *pag.* 38. 39.
(6) *Phil. S. lib.* III. *Tr.* VIII. *Can.* VI. *p. m.* 639.
(7) *In Psalm. Pœnit.* II.
(8) *Thesaur. Philol. p.* 262.
(9) *Conf. Esa.* 9. 6. & *lib.* 9. *Luc.* 1. 35. *Corinth.* 1. 24.
(10) *Cap.* 3. 9. 13.
(11) *In vers.* 9. *cap.* 3. *Habacuci*
(12) *Super vers.* 3. *Psalmi* 3.
(13) *In Michal Jophi ad Psal.* 3. *p.* 164. *col.* 4.
(14) *Loc. cit.*
(15) *Arc. Cath. Verit. lib.* XI. *cap.* 5. *p.* 685.
(16) *Bibl. Sacr. ad Habak. cap.* III. *p.* 552.
(17) *In Op. Hesp. Tom.* III. *ad Psalm.* 33. *adductus.*
(18) *De quo illud testantur B. Joh. Tornorius in in Ennarat. Psalm.* 3. *Et Buxtorffius in Lex. Hebr. & Chald. ad rad.* סלה *pag.* 511.
(19) *Cæteræ rationes, quibus Paulus Episcopus Burgensis hanc sententiam impugnat, videri possunt apud Joh. Forsterum in Hebr. Dictionario pag.* 548.
(20) *Loc. cit.*
(21) *Ad Psalm.* 3. *vers.* 3. *pag. m.* 487.
(22) *ad Num.* 5. *vers.* 22. *quem notavit B. Geierus ad Psalmi* 3. *Explic. vers.* 3. *pag.* 38.
(23) *Conf. Waltherus in Off. Bibl. pag.* 19. *Glassius Phil. S. lib.* 11. *tr.* 2. 5. 3. *pag.* 304. 308.
(24) *V. B. Danhaverus Disp. in Rom.* 9. 36. *cap.* 3. *quæst.* 6. §. *ult.*
(25) *In Additione* 3. *sup. Psal.* 46.
(26) *Diction. Heb. pag.* 548. *seq.*
(27) *In Comm. ad Ps.* 3. 3.
(28) *In Lex. Pentagl. sub rad.* סלה.
(29) *In concord. V. T.*
(30) *Audi, quid Ep. S. interminetur Apoc.* 22. 19.
(31) *In suis super Psalmos* 3. & 9. *prælectionibus.*
(32) *In Biblioth. S. sub voce Selah.*
(33) *In Not. ad Psalm.* 3. *vers.* 3. *pag.* 71.
(34) *Pag.* 91. *seq. seq.*
(35) *Quod ostendunt Fr. Job. Maria Mag. S. A. Palatii Tom.* 1. *lib. expurgand. pag.* 46. *Serrarius Prolegom. Bibl. cap.* 18. *quæst.* 1. *pag.* 98. & *Observ. ad Riveti Isagog. cap.* 12. *num.* 10. *seq.*
(36) *Synops. Critic. Vol.* II. *part. prior. in Psalm.* 3. *ad vers.* 3. *pag.* 526.
(37) *Clav. SS. col.* 1140.
(38) *In Critica Sacr. Observ. V. T. ab Henrico Middoch latinitate donata pag.* 158.
(39) *Dub. Vex. Loc.* XLIX. *de voce vex. Selah Prob.* II.
(40) *In Theol. Cat. pag.* 678.
(41) *In Triumph. Bibl. pag.* 155.
(42) *Tom.* III. *Witt. Germ. fol.* 24. *a Tom.* 1. *Gen. Germ. f.* 472.
(43) *In Enarrat. Ps.* 3. *p.* 69. & 70.
(44) *In Bibl. Illust. ad Ps.* 3. *v.* 3. 942.
(45) *Disp. Theol. de Secunda Triadosoph. ex Ps.* 67. *vers.* 3. 8. §. 3.

(46)

(46) Biblischen Erklährung, im III. Theil ad *Ps.* 3. *vers.* 3. *p.* 25.
(47) *Dub. Vex. Loc.* XLIX. *Decis.*
(48) *Arca Noe* 5. *Thesauro lib.* 5. *novo sub lit.* ס *sac.* 9. *Matth. Polus* loc. cit. *quoque alicujus anonymi in Genes. meminit, quod eandem sententiam tueatur.*
(49) *Ps.* 98. 5. 6. 150. 3. 4. 5. *&c.*
(50) *Ps.* 32. 4. 5. 39. 6. 85. 3. 59. 6. 14.

(51) *Psalm.* 32. 4. 5. 39. 6. 12. 85. 3. 59. 6. 14.
(52) *Quod notat Casp. Waserus in Psalm.* 60. *p.* 12.
(53) *In Epist. ad Marcellam tom.* IV. *f.* 42.
(54) *Comm. ad Psalm.* 3. 3.
(55) *Animadv. ad Psal.* 3. 3. *Præterea hujus διαψάλματος causa vid. Corderium fol.* 42. *&* 52.
(56) *Lex. Phil. pag.* 375.

PARS SECUNDA.

Probabiliorem sententiam ἑρμηνευτικῶς *demonstrat.*

GLOSEMA UNICUM.

Selah *est nomen* Dei *significativum, quod excelsam & summe celebrandam illius* T. O. M. *Numinis Majestatem in nonnullis Psalmis, hymnis atque Canticis sacro-Hebræis pro liberrima Spiritus Sancti οἰκονομίᾳ septuagies & quater donatare atque exprimere videtur.*

EXEGEMA.

I. HÆc est illa *sententia*, quæ nobis, *salvo meliori feliciorique judicio*, serio & semper arrisit. Sicuti autem *hoc aperto* superiores opiniones neutiquam obliteratas volumus, ita neque nostram mentem *alicui* morose obtrudimus. Quilibet enim, quod libet, statuat. Attamen *nullum* a bona mente tam alienum fore existimamus, qui non certiora producenti faveret, piisque conatibus adstipularetur. Sed ne quis nobis id exprobret, quod Ἄθεος *Galenus* Θεοπνεύστῳ *Mosi: Tu multa dicis, sed pauca probas.* Igitur σὺν Θεῷ annitemur ex *singulis* adducti glossematis verbis *singularia* elicere argumenta, quæ illud, quod probandum, repente & breviter demonstrent.

II. Quamvis allatum *glossema* primo obtutu *Logicam τῦ Selah definitionem* præseferre videatur, *hanc* tamen nec *intendimus*, nec *intellectam* volumus, sed quia *grammatico genere, & hermeneuticis differentiis* usi fuimus, nulla nisi *hermeneutica* hinc dari expectarique debet *delineatio*. Neque illud saltem obtinet in *voce significante Selah*, sed idem quoque valet *in re significata Deo*. *Deus* enim est, de *quo* & *Creaturis Ens, Essentia, Substantia* & *Spiritus* ceu summa *genera* neque συνωνύμως neque ὁμωνύμως, sed ἀναλόγως prædicantur. Ita, ut Deo πρώτως & *absolute*, *Creaturis* δευτέρως & per *dependentiam aut analogiam intrinsecæ attributionis* conveniant, quod eleganter & accurate adversus *Scotistas* aliosque *Scholasticos* atque *Philosophos* observat *Summe Rever. Dn. D. Joh. And. Quenstedt.* (1) *Deus* etiam *ille* est, qui *prædicamentorum ordines* atque *classes* tanquam *Substantia increata* in infinitum transcendit, & a reliquis creatis substantiis *ratione subjicibilitatis* & *prædicabilitatis* ineffabiliter distat. Inde est, quod neque *Selah* neque *Deus* tanquam *Ens Augustissimum* angustis *definitionum Logicarum* cancellis adæquate *includi* possit, *comprehendique* debeat. Ut tamen integrum maneat atque decorum *Philologis Deum* quoad *Essentiam, Nomina* & *Attributa* sua grammaticis lineis utcumque *adumbrasse*.

III. Dicis: *Deus* per *Selah* notatus est φῶς ἀπρόσιτον (2) καὶ πατὴρ τῶν φώτων, παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. (3) *Ergo* nec *grammaticæ adumbrari* debet. *Respond. Paulus* atque *Jacobus* completam & adæquatam Essentiæ Divinæ *comprehensionem* Mortalibus perbene denegant, quo ipso lexicam Nominis Divini *apprehensionem* Hermeneuticis nullatenus adimunt. Similiter Apostoli *Deum* considerant *essentialiter* & καθ' αὑτό; *Grammatici Deum* concipiunt *notionaliter* & καθ' ὑμᾶς. *Sed a negata intimiori penetratione ad negandum qualemcumque* Dei *denominationem* N. V. C. *Dicis: Logicus* quoque *Deum*, non secus atque *Grammaticus*, *notionaliter* æstimat. *Resp.* Hoc falsum. Sicuti etiam *Logica* Accuratioribus Philosophis est *pars Philosophiæ*, & ad *analogiam disciplinæ practicæ* tractari potest, ita *Res suas creatas* per ὁρολογίαν, ἀξιωματολογίαν καὶ διανοιολογίαν tam artificiose & apposite *nuncupat, ordinat* & *comparat*, ut *infinitum* illud atque *increatum* Ens Logices capsulis atque classibus tam *intensive* quam *extensive* dispar sit. Neque valet hæc sequela: *Deus Grammatice.* Ergo quoque *Logice*, & utrobique domestice accurateque tractari potest. Nam *Lexicographia Grammatica* ab ἀκριβείᾳ *Logica* multopere distinguitur. Ibi enim *voces*, *heic termini* usurpantur; Ibi *natura*, hic *ars* dominatur. *Grammaticus* igitur *Dei* Nomina quidem recte *scribere*, *derivare*, *construere* & *pronuntiare* docet, sed *Logicus* non

æque

æque bene *Dei Genus* proximum, *Prædicamentum directum*, *prædicationes* univocas, & *definitiones* accuratas formare sufficit. Itaque nostrum *Glossema* nil nisi *Grammaticam* & *Philologicam*, quam *Inscriptio* promisit, sectatur ἀπόδειξιν, eamque nunc sine mora aggredimur.

IV. De industria *Hebræum* סלה *Latine* scripsimus *Selah* non *Selah* per *obliquum*, (4) *impurum*, & *dilutum* (5) aut *aliud* quodcumque (Æ) (6), quia *Segol* Hebræis (E) *breve* est. (7) Neque *Selah* sine (H) nos scribere oportuit, qui (ה) *finale* sine *Mappik* & *Vocali* apud *Hebræos* quidem semper quiescit a lectione, non autem a *scriptione*. *Escribendum* ergo, non vero *legendum* illud etiam in Latio putavimus.

V. Jam ad *factum*, quia *curia* jam satis intelligit *jura*. Dicimus I. *Selah* est *nomen*. Idque *primo* ratione cognitionis *Biblicum*; quia nobis non nisi ex V. Test. Ipsius *usus*, *status* & *significatus* innotescit. *Deinde* ratione significationis *Politicum*, quia titulum *Divinæ Majestatis* & superheminentis dominii exprimit. *Præterea* ratione veritatis *Logicum*, quia est vox significativa ex impositione sine tempore, cujus nulla pars significat separatim, quæque cum verbo *est*, *erat* vel *erit* denotat verum vel falsum. *Denique* ratione rectitudinis & puritatis *Grammaticum*, quod heic ex instituto probandum (α) ἀποφατικῶς & *ex cæterarum orationis partium remotione*. Non enim *Selah* est *pronomen*, neque *verbum*, neque *participim*, neque *adverbium*, neque *præpositio*, neque *conjunctio*, neque *interjectio*. Siquidem nulla adductæ partis *nota*, *forma*, *species*, aut *similitudo* adduci potest quæ sibi τὸ *Selah* salva *lexicographia & analogia Grammatica* assimilare aut vendicare possit. (β) Καταφατικῶς, tamen ex *Nominis Grammatici definitione*, quia τῷ Selah potest præponi vel ein!, der vel die vel das; quam ex *accidentium quorumdam* in Nomine alias considerandorum *applicatione*. Sic *Selach* est *nomen* (א) ratione *formæ* vel nudum, si a rad. סיה i. e. *calcavit*; item *æstimavit*; item *despexit*, illud deduxeris: vel leviter *acutum*; si id a rad. סלה i. e. *elevavit*, *extulit*; ortum tradere dixeris. (ב) Est nomen *formæ regularis*, utriusque radicis particeps. Nam a סיה statim descendere *potest aut nudum nomen* סלה ad formam פחה *Ducis*, *Principis*; סלע *rupis*, *saxi*, *petræ &c.* aut סלה ad analogiam Formæ כתב *Scripturæ*; קבב *prælii*. Quoniam vero τῷ סיה ad hunc tenorem scripto propter *Soph Pasuk* semper adjectus est *accentus regius sillûk* aut *atanach*, igitur per leges Grammaticas *scheva* mutandum in *segol*. Quod si vero τὸ סלה a סלל derivare malis, similiter id perpronum obtinebis alveum. Nam a סלל descendit nomen (licet nobis nunc inusitatum) סל, quod imitatur formam τῶν קן, צל, נר, חן. Huic nudo סל si ה *paragogicum* præcedente *Kametz* suffixeris, itemque τῷ ל *dagesch forte*, quod jacturam alterius *lamed radicalis* abjecti compeuset, indideris, recte formasti סלה sed quia hoc pacto vocula סל crevit, novamque syllabam accepit, corripienda est *vocalis longa*, & *tsere* mutandum in *scheva*. Hoc *scheva* autem ubique propter accentus regis *Silluk* & *Atnach*? mutatur in *Segol*. *Sed ubi manet Dagesch?* Illud vel ob *euphoniam*, vel ob *accentum tonicum*, vel ob summam *Dei lenitatem*, *clementiam* & *simplicitatem* connotandam ubique locorum negligitur atque excluditur. Eoque sic per *formam* utrobique *regularem* deduximus & conformavimus nostrum regulare סלה, quod erat demonstrandum. (ג) Est nomen *masculini generis*: *Quia* semper construitur cum aliis *nominibus*, *verbis*, *participiis* & *pronominibus*, quæ hujus generis sunt, sic *Ps.* 24. *vers.* 10. hæc reperitur constructio: היא מלך כבוד סלה i. e. *Hic est Rex Gloriæ Selah* q. d. *Hic Selah est Rex gloriæ*. Cætera loca id probabunt clarius, quæ, sis, evolve. *Quia* significat *Nomen* τῶν ילה τῶν איש יהוה & *Viri & Herois*, imo *ipsius Dei*, qui cum primis *Se* sub forma *Viri* Hominibus manifestavit, sicut & ipse Filius Dei in Natura Humana assumta potius *perfectiorem* & *masculum*, quam *sequiorem* & *fœmineum* exprimere voluit sexum. *Dicis? Terminatio* ה *præcedente Kametz arguit Selah esse fœminini generis*. *Dico*: Generis discretio, ex *terminatione desumta*, perquam anceps & fallax est, sic enim יהוה, יה, לילה &c. quoque forent *fœminina*, quod falsum. Deinde ה *paragogicum* nominibus masculinis suffixum non mutat *genus*, sed *nomen*, idcirco *tonum* non secum aufert, sed relinquit in præcedenti syllaba, ut סלה sit, maneatque vox milel. *Dicis? In Deo non datur sexus differentia. Ergo nec generis discretio. Dico:* Nos non æstimamus *generis discretionem physicam* aut *logicam*, sed *grammaticam*, quæ *directe* ex vocis significantis habitudine, *indirecte* ex rei significatæ perfectione fluit. Reliqua Nominum accidentia, utpote *articulus*, *numerus*, *casus*, *declinatio*, & *comparatio* utrum & *quomodo* nostro *Selah* conveniant, mox ex discendis intelligetur.

VI. *Dicimus* II. Selah *est nomen Dei*. Etiamsi Deus sit ἀκατάληπτος *incomprehensibilis*, πάντως ἀνώνυμος (8), & *nomine*, *quod totam rei nominatæ essentiam perfecte & adæquate exprimat*, destitutus; Non-

nulla tamen in *sacro* Scripturæ χειμηλίω coruſcant *Nomina*, quæ *ſoli Deo* competunt, ipſum a rebus creatis *diſtinguunt*, ipſiusque *exiſtentiam* luculentiſſime *comprobant*. Sunt autem *Divina* iſta *Nomina* vel ab *Eſſentia*, vel ab *Attributis*, vel ab *Operibus Dei* deſumta hæc: [1] יהוה quod a *radice* Hebr. היה aut Chald. הוה *exiſtit*, *fuit &c.* derivatum, ſignificat *Ens a*, *in & per ſe* eſſentialiſſimum. (2) אהיה, quod (itidem a *rad.* היה) denotat *Ens*, *ſemper idem* & immutabile. (3) יה, *nomen primitivum*, & a cæteris eſſentialibus Nominibus *Dei* prorſus *diſtinctum*, arguit *Ens*, quod *Promiſſionibus & comminationibus dat infallibile eſſe*. (4) אלוה vel אלוהים quod (*a rad.* Arabica אלה *coluit*, *adoravit*) deſignat *Numen honorandum*, *venerandum*, σέβασμα. (5) יהוה צבאות quod *a rad.* צבא *militare*, *turmatim concurrere*, ordine & tempore conſtituto *miniſtrare*) exprimit *Dominum omnipotentem & cum ordine* regentem. (6) אדני quod (a rad. אדן i. e. *baſis*, *fundamentum*, *ſuſtentaculum*) exhibet *Dominum*, *ſtatorem & conſervatorem omnium*. (7) אל quod (*a rad.* איל *fortitudo*, *virtus*) indicat Deum *fortem*. (8) שדי, quod (a rad. שד *mamma*, *uber*, *pinguedo*) dicit *Deum Nutricium* & *Cibatorem omnium*. (9) שמים quod (*a rad. antiquata* שמה, quam notaſſe quondam *altus fuit*, teſtatur Arabicum סמו) refert *Deum Cœli Creatorem*, *Poſſeſſorem* & *Gubernatorem* ſummum. (10) עליון quod (*a rad.* עלה *altus*, *excelſus fuit*, a quo etiam aliud *Dei* nomen eſt על vel על *excelſus*, *altiſſimus*. Hoſ. 7. v. 16. c. 11. 7.) ſignat Deum *excelſum*, *altiſſimum*, ὕψιςον (9) Hæc ſunt *decem* illa *Dei Nomina*, quorum *tria* priora *eſſentialia Judæi* nominant עצמיות *ſeptem* poſteriora *Acceſſoria* כנוים ſeu cognomina. *Noſtri* quidem סלה heic nulla injicitur mentio *expreſſa*, implicatur tamen illud in ſignificatione *noni decimique Nominis*, & *Deum* T. O. M. a *Majeſtate* & *Eminentia ſua* cumprimis denominat, ut proinde *novum* & *undecimum Divinorum Nominum locum* id ſibi jure vendicet. Quod vero *Selah* nomen *Dei* ſit, id probatum damus (α) ab *Excellentia radicum*, quæ non niſi ſummum important ſupremi Entis ſignificatum. Nam סלה tria ſignificata habere dicitur *Val. Schindlero* (10): (1) *calcavit*, *conculcavit*, *ſtravit*, *proſtravit;* & hoc ſenſu expreſſe Deo tribuitur Pſal. 119. verſ. 118. (2) *per metonymiam in piel: comparavit*, *æſtimavit*, *laudavit*. (3) *per metaphoram: ſprevit*, *reſpexit*, *dejecit*, *execratus*, *abominatus fuit*, *abrogavit*, *&c.* Quod & quot modo hæc ſignificata *Excelſi Dei* fulgidiſſimam *Majeſtatem* indicent, nemo non videt. Pariter סלל ſignificat *elevavit*, *exaltavit*, *alte diſpoſuit*. Et licet proprie *viam* aggeſta terra *ſternere* & *elevare* ſignificet, deinceps tamen *latiori extollendi ſignificatione* ſumitur paſſim *v. 9. Pſalm.* 68. 8. quod *Targum* reddit קלסו *laudate*. Prov. 4. 8. Exod. 9. 17. &c. (β) ab *Eminentia attributi*, *per etymon indigitati*, quod eſt ſumma *Majeſtas*, cujus intuitu omnia *ſupra*, *intra* & *infra* cœlum proſternuntur ingenua, *eamque* adorant atque extollunt. Sin quis crimen *læſæ Majeſtatis* commiſerit, is *conculcatur*, *dejicitur* & *abrogatur*. Imo tantum hoc eſt *axioma* atque *elogium*, ut nulli, niſi *Deo*, id citra blaſphemiam tribui queat. (γ) a *Divinitate Nominum*, *prædicatorum aliorumque operum*, quæ non modo τὸ *Selah* in textu proxime *circumſtant*, ſed & pleniſſime *explicant*. Rimare, ſi placet, omnia loca, & miraberis, v. 9. in *Pſalm.* 3. verſ. 3. increpat *Pſaltes* deſperatos conſolatores, qui animæ ipſius denegarunt omne auxilium באלהים סלה *in Deo*, qui tamen eſt *excelſus*, & verſ. 5. gloriatur David, ſe ex monte *ſanctitatis* exauditum fuiſſe a *Selah*. Par ratio eſt in *reliquis locis*, ſi cætera ſunt paria, de quibus mox inferius.

VII. *Dicimus* III. *Selah* eſt *nomen Dei Proprium*. Nam *ſingulare* & *incommunicabile* id eſſe deprehendimus (1) *ſenſu Logico*, quia plane non poteſt prædicari de pluribus *univoce* & *cum ſui multiplicatione*, Deoque ita *proprium* eſt, ut nulli extra Deum id ſacra *pietate* & *veritate* imponi queat; (2) *ſenſu Grammatico*, quod ſigillatim inde probamus, (α) quia *numerum pluralem* nullibi admittit, (β) *ſtatum conſtructum* declinat, (γ) *He articulare* reſpuit, (δ) *affixo pronominalia* negligit. En veri nominis proprium Nomen, quod tam *communi*, quam *appellattivo Nomini* opponitur! *Dicis? Nomen Selah* in Scripturis S. quoque tribuitur (1) *Filio* tertio *Jebudæ* (11), (2) *Patri Salu*, qui genuiſſe dicitur Filium *Simri* (12), [3] *Filiis Ben-Jamin Salu*, *Salaj* (13), [4] Metropoli ad fines *Arabiæ Petrææ* in regno *Moab* ſitæ. (14) *Ergo Selah* non eſt nomen *ſoli Deo* proprium. *Dico*: Fallit *Te* χῆμα τῆς λέξεως in *primo* & *quarto* nomine adducto, *Filius* enim *Jebudæ* appellatur שלה [*pacificus*.] *Urbs* montibus & deſerto circumſepta ſcribitur סלע [quaſi in *petra* ſita]. Quid vero *hæc nomina* ſic ſcripta ad noſtrum סלה cujus nec *ſcriptionem*, nec *originationem*, nec *ſignificationem* attingunt. *Deinde* falleris per ἀνακολυθίαν. Non enim ſequitur: *Selah* & *Salu* vel *Sallu* in una eademque ori-

origine & *significatione* conveniunt. Ergo quoque Res significatæ coincidunt. Sic enim *Jehuda*, *Israel*, *Josua*, *Jesus*, *Siracides* Dii & *Salvatores* essent, quod absonum! *Denique* videtur *Selah* potius *Concrete* & *adjective*, quam *abstracte* & *substantive* vertendum esse. *Applicatio* enim concreti sensus (*Exaltati*) multo facilior est *abstracto* (*Exaltatione*) ad singula loca, maxime ubi *Selah* explicat aut illustrat *Nomen* opusque Dei præcedens. *Dicis? Nomen proprium nunquam est adjectivum, sed semper substantivum. Dico*: Hoc non ubique est verum. *Contrarium* enim docet [1] *Hebræorum Asarjah*; [2] Græc. Εὐφροσύνη [3] Latin. *Augustus*, quem Germani minus recte vertunt zu allen Zeiten Mehrern des Reichs / non enim ab *augendo*, sed *Majestate* & *Reverentia* ipsi præstanda nomen habet. Hinc *Græci* olim *Augustos* appellabant Σεβαστοὺς id est, *Venerandos*. *Augustum Cæsarem* nuncupabant Σεβαστὸν Καίσαρα (15). [4] Germ. Gottlieb. Hæc enim & plura alia Nomina *Propria* sunt ab *adjectivis* profecta, ut tamen *Substantiva* subaudiantur.

VIII. Dicimus IV. *Selah* est nomen *Significativum*, quod nunc *appositione*, nunc *expositione* Deum ἑρμηνευτικῶς illustrat. Illud probamus [α] *ex significativa derivatione*, quia a talismodi descendit *radicibus*, quæ confusum de Deo conceptum, & verbale signum potentiæ cognoscenti immediate repræsentant. Si igitur fons *humectat*, quidni & rivulus? [β] *ex regulari formatione*. Formatum enim est *Selah* adinstar *Nominis cujusvis significativi*, proinde non realiter aliquid *notat*, ut limes confinia, linea pausam; sed *verbaliter* aliquid significat, ut עליון, *Deum Excelsum*. [γ] *ex accentuatione*. Vocabula enim, quæ τὸ Selah immediate præcedunt, ubique secum portant *accentus Ministros*, sæpissime *Munach*, rarius *Tiphchah*. Sed nusquam videbis *accentum Principem*, nullibi *Regem*. Cum igitur *Grammatici* recte vereque doceant *Reges* distinguere, *Principes* subdistinguere, *Ministros* sententiam continuare; Nemo sane, nisi Turbator, nostrum Selah ex ἁρμῷ τοῦ λόγου sive vinculo orationis eripiet. [δ] Ex *formali omnium locorum significatione*. Nam si *Tibi*, *Optime Lector* nostra de significatione τοῦ Selah mens vel ex hoc capite adhuc displicuerit, quod non omnibus *Selarum* locis *Deus* adæquate atque concinne applicari queat, faxo, ut per *singulos Latinæ declinationis casus* consentiente ipsa συνέπειᾳ καὶ συναφείᾳ, *Divinus* ille sensus ὀφθαλμοφανέως pateat. Hæc enim illo loca sunt, in quibus nomen *Selah* [א] *Nominative* vertendum. Psalm. 3. vers. 5. *Voce mea ad Dominum clamare volebam* (Hebr. אקרא), & *exaudivit me de monte sanctitatis suæ* (quis?) *Selah*, i. e. *Dominus* ille *Excelsus*. Ubi *adjectivum* סלה vel per παράφρασιν ἐπιθετικὴν exponit, vel per ἔμφασιν ποιητικὴν illustrat *nomen substantivum* יהוה. Psal. 7. 6. *Persequatur inimicus animam meam meam, & comprehendat & conculcet humi vitam meam*. (Hic in fonte *accentus regius atnach*, qui *duobus punctis* Latinis distinguit *Inimici violentiam* a Dei *vindicta*, ad quam provocat seqq.) *Et gloriam meam pulvere habitare faciat* (quis?) *Selach*. Hoc enim *Deus vi Majestatis suæ* solus potuisset, ut Tanti Regis fama vel *infamis*, vel *nulla* esset. Psalm. 24. 10. *Quis est Rex gloriæ?* Mox sibi ipsi κατ' ἀνθυποφορὰν respondet *David: Hic est Rex gloriæ Selah*, i.e. Sublimis, Majestaticus, atque summe celebratus Messias. Psalm. 46. 8. *Insuperabilis munitio* [Hebr. משגב] *est nobis Deus Jacobi* [quis ille?] סלה, h. e. Excelsus. Summus. Idem vers. 12. repetitur. Psal. 47. 5. *Selegit nos in hæreditatem suam, ceu præminentiam Jacobi, quam dilexit* [quis?] סלה, h. e. Summe celebrandus Deus. His adjungantur cætera loca, nempe *Psalmi* 48. *versiculis* 8. 49. 16. 50. 6. 52. 7. 55. 20. 57. 4. 59. 14. 62. 9. 68. 20. 76. vers. 4. 10. 77. 10. 81. 8. 89. 5. 38. (ubi Semen promissum & solium confirmatum dicitur esse *Selah*, i.e. *Messias* summe desideratus.) Hab. cap. 3. 3. In his omnibus enumeratis locis *Selah* nunc יהוה nunc אלהים nunc cætera *Nomina*, *prædicata*, & *attributa Divina* nonnisi in *Nominativo* vel per *adjectionem*, vel *appositionem*, vel *explicationem* illustrat.

[ב] *Genitive* nostrum *Selah* accipi videtur in Psalm. 75. 4. in quo *Asaph* se confirmaturum *promittit columnas ejus* sc. *Selahi* s. *Divini Nominis*. Pariter in Ps. 87. 3. ubi *Hierosolyma* tanquam *Ecclesiæ* N. T. *typus* inter alia idcirco laudatur, quod *gloriosa prædicentur in hac civitate Dei* סלה vel (per declinationem Latinam) *Selahi*, i.e. *Excelsi*.

[ג] *Dative Selah* flectendum duco in Psal. 4. 5. ubi *David* commendat *patiendi silentium* his verbis: ודמו סלה, i. e. Et *silete*, *tacete Selaho* i. e. *summo rerum Arbitro Deo*. Cujus regulæ exemplum *ipse David* de se sistit Psalm. 62. 2. ubi ait: *Profecto ad Deum est silentium animæ meæ*. Eadem flectio recurrit Psal. 66. 4. יזמרו שמך סלה. Omnis terra psallet Nomini Tuo (vel per *appositionem*, vel *expositionem*, vel *adjectionem*) *Selaho*. Similiter Psal. 68. 33. *David* Regna Terræ Psallere jubet ארני סלה *Domino Selaho*.

[ד] *Accusative* aut *transitive* nostrum *Selah* interpretaberis sequentibus in locis: *Psal.* 54. 5. Ubi ait Psaltes: *Et non ponunt Deum* לנגדם (*coram se*) סלה h. e. *Selahum*, qui habet Ἔκδικον ὄμμα, *Psalm.* 44. 9. *Nomen Tuum in æternum celebramus Selah*, h. e. *Excelsum*. Psalm. 84. 5. *Beati laudabunt Te Selahum*. Psal. 88. 11. *Aut mortui surgent & laudabunt te Selahum?*

[ה] *Vocative* plurima vertenda sunt *loca*. Quod solers atque felix Interpres in illis potissimum commatibus observare habet, ubi *Divinus Psaltes Devotusque Habackuk Deum* per *apostrophen* in secunda persona alloquuntur. Non autem *Selah* in omnibus *Vocativorum* locis æqualiter se verti sinit, alibi enim cum *intentione laudis Divinæ*, *alibi* cum votiva *apprecatione*, *alibi* cum supplici *intercessione &c.* illud *exclametur* oportet. Sic

[α] *Cum laudis sensu τὸ Selah* accipiendum reor in *Psalmi* 3. *tmemate* 9. Ubi *David Deum* his affatur verbis: *Super populum Tuum benedictio Tua*, *o Selah*, i. e. *Gloriosissime & Benedictissime Deus! Psalmi* 67. 9. *Lætabuntur & jubilabunt populi*, *quoniam judicas populos in æquitate*, *& gentes in terra dirigis*, *o Selah*, i. e. *Justissime Deus*. *Psalmi* 21. 3. Ubi *Selah* ad hunc tenorem accipitur: *O Magnificentissime Deus! Psalmi* 32. 5. *Selah*, *o Tutissima Deus! Psal.* 61. *vers.* 5. *Selah*, h. e. *o Præsentissime Deus! Psalm.* 85. *vers.* 3. *Selah*, id est, *o Benignissime Deus!*

[β] *Cum ardentissimo voto*, atque *suspirio*, in *Psalmi* 84. *commate* 9. Ubi *Psaltes Deum* sic invocat atque vovet: *Orationem meam auribus percipe*, *o Deus Jacob Selah*, i. e. *Clementissime! Psalmi* 88. 11. Ubi *Psaltes* tentatus suspirat per interrogationem h. m. *Aut mortui surgent & laudabunt Te*, *o Selah*, h. e. *Gloriosissime Deus! Psalm.* 140. 9. Ubi *David* ita precatur: *Ne tradas*, *Domine*, *desideria impio*. *Sceleratas cogitationes ejus ne progressum habere sinas*, *alias exaltabuntur*, *o Selah*, h. e. *Potentissime Deus!* Quorsum enim recidit *finale* illud *suspirium Davidis Psalm.* 9. 21. *Constitue*, *Domine Præceptorem ipsis*, *ut agnoscant gentes*, *quod Homines ipsi sint*, *o Selah*, h. e. *sine Te orari*, *o summe Deus!*

[γ] *Cum pia meditatione & admiratione*. Sic Regius ille atque egregius Propheta *David* in Psalmo 9. *Se*, suo & Ecclesiæ nomine *Deo* gratum exhibiturus meditatur vers. 16. *judicia Dei* erga *improbos lata*, eaque vers. seq. 17. *Aliorum* quoque meditationi piæ commendat. Quo facto *idem hoc incisum* hac exclamatione (præmisso *accentu Regio Atnach*) concludit: הגיון סלה h. e. *Proh meditationem! o Selah!* q. d. *O Immortalem Deum!* quantam mihi judicia *Tua* materiam mirandi suppeditant! Dum mihi ob oculos pono tragicos *Regum*, multorumque *Populorum* hostiliter me aggredientium exitus, videlicet *Architophelis*, *Saulis*, & degeneris mei Filii *Absalonis*. Atque hæc est illa *meditatio*, quæ *admirationem*, *devotionem*, *humillimas grates* in corde *Davidis* divinitus excitavit. Huc quadrat *Selah Habacuci vers.* 9. *insertum*, & *vers.* 13. *appositum*; Utrobique enim obtinet *hic admirationis sensus*: *O Fortissime* & *Potentissime Deus!*

[δ] *Cum seria lamentatione & conquestione*. Sic *Psal.* 39. *vers.* 6. dolet *David vices Hominum*, quod ipsorum *vita nil nisi vanitas* sit, *o Selah!* q. d. das sey GOtt geklagt. Idem sensus recurrit vers. 12. ejusdem Psalmi. *Similiter Psal.* 88. 8. queritur Psaltes: *Et omnibus fluctibus Tuis afflixisti me*, *o Selah!* i. e. *o Serenissime Conculcator atque Prostrator! Pariter Psal.* 89. 46. hic sensus occurrit, ubi *David summam Messiæ exinanitionem* deplorat sequentibus: *Decurtasti dies juventutis meæ*, *& obvelatum reddidisti Eum cum pudore*, *o Selah*, h. e. *Justissime Deus!* Adde huic versiculo versum 49. ejusdem *Psalmi* manente eadem explicatione.

[ε] *Cum singulari confidentia*. Utpote *Psalm.* 46. in quo *Psaltes* insuperabile veræ Ecclesiæ præsidium (Eine feste Burg) descripturus *versiculo* 4. sic exclamat: *Sonent sane*, *& turbidæ fiant aquæ ejus*, *& tremant montes in summitate sua*, *o Selah*, cui sc. in silentio & spe firmiter adhæreo.

[ζ] *Cum sincera exprobratione & detestatione*. Sic *Psalmo* 4. 3. Religiosissimus *David* Proceres aulæ suæ increpat, quod mendaces delationes, calumnias, falsa testimonia de Rege coram populo confingant. Quocirca per *apostrophen* ad *Deum* ita provocat: *O Selah*, q. d. *O Immortalem Deum! quis tantæ malitiæ*, *tantarum persecutionum*, *conspirationum finis erit?* Germani hanc ellipsin sic supplebunt. Das vergeb euch GOtt. Huc quoque digitum intendit *Assaph* quando *Psalm.* 82. 2. Magistratui vitium ἀνθρωποληψίας dissuadet h. m. *Quousque facies impiorum sumitis? o Selah!* h. e. *Tu Optime*, *& summe Rerum Arbiter judica!* Dehinc *execrationis sensum* prodit *Psalmi* 49. *versus* 14. ubi *Psaltes ait*: *Hæc est via* (consuetudo) *stultorum talium* (divitum hujus mundi) *& tamen post eos* (sc. Surgentes posteri hac via) *ore suo delectantur*, *o Selah* i. e. *Omnipotens & æterne Deus! Tu hæc vides*,

des, *Tu vindicabis tantam & adeo incorrigibilem hominum stultitiam*. Huc referre licet *Psalmi* 52. *versiculum* 5. in quo David Proditoris *Doegi aliorumque* Calumniatorum indolem his verbis exprimit: *Diligis malum præ bono*, *& mendacium præ loqui* (sive præ quam quod loquaris) *justitiam*; *o Selah!* q. d. *O mi Deus! quanta est Hominum perfidia atque malitia! plus enim fidei dant Terræ Regibus*, *quam Tibi omnium Creaturarum* Domino. His adjunge *Psalm.* 59. *vers.* 6. 62. *vers.* 5. *Psalm.* 140. *vers.* 4. 6.

(*n*) *Cum divina obtestatione & stipulatione*. Quando *David* calumnias & persecutiones superaturus agit præ cæteris cum *Deo* per *protestationem* & *imprecationem* in *Psalmi* 7. *commate* 6. ad hunc sensum: *Si injuriam fecero Bonis*, *Tu me deleto*, *o Selah!* Itidem *Psalmi* 50. *vers.* 8. *Deum* testatur, quod voluerit in *solitudine permanere*, hinc definit per *o Selah*, q. d. *Hoc Tu scis*, *qui omnia cognoscis*. Huc quam commodissime facit *Psalmi* 66. *tmema* 15. Ubi Deo promittit *Psaltes* lautissima holocausta cum hac exclamatione: *o Selah! Cui sc. hæc servata volo*. His accense *Psalmi* 60. *comma* 6. *Psalmi* 32. *versum* 5. *&c.*

[י] Ablative nostrum *Selah* efferendum videtur in *Psalmi* 3. *inciso* 3. Ubi *David* exilio & persecutione afflictus de hostium suorum dicteriis conqueritur his verbis: *Multi dicunt animæ meæ non esse salutem* (vel auxilium) *ipsi* באלהים סלה in *Deo Selaho*. Germ. Bey dem Allerhöchsten und Barmherzigsten Gott.

IX. Atque hæc sunt *extantiora loca*, in quibus *casuum flexio* ocularem facilemque subministrat *Selahi* sensum. Tu, *Benevole Lector!* in residuis locis ad similem modum haud gravatim perge, & solem veritatis in manu quasi geres. Dicis? *Germanica Lutheri Versio hanc declinationem vel jam datam*, *vel adhuc dabilem in nonnullis locis difficulter admittit*. *Dico:* Non ex *rivulo*, sed *fonte* bibendum. *Hebræus* enim textus solus est, qui ex *constructione*, *accentuatione*, *idiotismo & phrasiologia* has nobis casuum motiones promtissime subdidit. *Dicis: Insolentes sunt in Scriptura talismodi Apostrophæ atque Ellipses per vocativum efferendæ*, *quia Lingua S. interjectionibus & particulis exclamandi*, *lamentandi*, *admirandi & obtestandi &c. destituitur*. *Dico:* Dantur omnino *apostrophæ* in arduis, miseris, seriis vel etiam iniquis exprobrandis & execrandis casibus ad *Deum* directæ, & tam in *principio*, quam *medio* & *fine* periodi usitatæ. Exempla harum *Apostropharum* [1] ab *initio periodi* obveniunt Psalm. 3. 1. 12. 1. 74. 1. 10. 144. 3. [2] In *medio*, ut *Psalm.* 92. 16. צוּרִי mein Hort. Esaiæ cap. 8. 8. O Immanuel. [3] In *fine Periodi*, ut *Psalm.* 9. 17. *O meditatio!* *Psal.* 73. *vers.* 18. 84. 4. 92. 1. du Höchster! 118. 15. [4] *Utrobique* tam *in principio*, quam *in fine versiculi*, ut *Ps.* 84. 9. 118. 15. Mirum igitur non est τὸ *Selah* nunc antegredi, nunc sequi *querelas*, *obtestationes*, *obsecrationes*, *confessiones* & *mirabilium speculationes*; quippe quæ *Dei Majestatem* subito implorandam, & semper invocandam docent. Cætera *Vocativorum efferendorum* discrimina ex toto sermonis nexu supplenda commendat *Spiritus S.* in *Psalm.* 9. 17. per *Higgajon*, quo ipso τοῦ *Selah* sensum pie indagandum voluit. *Dicis? Si Selah est nomen significativum*, *cur igitur non omnes versiones illud translatum habent?* Respondetur. *Edmund. Castellus* S. T. D. *Regiæ* M. *a sacris*, *Linguæ Arab. apud Cantabrigienses Prof. atque Ecclesiæ Christi Cantuariensis Præbendarius* (16) observavit *Orientaliores* Metaphrastas [nec raro Syros] illud nomen plane omisisse; *Interpretes* autem *Occidentales fere* omnes illud retinuisse. Quod, cum *res facti* & diffusæ inquisitionis labor sit, a nobis prius *Fidem*, quam *revisionem* obtinuit. Causa omissionis hæc assignari potest: quia *Orientaliores* supposuisse videntur τὸ *Selah* esse notam Musicam & *Metricam*, cujus usus in *versione* perit. Inde factum puto, quod nec *vulgata versio* illud nomen transtulerit, nec *Joh. Brentius hinc* explicuerit. Similiter *Biblia Germanica* antiqua *Norimbergiæ* per *Anton. Kobburgerum* A. C. 1483. edita idem nomen ubique omiserunt. Cæteræ autem versiones *Septentrionaliores* & *Occidentaliores* post liberatum lucis Evangelicæ nitorem emissæ hoc nomen integrum suo loco collocant.

X. Dicimus V. *Selah non tantum est nomen Dei essentiale*, *sed & personale*. Tribuitur enim [1] *Patri*, Creatori, Conservatori & Perditori Psalm. 89. 5. 46. 39. 12. 48. 8. 59. 14. 67. 5. 75. 4. 76. 4. [2] *Filio*, Salvatori, Psalm 9. vers. 21. 24. 10. 89. 38. [3] *Spiritui S.* Lætitiæ spiritualis moderatori Psal. 32. 7. Linguarum datori 87. 6. &c. Sic vox *trilitera* סלה *unitatem Essentiæ* & *Trinitatem* Personarum indicat, quod uberius declarare nobis non licet, nec vacat.

XI. Dicimus VI. *Selah significat Excelsam Dei Majestatem*. Non enim *Selah essentiam Dei* simpliciter indicat, ut אהיה, יה, יהוה; neque duntaxat *Dei existentiam* probat, ut cætera attributorum aperumque Divinorum Nomina; neque *Thronum* Di-

Divinæ Majestatis detegit, uti שמים; neque *Excellentiam Altissimi Dei* subinnuit, ut עליון; sed *summam illam potestatem* infert, quam *Dominus* ille Altissimus ubique in regno *potentiæ*, *gratiæ* & *gloriæ* cum *Magnificentia*, *Dignitate* & *Veneratione* a Creaturis cognoscenda exercet. Hoc sensu *Selah* pluribus enucleatum dedit *purpuratus ille Propheta David* in Ps. 97. integro. Eundemque nostri Selah sensum genuinum esse probat (α) *Vis & significatio etymi*, cujus intuitu *Selah* dicit *Dominum Excelsum*, *supremum*, *magni æstimatum*, *summe celebratum*, *maxime laudatum*, qui non modo potest *sternere* impios, & *exaltares* pios; sed & *destruere* omnia & tamen *Excelsus* manere. (β) *Addita Nominis Divini determinatio* sat perspicua, quando *Selah* dicitur *beare* animas Psalm. 3. 3. *Exaudire* vers. 5. *Benedicere* vers. 9. *Rex gloriæ* Psalm. 24. 10. *Deus* Jacob Psalm. 46. 8. *Deus Judes* Psalm. 50. 6. Adde, si placet, per accommodam declinationem cætera loca, & constabit veritas. (γ) *Parallelismus similium Dei Nominum*. Sic Psalm. 9. 3. vocatur אליון. Psalm. 148. 13. dicitur נשגב exaltatum (sc. Nomen). Es. 57. 15. רם ונשא excelsus & sublimis (sc. Deus). Luc. cap. 1. 76. προφήτης ὑψίστου. cap. 2. 14. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ. cap. 1. 31. Τοῦ ὑψίστου. vers. 35. δύναμις ὑψίστου.

XII. Dicimus VII. *Nomen Selah saltem in Psalmis*, *hymnis* atque *Canticis sacro-Hebræis occurrit*. Quod probatur [1] a *libera Spiritus S. inspiratione*, qua Amanuensibus sacris voces atque res, quas voluit, dictitavit ita, ut nulla κεραία ibidem otiosa reperiatur. (2) *Abusu hujus nominis*, quippe quod *Poetis* sacris in oratione versa *Psalmorum*, *hymnorum* & *Canticorum* tantum familiare fuisse videtur. Quomodo differant *Psalmus*, *hymnus* atque *canticum*? id *Hieronymus* (17) docet, nempe *Psalmus* (stricte sic dictus) erat excitatus cantus Musicorum cum instrumentis; *Hymnus* erat pius Musicorum cantus sine Instrumentis. *Canticum* erat cantilena ab universo populo non sine *lege* & *modo* cantata. Quod vero *Davidicus* ille ספר תהלים 5. *Liber Laudum* nunc dicatur *Psalterium*, illud non ita accipiendum, quasi omnes illæ *Laudes* sint in *Psalmos stricte tales* redacte, absit! sed a potiori fit denominatio, cum plures inibi contineantur *Psalmi*, quam *hymni* aliique *cantus* sacri sine instrumentorum strepitu decantandi. (3) *ab Exemplo aliarum vocum*. Sic שילה non nisi in uno Geneseos cap. 49. 10. &c. reperitur. Denique illud hac occasione monendum, quod, licet *Selah* non *totidem verbis* alibi in prosa occurrat, legitur tamen passim *æquivalentibus* verbis, quod paulo ante probatum.

XIII. Dicimus VIII. *Selah in Psalmis* παχυλῶς, *sic dictis & Habacuci cantico reperitur septuagies & quater*, *illic* LXXI., *hic* III. *vicibus*. Loca hoc ordine se excipiunt. Psalm. 3. 3. 5. 9. 4. 3. 5. 7. 6. 9. 17. 21. 20. 4. 21. 3. 24. 6. 10. 32. vers. 4. 5. 7. 39. 6. 12. 44. 9. 46. 4. 8. 12. 47. 5. 48. 9. 49. 14. 16. 50. 6. 52. 5. 7. 54. 5. 55. 8. 20. 57. 4. 7. 59. 6. 14. 60. 6. 61. 5. 62. 5. 9. 66. 4. 7. 15. 67. 2. 5. 68. 8. 20. 33. 75. 4. 76. 4. 10. 16. 77. 4. 10. 16. 81. 8. 82. 2. 83. 9. 84. 5. 9. 85. 3. 87. 3. 6. 88. 8. 11. 89. 5. 38. 46. 49. 140. 4. 6. 9. 143. 6. Hab. cap. Hebr. 3. 3. 9. 13.

XIV. Dicimus IX. *Nomen Selah septuagies in fine versuum* stat, *quater in medio sedet*. Illius finalis stationis *causæ* hæ sunt: quia (1) *Spiritui S.* Θεοπνεύστῳ sic placuit. Si *Dominus* voluit, dicere plura nefas! (2) *Accentus Regius distinctivus Silluk* hoc nomen ἐμφατικώτατον ornare & ad finem protrahere debuit. (3) *Meditatio* tam Augusti & semper *adorandi*, nunquam sine intimo cordis elogio *dimittendi*, & aliquanto diutius *pensitandi* Nominis finem periodi efflagitavit. *In medio* versuum residet *Selah quater*; nempe *Psalmi* 55. *Commate* 20. 57. 4. Hab. cap. Hebr. 3. 3. 9. idque non cum *Silluk*, sed *semel* cum *merka peschuta* & *mahpach* superno ante *pesik*, *ter cum athnach*, qui medietatem versuum per *colon* distinguere solet. Efferendum vero hoc medianum *Selach* ubique est *in casu recto*; *ter* per nominativum, *semel* & ultimo loco per vocativum. Et hujus positionis causam præter liberam *Spiritus S.* οἰκονομίαν indagasse est delirasse.

XV. Hæc nostra sunt animi sensa breviter & incitato calamo concepta, quæ non nostri, sed veritatis ergo expendi merentur. Sicuti autem Targumistarum *Æternitatem*, Rabbinorum *Certitudinem*, Reformatorum *Exclamationem*, Nostrorum Theologorum *Pausam* & *attentionem* cum nostra sententia, (licet κατὰ μετάληψιν) facile conciliari posse largimur; Deus enim ille *Excelsus* etiam est *æternus*, *certus* & *dignus*. Cujus Nomen cum *attentione* & tacita *meditatione* inter canendum aut legendum extollatur. Ita illi a nobis nimiopere dissident, qui Nomen *Selah* cum Glassio pro *interjectione*; Cum Tremellio & Junio (18) pro *Adverbio*; cum B.B. Saxo-Vinariensibus Theologis (19) pro *devoto* NB, aut *indice marginali*, aut *aste-*

asterisco; cum Schindlero (20) pro *dictione sine sensu*, *voce Enclitica & metrica & musica*, *nec regularem nominis formam, nec significationem habente*; cum Johann. Michaelis (21) pro *Nomine Dei appellativo &c.* agnoscunt & agnosci volunt. His enim reclamant omnia argumenta pro nobis superius adducta. Sed

Quilibet *intereà statuat*, *quaecunque placebunt*.
Si modo sint vero consona, *sintque* pia.

NOTÆ IN SECUNDAM PARTEM.

(1) *Theol. Didact. Polem. part. 1. cap.* VIII. *Sect.* II. *q.* 1. *p.* 293.
(2) 1. *Tim.* 6. 16.
(3) *Jac.* 1. 17.
(4) *Uti id vocat Joh. Avenarius in Gramm. Heb. part.* 1. *pag.* 3.
(5) *Sic illud appellat Joh. Buxtorffius in Epit. Grammat. Hebr. p.* 4.
(6) *Hunc valorem τῷ Segol tribuunt Nicolaus Petræus D. & Prof. Hafniens. in Compend. Grammat. Hebr. p.* 9. *VVilh Schickardus in Instit. Ling. Hebr. pag.* 7.
(7) *V. Venerab. Nostrum Seniorem Dn. Andr. Sennertum in Gramm. Hebr. Trosciana pag.* 5. *Dn. D. Pfeifferum in Methodo Hebr. pag.* 7. *Dn. Henr. Opitium in Atrio Linguæ S. pag.* 34.
(8) *Uti eleganter docet Damascenus lib.* 1. *Orth. Fid. cap.* XIII. *statim ab initio F.* 51.
(9) *Hæc Nomina uberius declarata invenies apud B. L. Albert. Vogt. in Deliciis sacris p.* 8. *& seqq.*
(10) *Lex. Pentagl. col.* 1221.
(11) *Genes.* 38. *vers.* 5. 11. 14. *cap.* 40. *vers.* 12. 1. *Paral.* 2. 3. *Num.* 26. 20.
(12) *Num.* 25. 14.
(13) *Neh.* 11. 7. 9.
(14) 2. *Reg.* 14. 7. *Es.* 16. 1.
(15) *Conf. Eduardum Simonium in Chron. Cathol. P.* VI. *ad A. M.* 3978. *pag.* 76. *Add. A. M.* 3981. *p.* 77. *Vid. Actor.* 25. 21. 25. *ubi Nero appellatur Σεβαστὸς, quem Rex Agrippa c.* 26. 32. *Καίσαρα vocat.*
(16) *In Lex. Heptagl. col.* 2535.
(17) *In Epist. ad Ephes. cap.* 5. *Tom.* 9. *Op. fol.* 115. *A.*
(18) *In Interpp. V. T. per omnia loca, Fol.* 197. *& seqq. Adde Joh. Piscator. in Scholio ad Psalm.* 3. *vers.* 3. *pag.* 14.
(19) *In Bibl. Germ. ad Psal.* 3. *vers.* 3. *p.* 497.
(20) *In Lexico Pentaglotto col.* 1221.
(21) *In Dissert. Philolog. de Voce Selah Membr.* 1. §. 22.

AUGUSTINI CALMET
DISSERTATIO
DE SELA.

VOx Sela Septuagies in Textu Hebræo Psalmorum, & ter in Habacuc (1) recurrit. Frequentius legerunt Septuaginta in suo Exemplari Hebræo; cum semel apud illos in Ps. 2. 3 & semel pariter in Ps. 3 6. legatur, quo in loco nihil apud Hebræos (2). Scribunt etiam in Ps. 9. 17. *Ode Diapsalmatis*, quod respondet Hebræo; *Canticum Sela*, cum tamen in eodem Hebræo nihil tale occurrat. Variant quidem inter se aliquantulum ea in re Editiones & Exemplaria Græca, sed quam innuimus lectionem optimæ quæque Editiones servant. Quærendum modo de vocis usu & significatione.

Septuaginta reddere solent plerumque *Diapsalma* [3] quod *interpositum in canendo silentium significat* juxta Sanctum Augustinum in Psalm. 4. seu vocis inflexionem juxta Suidam [4] & Theodoretum. Malunt alii novum ea voce sensum, sive novi carminis genus designari [5] sive pausationem vocum, solis interim ludentibus instrumentis; seu vicissim instrumentorum cessationem, voces cantilenas prosequente; namque authore S. Hieronymo ibid. Psalmi *tunc temporis juncta voce ad organum canebantur*. Addit demum idem S. Doctor, *hoc verbum* (Sela) *superiora pariter inferioraque connectere, aut certe docere sempiterna esse* (nempe numquam e memoria excutienda) *quæ dicta sunt*. Reddit ille plerumque eam vocem *semper*; quod etiam ab Aquila, quinta & sexta Editione, a Symmacho in Habacuc 3. 3. servatum est. Targum pariter in Psalmos vertit: *In perpetuum*.

Quidam apud Theodoretum [6] autumarunt, pausationem esse Spiritus sancti in Prophetis; alii pausationem potius cantus in musica, quod maxime apud Veteres probatum est. Accidit enim non raro, ait Cosmas Monachus [7], ut Psalmus ab alio choro inceptus alteri canendus traderetur. Posterior hæc pars *Diapsalma*, prior *Canticum Diapsalmatis* appellabatur. Sui autem creduntur destinati Cantores, ut pretiosos illos Psalmos cantarent. S. Hilarius Prolog. in Psalm. minus exacte scribit, *Diapsalma* ita enim reddit vocem Sela, designare immutationem vel Cantorum vel sensuum sive cantus. Gemina ferme habet Cassiodorus Præfat. in Psalm. capite 11. *Diapsalma sermonum rupta continuatio*; *docens ubicumque*

que fuerit, aut personarum, aut rerum fieri permutationem.

Eusebius Cæsariensis in Ps. tanta confidentia Diapsalma exponendum suscipit, quanta neque oculatus testis asseveraret. *Non est*, ait, *ita vox suscipienda, quasi a Davide sive S. Spiritu scripta fuisset; cum tantum cessationi divinæ inspirationis designandæ apposita sit*. Musicæ Præfecti, quorum medius in Sanctuario David versabatur, eam notam adscribebant. Canebant illi simul laudes Domini, fidicularia una pariter instrumenta pulsantes, cymbalum, lyram, Psalterium, ductum afflantis Spiritus sequentibus singulis. Qui primus œstro illo Divino afflabatur, Canticum ad numeros canendum suscipiebat, ceteris tantum Alleluja succinentibus. Cum inspiratio cessaret, cessantibus pariter instrumentis, *Sela* sive *Diapsalma* in Codice adscribebatur. Magis apposite idem Eusebius in Psalm. 4. in eam sententiam concedit, quæ vocem *Diapsalma* pro immutatione sensus, inflexione vocis, metri variatione, & concinna complexione exponit [8]. S. Gregorius Nyssenus Præf. in Pss. autumnavit, vocem illam *Sela* intimum quemdam & insuetum Divini Spiritus afflatum, & suavem ad pietatem motum in Propheta designare. Cum autem tota ea fuerit S. Spiritus operatio, pro arbitrio Prophetam agentis, ideo *Sela* interdum in medio, sæpe in fine, frequentius aliquando, rarius interdum in Pss. adscribitur. Hæc Veterum sententia de sensu, & usu vocis *Sela*.

Recentiorem sententiæ nec inter se satis, neque cum Patribus conveniunt. Sunt qui credant, nullum esse alium vocis *Sela* usum, & sensum, quam vocis *Evovae* in Libris ad usum Chori destinatis; adscribitur enim in fine Antiphonæ, ut Psalmi cantum designet. Porro *Evovae* usurpatur pro *sæculorum Amen*; neque cantatur unquam, sed Præcentori dirigendo servit. Ita *Sela* ex illorum sententia nota est musica veterum Hebræorum, cujus hodie usus ignoratur. Redundat equidem vox illa in Psalmis, neque, si expungatur, sensus usquam vel sermonis series turbatur [9].

Kimchi, De Muis, Grotius, Genebrardus, Mariana, aliique plures notam esse musicam defendunt, qua vocis elevatio designetur; ut proinde eo deveniens cantor, vel Lector intendere vocem, vel tristem, vel lætam, juxta Psalmi naturam moneatur. Derivant illi vocem *Sela* a verbo Hebræo *Selal*, quod sonat viam in aggere struere, aggerem elevare. Addunt aliqui [10], insinuari pariter ea voce sensus quosdam admirationis, miserationis, indignationis, & gaudii, juxta Carminis indolem; ut *Sela* loco nostrarum interjectionum adscribatur, veluti *o Deus!* quale infortunium! qualem dementiam! qualem injustitiam! vel illud: *mirabile dictum!* Buchananus in Psalm. 9. ita reddit: *O res pectoris altis condenda in penetralibus!* Calovius plerumque Grotio adversus [11] contendit, notam esse deprimendæ vocis, veluti si auditores invitarentur ad lectionem illam serio reputandam, ac tranquilla sedataque mente spectandam.

Abenezra, quem Recentiorum aliqui ducem in ea re sequuntur [12] confundendum censet *Sela* cum *Amen*, qua posteriori voce preces claudi consueverunt. Epitaphia sua Judæi hæc adscripta clausula terminant: *Ejus anima in Cœlo alligetur; Amen, Sela:* vel tantum: *Amen*. In calce Librorum quatuor hæc compendiariis literis adnotant: *Amen*, *Nezach*, *Sela*, *Vaad*; id est, *Amen semper*, *Amen in perpetuum;* vel *Amen in finem*, *semper*, *in perpetuum;* neque enim certa vocis Sela significatio constat. Junius & Tremellius præcedenti verborum contextui vocem illam adjungunt; sed cum verborum sensus minus aliquando adjectionem illam patiatur, variare interdum coguntur. Ceterum illorum opinione *Sela* rei vim, excellentiam, granditatem, & necessitatem designat.

Post fusiorem hanc sententiarum expositionem, reliquum est modo ut nostram etiam proferamus, in cujus potissimum partem inclinemus indicantes. Profecto si post certum versuum, vel Psalmorum numerum vox illa recurreret, eo indicio stropharum vel Psalmorum distinctionem denotari non immerito suspicaremur. Sed nihil vagatur incertius; observat enim S. Hieronymus ad Marcell. in prolixis quandoque Psalmis ne semel quidem adscribi; cum interim brevissimi repetitam sæpius interdum exhibeant. Si post absolutum aliquem sensum æque in omnibus Psalmis apposita legeretur, scire aliquid de usu illius & significatione daretur; facilesque in sententiam Patrum, clausulam esse sententiæ vel sensus autumantium, concederemus. Verum si paulo attentius Psalmus legatur, apparebit interdum, in ipso argumenti contextu vocem illam mediam adscribi; ut ipsi quandoque Patres præpostere constitutam esse [14] fateri cogantur. Paret etiam quandoque in fine Psalmi, ubi scilicet terminandam esse & melodiam & sententiam frustra moneremur.

Quæ de nota musica voce *Sela* expressa

ſa ſolo verbo aſſeruntur, verbo pariter negarentur. Nec melior eſt eorum opinio, qui notam eſſe tollendæ deprimendæque vocis autumarunt; quo enim jure illi indicium eſſe flectendæ vocis aſſeruerunt, eo pariter alii continendæ eſſe vocis ſive ſuſtinendæ contenderent. Qui vero reddunt *Sela*, *ſemper*, ſeu patheticam aliquam exclamationem deſignari ea voce ſuſpicantur, illis plane mens adhibenda fuiſſet, recurrere ſæpiſſime vocem, quo loco nec *ſemper*, nec exclamatio aliqua quadraret. Ad hæc, vox certam illam ſignificationem exprimens cur nuſpiam alibi, quam in Pſalmis, & in Cantico Habacuc legeretur? Quæ inſuper lingua una aliqua generali voce exclamationes ſimul omnes admirationis, gaudii, doloris, & indignationis exprimeret? Notæ ſunt apud Hebræos voces variæ variis paſſionibus deſignandis, cur ergo variis hiſce exprimendis una eademque vox *Sela*, vagæ, incertæ latentiſque ſignificationis adhibita eſt?

Qui tandem, uti Vulgata, Syriacus, Arabicus, & plurima Exemplaria Septuaginta, ſicut & vetera Latina Mſs. [14], ſæpius *Diapſalma*, vel *Sela*, tamquam ſuperfluam aliquam redundantemque in Textu vocem, omittunt, æquius ille facile judicaſſe videntur. Cum enim verbum ſit obſcuriſſimum, cujus interpretatio fruſtra tentaretur; ſit æque prorſus in Textu redundas, ut nihil exponendo ſenſui conferat; neque ratio Pſalmorum poetica hodie noſcatur; his facile momentis in eam ſententiam duceremur, Origines, & Sanctus Hieronymus poſt ſedulum ejus rei examen, veterum ambiguitatem exuere numquam potuerunt. *Cujus* (Origenis) *maluimus in hac diſputatione dumtaxat imperitiam ſequi, quam ſtultam habere ſcientiam neſcientium*, ait Sanctus Hieronymus Epiſt. ad Marcellam de voce *Diapſalma*. Scite admodum in eam rem D. de Muis: *Hic ſine periculo erratur, cum ea res nihil aut parum ad ſenſum pertineat*.

Si ſemel ſtatuatur, olim Pſalterium unica contextus ſerie continuatum fuiſſe, variamque tum obtinuiſſe dividendorum Pſalmorum rationem; ſyſtema aliquod non inveriſimile de *Sela* formandum nobis videtur; nempe ejus vocis adſcriptione dirigi ſive Lectores, ſive Levitas canentes, ut pauſentur; quemadmodum in nonnullis vetuſtis Librorum ad uſum Eccleſiæ Græcæ Mſs. quo loco exordienda eſſet Epiſtolæ, ſeu Evangelii lectio, vox *Arche* nempe initium, quo vero terminanda, *Telos* nempe finis, adſcribebatur [15] Erat tum temporis maxime neceſſaria cautio, cum in Officio Eccleſiæ lectiones ex ipſo Bibliorum Codice, vel e Novo Teſtamento, nulla capitum diviſione diſtincto, legerentur. Monendus fuerat Lector, quo loco exordienda, quo loco claudenda lectio fuiſſet.

Olim, & nunc pariter Sacri Hebræorum Libri uno Scripturæ tenore abſque capitum & verſiculorum diſtinctione continuabantur. Pſalterium eamdem forte rationem ac ceteri Libri ſervabat; quare unde exordienda eſſet lectio, adſcriptione aliqua fuerat demonſtrandum. Quod autem notæ illæ tum pariter, quando eorum nullus erat uſus, ſervarentur, ſuperſtitio fecit, vel imperitia. Ipſa Kimchi ætate, ſæculo nempe 12. ſatis certa Pſalmorum diſtributio non adhuc obtinebat.

In nonnullis exemplaribus Hebraicis Pentateuchi geminæ hæ voces leguntur, *Samech* & *Phe*; quarum prima, juxta Rabbinos, deſignat ſpatium aliquod clauſum ſive terminatum; altera vero ſpatium patens, ſive principium. Litera *Samech* facile compendioſa nota eſt vocis *Sela*, quam Judæi in fine Lucubrationum ſuarum adſcripſerunt, veluti ſi finem operis deſignaret; litera vero *Phe* compendioſa eſt nota vocis *Pathach*, aperire, quæ in exordio lectionis adnotaretur. Idem & in Pſalterio ſervatum, cui vox *Sela* in exordio lectionis ſive cantus adſcribitur. Cum autem lectionum illa diſtributio ſatis vaga fuerit & incerta, & ad arbitrium Præſidium Synagogæ; hinc *Sela* non exacte ſemper recurrit, ſed varias & inæquales lectiones deſignat. Id plane demonſtrant variantia, quæ inter Exemplaria Græca & Hebraica obſervantur. Euſebius & S. Hilarius in Pſal. 2. inſinuare videntur. Interpretum Græcorum opera vocem illam *Diapſalma* in Pſalterio adſcriptam; maluerim tamen ego Judæis, & principibus Synagogæ tribuere. Nemo, quantum ſcio, ipſius Pſalmorum Autoribus vindicat, niſi unus forte Euſebius in Præfatione ſupra a nobis laudata, cujus ſane autoritas ea in re minor eſt, quam ut fidem extorqueat.

NOTÆ.

(1) *Habac.* 3. 3. 9. 13.

(2) *Vide Septuag. apud Euſeb. & Hilar. in Pſal.* 2. 3. Quamvis nihil legatur neque in Romana, neque in Complutenſi Editione. Codex Reg. 222. legit *Diapſalma in verſ.* 2. *Pſal.* 2. *Vide nov. Edit. Hexaplor. in Pſ.* 2. *verſ.* 4.

(3) *Ita Sym. & Theodotion, apud Origen. citatum a Hieron. Epiſt. ad Marcellam.*

(4) *Suidas. Ita & Theodoret. Præfat. in Pſ.*

(5) *Hieron. ad Marcell. de voce* Diapſalma. *Quidam Diapſalma dixerunt eſſe commutationem metri, alii pauſationem ſpiritus, nonnulli alterius ſenſus exordium; ſunt qui rythmi diſtinctionem.*

(6) *Theodoret. Præfat. in Pſalmos. Ita Euſeb. Præfat. in Pſal. pag.* 8.

(7) *Coſmas Monach. p.* 223. *nov, Collect. PP. t.* 2.

(8) *Vide & in Pſal.* 23. *&* 88. *pag.* 582.

(9) *Vide Gejer. Hammond. Forſter. Buxtorf. &c.*

(10) *Vatabl. Genebr.*

(11) *Calovius Antigrot. hic.*

(12) *Vide Calv. Gejer. Fag. Vide & Hieron. ad Marcellam: Apud Hebræos in fine librorum unum e tribus ſubnecti ſolet, aut Amen, aut Sela, aut Salem.*

(13) *Vide Euſeb. in Pſ.* 2.

(14) *Vetera Pſalteria Mſs. S. Germani, Carthuſiæ, Romanum & Fab. Stapulenſis legunt Diapſalma. Vetus alterum apud eumdem Fabrum & alia plura in Bibliotheca Regis, & Colbertinum omittunt* Semper *&* Diapſalma. *Gallicanus, & Codex D. de Meſme: legunt;* Semper.

(15) Simon Hiſtor. Critic. N. T. cap. 33.

M. HENR. GOTTLIEB REINE

DE

VOCE סלה.

INvita Minerva videtur mihi סלה pro una voce hactenus habitum, nulli radici commode & ſatis pertinenter applicabile. Unde in eam incidi opinionem, ſenſui textuum ſingulorum, in quibus occurrit, & voci ipſi magis conſulturus, num forte aliqua hic lateat, ut in Rabbinicis loquimur, abbreviatura? Perfectam eam deprehendere mihi viſus ſum, ita, ut ſingulæ litteræ ſingulas voces exprimant ſequentes: (ס') סלח (ל') לנו (ה') השם *juva nos Deus, gratioſus eſto nobis, condona nobis Deus!* Vel pro ratione contextus; סלה לי השם, *juva me Deus!* Hilff (uns / mir) HErr, errette, erlöse uns, Sprich dein Ja darzu, o GOtt! Quæ opinio mihi ideo placuit quod

I. Precantium in Deum fiduciam, cum ardore ſummo conjunctam, ſatis emphatice & pertinenter exprimit.

II. Applicatio hujus ſenſus ad ſingula loca Biblica haud erit difficilis. Tentabimus ſaltem unum alterumque. V. C. Pſalm. III. 5. *Multi dicunt, ait Pſaltes, de anima mea, non eſt ipſi ſalus apud Deum, Selah* ideſt, *juva tu* vero *me, eripe me, o Deus!* præter omnem adverſariorum meorum opinionem. Adde verſ. 5. ſeu poſtremum Cantici ejuſdem. 12. Pſal. XLVI. 4. *Fremant licet, intumeſcant aquæ ejus* (maris) *tremant montes in cacumine ſuo; Tu Jehova* סלה *nos eripe.* Prolixam & ad omnia loca accommodatam applicationem facerem, niſi ab unoquoque ſine difficultate facile poſſet inſtitui. Argumento non contemnendo, haud fruſtraneam fore hanc meam opinionem. In qua me

III. Confortavit, convenientia hujus vocis perpetua cum ſubtrata in locis omnibus materia, quæ ita ubivis comparata eſt, ut ad eam quadret perpetuo. Intenſiſſimis enim & ardentiſſimis ſuſpiriis adjicitur colophonis inſtar, votum ad Deum devotum & preces valde intendens. Unde haud difficulter reſpondebit formulæ iſti, hodienum apud nos ſatis receptæ; *Juva Juva!* Vel ſi ad Germanicarum Eccleſiarum palatum ex Litania, quam dicunt, efferre velis; erhöre uns lieber HErre Gott! Hilff uns lieber HErre GOtt!

IV. Poſita noſtra explicatione, genium Davidis exacte exprimit, regii cordis fiduciam, & integrum, quo in Deum ferebatur, amorem, emphatice nobis ſiſtens. Unde & unice fere in ejus extat hymnis.

V. Conveniens erat, ob crebram ejus in Davidicorum hymnorum volumine, repetitionem, & quia votum iſtud in Eccleſia Iſraelitica ſatis erat celebre, atque in Choro Eccleſiaſtico ſacro a Muſicis quotidie decantabatur publice, ut abbreviate ſcriberetur. Sicuti alias, frequens alicujus vocis uſus ordinaria & præcipua, quid? quod cum ſcriptionis & lectionis compendio unica fere cauſa eſt abbreviaturarum Hebraicarum.

VI. Quia ſimilem precandi morem iiſdem

dem pene verbis, integris vocibus expressis, in Scriptura S. non raro deprehendimus. V. C. Num. XIV. 19. סלח לעון העם הזה *condona*, *remitte*, (queso o Jehova!) *iniquitatem populo huic*. Adde *Amos* VII. 2. ארני יהוה סלח נא *o Domine Jehova! condona quæso*, *&c.* Ex quibus & aliis locis facile quis subodorari poterat, nostram vocis סלה significationem, imprimis, quando omnium textuum circumstantias ponderare volebat. Quare & hactenus jam quoad rem ipsam interpretes sensum ejus non ignoraverunt penitus.

VII. Quia accentuatio Hebræorum hanc propugnat sententiam, eam illustrat, corroborat. Nam eum inter alia in finem abbreviate scripta est hæc ipsa clausula votiva סלה, ut, quando præcedens vox cum alia connecti haud poterat, cum hac connecteretur, atque ea sic vel versus alicujus integri, vel hemistichii minimum finem faceret, pio cum voto, cum præcedenti voce facile coalitura. Quando vero vox τῷ סלה præmissa, conjuncta est cum alia, divelli illa tolet, & commode etiam potest, quia integrum aliquem sensum exhibet. Penitus, ubi sese habet cum voce לאמור, de qua, Hebraice accentuationis periti, iique recentiores potissimum, idem observant.

VIII. *Ratio*, eaque satis solida, & postremo loco non habenda, ex tono vocis recte desumitur. Accentus enim ei adjectus per inductionem omnium exemplorum a posteriori demonstrat, tonum ejus esse in penultima. Nisi quod ה finale, sive radicale, sive essentialiter servile fuerit, præcedente vocali longa, ultimam semper syllabam sibi vindicet. Quod cum in voce סלה non fiat, apparet, ex radice סלה eam derivari non debere, quin nec ex ulla alia, ne imperfecta quidem quoad secundam. Hisce enim in casibus singulis tonus non posset non esse in Syllaba ultima. Ad Paragogen enim confugere, foret latibula quærere. Neque negotium facessit mihi.

I. Quod littera (ה) durius forte non nihil ex aliquorum mente τῷ השם seu Deum ipsum exprimere videri poterat, quippe quæ vox Stylo saltem Rabbinico, (apud Rabbinos enim id frequentissimum est,) hunc in sensum & modum usurpata credi solet. Namque eundem in sacris quoque non esse prorsus inusitatam, probo ex *Deuter.* XXVIII. 58. ubi, *si non* inquit Moses, *observaveris omnia verba legis hujus*, *scripta in hoc libro* (ליראת השם) *pro timendo Deo majestatico & venerabili*, *&c.* Ex quo loco manifestum est Mosis jam tempore viguisse, & ab ipso (יהוה) Deo essentiali κατ' ἐξοχὴν, fuisse adhibitum & usurpatum. Quem deinceps Rabbinici Doctores, vetita præsertim inter Judæos pronunciatione nominis essentialis Jehova, frequentissime sunt imitati. Adde *Levit.* 24. 11. *Maledixit vero natus mulieris Israelitæ* (את-השם) *Deo &c.* Neque

II. Vocales obstant meæ hypotesi. In abbreviaturis legendis enim adhiberi solent vocales ordine primæ, vocalis (A) ut plurimum, sed & vocalis (E). Utraque adhibita est in hac voce, majoris Euphoniæ ergo. Magis obstare mihi videtur

III. Quod nullibi locorum in S. Litteris ulla aliqua vox amplius abbreviate scripta deprehenditur, adeoque res sine exemplo parallello est. Sed ne hoc quidem meam mihi eripiet sententiam, pensitanti, multa oppido in SS. Scriptura occurrere ἅπαξ λεγόμενα, uti inter omne constat. Sine semel ea in universo codice exstent absolute, sive certo saltem respectu & specialiori circumstantia non amplius obvia sint, quo nostrum סלה pertinet. Licet itaque hactenus nulla sese in sacris exseruerit sententiarum aut vocum abbreviatio alia: huic tamen voci Selah ea omnino tribui poterit, & certe debebit, quia in ea requisita, quæ ad abbreviaturam requiruntur, adsunt omnia, cum in nulla alia eadem invenisse meminerim. Huic valde vicinum est

IV. Contra meam sententiam prolatum dubium, quod formari potest exinde, quia non constat, antiquis sub temporibus morem abbreviandi fuisse receptum unde concludendum sit, a minori quasi ad majus, eum Codici sacro, per θεοπνευστίαν, inque cana antiquitate exarato, minime competere, adeoque hunc abbreviaturas nullas admittere. Sed, ut verum fateor, frustra id quoque supponi mihi persuadeo. Siquidem deprehendo, in antiquissimis aliis, & maximæ inter Judæos autoritatis, quæque ab hac gente ipsa ad nos pervenerunt, voluminibus, deprehendi voces abbreviate scriptas. Ne prolixus sim, unice nunc provoco ad istam, quæ in Paraphrasibus Chaldaicis frequens est vocula ('') vocem יהוה ex radice היה vel הוה formatam, & sic in compendium redactam atque contractam exhibens, eamque, ni multum fallor, unice abbrevians, & nullam amplius aliam. Id quod iterum tertiam etiam, a me ante motam objectionem, novo nervo & robore destruit. Cum per omnes in universum Codices Targumicos sola atque unica, quod scio, vox יהוה non plena pingi soleat. Sed hæc hic obiter. Redeundum est ad hanc justam objectionem.

nem. Cum itaque modum hunc per compendium voces exhibendi in antiquissimis Judæorum monumentis inveniam; majori sane jure auguror, antiquissimum eundem, & propterea etiam e Sacro Codice non eliminandum esse. Majus sane pondus habebo, quam si quis alius, monumentis omnibus destitutus, conjectari velit, recentiori ætate eum excogitatum atque a Sacris alienum esse. Idque eo magis, quoniam Judæi Paraphrasibus Aramæis non multum minorem, si non eandem, aut forte etiam majorem tribuunt, perperam licet, autoritatem, ac Sanctitatem quam ipsi Codici authentico Hebræo. Abbreviationem tamen, quam annotavi, in iisdem admittunt, & non expungunt. Quibus animadversis, unicum modum, idque *Utum*, adhuc restare videtur dubium, omnino e medio tollendum, quod scilicet hæc abbreviatura nullibi locorum in Scriptura Sacra abbreviationis signo invenitur notata, sive in textu, sive minimum in margine id quæsiveris. At vero, ut huic quoque pro virili faciam satis, res sane ista non videtur mihi aliter comparata, quam ut sese habet in notis Masorethicis. Masorethæ enim voces, circa quas quid notant, Circello quidem, designare soliti fuerunt, vel asterisco; ita tamen, ut tum id facere nolint, quando vox aliqua sæpius occurrit. Constat id inter omnes V. C. de pronomine הוא, secundum textum scriptum per הוא, secundum Masoram & vocales per היא legendo. Idem asserendum de voce ירו שלם, יה וה, aliisque, quæ id satis abunde omnes edocere poterunt. Eundem in modum res se habet cum nostra סלה, ob frequentiam suam peculiari non insignito charactere, & ex prædictis omnibus haud infeliciter, quod spero, illustrando.

M. HENR. JOH. BYTMEISTERI
DISSERTATIO
DE SELA
CONTRA GOTTLIEB.

QUodsi unquam vox aliqua torsit atque in varias sententias abripuit sacri Codicis interpretes atque commentatores, adeoque dubiis atque vexatis vocibus fuit anumeranda, certe סלה ejusmodi meretur nomen, siquidem exquisitissimæ alioquin eruditionis interpretes *Gesnerus*, *Gejerus*, *Glassius*, *Sennertus*, alique complures, in ejusdem sensu explicando certi quid pronunciari posse dubitarunt, atque, variis variorum illius vocis explicationibus propositis, inter voces dubiæ significationis eandem retulerunt. (*) Ipse Lutherus, prouti in fontibus occurrit, eam versioni inservit. Singulas vero explicationes hic exponere, neque ob spatii, huic animadversioni destinati, angustiam, licet, neque in præsentiarum mei est instituti, cum recentiorem quandam sententiam, quæ est Præcl. M. Reime, *Facult. Philos. Jen. Adjuncti*, brevibus sub examem vocare mihi proposuerim.

Inserta est hæc sententia in peculiari observatione *Miscellan. Lipsiens. tom.* III. *pag.* 61. *qua invita Minerva vocem* סלה *pro una voce hactenus habitam*, *nulli radici commode & satis pertinenter applicabilem* asserit, atque omnes rematurus difficultates, *in ista abbreviaturam quandam latere statuit*. Hinc secundum ipsius mentem sequentes involvit voces סלח לי vel לנו השם, *condona mihi*, *vel nobis Deus*. Multa vero *Vir præclarissimus* in argumentis suis supponit, quæ minime concedenda.

Præmissa etenim ulteriori explicatione (ut priora argumenta generalia p. 62. 63. prætereamus) 1. Sententiam suam pag. 64. *ex simili Sciipturæ S. precandi more* stabilire conatur. Num. XIV. 19. ס'לח לעון, העם הזה, *condona iniquitatem populo huic:* collato Amosi cap. VII. 2. Hæc vero *Cl. Dn. Reime* tamdiu tantum, quamdiu ejusdem stat hypothesis, *de abbreviatura* concepta, favet formula: hac vero solidis destructa rationibus, hocce sua sponte cadit argumentum.

II.

(*) VIII. *Variantia glossemata recenset* M. Joh. Paschius, *Adj. Witteb. in dissert. cujus titulus:* Selah philologice enucleatam, *Witteb.* 1685. *quibus nonum addit*, dum nomen Dei esse, *demonstrare sibi videtur*.

II. Alterum *ab accentuatione* petitum, pag. 64. nullius quoque est valoris, cum ipsi potius contrarietur accentuatio. Quodsi enim vox סלה pro tribus posita foret vocibus, accentus etiam, sensus semper habentes rationem, eo deberent respicere; posterius vero non occurrit, ergo & prius, quod loco trium vocum sit posita, concidit. Quivis accentuationis Hebrææ peritus perspecit facile, (ut unicum addam exemplum,) Psalm. III. 5. in voce קרשו non posse obtinere *Munach* pro *Rbbia Gereschato* collocatum, cum iste accentus in τῷ סלה jam esset inclusus. At vero cum *accentuatio* voce סלה pro una agnoscat ubivis, eadem Cl. viro repugnat evidenter.

III. Rationem suæ sententiæ depromit pag. 65. *ex tono, qui quoniam in penultima hic est, ideo* ה *neque radicale, neque essentialiter servile dici posse*. At vero Cl. Autorem prima linguæ Hebrææ rudimenta non attendisse miror, quod nimirum *tonus ob Sillukum ex ultima retractus sit ad penultimam*, uti infra ex accurata vocis סלה analysi clarius constabit. Tonus itaque, quo minus pro una voce haberi queat, non impedit.

IV. *Si quis notionem* τȣ̃ השם *pro* Deo *in dubium vocare vellet*, istam cl. Autor p. 66. conatur evincere ex Deut. XXVIII. 58. Ubi ליראה את חשם vertit: *pro timendo Deo majestatico & venerabili*. At vero cum ibi de veneratione nominis יהוה sermo sit, idque statim quoque sequatur, facile patet, significationem, τȣ̃ השם pro Deo in sacris literis obviam, frustra esse excogitatam. Eadem ratione res se habet Levit. XXIV. 11. Ubi יהוה per ellipsin est omissum, sed vers. 16. additum.

V. Opinatur pag. 66. cl. Autor *vocales* τῷ סלה *adjectas, sibi fore patrocinio, quia in abbreviaturis non solum vocalis A, sed etiam E, adhibeatur*. Sed, cum fingere non liceat, ut exemplum aliquod, in quo sine litera *Jod* vocalis *E* occurreret, in medium protulisset, vellem. Notum est iis, qui primis labiis Rabbinicam literaturam degustarunt, in abbreviaturis, nisi *Jod* adsit, vocalem ubvis *A* usurpari.

VI. Objectioni, quod in sacro Codice abbreviaturæ non occurrant, resque sit sine exemplo parallelo pag. 67. respondere sufficienter sibi videtur, asserendo, τὸ סלה *inter* ἅπαξ λεγόμενα *esse referendum*. At enim vero sunt talia, quibus non data amplius occasione, semel tantum Spiritus Sanctus est usus: Quare vero *hanc unicam abbreviaturam* adhibuisset, cum alibi multoties potuisset, non video. Spiritus S. nobis dedit voces integras, quas nullum immutavit ævum, non vero vocum initia.

VII. Antiquitatem *abbreviandi* ex Paraphrasibus Chaldaicis pag. 68. annititur probare; harum vero tam autoritas tanta non est, ut cum codice Hebræo possit comparari, tam etiam a paraphrasibus ad codicem ipsum velle argumentari, est incongruum.

VIII. Virgularum ad abbreviaturam indicandam communiter necessarium defectum per simile a Masorethis desumtum, qui quando semel aliquid annotarunt, deinde, quando vox aliqua sæpius occurrit, omittunt, conatur excusare. At vero nullum *Cl. Reime* produxit locum, neque imposterum producet, ubi *Masora semel tantum abbreviaturæ hujus injecit mentionem*; quæ sane hoc notabile admodum non præteriisset. Quum itaque *accentuatio*, puncta, antiquitas, aliaque, huic sententiæ contrarientur, abbreviaturam in τῷ סלה latere *Cl. Dn. Reime*, *invita Minerva*, asseruisse, patet cuivis harum rerum perito.

Ut vero tandem de mea quoque opinione atque sententia constet, derivo τὸ סלה a radice arabica صلى (non a سلك uti *Pfeifferus* in suis *dubiis vexatis voluit*,) quæ inter alia significat *propitius fuit*, estque *Imperativus in Kal.* spectans ad verba לא ה, ה tantum pro א posito, secundum celeberrimi *D. Danzii* Instit. linguæ Hebrææ §. 49. Obs. 1. pag. 138. Schva sub ס mutatum est in (ֵ) ob Sillukum juxta §. 27. n. 3. pag. 64. adeoque accurata vocis סלה significatio est: *Propitius esto* (Deus). Lector benevolus de cetero vivat & valeat!

CHRI-

CHRIST. AUGUSTI HEUMANNI

POECILE

PROGRAMMA

DE SELA

HEBRÆORUM INTERJECTIONE MUSICA.

QUam ægre a se impetrare possint literati homines, ut exclament *Nescio*, uno libet nunc exemplo demonstrare, ex artis musicæ historia depromto. Scilicet quid sit סלה *Selah vel Sela*, quod in Psalmis septuagies & semel, in cantico Habacuci ter occurrit, præterea nusquam, plerique omnes scire videri volunt. Mihi vero perspectum est & exploratum, scingulos, qui suam de eo nomine dixerunt sententiam, non edidisse quisquam certi firmique, adeoque suam vel invitos in apricum protulisse ignorantiam. Quid? Ad cognitionem veri sensus τȣ̃ *Sela* perveniri plane non posse, evicturum me spero, adeoque imposterum otia facturum theologis pariter ac philologis, ad hanc quidem quæstionem quod attinet. Propius igitur accedamus age ad vocem *Sela*, & convocato concilio quodam hominum & ingenii & doctrinæ laude conspicuorum, suam quemque rogemus sententiam. Quorum qui præter Αὐτὸς ἔφα nihil attulerit, vel produxerit argumentum nihilo simile, eum agnoscamus non minus in ignoratione versari, quam cæteros, quos suam profiteri ignorantiam minime pudet. Idipsum tamen excusatius erit, si quis nonvenditet suam sententiam pro certissima, sed *se putare*, *sibi ita videri*, ingenue ac modeste pronuntiet.

Æquum vero fuerit, primos omnium audire interpretes Alexandrinos, quos LXX. vulgo vocant; hinc Rabbinos; tum denique Christianæ ecclesiæ theologos philologosque. Et Alexandrini quidem illi, quos & Theodotion secutus est, itemque Symmachus, ubi *Sela* est in Hebræo codice, exhibent vocem (1) διάψαλμα. Sed hæc ipsa quid sibi velit, obscurum est, aliis (2) *pausam* sive brevem *cantus* cessationem, aliis (3) μέλους ἐναλλαγήν sive μεταβολήν, hoc est, *cantus mutationem*, aliis (4) μουσικὸν μέλος, *musicam modulationem*, innui credentibus tradentibusque. Quæ quidem postrema sententia ob analogiam Græcæ linguæ facilius cæteris potest admitti. Quomodo namque διάστημα & διάστασις *intervallum*, διαῤῥέω (5) *interfluo*, διαγίνομαι (6) *intersum*, *interjectus sum*, significat; sic διάψαλμα quominus interjectam musicam instrumentalem notet, obstare nihil video. Illud jam quæritur, quo jure οἱ ό Hebraicum סלה reddiderit διάψαλμα. Sive enim a סלה *prostravit*, *conculcavit*, sive a סלל *aggeravit*, *exaltavit*, sive a סלא *æstimavit*, id verbi deduxerint, nullam video justam radicis & propaginis convenientiam. Quod si quis dixerit, historica fide iis cognitam fuisse veram vocabuli *Sela* notionem, eum tradere, quod incompertum est, imo quod falsi simillimum, inferius apparebit.

Advocemus igitur Judæorum Rabbinos, nec solum quid dicant, attendamus, sed quo fulcro suam quisque sententiam stabiliat. Aben Esra, magna vir autoritate, credere nos (7) jubet, *Sela* esse asseverationem quamdam: quem in modum Latine dixeris: *Ita est*, *id certissimum est*. Subscripsit huic sententiæ Franciscus (8) Junius: a qua nec abhorret Christianus (9) Becmannus, quanquam non toto assensus pectore, sed nonnihil hæsitans. Nec vero aut Aben Esræ aut Francisci Junii, viri in tantum laudati a (10) Scaligero, ut judicaret, *inde ab Apostolorum temporibus parem theologum nullum vidisse sæculum*, sufficit autoritas, ut clausis veluti oculis dicamus, nos videre acutissime. Doctius errat R. David Kimchius, levem quidem afferens rationem, sed rationem tamen. Vult (11) videlicet, Elevationem vocis, sive acriorem exclamationem, acuendæ meditationis caussa faciendam, indicari per *Sela*, deducens hoc nomen a סלל Sed jam Drusius (12) hunc errorem coarguit, docens, eo pacto *Sella* scribi oportuisse, non *Sela*. Unde sequitur, & cæteros hujus sententiæ subscriptores, (13) Vatablum, Isidorum (14) Clarium, (15) Grotium, & (16) Coccejum, dormitasse, &, quod incertum est, habuisse certissimum. Sapientius fratribus suis R. Salomo Jarchi fecit, silentio eam vo-

vocem præteriens in ſuis tum ad Pſalmum tertium, tum ad Habacucum commentariis.

Tranſimus ad Chriſtianos interpretes, eos ſcilicet, qui nulli Rabbinorum ſuam addixerunt credulitatem, ſed diverſas amplexati ſunt ſententias. Vetuſtiſſimus horum eſt Aquila, qui cum Paraphraſte (17) Chaldæo τὸ *Sela* reddit *ſemper*. Huic, *diligentiſſimo* quippe *verborum Hebræorum explicatori*, ſuffragari ſe ait Hieronymus, vocabulum iſtud *Habac.* III. vertens *ſemper*, & ad *Pſalmum* IV. ſcribens, *perpetuitatem eorum, quæ prædicta ſunt, indicari, &, ubicumque* Sela *apponatur, ibi vel quæ ſequuntur, vel quæ præceſſerunt, pertinere non tantum ad præſens tempus, verum ad æternum.* Imo ſingularem de *Sela* epiſtolam (18) ſcripſit ad Marcellam quandam, in qua ſententiam Aquilæ tanta tuetur confidentia, ut ſcribat: *ſe hæc de intimo Hebræorum fonte libaſſe, ſeque ſcire & docere, quæ vera ſint.* Quid vero eſt, quæſo, Αὐτὸς ἔφα, ſi hoc non eſt? Nacta tamen eſt hæc ſententia approbatorem (19) Bartoloccium, a nobis autem, cum nulla plane luce radiet, merito (20) repudiatur & in cenſum incertiſſimarum, imo inertiſſimarum conjecturarum rejicitur.

Venimus ad Lutherum, qui debita uſus modeſtia (21) ſuſpicatur potius quam decernit, *Sela* eſſe notam pauſæ muſicæ, piæ meditationis ſpatium præbituræ. Comites hujus opinionis nactus Johan. (22) Tarnovium, (23) Calovium, (24) Buxtorfium, & (25) Pfeifferum. Sed & hic tantum diſcimus, quid ſignificare poſſit *Sela*; quid certe ſignificet, non item. At סלה, inquit Buxtorfius, eſt *ſtravit, proſtravit.* Ergo *Sela* eſt *quaſi vocis ſternendæ ſymbolum, notans communem pauſam, in qua voces omnes quaſi ſternebantur & pauſabant;* Ecquis vero, inquam, Hebræus ceſſationem cantus & pauſam unquam vocavit *proſtrationem vocis* vel ſimpliciter *proſtrationem?* Enimvero hoc non eſt defendere ſententiam, ſed ſummam ejus imbecillitatem non ſolum oculis, verum etiam contemtui omnium exponere. Rectius defenſione hac ſuæ ſententiæ abſtinuiſſet Buxtorfius, &, quod Lutherus fecit, ſimplici conjecturæ ingenua libertate indulſiſſet.

Idem Lutherus cum alio loco (26) ſcripſit, *Sela*, eſſe cognomentum Dei, errandi occaſionem nonnullis præbuit. Obverſabatur ſcilicet animo Lutheri aliud *Sela*, quod *petram* ſignat, & סלע (27) ſcribitur. Minus igitur recte noſtrum *Sela* pro cognomine Dei habetur a doctiſſimo alioquin viro, Dieterico (28) Stadenio. Continuo igitur hanc opinionem dimittimus, & Andream Rivetum audimus, qui (29) ducem ſecutus Chryſoſtomum exiſtimat, *Sela* ſignificare, toti nunc choro canendum eſſe, cum antea unius vox audita fuiſſet; ipſum ſibi velle nomen διαψάλματος. Ac poteſt ſane *Sela* hunc habuiſſe ſenſum; ſed unde id cognitum habes, Rivete? Dicenti, dictumque nullo argumento confirmanti, vel obſcurum per aliud paris obſcuritatis probanti, qui aſſenſum denegat, is profecto jure ſuo uti dicendus eſt. Similis farinæ eſt Salomonis Tilii ſententia, *Sela* putantis (30) eſſe ſignum, quo admoniti buccinatores cantum interpellarint, idque vividius ferventiuſque. Nam & hæc ſententia non eſt ejuſmodi, ut falſam eam eſſe neceſſerit: ſed, veram eſſe certamque, nullo idoneo argumento perſuaderi poteſt. Pari modo hariolari libuit Auguſtino Calmete, monacho Benedictino, clariſſimo noſtris temporibus ſacri codicis interpreti. Is enim in *Commentario literali in Pſalmos* A. 1713. Lutetiæ emiſſo, ſingularem exhibet *de Sela* Diſſertationem, in qua poſtquam ſingulas ſententias propoſuiſſet ac rejeciſſet, tandem ſtatuit, *Sela* fuiſſe ſignum a præfecto Synagogæ datum lectori publico, ut is ſciret, ubi finire lectionem debeat, reliquis in proximum tempus reſervatis. Audita hac opinione, ſi quis vetus illud Philoſophorum occinat: *A poſſe ad eſſe non valet conſequentia*, quid reſpondere queat Calmetus, ego quidem non perſpicio.

Fuit etiam Otto (31) quidam, prænomine Chriſtianus Eberhardus, qui Buxtorfianæ derivationis memor τῷ *Sela* hunc ſenſum tribueret: *Fiat proſtratio*, hoc eſt, quiſque demittat vultum, & humi ſe abjiciat, venereturque *Deum*, qui ea fecit vel facere vult, quæ τὸ *Sela* antecedunt. Zeiroldus vero, percelebris nominis theologus, *Sela* eſſe (32) judicat *Surſum corda, vel qui habet aures ad audiendum, audiat, nec cortici literæ adhæreſcat, ſed de ſenſu verborum myſtico cogitet.* Video a conjecturis ſenſim procedi ad ſomnia. Unde ad finem recenſionis ſententiarum de Hebræo illo *Sela* propero, duas recentiſſimas prius adjiciens, quas & ipſas ſolis ſuis auctoribus placituras eſſe, facile credo. Henricus ſcilicet Gottlibius Reimius, V. C. Philoſophici ordinis in Academia Jenenſi adjunctus, & nunc Paſtor in Thuringia Apoldanus, τὸ סלה inter ſcripturæ compendia refert, &, quot literas, tot verba hoc ſigno contineri contendit. Vult (33) nimirum, ſignum illud ita legi: סלה לנו (לי vel) השם hoc eſt, *condona nobis, Deus*, ſive *gratioſus eſto nobis, Deus*, ſive *juva nos, Deus.*

Ve-

Varum cum vir eruditissimus primo probare non possit, hanc esse abbreviaturam; deinde, si vel maxime id probasset tres illæ litteræ tam variæ exponi queant, ut nonnosi testis aliquis σύγχρονος, quæ vera sit lectio, docere possit: quem in modum complures, quæ verba lateant sub litteris A. E. I. O. V. portæ palatii Cæsarei Viennensis inscriptis, conjectura assequi sunt conati, quos tamen singulos Falsissimam exhibuisse interpretationem, & Friderici Imp. qui literas illas exararat, idemque interpretatus erat, testimonio probavit (34) Lambecius; hinc haud invita, opinor, Minerva Concludo, non esse certam, imo ne probabilem quidem interpretationem Reimianam. Quapropter nec difficile fuit Cl. Bytemeistero, istam sententiam (35) labefactare. Idem vero æque imbecillem subjungit (36) sententiam, τὸ *Sela* incunabula quærens in Arabia, eique hunc sensum tribuens: *Propitius esto*, subaudi *Deus*. Certe quibus persuasit (37) Gussetius, expositiones Hebraicarum vocum e lingua Arabum esse perinfidas, is non assentietur viro doctissimo, hancce suam explicationem (38) *genuinam* vocanti atque (39) *accuratam*.

Satis doctorum habuimus adhuc vocisque *Sela* interpretum: nihilo tamen doctiores facti sumus, agnita quippe singularum imbecillitate sententiarum. Incidi vero & in nonnullos cujus ænigmatis contemplatores, qui fateri non dubitarunt, se nescire, quid sit *Sela* illud, vel saltem decernere quicquam non sustinuerunt. *Ex omnibus Rabbinorum commentariis*, inquit (40) Avenarius, *non potui certam hujus nominis significationem deprehendere*. Gejerus: *Haud opinor* (41) inquit, *solidi quid afferri posse:* ac jubet proinde *e tot conjecturis eligi*, *quod probabilissimum*. Gussetius denique postquam septem potiores de *Sela* sententias (42) refutavit, ita suam expromit: *Interjectionibus (τὸ Sela) accense vellem. Sed cujusnam affectus seu passionis nota sit*, *dici nequit*. Hoc idem dictum volunt, dum tacent, nec ulli sententiæ accedunt, sed in medio rem relinquunt, (43) Drusius, (44) Glassius, & (45) Suicerus, viri longe eruditissimi illi quidem, sed in quos tamen convenit illud (46) Columellæ: *Quicunque sunt habiti mortalium sapientissimi*, *multa scivisse dicuntur*, *non omnia*.

His, qui nesciunt, quid sit *Sela*, seque id nescire non nesciunt, non me solum aggrego, sed addo, plane impervestigabilem mihi videri nominis hujus notionem, ejusque inveniendæ, & e tenebris eruendæ spem non nobis modo, verum etiam omni posteritati abjiciendum, me censere. Duæ quippe tantummodo sunt viæ huc perveniendi, testimonium historicum, & analogiam grammatica. Jam vero nemo unus superest ex veteri ævo historicus, qui, quod discere cupimus, docere valeat. Imo cum *Sela* illud in his duntaxat Psalmis occurrat, qui a Davide vel saltem regnante ipso sunt Compositi; in illis vero psalmis, qui Babylonica in captivitate contexti fuerunt, ne semel quidem reperiatur; hinc sequi puto, musicam hanc notam ejusque sensum jam ante istam captivitatem intercidisse. Nec vero perfugium patet ad analogiam grammaticam. Supra enim jam vidimus, nec סלה nec סלל nec כלא pro radice τὸ *Sela* sine dubitatione haberi posse. Quid? Nonne potest hæc vox prorsus peregrina esse, a Turis vel Ægyptiis tradita, uti nostri musici suum *allegro* & *da capo* acceperunt ab Italis? Quod cum ita sit ne illud quidem Gejeri sequi possumus consilium, *ut eligamus probabillissimum*. Non enim fas putant Logici eligere quampiam sententiam nulla urgente ratione. Hic vero nulla ex parte subest ratio, quæ huc magis nos quam illuc, ad ajendum (47) magis, quam ad negandum, impellat.

Cæterum cum vix dubitari possit, *Sela* fuisse (48) *notam musicam*, etsi *positiva* probabilitate cognoscere non possumus, cujus rei nota fuerit, *disgiuntiva* (49) tamen sese nobis offert probabilitas. Scilicet vel hoc vel illud vel istud per *Sela* notatum esse, verosimile est. Ex his vero quodam fuerit signatum, scire non licet. Unum tamen eorum innui, ita est probabile, ut vix loci quicquam relinquatur dubitationi. Quamobrem sic ego quidem censeo. *Sela* significasse aut repetitionem illius versus, cui subjungitur; aut pausam & interruptionem cantus per musicam instrumentalem; aut totius chori concentum; aut universæ concionis concentum cum cantoribus; propterea mihi persuadeo, quia vix aliud quicquam mihi occurrit, quod eo signo innui potuerit: quod vero horum sit significatum, non solum fateor a me ignorari, sed etiam, cum omnis aditus ad cognitionem ejus rei certam præclusus sit, me patienter ignoraturum profiteor.

Possem hac occasione oblata, alia rei musicæ vocabula obscuriora commemorare, &, quod exemplum in promtu est, duce Maximo (50) Tyrio, philosopho Platonico, investigare, quodnam genus Musices Graii vocarint *Ortium*, quod *Parœnium*, quod *Embaterium*, quod *Cyclium*, quod *Enceleusticum*, quod *Anacleticum*. Sed sistendus hic est scribendi impetus.

NO.

NOTÆ.

(1) *Observare liceat, etiam* in Salomonis Psalterio libro ψευδεπιγράφῳ hoc *διάψαλμα occurrere*, pag. 966. & 971. *editionis Fabricianæ*.

(2) *Hæc Gregorii Nysseni est sententia, cujus verba Suicerus exhibet* Thes. eccl. T. I. p. 890., *& Augustini ad* Psal. IV.

(3) *Ita Suidas, ita etiam Theodoretus* Præf. ad Psalmos.

(4) *Sic Stephanus censet in* Lexico *suo*. *Conf. Martinii* Lexicon philol. v. Sela.

(5) *De fluvio quodam Ælianus* Var. hist. lib. I. cap. I. διαῤῥεῖ μέσου αὐτοῦ χωρίου, medium illum locum interfluit, *ut Curtii* (Lib. III. 5. 1.) *verbis Græca interpreter*.

(6) *Idem Ælianus* lib. III. cap. 19. τριῶν μηνῶν διαγενομένων, interjectis tribus mensibus. χρόνου δ' οὐ πολλοῦ διαγενομένου, *inquit Herodianus* lib. I. cap. 10. *ineunte, hoc est*, non multo tempore interjecto.

(7) Comment. in Psal. III. *ad quem locum id commemorat Drusius* vers. 3. *Rabbino tamen haud assentiens*.

(8) *Varias* τοῦ Sela *interpretationes, a Franc. Junio factas, sed ejusdem omnes notionis, Glassius exhibet* Philol. S. lib. III. tract. III. can. 6. p. 1114.

(9) Orig. Lat. ling. pag. 949.

(10) *Cognovi hoc Scaligeri judicium ex Gatakeri* Cinni lib. II. cap. 9. p. 315.

(11) *Apud Buxtorfium* Lex. Hebr. p. 511.

(12) Quæst. Hebr. lib. I. cap. 70. *Idem, quod Drusius, huic sententiæ objicit Gussetius* Comment. ling. Hebr. p. 569. *idque repetit* pag. 561.

(13) *Ad Psal.* III. 3.

(14) *Ad Psal.* I. *&* III.

(15) *Ad Psal.* III. 3.

(16) *In* Lexico Hebr. *in cujus* Supplementis *Joh. Henr. Majus* pag. 63. *putat*, Sela *non tantum pausam notare, sed hoc quoque innuere, in Deo ejusque verbo esse acquiescendum. Apud Arabes namque* Sela *esse* tranquillam habere animum.

(17) *Etiam in recentioribus Judæorum epitaphiis* Sela *usurpari pro* semper, *testes sunt Munsterus ad* Habacuci III. 3. *& Drusius* Quæst. Hebr. I. 70.

(18) Extat T. III. Operum *edit. Francf. pag.* 64. seq.

(19) Biblioth. Rabbin. T. II. pag. 270.

(20) *Rejicit hanc eandem sententiam Gussetius libro laudato* pag. 160. *allatis rationibus*.

(21) Ich achte 7. 1. Germ. Jen. ad Psalm. 68. fol. 476. es werde bedeutet ein Stillhalten und tieffes Aufmercken / da der Geist jemand sonderlich bewegte / etwas wohl zu betrachten.

(22) (23) *Ad Psalm.* 121. 3.

(24) Lexic. Hebr. pag. 511.

(25) Dub. vexat. Cent. III. n. 49. p. 559.

(26) Comment. in Genesin cap. XLI. f. 608. 6.

(27) *His literis etiam scribitur* Sela, Sicli *nomen apud Chaldæos & Syros, de quo Casp. Waserus cognitu digniora profert* lib. II. de nummis Hebræorum cap. 19.

(28) In der Erklärung der Biblischen Teutschen Wörter *edit. noviss.* pag. 810. seq. *Eandem sententiam singulari Disp. Wittebergæ A.* 1685. *propugnavit M. Joan. Paschius*.

(29) Comment. in Psal. 24.

(30) *In* Arte poetica & musica Hebræorum, *& quidem in ejus exitu*.

(31) *De eo vid. Stadenius lib. cit.* pag. 812.

(32) In der Deutlichen Erklärung der Heiligen Schrifft pag. 1393. seq.

(33) *In* Miscellaneis Lips. T. III. p. 61. sqq.

(34) *In* Diario sacri itineris Cellensis, §. X. & XI.

(35) *Ejusdem Operis* T. IX. p. 214. seqq.

(36) Pag. 220.

(37) *Præf. ad* Commentarios *suos* linguæ Hebrææ pag. 3.

(38) Pag. 214.

(39) Pag. 220.

(40) Lexico Hebr. f. 507.

(41) Comm. ad Psal. III. 3.

(42) Comment. ling. Hebr. pag. 560. & 561.

(43) Quæst. Hebr. I. 10. *& Annot.* ad Psalm. III. 3.

(44) Philol. S. *loc. cit.* 1143.

(45) Thes. eccl. T. I. *loco jam supra indicato*.

(46) Lib. III. de re rustica *extremo*.

(47) *Illud haud negamus, aliam sententiam alia esse ineptiorem: sed hoc sentio, eam quoque, quæ ceteris omnibus melior videtur, eodem jure rejici posse, quo defenditur, e. g. sententiam Lutheri*.

(48) Hoc facile assentior, *inquit Drusius* Quæst. Hebr. I. 10. *Pfeifferus quidem l. c. idipsum negat*, Vox סלה *inquiens*, continuam habet accentuationem. Ergo non potest esse nota musica, a textu discreta, sed oportet ad textum pertineat. *At quam injusto utatur argumento, ex eo elucet, quod* τὸ Halleluja in Psalmo CXLVIII. v. I. *&* ultimo *pariter habet accentuationem continuam, & tamen vox est a textu discreta & discernenda*.

(49) *Distinctionem certitudinis in* positivam *&* disjunctivam, *Logicis præceptis quæ inseratur, omnino dignam, jam proposui in* Actis Eruditorum A. 1723. pag. 270.

(50) Differt. VII. p. 80. *edit. Davisianæ, ad quem locum consule eruditissimum Wassium. De* Orthio *carmine adi etiam, si libet, Johan. Schulzii* Florum Sparsionem p. 210. seq. *&* p. 302.



AUGUSTI PFEIFFERI
DE VOCE VEXATA SELA
Pſalm. III. 3.

רבים אמרים לנפשי אין ישועתה לו באלהים שלה:

Multi ajunt animæ meæ : Nulla plane ſalus ei apud Deum . Sela.

Qu. *Quid ſignificet vox* סלה Sela?

SENTENT. VAR.

I. TArgum *Pſ.* XLIV. 9. *Hab.* III. 13. &c. vertit לעלמין. Sic Syrus לעלם Aquila ἀεὶ, cui ſententiæ ſubſcribunt Mardochai Nathan, Ben Melech aliive.

II. Paulus Burgenſis & Schindlerus *Lex. Pent.* putant, eſſe dictionem encliticam Poetis uſitatam ad expletionem verſus. Vid. Bartholom. Rathmannus σκιαγραφ. Pſalt. *Pſal.* III.

III. LXX. vertunt alicubi διάψαλμα, quaſi notetur melodiæ muſicæ mutatio. In *Hab.* τέλος, quaſi finiri ibi rhythmum ſeu cantum. Ita Pauſam Muſicam eſſe autumat Nierembergius *de Orig. SSæ. l.* 5. *cap.* 12.

IV. Kimchi deducit ab *elevando* סלל, quod illic cantores vocem elevarent. Et Bodinus *lib.* II. *cap.* 4. *de Magorum demonomania* ſingulis Pſalmorum locis, ubi reperitur סלה, cantores una cum corpore vocem elevaſſe ſcribit. At vero notat Druſius *Quæſt. Hebr. lib.* I. *Quæſt.* 29. ſic dicendum fuiſſe non סלה *ſela*, ſed סללה *ſella*.

V. Aben Eſra putat ſignificare אמן vel כאמרה. Sic notæ Italicæ *h. l.*

VI. Buxtorfius deducit a סלה *ſtravit*, quod vocis *ſternendæ* ſeu *remittendæ* ſit ſymbolum, *Lex. Bibl. p.* 511. Sic idem eſſet, quod noſtratium Muſicorum *Piano*.

DECISIO.

Vox סלה eſt *Symbolum* ſeu *memoriale* non modo *pauſæ Muſicæ*, ſed & *attentionis*, adhibita ad excitandam devotionem, utque præcedentia melius ponderentur.

PROBATIO.

I. סלה *ſternere* & de *voce*, & de *mente* metaphorice capi poteſt. Niſi forte malis veram vocis emphaſin deſumere ex Arab. سلو סלו vel سلا סלא id eſt *tranquillo, ſedato & contento animo fuit*, ut adeo סלה ſit *pauſa* non modo *vocis*, ſed & *mentis*. Recte proinde Syri notant reſpicere *materiam* ſimul & *modulationem*, uti refert Cl. Caſtellus *col.* 25. 34.

II. סלה continuam habet accentuationem. E. non poteſt eſſe nota Muſica, a textu diſcreta; ſed oportet, ad textum pertineat. q. d. *ita ſane! quæſo!* Germ. Ach ja! quaſi cum ſuſpirio. Conf. de סלה præter citatos Tarnovius *Enarr. Pſ.* III. Calovius *h. l.* Lud. de Dieu *Animadv. ad h. l.* Ath. Kircherus *Muſurg. univerſali Tom.* I. *lib.* 2. *cap.* 4. §. 5. *pag.* 59. 60. Matth. Martinius *Lex. Phil. voce Sela*, Noldius (nobis hic favens & æquus) *Not. ad Concord. Partic. p.* 1065.

Joh. Druſius Quæſt. Hebraic. Lib. I. quæſt. LXX.

VOcem *Sela* David Hebræus interpretatur dicens eſſe notam Muſicam intendentæ vocis. Quod ſit nota Muſica facile aſſentior; quod intendat vocem, dubito. Nam quod arguit ex etymo non perſuadet. Si enim eſſet a Subal verbo, Scriberetur *Sella*, ll" geminata, non *Sela*. Dignum nota quod hæc dictio non reperitur niſi apud Davidem, & in Cantico Habacuc; ubi quinta Editio Hebraicum *Sela* retinuit. Cæterum Judæi in præcibus ſuis hodie utuntur pro Leolam id eſt in perpetuum. Id quadrat cum Aquilæ interpretamento ἀεὶ, id eſt ſemper. Quinta quoque Editio habebat διαπαντὸς, & Sexta εἰς τέλος. Quod eandem ſententiam continet. Ceterum in Editione Romana Scholion Græcum, eſt ad *Pſal.* VII. ubi vitioſe Scriptum Σὲλ pro Σέλα.

PE-

PETRI JOH. BURETTI
DISSERTATIO
DE
VETERUM SYMPHONIA.

VOx *Symphonia* hic designat unionem plurium sonorum harmonicorum, qui omnes simul ita temperantur, ut *Concentum* vulgo dictum efficiant. Hanc eandem unionem Galli etiam *Harmoniam* vocant; quanquam apud Græcos hæc vox fere nunquam hanc significationem habeat; saltem usque adhuc nullum hujusce significationis probabile exemplum mihi fuit obvium. Omnes Græci Autores, qui Musicam scientiam calluerunt, deque ea ex professo scripserunt, *Harmoniam* unice accipiunt pro dispositione plurium sibi succedentium sonorum; numquam vero pro mistura sonorum, qui eodem tempore aures percutiunt. Hoc manifeste demonstratur a generali titulo fere omnibus eorum operibus inscripto; in quibus de simplici cantu aut Melodia tantummodo agitur. Aristoxeni de hac re opus Ἁρμονικὰ Στοιχεῖα *Harmoniæ Elementa* inscribitur; illa duo Euclidis & Gaudentii, εἰσαγωγὴ ἁρμονική, *Introductio ad Harmoniam*; illud Nicomachi, Ἁρμονικῆς Ἐγχειρίδιον *Manuale Harmoniæ*, illud Ptolomæi, Ἁρμονικὰ, *Harmonica*.

Hanc vocem Lucianus eodem sensu usurpat, cum dicit: καὶ τῆς ἁρμονίας ἑκάστης. Διαφυλάττειν τὸ ἴδιον τῆς Φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς Λυδίου τὸ Βακχικὸν, τῆς Δωρίου, τὸ σεμνὸν, τῆς Ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν: hoc est: *quæque Harmoniæ species* suum characterem servare debet; Phrygia suum œstrum; Lydia tonum Bacchicum; Dorica gravitatem; Ionica hilaritatem. Hæ quatuor Harmoniarum species hujus loci sunt signanter quatuor modi, quorum nota nomina Phrygius, Lydius, Doricus, Jonicus, quique varia Melodiæ, vel simplicis modulationis genera erant. Quod assero, Platonis verbis, quibus Harmoniam definit, plane confirmatur; τῇ δὲ τῆς κινήσεως τάξει ῥυθμὸς ὄνομα εἴη, τῇ δ' αὖ τῆς φωνῆς, τοῦ τε ὀξέος καὶ βαρέος συγκεραννυμένων, ἁρμονίας ὄνομα προσαγορεύοιτο: hoc est: *vocatur* Cadenza *ordo, aut motus progressio; vocatur* Harmonia *ordo aut progressio cantus, acuti, & gravis, varie temperati ac intermixti*. Nam sicut in hac definitione vox *Cadenza* aut *Rhythmus* respicit progressum motus aut mensuræ; ita vox *Harmonia* respicit successionem cantus aut modulationis; in qua certe sibi invicem occurrunt, sibique succedunt *acutum & grave*, unde oritur quædam intermixtio minime discrepans ab illa syllabarum aut verborum, quibus sermo conflatur; quamque Plato satis apte descripsit vocabulo συγκεραννυμένων, quo minime necessario innuitur confusarum rerum intermixtio, quales debent esse soni in *Symphonia*, aut *Concentu*.

Denique locus Aristotelis in libro de Mundo nihil habet quod adversetur Musicorum Græcorum sententiæ nobis traditæ de Harmonia. Μυσικὴ δὲ (inquit ille) ὀξεῖς ἅμα καὶ βαρεῖς, μακροὺς τε καὶ βραχεῖς φθόγγους μίξασα ἐν Διαφόροις φωναῖς, μίαν ἀπετέλεσεν ἁρμονίαν. *Musica sonos acutos & graves simul intermiscens, itidem sonos magis minusque celeres, aut diuturnos, ex his dissimilibus multisque vocibus unam Harmoniam efficit*. Hoc est, ex intermixtione plurium sonorum, qui sibi juxta quasdam proportiones & certas regulas invicem succedunt, cantum bene temperatum, concinnumque componit, quod Gallice dicitur un *Air*, une *Chanson*, une *Piece*. Hujusce Aristotelici effati sensus hic magis naturæ congruus unice admittendus videtur ab iis, qui Græcæ Musicæ initiati cum Græcis Autoribus familiariter conversati sunt. Cæterum ideo hisce Veterum sententiis, præcipuæ vero Aristotelis expendendis aliquantisper immoratus sum, ut eorum errorem refellerem, qui crederent, vocem *Harmonia* a Græcis de re Musica agentibus pro *Concentu* pluribus partibus constante accipi solitam. Paulisper digressus ad propositam *Symphoniam* redeo.

Hujus tres species numerari possunt; vocalis, instrumentalis, & ea, quæ simul unit voces, & instrumenta. Symphonia vocalis necessario supponit plures voces, quia unus homo plures eodem tempore non potest canendo emittere. Hæc Symphonia duplex est; aut enim voces in unum

unum ſonum coeunt, aut plures ſonos edunt. Quod Symphoniæ inſtrumentali peculiare illam a vocali diſtinguit, illud eſt, quod uno tantum inſtrumento poteſt executioni mandari, neque altero indiget; quod videre eſt in aliquibus inſtrumentis vento actis, qualia ſunt Organa; in inſtrumentis, quæ chordas habent, quoque velluntur, aut pulſantur, qualia ſunt Fides, Cythara, Harpa, Teſtudo, &c. Hæc Symphoniæ ſpecies eaſdem tamen habet differentias, quas prima; idemque de tertia dici debet.

Tres Veteribus Symphoniarum aut Concentuum ſpecies notæ fuerunt. Noverunt illas quæ vocibus, illas quæ inſtrumentis, illas demum quæ & vocibus & inſtrumentis ſimul mixtis conſtabant. Hoc tamen in his tribus ſpeciebus cum magna reſtrictione intelligi debet.

Cum plures voces ſimul coibant, aut canebant ad uniſonum, hæc dicebatur *Homophonia;* aut ad octavam, & etiam ad duplicem octavam, & hæc *Antiphonia* appellabatur. Inutile hic eſt de *Homophonia* cuilibet nota, nullique difficultati obnoxia verba facere. Ad rem vero pertinet vocem *Antiphonia* magis perſpicuam reddere, ejuſque ſignificationem præclariſſimis teſtimoniis comprobare. Hanc illi tribuit Ariſtoteles cum dicit, *Antiphoniam eſſe conſonantiam octavæ*: τὸ μὲ ἀντίφωνον σύμφωνόν ἐςι διὰ πασῶν: inde ſubdit, *eam a voce juniorum puerorum voci adultorum hominum intermixta reſultare, quæ voces tantum a ſe invicem diſtant reſpectu toni, quantum magis alta chorda duplicis Tetrachordi aut Octachordi a magis infima diſſita eſt*: ἐκ παίδων γὰρ νέων καὶ ἀνδρῶν γίνεται τὸ ἀντίφωνον, οἵ διεςᾶσι τοῖς τόνοις, ὡς νήτη πρὸς τὴν ὑπάτην. Alio loco idem Philoſophus inquirens *quare Antiphonia gratior ſit Homophonia aut unius ſoni cantu*, hanc reddit rationem, *quod in Antiphonia* voces magis diſtincte percipiuntur, cum econtra voces, quæ uniſonum canunt, neceſſario ita ſimul confundantur, ut una alteram obruat: Διὰ τί, (inquit Ariſtoteles) ἥδιον τὸ ἀντίφωνον τȣ̃ συμφώνου; ἢ ὅτι μᾶλλον Διάδηλον γίνεται τὸ συμφωνεῖν, ἢ ὅταν πρὸς τὴν συμφωνίαν ᾄδῃ. ἀνάγκη γὰρ τὴν ἑτέραν ὁμοφωνεῖν. ὥςε δύο πρὸς μίαν φωνὴν γινόμεναι ἀφανίζουσι τὴν ἑτέραν.

Canebant Veteres in Concentu non ſolum ad octavam, ſed etiam ad duplicem octavam. Hoc quoque mihi probatur ab Ariſtotele qui hoc problema proponit: Quare duplex quinta & duplex quarta in Concentu non canuntur, cum duplex octava canatur? Διὰ τι δὶς μὲν δι' ὀξειῶν, καὶ δὶς διὰ τεττάρων ȣ̓ συμφωνεῖ, δὶς διὰ πασῶν δέ; A referenda hujus problematis ſolutione abſtineo, quia ad rem meam non facit; ſatis mihi eſt, hoc loco propoſitionem meam confirmari quam attuli de duplici octava in Symphonia vel Concentu admiſſa. Ex ejuſdem Autoris aſſerto apparet, Concentum duarum vocum quæ ad octavam canebant, per verbum Græcum μαγαδίζειν exprimi, ſuſceptum a Muſices inſtrumento Μάγαδις aut μάγαδος appellato. Μάγαδις ſive μάγαδος. Μαγαδίζȣσι γὰρ (ſubdit ille) ταύτην διὰ πασῶν συμφωνίαν, ἄλλην δὲ οὐδεμίαν, & pars inferior, Μαγαδίζουσι δὲ ἐν τῇ διὰ πασῶν συμφωνίᾳ.

Præter hos duos modos, quibus plures voces poterant ſimul junctæ canere ad uniſonum, aut ad octavam, licet conjicere etiam tertium veteribus uſitatum, quoad tertiam caneretur. Id eruditiſſimus *Claudius Perraultius* ratus eſt inferri poſſe a loco Athenæi, in quo Scriptor ille de *Magadis* verba faciens affert Pindari autoritatem ut probet, quoad illud inſtrumentum concentum antiphonicum efficiebat omnino ſimilem illi, quem edunt vox pueri, & vox hominis, *quæ ſimul canunt eandem rem juxta duos modos;* ita ſiquidem Athenæi verba *Perraultius* interpretatur. *Itaque canere juxta duos modos*, (ſubdit ille) nihil aliud innuere poteſt, quam *canere ad tertiam;* idque non poteſt eſſe ad quintam, neque ad quartam, quia expreſſe dicitur ab Ariſtotele, quod hæ conſonantiæ non *magadizantur*, hoc eſt, non cantantur ſimul & indeſinenter, quemadmodum octava & uniſonum. Unde Medicus ille concludit, chordas Magadis non ſolum ad octavam, ſed aliquando etiam ad tertiam accommodatas fuiſſe.

In quo cum illo convenire non poſſum, mihique videtur male intellexiſſe Athenæi textum, quem ſubdo: Διὸ πέρ καὶ Πίνδαρον εἰρηκέναι ἐν τῷ πρὸς Ἱέρωνα σκολιῷ, τὴν μάγαδιν ὀνολάσαντα ψαλμὸν ἀντίφθογγον διὰ δυο γενῶν ἅμα καὶ δία πασῶν ἔχειν τὴν συνῳδίαν ἀνδρῶν τε καὶ παίδων. Ubi patet, 1. *duorum modorum* nullam fieri mentionem, ſed ſolummodo *duorum generum* (δύο γενῶν) quod valde differt. 2. aperte dici, hanc Symphoniam eſſe illam octavæ, Διὰ πασῶν ἔχειν τὴν συνῳδίαν, ἀνδρῶν τε καὶ παίδων: quod congruit cum ſententia Ariſtotelis ſuperius allata, quod *Antiphonia vel conſonantia octavæ ab intermixtione vocis puerorum & vocis hominum reſultet*, Diſcrimen inter genera & modos in eo conſiſtebat, quod duæ voces aut duo inſtrumenta non poterant ſimul copulari ſecundum *duo genera;* poterant vero ſimul uniri ſecundum *duos* mo-

modos; quod modo videbimus. Varia genera, nempe *Diatonicum*, *Chromaticum*, & *Enharmonicum* numquam poterant ſimul uniri in concentu; varii vero modi, *Doricus*, *Phrygius*, *Lydius* &c. aliquando ſimul coire poterant. Proinde, cum in loco Athenæi de Symphonia aut conſonantia tantum agatur, quod indicant verba ἀντίφθογγον, διὰ πασῶν, evidens eſt, his vocibus, δύο γενῶν, deſignari non *duo genera* Muſices, quæ nunquam queant ſimul exiſtere, ſed *duo* diverſarum *vocum genera*, nempe voces hominum & puerorum, ita ut δύο γενῶν ad ἀνδρῶν τε καὶ παίδων referatur. Ex quibus omnibus ſequitur, loco Athenæi probari minime poſſe, Veteres concentum formaſſe & ad tertiam neque vocibus, neque inſtrumentis.

Colligi vero recte id poteſt, aſſentiente eodem *Peraultio* a loco Horatii, in quo inter menſæ delitias Lyræ, & Tibiarum aliquot concentum numerat: *Sonante mixtum tibiis carmen Lyra, hac Dorium, illis Barbarum*: ubi videre datur, Lyram ad tonum ſeu *modum Doricum*, Tibias ad *modum Barbarum*, hoc eſt Phrygium aut Lydium accommodatas fuiſſe; in hoc enim inter ſe Interpretes neutiquam conveniunt. Qui Lydium aſſignarunt, caſu egerunt, rei quam præ manibus habebant, prorſus ignari. Alii quamplures, inter quos nonnulli magni nominis Viri, pro Phrygio ſteterunt. Atque utinam ii poſtremi miſteriorum antiquæ Muſices notitiam aſſequi potuiſſent; forte nonnulli ex iis exquiſitiori judicio præditi de recentioris Muſicæ præſtantia decidere poſſent: aut ſaltem, antequam alterutri parti ſe addicerent, eos in conſilium adhibuiſſent, qui illis miſteriis detegendis, illuſtrandiſque inſudarunt. Ipſi me docuerunt, tres tonos vel modos, quos unice vetus Melodia admittebat, Doricum, Phrygium, & Lydium, a ſe invicem unum diſtare, uti Ptolemæus, aliique antiqui Muſici certo aſſerunt: ſcilicet, ſi modus Doricus reſpondebat voci, quam noſtri Recentiores appellant *ut*, modus Phrygius reſpondebat *re*, & modus Phrygius *mi*; quod omnino facit intervallum duorum tonorum, aut unius tertiæ majoris, inter duos extremos modos, inter Doricum & Lydium.

Hoc poſito, cuilibet qui pauliſper Harmoniæ principia edoctus ſit, aut aures ſuas tantummodo conſulat, manifeſtum fit, modum Phrygium in concentu neque cum Dorico, neque cum Lydio concordem fieri poſſe; quandoquidem unica conſonantia, quam format cum uno & altero horum poſtremorum modorum, eſt ſecunda; diſſonantia intolerabilis, quæ in modo muſico locum non habet, niſi eorum auxilio concordium ſonorum, qui præcedunt, aut ſequuntur, aut tegunt, ut Muſices periti loquuntur. Fieri itaque omnino non poterat, ut tibiæ, quas Horatius cum Lyra concordes facit, ad modum Phrygium canerent, cum Lyra ad modum Doricum eſſet accommodata; uti Interpretes affirmant. Verum quia modus Lydius erat ad tertiam Dorici, aut duos tonos altior, & tertia non minus ac octava & ſexta pluribus ſucceſſivis vicibus ſine aurium offenſione exauditur, quia cum ſit major aut minor, varietatem admittit, qua tanto gratior redditur Harmonia; unio Lyræ ad tonum Doricum accommodatæ, cum duabus Tibiis ad modum Lydium temperatis, aut ad tertiam Lyræ, Symphoniam jucundiſſimam efformabat.

Loco igitur Horatii evincitur, præter Concentum unius ſoni, & Concentum ad octavam, aut duplicem octavam, veteres noviſſe etiam Concentum ad tertiam, ſaltem in Muſicæ inſtrumentis, a quibus veroſimile eſt voces mutuatas eſſe illam Harmoniam, quamquam de Autore, qui id aperte tradiderit, mihi non conſtet. Verum neque temporibus Ariſtotelis Concentum ad tertiam in uſu fuiſſe apud Græcos vero proximum videtur, cum ab hoc Philoſopho clare dicatur, ſolam octavam *magadizari*, hoc eſt, ut ſuperius explicui, in Concentu cani ſolitam, nullamque aliam conſonantiam *magadizari*: μαγαδίζουσι γὰρ ταυτὴν [τὴν διὰ πασῶν συμφωνίαν] ἄλλην δὲ οὐδεμίαν. Unde concludi debet, tunc admiſſam non fuiſſe, ſaltem in Symphonia, intermixtionem Dorici modi & Lydii.

Neque a vocali diſſimilis penes Veteres fuit Symphonia inſtrumentalis; plura ſiquidem inſtrumenta ſimul conjungi poterant ad unum ſonum, ad diapaſon, & ad tertiam. Erant etiam penes eos, uti ſunt penes nos, aliqua inſtrumenta, quibus unus Muſicus unum Concentus genus exequi poterat. Hujuſmodi erant duplex Tibia & Lyra.

Horum inſtrumentorum primum duabus Tibiis conſtabat ita ſibi junctis, ut duo tubi unum tantum caput haberent. Hæ Tibiæ aut æquales, aut inæquales, erant habita ratione longitudinis, vel diametri, ſeu craſſitiei. Tibiæ æquales eumdem ſonum edebant: ab inæqualibus ſoni diſſimiles, gravis unus, acutus alter, emittebantur. Symphonia ab unione duarum æqualium Tibiarum orta unius ſoni erat, quando duæ Tibicinis manus eodem

dem tempore cujusque Tibiæ eodem foramine tangebant; aut ad tertiam, quando a duabus manibus diversa foramina tangebantur. Sonorum diversitas a Tibiarum inæqualitate proficiscens duplex tantum esse poterat; vel enim hæ Tibiæ ad diapason seu octavam, vel ad tertiam accommodabantur, ac in utroque casu Tibicinis manus eodem tempore in qualibet Tibia eadem foramina tangebant, ac consequenter aut ad diapason, seu octavam aut ad tertiam Concentum formabant. Non est hic locus dilucidius explicandi quam apud Veteres significationem habuerint *tibiæ pares & impares*, *tibiæ dextræ & sinistræ*, *tibiæ Sarranæ*, & Phrygiæ, &c. A Poetis Comicis sæpius usurpatæ, quarum differentias ut certo asserant mire se torquent Interpretes; cum hæc investigatio ad rem propositam nihil faciat. Argumentum hoc a Meursio & Caspare Bartholino fusius tractatum habes in Dissertatione *De Tibiis Veterum*, præcipue vero in Notis *Dacier* ad Andriam Terentii, in quibus hæc antiquæ eruditionis pars non sine maxima ingenii laude enucleata videtur. Id mihi nunc inquirendum restat, quod Concentum spectat sola Lyra formandum. Sed antequam quidquam definiam, necesse est quædam præmittere de hujus instrumenti structura, de numero chordarum, quibus instructa erat, deque eam pulsandi ac vellicandi modo.

Utor hic verbo Gallico *Lyra* ad designanda in universum cuncta Musices instrumenta, quorum nerviæ in vacuo tensæ sunt. Hujusmodi plura habebant Veteres instrumenta, quæ forma, magnitudine, aut nerviarum numero inter se differebant; quibusque varia nomina dabant, licet sæpe unum pro alio promiscue sumserint. Præcipua erant 1. *Cithara*, Κιθάρα, unde nostrum Gallicum verbum *Guitarre*, quo instrumentum omnino dissimile indigitatur. 2. Lyra, Λύρα, aliter Χέλυς, Latine Testudo. 3. Τρίγωνον, seu triangulare instrumentum, quod unum usque ad nos *Harpæ* nomine venit. Alia nomina, Νάβλα, Σαμβύκη, Βάρβιτος, Μάγαδις, ad aliquod horum instrumentorum designandum adhibita Græca non sunt, si Straboni fides, sed a Barbaris accepta.

Cithara, qualem nobis repræsentant antiqua monumenta autoritate fulta Græcorum aut Latinorum Autorum, qui eam minus accurate descripserunt, pluribus partibus constabat. Duo latera, quæ corpus instrumenti formabant, quæque suis inflexionibus aut curvaminibus duo bovis cornua imitabantur, extremitates superiores [κέρατα appellatas] extra inflexas habebant, inferiores vero [ἀγκῶνες, *cubitus* vocitatas] intus inflexas. Medium cujusque lateris, vel pars intra superiorem & inferiorem curvaturam comprehensa, πῆχυς, *brachium* dicebatur. Hæc duo latera excavatæ basi, vel cuidam capsulæ, ἠχεῖον, dictæ, innitebantur, ad chordarum sonum corroborandum, uti nomen indicat, instrumentumque magis harmonicum reddendum destinatæ. Superius inferiusque hæc latera duabus transversis partibus jungebantur, quibus nomen κάλαμοι, & δόνακες, quia calami ab ipsa origine materiam suppeditabant. Pars transversa inferior, quam Pollux ὑπολύριον, Lucianus μαγάδιον appellat, inferiorem extremitatem cujuslibet chordæ detinebat. Superior transversa, ubi latera se extra inflectebat, ζυγός, aut ζύγωμα appellata, pluribus foraminibus pertusa erat, quibus totidem clavuli infigebantur [κόλλοπες & κολλαβοι] qui chordas appensas cum haberent, cujusdam veluti clavis ope [χορδότονον, dictæ] illis tendendis remittendisque inserviebant.

Lyra in eo a Cithara differebat, 1. quod latera a se invicem minus distarent; 2. quod basis squamæ testudinis similis esset, cujus animalis forma primam hujus instrumenti ideam dicitur præbuisse. Ob rotunditatem suæ basis Lyra non poterat erecta consistere, uti Cithara, intraque genua tenenda erat. Hinc aliquo modo similis videtur fuisse erectæ testudini, brevemque capulum habuisse; valdeque probabile est, hoc ultimum instrumentum suam illi debere originem. Tegendo basim vel ventrem Lyræ tabula, corpus testudinis effictum est, jungendoque, assis ope, duo brachia Lyræ, alterius manubrium factum est.

Triangulare instrumentum Τρίγωνον Syrorum inventum est teste Juba, si Atheneo fides. Ab his Orientalibus Græci accepere. De eo Sophocles, si eidem Athenæo standum, in suis Mysiis verba fecit, utpote Phrygio instrumento. Pluribus in locis Plato & Aristoteles mentionem illius faciunt: quod satis est ad refellendam cujusdam Recentioris conjecturam, qui putat, librum Problematum ætate posteriorem falso Aristoteli adjudicari, hac una ratione ductus, quod in eo sermo fit de *Trigono*, instrumento Asiatico, tunc Græciæ, ut ille perperam opinatur, minime noto. Quoad ipsius formam nihil peculiare habemus. Harpa est unicum vulgare instrumentum, a quo Veterum *Trigonum* nobis possit repræsentari. Siquidem est verum triangulum, cujus unus angulus pes est aut basis, oppositum

vero

vero latus huic angulo cuneoli vicem gerit, dum unum ex aliis duobus lateribus munere fungitur ventris ἠχεῖον, cui chordæ sunt appensæ.

Lyra non semper eundem chordarum numerum habuit. Lyra Olympi & Terpandri tribus tantum erat instructa, quarum sonos hi Musici tam perite variabant, ut longe, Plutarcho teste, præstarent iis, qui magis composita Lyra canebant. A quarta adjuncta chorda *Tetrachordon* perfectum est; variique modi, quibus hæ quatuor chordæ temperabantur, tria genera *Diatonicum*, *Chromaticum*, & *Enharmonicum* constituebant. A quintæ chordæ additione Pentachordon emersit, cujus Scythas Pollux* facit inventores. In hoc instrumento habebatur consonantia quintæ, præter tertiam & & quartam, quas jam dabat Tetrachordon. De Musico Phryni dictum, quod a sua Lyra quinque instructa chordis duodecim Harmoniæ species eliceret: ἐν πέντε χορδαῖς δώδεκα ἁρμονίας ἔχων: quod intelligi non potest nisi de duodecim diversis modulationibus, minime vero de duodecim consonantiis; cum pateat, a quinque chordis quatuor tantum effici posse, secundam, tertiam, quartam, & quintam: unde magis firmatur quod supra asserui, vocem *Harmonia* a Græcis fere semper accipi pro simplici modulatione & cantu. Unio duorum *Tetrachordorum* ita simul junctorum, ut magis ima secundi *Heptachordon* conflaret, seu Lyram septem chordis constantem, magis in usu fuit, omniumque celeberrima. Attamen, quanquam septem Musices voces adessent, octava etiamnum deerat. Simonidem octavam chordam adjecisse, uniusque toni intervallum inter duo *Tetrachorda* reliquisse testis est Plinius. Diu postea Timotheus Milesius, qui tempore Philippi Macedoniæ Regis vitam egit centesima octava Olympiade, Lyræ chordas ad duodecim auxit; tuncque tria *Tetrachorda* simul juncta Lyram componebant, quæ ad duodecimam, vel quintam supra octavam extendebatur.

De aliquibus hujuscemodi instrumentis Veteres verba fecerunt, in quibus etiam major chordarum erat numerus. Inter ea *Magadis* viginti, *Simicon* trigintaquinque, *Epigonion* habebat quadraginta. *Magadis* viginti chordarum in usu videtur fuisse dum Anacreon viveret, qui dixit: ψάλλω δὲ εἴκοσι χορδαῖσι μάγαδιν ἔχων; *ego canto, meamque vocem Magadis viginti chordarum accommodo*. Nolim tamen putes, ab his viginti chordis viginti dissimiles sonos edi potuisse. Decem enim tantum emittebant, quia binæ simul junctæ aut ad concentum unius soni, aut ad diapason temperabantur: quod tamen minime obstabat, quominus huic instrumento accommodare non possent tres modi, inter quos cum non esset, ut superius affirmavi, nisi unius toni distantia, satis erat septem chordis, quibus usitatior Lyra constabat, tres alias chordas adjicere, quarum altior octavam modi Lydii pertingebat; atque hæ decem chordæ, geminatæ cum essent, numerum viginti chordarum *Magadis* complebant. *Magadis* chordas geminatas fuisse comprobatur a suo derivativo verbo μαγαδίζειν, quod, ut superius innui, *canere aut sonare ad unum sonum*, *vel ad octavam* significat. Quoad instrumentum quadraginta chordarum *Epigonion* appellatum, nemo certe putabit ab eo quadraginta diversos sonos editos fuisse; hoc enim casu magis extensum fuisset, quam nostra majora clavicymbala; quod certe verisimile non est: verum chordæ in eo erant *magadizatæ*, hoc est, geminatæ, & ad unum sonum aut ad octavam temperatæ, uti sunt in Testudine, in duplici Harpa, & in Clavicymbalo ad duos & tres modos: ex quibus omnibus nonnisi viginti soni conficiebantur. Hac ampliorem modulationis extensionem non noverunt Græci vel Romani Veteres usque ad Augusti ætatem; idque perspicuum fit ex Vitruvio, qui totum Musices systema quinque *Tetrachordis* comprehensum exhibet, a quibus, cum viginti chordas haberent, nonnisi viginti dissimiles soni eliciebantur.

Lyræ chordæ aut digitis vellebantur, aut instrumento, cui nomen Πλῆκτρον, percutiebantur, a verbo πλήττειν, vel πλήσσειν, *percutere*. *Plectrum* erat quædam virga ex ebore aut politiori ligno potius, quam ex metallo conservandarum chordarum causa, quam Musicus dextra manu tenebat. Antiquis temporibus non sonabatur Lyra sine plectro; neutiquam decorum servabat qui eam digitis tangeret; & Plutarchus ab *Henrico Stephano* allatus quemdam Lyræ percussorem a Lacedemonibus mulctatum memorat. Ψαλμὴν ἐπιδημήσαντα ἐζημίωσαν, ὅτι δακτύλοις κιθαρίζει. Qui primus sine plectro caneret Lyra, fuit quidam Epigonus, referentibus Polluce & Athenæo, a quo habemus, nonnulla instrumenta, quæ vocabantur *Magadis*, & *Pectis*, *Plectro* non eguisse. Ex antiquis monumentis, Avorumque testimonio compertum est, quasdam Lyras ambabus manibus pulsari solitas fuisse: hoc est vellicari chordas sinistræ manus digitis, quod dicebatur *intus canere*; & easdem chordas dex-

dextra manu Plectro armata percuti solitas; quod erat *foris canere*. Qui sine *Plectro* canebant ambarum manuum digitis chordas vellere poterant. Hoc fieri cum posset in Lyra simplici, dummodo sufficientem chordarum numerum haberet, commodius vero fiebat in Lyra duplicibus chordis instructa. A præmissis hisce animadversionibus circa structuram, chordarum numerum, sonumque Lyræ, eo tandem ducimur, ut nobis pateat, quæ Concentus species unico hujuscemodi instrumento formari posset. A Lyra tribus aut quatuor chordis constante nulla confici Symphonia poterat. *Pentachordo* duæ partes temperari poterant ad tertiam a se invicem dissitæ. Quo plures erant in Lyra chordæ, eo facilius erat componere, huicque instrumento aptare cantiunculas, quarum plures partes eodem tempore exaudirentur. Quæstio est, an Veteres hac facilitate uti noverint; certe usos non fuisse verosimillimum est.

Totum systema octavæ Veterum, in genere Diatonico, octo solummodo dissimiles sonos continebat; ex quo manuum quoad compositionem reddebatur respectu nostri, quod tredecim sonos comprehendit, ob quinque hemitonia antiquo systemati a nobis adjuncta. Horum octo sonorum tres erant consoni, dissoni quatuor. Consoni erant quarta, quinta, & octava; dissoni secunda, tertia, sexta & septima. Hi postremi, si tertiam *magadizatam* excipias, a Symphonia plane exulabant; uti eorum nomina ἀσύμφωνα, vel διάφωνα indicant. Nonnisi in Melodia, vel cantu simplici admittebantur; atque hinc est, quod a Plutarcho μελῳδούμενα & μελῳδητὰ vocentur. Scilicet Cantor per illa varia intervalla discurrere poterat; verum soni, quibus terminabantur, numquam simul exaudiebantur. Quoad tres consonantias neque quarta, neque quinta sonabantur, neque in Concentu canebantur, teste Aristotele, qui dicit: Διὰ πέντε καὶ διὰ τεσσάρων οὐκ ᾄδουσιν ἀντίφωνα. Solius ergo octavæ hoc erat privilegium ex ejusdem Philosophi sententia, ἡ διὰ πασῶν συμφωνία ᾄδεται μόνη. Hinc sequitur, Lyræ, pariterque vocum Symphoniam ad unum sonum, aut ad octavam debuisse restringi. Habemus equidem a Plutarcho longe post Aristotelem vitam agente, Symphoniam sua ætate non contemnendos progressus fecisse, cum testetur quartam & quintam sonari & cani solitas, easque σύμφωνα vocet. Verum qui modum musicum, vulgo *contrappunto*, probe callent, fatebuntur, Symphoniam, a qua nonnisi octava, quarta, & quinta admittantur, aridam esse & exsuccam, vixque Concentus nomen mereri. Econtra siquis velit, invitis superius adductis gravissimis Scriptorum autoritatibus, gratis affirmare, Veteres quatuor dissonantias æque ac tres consonantias in Concentibus adhibuisse, is velit nolit coactus etiam erit illis attribuere artem hos concentus componendi, consonantias apposite collocandi, dissonantiasque vitandi juxta certas regulas a concentuum natura petitas, & ab effectu quem in auditus organo producunt. Ab hisce porro regulis in Musices Theoria præcipuam Symphoniæ partem constitui; reliquas vero hujusce Artis partes ad Melodiam, vel simplicem cantum pertinere nemo negabit. Attamen in Veterum scriptis de re Musica agentibus, quæ ad nos pervenere, nullum de compositione partium, seu modo musico, (*contrappunto*) præceptum reperies. Horum scriptorum Autores de tota universim re Musica se dicturos initio professi, materiam quam tractandam suscipiunt, in septem partiantur capita, in quorum primo de *sonis;* in secundo de *intervallis;* in tertio de *systematibus;* in quarto de *generibus;* in quinto de *tonis;* in sexto de *mutationibus;* in septimo de *cantu*, vel de *Melopea* differunt. Huc omnia Artis præcepta a Veteribus tradita referuntur; atque iis tota, quanta fuit, eorum Musica comprehendebatur. Ab omni enim verisimilitudine alienum est, eos in suis didacticis operibus præstantiorem partem, modum musicum (*contrappunto*) omissuros fuisse, si illam novissent.

AU-



AUGUSTINI CALMET
DISSERTATIO
In Musicam veterum, & potissimum Hebræorum.

CUm de musica Veterum ac potissimum Hebræorum agendum cogitamus, simplex statim aliquid ac rude succurrit: semel enim falsa illa persuasione occupati, mortalium res omnes perfici in dies, & seculum nostrum politiorum artium cultu rerumque cognitione omnibus retro seculis præstare; ita pariter de Musica philosophamur, rati nostris in eam rem inventis Veterum harmoniam & ruditatem multum concedere. Ex quo tamen ipsum vetustatis limen attingitur, statim hæc omnia e mente facessunt, & præjudicatis opinionibus ipsa rei veritate derogatur. Neque enim bona illa vetustas ingenio nobis quicquam ac rerum inventione cedebat. Vincebant etiam studio in musicam suo nostros in illam amores. Plus erat pariter ea ætate Musicis concessum qua honoris, qua divitiarum, quam hodie ejus generis hominibus tribuatur. Illud denique constat, admiranda & prodigiosa ferme de veterum musica referri quæ frustra a nostra quæras. Est itaque ambigendi locus, an musica nostrorum temporum ejusdem sit cum veteri perfectionis.

Veteris musicæ simplicitatem, tamquam rudioris adhuc facultatis defectum, plures quidem reputarunt: nos tamen jam perfectæ dotem illam fuisse defendimus. Quo enim ad naturam ars aliqua magis accesserit, eo perfectior habenda est: simplicem autem musicam ad naturam magis accedere, & hominis vocem ejusque passiones melius imitari quis neget? Labitur illa facilius in intima cordis, movendisque affectibus nihil aptius, uno verbo, singulares musicæ effectus, blandiendi nempe cordisque emovendi, tutius assequitur. Fallimur etiam in ea, quam musicæ Veterum tribuimus, simplicitatis notione. Simplicissima enim erat unaque pariter numerosissima. Quam multa enim norant Veteres instrumenta hodie nobis incognita, cum interim neque simphoniæ ratio, neque vocis harmonia illos lateret? (1) Illud etiam commodi Musicæ illi præ nostræ accedebat, quod instrumentorum sonus verba non obrueret sed adjuvaret; unaque simul me-

lodia aures mulceret, & cor pariter blanda titillatione emovereretur, cum interim spiritus carminis elegantia, suavitate, & granditate caperetur. Impressæ a carminibus ideæ menti spectaculo erant, ac symphonia interim aures, & corda oblectabantur. Nihil est proinde cur miremur, si de musicæ veteris effectibus mira ferantur; juncta enim simul habebat, quæ in nostris theatris non nisi divisa delectant.

Nec minus falluntur, qui musicam tamquam recens inventum suspicientes, perfici semper ulterius credunt, ut quo magis in dies adolescit, eo majores gratias acquirat. Vetustissima est enim musicæ facultas, & sæpius e culmine suo excidit; ut proinde in præsentia magis pristino statui recipiendo, quam novo alicui acquirendo loboret. Noti erant ante Diluvium & Musici, & musica instrumenta, cujus ætatis fragmenta quædam Poetica, canenda sane a Musicis (cum olim carmina omnia musicis usibus destinarentur) supersunt. Jubal (2) *fuit pater* (docuit nempe) *canentium cithara, & organo*, Hebr. *Kinnor*, quod facile lyram designat, & *Huggab*, nempe vetus organum, de quo infra. Porro Jubal sextum a Cain parentem habuit Lamechum, ejusque ætate nonam jam generationem, si Adam & Jubal computentur, Mundus a creatione sua numerabat. Est igitur musicæ epocha ante Diluvium constituenda, vetustissima oppido & numquam longius repetenda. Quid sane mirari subit de musicæ facultate, vitæ usibus prorsus non necessaria. Patet ejusdem artis vetustas etiam ex historia Jacob, qui socero suo Labano clam relicto aufugerat; hunc enim Labanus deinde prosecutus, cum in montibus Galaad tenuisset, his verbis Jacob objurgavit (3): *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio & canticis, & tympanis, & citharis?* De singulis hisce instrumentis peculiari Dissertatione agemus.

Aliud de vetustate Musicæ argumentum deducitur ex ipsa Poesis antiquitate; altera enim ab altera olim non sejungebatur. (4) Nullum enim erat carmen, quod musicæ usibus non destinaretur, idemque habebatur carmen cantare ac recitare. Porro nullis seculis nullisque gentibus ignotam fuisse Poesim satis constat. Illud Lamechi ad geminas uxores suas Adam, & Sellam (5): *Audite voces meas, uxores Lamech, auscultate sermonem meum: Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum, septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech vero septuagies septies:* verba, inquam, hæc vetustum carmen referunt, quemadmodum & benedictiones, quas Noe in Semum, Japhetum, & maledicta, quæ ille in Chanaan (6) imprecatus est. Carmen pariter reddunt postrema Jacobi morituri verba (7). Carmen magis elimatum magisque ad regulas musicæ promsit Moyses in Cantico, quod occasione transfretationis Erythræi cecinit.

Vetustissimi omnium Græciæ Scriptores Poetæ sunt (8), ut scripta prosa oratione Opera nonnisi post carmina obtinerent. Quin & primi illi solutæ orationis Scriptores poeticum gustum & phrasim, eamdemque in tractandis argumentis rationem servarunt, ut solo numero, & sono eorum Lucubrationes a Poeticis distinguerentur. Ceterum eadem erat utrinque, in ornamentis scilicet & poeticis fabellis admiscendis, licentia. Hinc Herodotus e. g. omnium primus, quorum historia ad nos transierit, Opus suum novem Musis inscripsit, & plurimis, quæ fabellam sapiunt, Opus illud infersit. Cadmus Milesius primus legitur, qui ho storiam prosa oratione scripserit. (9) *Pherecides Syro Insula oriundus, qui primus versuum nexu repudiato, conscribere ausus est passis versibus soluto loquutus, prosa oratione*, ait Apulejus, in Flor.

Porro vetus hoc Poesis genus nihil habebat cum posteriori Græcorum, & Romanorum commune, neque enim fabularum quodam contextu fluens oratio otiosorum animos detinebat, sed philosophicum quiddam spirans una simul delectabat pariter & docebat (10). Quare scite admodum veteres Græci studiorum exordium filiis suis Poesim statuebant (11). Musici, ceterique canendo instrumentis periti aptissimi etiam puerorum institutores habebantur, cum artem excolerent quam opportunam continendis in ordinem passionibus, & animis ad moderationem & sapientiam formandis; quod solemne erat Pythagoricorum axioma.

Porro Philosophus ille tamquam Divinum aliquid & Cœleste musicam suspiciebat, sedandis mulcendisque animi passionibus linimentum; inde auspicari diem mandabat, inde meditationem & precem, ut spiritus in tranquillo constitutus inde se turbis negotiorum daret. Argumenta carminum non fabulosæ tantum origines Deorum, & Heroum, & laudes præbebant, sed facta etiam historica; leges populorum (12) & Triumphatorum præclare atque insigniter gesta, triumphi, funera, & nuptiæ. Tandem Poesis & musicæ studium post militares exercitationes ma-

maxime seria reputabatur, & virorum insignium dignissima apud veteres occupatio (13).

Heroes illi, quorum apud Veteres memoria, Musicam colebant omnes, ut artem illam ignorasse probro apud eos duceretur. Chiron, Hercules, Achilles instrumentis ludere docti erant. Themistocles oblatam sibi in convivio lyram excusans, illiberalis educationis suspicionem præbuit; eo usque animos hominum tenuerat persuasio, musicam formandis hominibus necessariam esse. Optime constituta urbium politia habebatur, quæ plus studii in musicam contulisset, ait Plutarchus lib. de musica. Suus erat Musicæ usus in bellis, in cœtibus religiosis, in festis & suus pariter in studio Politices, Moralis, & Legisprudentiæ. Musicus enim perinde habebatur ac sapiens, (14) sicut & imperitus aliquis rudisque eo nomine exprimebatur: *Amouses*. Is Græcorum gustus.

Apud Ægyptios minor erat musicæ honor, cum juxta Diodorum (15) Ægyptiis interdicta esset, studiumque illud non tamquam inutile tantum, sed etiam perniciosum haberetur. Inclinasse tamen in illam Ægyptiorum animos, maxime in ceremoniis Religionis, S. Clemens Alexandrinus (16) insinuans, supplicationem quamdam Sacerdotum Ægyptii describit, cui Musicus, Symbolum facultatis suæ ferens, quique memoria duos libros Mercurii teneret (primum nempe hymnorum in laudem Numinum, alterum institutionum Regum) præibat. Quare non inviti credimus Diodori testimonium referendum esse ad Musicam, qualis ætate sua obtinebat, non ad veterem illam; cum teste Platone de Leg. lib. 2. summo studio incumberent Ægyptii servandæ Musicæ a Patribus suis Numinibus consecratæ, in qua non minima Religionis & Politiæ portio. Job, qui apud Idumæos Moysis ætate florebat, non solum musicæ & cantus, sed & instrumentorum pariter meminit (17). Urbs Tyri musicam amavit, quemadmodum ex Isaia 23. 16. & Ezech. 26. 13. intelligimus.

Barbaræ gentes nihil quidem literis mandabant, sed historias suas, genealogias, & Religionem carminibus complexæ, servandas memoriæ tradebant, ut de Druidis apud Gallos, & Bardis apud Germanos & Britones relatum est; eorumque Sacerdotes instrumento non absimili lyræ usos Diodorus Siculus est autor. Ceterum Græcorum veterum musica nihil theatris serviebat; nec magis apta mollibus quibusdam passionibus excitandis habebatur; sed masculo vigore pollens, infrænabat passiones, mores formabat, animum confirmabat, ac tandem in Deum & sancta quæcumque reverentiam inspirabat. Molle illud & perniciosum Musicæ genus recens obtinuisse, Plutarchus lib. de Musica animadvertit; observans Platonem ideo potissimum musicam e Republica sua eliminasse, quod additionibus pluribus & transmutationibus depravatam nosset; i. e. abusu musicæ ætatis suæ deterritum.

Modo ad musicam Hebræorum, quos sane in studio musices nulli gentium cessisse satis constat. Paulo post relatum ex Ægypto pedem, Moyses Canticum digessit, de prodigiosa transfretatione Erythræi gratias acturus; illud autem in cœtu Virorum concinit, cum interim Maria ejus soror tympanum, quale apud Veteres obtinebat, pulsans, idem Canticum psallens, choreas pariter cum sono instrumentorum misceret (18). Post impensum aureo vitulo cultum. *Populus sedit manducare & bibere, & surrexerunt ludere*, uti legimus Exod. 32. 6.

Animadversione dignum est, Moysen nihil in Legibus de musica in Sacrificiis & solemniis Religionis adhibenda edixisse; jussit tantum, itinere per desertum pene absoluto, tubas (19) fabricari, tribus diversis usibus destinatas: 1. Ut sacrificiorum solemnium & religiosorum conviviorum pompam augerent: 2. Ut exordium anni Jubilæi, Sabbatici, & mensium annunciarent: 3. In bellis adhibebantur, quo militibus pugnandi ardor augeretur, eo veluti signo Divinæ præsentiæ opisque ab eo præstandæ exhibito. Hos tantum religiosos musicæ usus in Libris Moysis invenimus. Nihil autem ea de re Levitis a Legislatore injunctum, quibus unice mandatum est, ut ad nutum Sacerdotum Tabernaculo Domini servirent. Nihil illis de tubis permissum, quibus canere soli Sacerdotes jussi sunt; nec sane id muneris ab aliis præstitum tum in bello adversus Madianitas, cum in circumducendis copiis Jericho, & alibi sæpius. Is rerum status adusque Davidis ætatem mansit.

Rex ille pietate insignis, cum maxime in musicam inclinaret, & instrumentis peritissime luderet, ejusdem musicæ usum in Tabernaculum Domini invehere constituit. Reputabat enim multum ea re ad pompam & majestatem divini cultus tum & leniendos populi mores collaturum. Ad hæc, auctor in immensum Levitarum numero, e re esse videbatur ut singulis aptas ministerio suo, quo Domini obsequiis destinabantur, occupatio- nes

nes traderet. Cantica igitur scripsit, instrumenta etiam musica construenda curavit, quæ Levitis pulsanda tradens, jussit insuper carmina illa canere ante Dominum in ejus Tabernaculo, ceterisque Religionis ceremoniis.

Post ædificatum Templum res meliori ordine & pompa processit, atque intermissus in captivitate Babylonica usus, ea soluta restitutus est, mansitque tamdiu, quoadusque universa Judæorum Respublica a Romanis non exscinderetur.

Quo autem justa concipiatur idea tum Hebræorum in musicam æstimationis, cum usus illius in rebus sacris & Templi; in medium proferenda censemus ea, quæ a Davide de ordine, numero, & distributione Cantorum sancita sunt. Inter duodecim Tribus Levitica Domini servitiis & cultui tota & unice destinata erat. Ex omnibus vero ejusdem Tribus familiis Aaronica tantum Sacerdotio ejusque muneribus addicta; ceteræ secundaria ministeria ad nutum Sacerdotum præstabant. Ex illis alii præ foribus Templi excubabant; alii vero occupabantur, qua laudibus Domini, qua instrumentis canendo. Erant qui victimas ad Sacrificium pararent, hostias deglubentes, lavantes, concidentes, decoquentes, ac tandem ligna in usum Altaris parantes.

Frequens semper Cantorum turba Templi servitiis aderat; nec raro inter Cantores nomen suum addebant Levitæ foribus Templi præsidentes; uti de Levitis e familia Core janitorum munus gerentibus memoriæ proditum legimus (20), cantasse nimirum illos, sicut etiam dictasse plures Psalmos, eorum nomine inscriptos. Leguntur etiam Coritæ inter Cantores sub Josaphat Rege (21). Obsequiis Templi addicti erant 4000. Janitores, totidem Cantores, & præterea 24000. Levitæ, variis gerendis ministeriis occupati. Singuli alterno ordine ministrabant; sed Præcentorum, & Janitorum perpetuum erat munus. Porro serviebant in Templo 24. classes tam Sacerdotum, quam Levitarum, quibus singuli 12. viri præerant, ut totus Præfectorum numerus impleret 288. Præfectos Sacerdotum, Cantorum, Janitorum ceterorumque Ministrorum Templi (22). Ex eo Principum numero certum deduci potest argumentum de numero ceterorum Sacerdotum, & Levitarum, ex quo maxime labente Davidis Regno scribi cœpti sunt viri ab anno ætatis vigesimo.

Rebus musicis in Templo præerant sub Davide, & Salomone Asaph, Heman, Idithum ex quibus Asaph quatuor erant liberi, Idithum sex, Heman 14. omnes vero illi 24. numero, totidem musicorum classibus singuli singulis præfecti sunt. Parebant cuilibet undecim alii Præfecti secundarii, vulgares Musicos regentes simul & erudientes. Non abs re credimus, classes illas variorum instrumentorum ludendi peritia (23), simul & diverso Templi, quem tenebant, loco distingui. Medium occupabant Caathitæ: lævam Meraritæ: dexteram Gersonitæ (24). Filii Idithum canebant *Kinnor*; filii Asaph *Nabal*, vel *Psalterio*; filii Heman *Maziloobaim*, quod tintinnabuli cujusdam genus credimus. Ita uni tantum instrumento occupati, curas omnes suas eo intendentes, nec ad alia distracti, commodius perficiebantur. Certis proventibus eorum sustentationi a Domino provisum; & cum artem illam velut avitam in familia sua haberent, ejusque specimen coram universo populo tribus vicibus quotannis ad Templum ventitantes exhibere cogerentur, his veluti stimulis ad perfectionem artis incitatos fuisse credimus.

Profecto si publica Græciæ certamina, quæ totius Orbis spectatores evocabant, in quibus decreti victoribus honores & præmia, tantum ad perficiendas artes & gymnastica exercitamenta valebant; quis credat parum ad perficiendos Musicos Templi contulisse, quod ludere cogerentur coram universæ gentis concione, cum maxime peritiæ suæ hoc sibi præmium spondere potuissent, potiundi nempe totius classis suæ præfectura, quod non infimum habebatur familiæ decus & ornamentum? Erat etiam Levitarum Hebræorum nomen inter externos Musicos inclytum. Plurimam illorum turbam transferendam curavit in Transuephrathæa Nabuchodonosor, post eversam Jerosolymam, eos vero Babylonii non incuriose rogabant, ut Psalmos Sion cantarent. Sed Viri illi servitutem lugentes suam, musica instrumenta, quæ secum detulerant, salicibus in signum desertæ professionis suspenderant; flagitantibusque reponebant. *Quomodo cantabimus Canticum Domini in terra aliena?* (25) Cantabant illi quidem interdum, soli inter se vices regionis suæ, & Templi eversionem deplorantes; pangebant carmina lugentibus mœstisque fratribus relevandis; Domini opem implorabant, sub ejus oculis exhibentes, veterum promissionum fidem, quarum tandem memor afflictis parceret. Fatebantur tamen, humilem deposcentes veniam, criminum suorum granditatem; rogabant ut soluta tandem captivitate, tot malis finem imponeret. Hæc argumenta carminum, quæ in captivitate Babylonica scri-

ſcripſerunt Hebræi, triſtia illa plerumque & lugubria.

Nondum conſtat inter Commentatores an Templi obſequiis vel ſaltem extraordinaria aliqua occaſione fœminæ Cantatrices vel inſtrumentis ludere doctæ ſervierint. Id enim indecorum maxime Rabbinis videtur; neque indecorum tantum, ſed rem plenam periculi rebantur, ſi Miniſtrorum ſanctitas fœminarum conſuetudine in diſcrimen poneretur. Quare non niſi extraordinaria quadam occaſione adhibitas fuiſſe fœminas Cantatrices in cæremoniis Religionis, & non niſi cum illæ extra Templum agerent, Sanctius, Cornelius a Lapide, & Interpretes plerique autumarunt. Ita luſiſſe fœminas legimus poſt tranſfretationem Erythræi, poſt relatam e David de Goliath victoriam, cum Arca Jeroſolymam deduceretur, in triſti Regis Joſiæ funere, dum ſcilicet Cantores omnes & Cantatrices Hebræas Jeremiæ Lamentationes ea de re ſcriptas cantantes luxiſſe ſcriptum eſt 2. Par. 35. 25.

Contraria tamen nobis una cum doctiſſimis aliis Interpretibus ſedet opinio; nimirum in magnis per annum Solemnitatibus adhiberi conſueviſſe fœminas Cantatrices, ſub Præfectis, Hebræo nomine *Mnazeach* appellatis, ſervientes; de quibus Præfectis nos alibi fuſius (26). Porro his viris tamquam Præcentoribus fœminæ illæ utebantur; nec plerumque earum puellarum choros niſi fœminæ Levitarum implebant. Summa tamen cautione & modeſtia, ea quæ ad fœminas pertinebant, agebantur; ab aliis enim Muſicis diſcretæ, diviſam a viris claſſem conſtituebant. Singularis in ſpeciem ſententia optimis Scripturæ documentis demonſtratur. In cenſu filiorum Heman, viri inter tres primores muſicæ Templi Præfectos, 12. filii, & tres filiæ numerantur (27). Ut quid, rogo, recenſerentur præter Scripturæ morem fœminæ, niſi quod illæ idem cum fratribus canendi munus coram Domino præſtarent? Cum Arca e Cariath-Jarim inſigni pompa Jeroſolymam deduceretur (28), puellarum chori ſub Præcentoribus ſolemnitatem augebant. In cenſu eorum, quos Eſdras e captivitate Babylonica reduxit 200. inter viros fœminaſque Muſicæ peritos numerantur, quos ſane Templi ſervitiis deſtinatos fuiſſe nullus dubito (29). Hanc ſententiam tuetur Lyranus ad 1. Eſdr. 2. 66. laudans teſtimonium ex Paralipomeni a nobis ſupra deductum de tribus puellis Heman.

Paraphraſtes Chaldæus in Eccl. 2. 8. diſerte tradit, conſtitutos a Salomone in Templo Cantores pariter & Cantatrices. Gemina cenſent Toſtatus, & Menochius (30); quemadmodum & Grotius, & Caſtalio in 1. Par. 15. 20. quo in loco Hebræus legit Zachariam, Ozielem, Semiramoth, alioſque ſeptimæ claſſi muſicorum ex puellis conſtanti præfuiſſe (31). Pſal. 9. inſcribitur *Ben* ſive *Banajæ Præfecto Muſices in Choro puellarum* (32). Porro Templum Domini veluti Aula Domini Iſraelis habitum, plures in obſequium ſui, tamquam Domino præſente, miniſtros exigebat. Nihil ibi deſideratum pro more Regum Orientalium, non menſa, non aromata, thronus, conclavia, Præfecti, Chori Muſicorum tam virorum quam puellarum.

Philo de Vita contempl. narrans choreas & cantilenas, quibus Therapeutæ ſolemnium dierum pompam celebrabant, in quos diviſos choros cantaſſe illos tradit. Omnibus præcinebat totamque ducebat muſicam vir aliquis ad id conſtitutus, ac poſt cantum viri fœminæque ſeorſum tamen, choreas ſparſim hic & illic inſtituebant; ſubitoque veluti repentino œſtro divinitus abrepti & voces ſimul & choreas jungebant, mixtumque ex viris fœminiſque melos gratum harmoniæ genus auribus præbebat. Potuit itaque non abſimili cæremonia in Templo rebuſque ſacris ſervari, quam Therapeutæ, viri in primis graves ſapienteſque, a cœtu ſuo non ducebant alienam. Narrat pariter idem Philo, ſervari apud Judæos omnis generis & metri carmina, quæ coram Altari, aliis ſtantibus immotis, aliis choreas ducentibus, cantarentur.

Præter muſicam Templi ſuus erat chorus Muſicorum, Regiæ Aulæ ſervitiis deſtinatus: *Numquid audire poſſum ultra vocem Cantatorum, atque Cantatricum?* ait Bercellai ad Davidem, ſe in Aulam invitantem (33). Salomon, qui cum nihil ſibi ad voluptatem reliquum feciſſet, muſicam pariter amavit, *feciſſe ſibi* ſcribit *Cantores & Cantatrices* (34). Regiæ huic muſicæ ſub Davide præfuiſſe Aſaph crediderim; quippe qui 1. Par. 25. 2. de illo ſcriptum legitur: *Prophetantis juxta Regem;* Heber. *Ad manum Regis*. Porro Regiæ erat magnificentiæ apud Orientales, ſi puellis canendi peritis ad ſolatium in quiete noctis & in conviviis inſtructiſſimam Aulam haberent. Tono vocis & ſuavitate ceteris peræſtans puella præcinebat, reliquis ſuccinentibus (35). Has fœminas Perſæ appellabant *Zarba*, vel *Barza* (36). Parmenio de capta a ſe Damaſco Alexandrum per literas faciens certiorem, ſimul nunciavit, recepiſſe inter

ter

ter captivas 329. puellas ex Aula Darii musicæ peritas (37). Porro aliæ ludendi instrumentis, aliæ canendi, ac tandem aliæ canendi simul & voce & instrumentis doctæ habebantur (38). Hunc luxum & pompam Aulæ Persarum adoptarunt Parthi (39), & referente Herodoto lib. 1. cap. 17. legimus Haliattem Regem Lydiæ in expeditione adversus Milesios habuisse in exercitu suo viros pariter & mulieres instrumentis canendis doctas. Strabo Rex Sidoniorum voluptuosissimus si quis alius in historia Princeps, inter frequentissimos semper choros fœminarum musicarum, quæ instrumentis canere & choreas ducere norant medius versabatur (40).

Notum fuisse apud Hebræos usum musicæ in theatris atque spectaculis, nuspiam in Scriptura apparet, neque enim id genus voluptatis norant, cum apud Græcos pariter recens habeatur inventum. Ceterum alterius cujuscumque generis carmina, adeoque & musicam, gentem illam non latuisse constat. Leguntur in Scriptura Epinicia, carmina, invectivæ, actiones gratiarum, epithalamia, cantica mœroris & gaudii, tum & moralia & deprecatoria. Dramaticum genus refert Canticum Canticorum, quamquam non ex illis, quæ spectaculum præbere possint audientibus; cujus pariter artificii sunt Psalmi, in quibus Deus & Psalmista sive Justus in Dialogi morem loquentes inducuntur. Liber Justorum interdum apud Josue (41), & Reges (42) laudatur, historia carmine scripta creditur, carmine, inquam, veteri, cujus generis fragmenta quædam supersunt in sententiis veterum Philosophorum (43). De vindemialibus cantilenis (44); sicut etiam iis, quæ vinum potantes effundebant, sermo est in Scriptura: *In me psallebant qui bibebant vinum* (45). *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia & vinum in conviviis vestris*, ait Isai. 5. 12., *& opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis*. Et Amos 6. 5. *Qui canitis ad vocem Psalterii. Sicut David, putaverunt se habere vasa cantici* (peritiam nempe instrumentis canendi) *bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Joseph*. Non nisi per abusum musica ad eum statum devenerat in Israele; sed maximum fuisse ejusdem Musicæ usum apud Judæos eo apertissimo argumento demostratur. Diserte etiam idem mos exprimitur in Ecclesiastico pluries. Vide Eccli. 32. 5. 6. 7. & 40. 20. & 49. 2.

Poesis, musica, & instrumenta in funeribus Hebræorum obtinebat. Omnium vetustissimum funebre carmen illud legitur, quo David funus Saulis & Jonathæ luxit (46); altero idem Rex funus Abner prosecutus est; (47) cantico pariter celebratissimo funus Regis Josiæ Jeremias ingemuit, (48) eodem funeris genere Judæ Macchabæo parentarunt. Isaias prophetico lumine lapsum Imperii Babylonici & funestum Regis illius obitum intuens, funebrem quamdam orationem instruxit, his verbis: *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum! Contrivit Dominus virgam Dominantium, baculum impiorum ..... Quomodo cecidisti de Cœlo lucifer qui mane oriebaris &c.* (49). Porro solemni apparatu Cantica illa recitabantur sive a necessariis defuncti viris fœminisque, sive a lamentatricibus & lamentatoribus mercede conductis (50). Si funebris aliqua pompa alicui forte occurrisset, negotiis suis omnibus relictis, addere se ceteris, atque communi se dolore miscere tenebatur, quo spectat illud Evangelii (51): *Lamentavimus & non plorastis*. Jesu Christi ætate addebantur in claris funeribus ad pompam augendam tibicines (52). Sed ea de re fusius in dissertatione de luctu Hebræorum.

Quæ de musicæ effectibus mira apud Hebræos referuntur, ceteris a Scriptoribus prophanis traditis ea de re fidem adstruunt. Convaluisse quosdam ab infirmitate solo musicorum instrumentorum sono; viris quibusdam emotæ mentis sive spiritu conturbatis salubrem fuisse musicam legimus; sonitu aliquando furor, seditiosæ interdum factiones compositæ; mitigatæ violentissimæ alioqui passiones. Nihil eorum supra fidem reputandum est, postquam in Scriptura legimus, Saulem tetra quadam melancholia agitatum, cui pariter Dœmon stimulos torquendo misero adjiciebat, lyræ a Davide pulsatæ sonitum præsentissimum a morbo suo remedium expertum fuisse (53). Quare si de Alexandro Magno legimus, modo arripientem arma, modo assumta deponentem, prout Artigenides Musicus vario ludendi instrumenti sui artificio mite aliquid sive martiale inspiraret (54); si furentes insania & libidine juvenes, atque ad effringendas fores ad honestæque cuidam fœminæ vim in ferendam procurrentes, Pythagoras sistere gradum & arma ponere coegit, seria tantum canere instrumento suo Musicum quemdam jubens, vix erit ut hæc omnia incredulos Lectores nanciscantur; quippe qui norint, Saulem in cœtu Prophetarum varii generis instrumentis ludentium exceptum (55) divino quodam Spiritu subito anima-

matum in alium virum transisse, ceterisque Prophetis comitem se cantando & prophetando adjecisse. Idem pariter Rex certior factus, Davidem apud Samuelem in Najoth Ramathæ (56) divertisse, manum suorum misit, qui concentu Propheticorum instrumentorum simul & vocum audito, divino repente œstro abrepti, canentibus sese, adjunxerunt. Manum alteram submisit Saul, qua pariter ad similia studia conversa, ipse tandem Rex venit, nec tamen aliter cum illo ac cum ceteris factum est; Divino enim insiliente Spiritu agitatus, antequam ad cœtum Prophetarum veniret, in Prophetam qua gestu corporis, qua motibus, qua etiam prophetica loquendi ratione transmutatus est. Vix autem ad Prophetas illos pervenit, vestibus positis, in prophetando id est, in cantando atque propheticis motibus sese agitando diem integram noctemque traduxit.

Monstri loco habenda sunt ea, quæ contigisse narrrantur in exercitu Joram Regis Israel, Josaphat Regis Juda, & Regis Idumæe. Cum tres illis Principes per deserta Moab exercitum ducentes, extrema & inevitabili aquarum penuria laborarent; Josaphat omnium sociorum Regum religiosissimus quæsivit, num Propheta aliquis Domini in exercitu occurreret. Adesse Eliseum renunciatum est, quem convenientibus tribus simul Regibus, vir sanctus viso Rege Israelis, nihil habere se cum illo negotii dixit; iret, & maternos Prophetas consuleret. Respondit Joram, numquid id fieri potuisset, ut Deus tres simul Reges in manus Moabitarum tradendos eo deduxisset? Tunc statim Propheta revereri se dixit Josaphat Regem Juda, ceteros alioquin se ne aspectu quidem dignaturum. Nunc vero, ait, adducatur ad me vir canendi instrumentis peritus. Cum venisset, atque instrumento suo luderet, statim Spiritu Sancto in Prophetam insiliente, vir sanctus in propheticas voces effusus est (57). Porro aspectus Regis Israelis ejusque voces Prophetam aliquanto commoverant; sed in pristinum mentis statum sono instrumenti restitutus, Divini Spiritus impressionibus excipiendis sese comparavit.

En alterius generis exemplum, quo bellicos spiritus militibus Josaphat excitatos, atque terrorem hostibus incussum discimus. Cum Ammonitæ, Moabitæ, aliique Arabiæ populi junctis simul armis in ditionem Josaphat irrupissent, Rex ille Domini opem imploratum se contulit, Deique verbis Propheta Jahaziel victoriam roganti spopondit. Ea spe plenus, exercitu in hostes ducto, aciem ita instruxit, ut Cantores Domini eumdem, quem in Templo, ordinem tenentes, & musicis instrumentis canentes, primi in exercitu procederent. Vix ad primum instrumentorum concentum hostes subito terrore perculsi sunt, & versis inter se armis mutuis vulneribus conciderunt; Moab, & Ammon in Idumæos procurrerunt; quibus deletis ipsi tandem inter se commissi sunt. Quare omnibus occisis, hostium arma omnia & præda ultro Hebræis cessere.

Simile exemplum occurrit in bello Abiæ Regis Juda in Jeroboamum Regem Israel (58). Regis Juda exercitum sequebantur juxta Moysis præceptum (59) Sacerdotes cum sacris, tubis, quo indicio Domini præsentia designabantur: *Ergo in exercitu nostro Dux Deus est, & Sacerdotes ejus, qui clangunt tubis & resonant contra vos.* Vix sacrorum instrumentorum sono, & clamore populi Juda ab hostibus audito, tantus illorum animos terror incessit, ut in fugam omnes dilaberentur. Prætereo quæ in obsidione Jericho contigisse leguntur, cum sacrarum buccinarum clangore & clamoribus Hebræorum mœnia Urbis concussa corruerint (60); res est enim potius inter prodigia quam inter peculiares musicæ effectus censenda.

Quæ de Saule narrantur sono instrumenti & vocis Davidicæ relevato, nihil habent supra naturam, sicut etiam nonnisi juxta naturæ leges contigisse poterat, ut Saul, ceterique ab eo missi ad capiendum Davidem, inter Prophetas statim Prophetæ redderentur; quemadmodum & illud Elisei, quo se ad illapsum Sancti Spiritus excipiendum comparavit: influit enim musica in sanguinem & spiritus, quos leni quadam & dulci agitatione molliens, noxios ideo humores & melancholiam, quin & pigrioris sanguinis hebetudinem dissipat. Omnis ætatis remedium fuit, ut melancholia, phrenesis, furor, ceteraque ejus generis, lætis & jucundis curarentur; est etiam naturæ consonum maxime, ut in cœtu ludentium & cautantium ad ludum & cantum excitemur. Ita enim natura comparatum habemus, ut aliorum, quos ante oculos intuemur, motus atque instrumentorum impressiones sequamur. Porro *prophetare* Scripturæ stilo usurpatur non raro pro subita quadam excitatione, qua ad imitandos motus & agitationes Prophetarum inducimur. Tandem animi emotio atque conturbatio, ira, & cetera ejus generis vix pati potuissent Divini Spiritus tranquillum illapsum, nisi prius instrumento-

rum

rum sono compescerentur; ex quo factum ut Elisæus ad Divinum Spiritum recipiendum se comparans virum ludendi instrumentis peritum accerseret. Balaam, ut se colligeret, atque dispersos dissipatosque in cœtu hominum spiritus reduceret (61), in privatum secedens, aliquo temporis spatio solitarius mansit.

Atqui nulli spectantur pares in musica nostrorum temporum effectus. Cujusne vitio ea res deputanda, an musicæ, Musicisve, vel instrumentis? An potius nos blandis minus tangimur, minusque præ Veteribus illis movemur, vel forte passionum nostrarum motibus cautiores invigilamus; aut tandem longa quædam habitudo Stoicum nescio quem stuporem in naturam transmutavit? Fieri quidem potest, ut nos animum habeamus præ illis firmiorem, & habitudine atque educatione aliquid in passionibus & sensibus nostris sive immutatum sive dissimulatum fuisse; re tamen iisdem semper nobis iidem pariter spiritus & passiones manent. Sit esto aliquis, qui seria mentis intentione passionum quorumdam motibus resistat; quos vero liberos se illis permittunt, id unice quærentes, ut animis emoveantur; nec musicam morosam sæpe alia de causa auscultant, nisi ut se leni quodam blandoque motu mulceri sentiant? Alia est igitur causa hujus rei in musica ipsa quærenda. Vetus est ante mille annos cœpta querela, miram illam musicæ vim desiisse, ejusque rei invidia jam inde ab ea ætate musicam ipsam onerabant. Dolebat peritus quisque res musicas corruptas, turbatas, nihil de genuina illa nobilitate amplius servare.

Vossius in suo Opere de *Poematum cantu, & viribus Rythmi*, fusius demonstrat, & sæpius inculcat hanc rei Musicalis ruinam, hebetatamque illam, qua olim pollebat, virtutem contemptui optimæ Poesis, quantitatis syllabarum, numeri & ejus, quæ verba inter & cantum servanda est, proportionis imputandam. Defecit etiam, addit, vix illa verborum, qua maxime spiritus moveretur, periit scilicet genuina illa pronunciandi ratio & carminum aptissimum metrum; musicis notis traduntur strophæ, quarum ne verba quidem assequimur. Quare blanda licet & suavissima carmina, cum ne audiri quidem possint, nihil movendis cordibus valent. Dum aures melodiæ suavitate mulcentur, errare in incertum spiritus cogitur; quippe qui nihil satis certum & distinctum assequatur. Hinc nulla satis plena voluptas, & cor in duas partes distrahitur; cum melodia quidem, non vero sensu carminis afficiatur. Profecto si una simul vox, harmonia, & sensus patens verborum in spiritum influeret, aliter sane quam quod nostra ætate soleat, moveretur; quemadmodum virtus unita plus valet, quam divisa. Id in primis spectabant Veteres, ne quid unquam de carmine, quod cantabatur, excideret; quod per quam commode contingebat, cum multiplex ille vocum numerus in eadem verba consonaret, omnesque simul Cantores a validiori Præceptoris voce ducerentur. Respondebat apta verbis & sensui harmonia; id agentibus peritissimis illis viris, ut quam possent maxime, naturam & vocem hominis in iis rerum circumstantiis, quas carmina exprimebant, imitarentur. Chori in Comœdiis & Tragœdiis Veterum numquam supra naturalem loquendi modum vocem elevabant. Porro quantum ratio illa cantandi animis capiendis valeret, statis demonstrat eloquentissimi alicujus Declamatoris oratio, qui naturam imitari, & aptum verbis gestum jungere, norit. Quis, rogo, vim ejus orationis non sentit? Ita pariter reputandum est de Musica naturali & in ipsa simplicitate sua numerosissima.

Addenda modo essent quædam de musicis Hebræorum instrumentis, variis cantandi rationibus, totoque demum musicæ artificio. At de instrumentis quidem in proxime succedenti Dissertatione tractabimus; de reliquis vix est in tanto Sacrorum Librorum silentio, ut certi aliquid & explorati afferatur. Verum si musicæ elegantiam majestati & numero carminum congruere oporteat; illud nobis jure meritoque affirmandum, nihil grandius, nihil gravius, nihil augustius Templi musica unquam auditum.

Servant hodie usque Judæi in Synagogis suis quoddam Musicæ genus, patrum facile traditione receptum. Si tamen res eorum Musicas tantum prosterni quantum nostras contigit, cur ex ista recentiori certi aliquid pro veteri deducatur, nihil est; longissimo enim distant intervallo. Simplicissimam quidem Musicam hodie pariter servant Hebræi, qua in re veteri satis respondet; sed tot inter miseræ gentis vices, tot rerum & temporum circumvolutiones, intactam illam mansisse quis credat? Recentiori Hebræorum Musicæ P. Kircherius exponendæ laboravit; sed illam cum Musica Templi Salomonis conferre ne cogitavit quidem.

Licet autem confusa nobis maneat idea plurium Musicæ instrumentorum, quorum in Templo usus; varietas tamen & variam fuisse Musicam illam satis demonstrat. Et quidem variam fuisse oportet,

tet, cum Psalmi, qui nostra supersunt ætate, tam varii sint argumenti, sicut & variæ adeo solemnitates peculiarem singulæ exegerint apparatum. In Paschate Deo grates agebantur pro recepta servitute Ægyptiaca libertate. In Pentecoste traditæ a Deo in monte Sina Legis solemnis memoria recolebatur. In Festo Expiationis jejunio pariter, & animis supplicibus humilitate venia de commissis criminibus poscebatur. In Festo Tabernaculorum iter per Desertum velut sub oculos revocatum est; gratesque Deo pro messe recepta impensæ.

S. Clemens Alexandrinus (62), antiquitatis in primis veterumque morum instructissimus, tradit, sacram Hebræorum Musicam in Templo plerumque Doricum retulisse, quod gravissimum est, & vetustissimum musicæ genus, totum ferme in spondæis, & productioribus syllabis versans: Dominum proinde maxime decebat, cui in timore servire jubemur: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore*. Is Veterum gustus, quorum Musica, maxime in rebus sacris impenderetur, nonnisi gravitatem, & majestatem spirabat; cum interim nostra ætate Ecclesias non raro theatralibus harmoniis obstrepere contingat.

NOTÆ.

(1) *Senec. epist. 48. Nonne vides quam multorum vocibus chorus constet? Unus tamen ex omnibus sonus redditur. Aliqua illi acuta est, aliqua gravis, aliqua media. Accedunt viris fœminæ, interponuntur tibiæ. Singul rum ibi latent voces, omnium apparent.*

(2) *Genes.* 4. 21.

(3) *Genes.* 31. 27.

(4) *Plutarch. Libello de Musica.*

(5) *Genes.* 4. 23.

(6) *Genes.* 9. 25. 26. 27.

(7) *Genes.* 49.

(8) *Strabo Geograph. lib.* 1.

(9) *Plin. lib. 7. Prosam orationem condere Pherecides Syri-s instituit; Cyri Regis ætate Historiam Cadmus Milesius.*

(10) *Plato lib. 2. de legibus.*

(11) *Strab. lib. 1. pag. 2.*

(12) *Vide Aristot. problem. num. 19. 59. Cicero Tuscul. lib. 4.*

(13) *Cicero Tuscul. lib. 1. Themistocles in epulis cum recusasset lyram, habitus est indoctior.*

(14) *Quintilian. lib. 1. Gellius lib. 20. cap. 11.*

(15) *Diodor. Sicul. Biblioth. lib. 1. p. 51.*

(16) *Clemens Alexandr. lib. 6. Strom.*

(17) *Job* 21. 11. 12.

(18) *Exod.* 15. 1. 20.

(19) *Num.* 10. 2.

(20) 1. *Par.* 26. 1.

(21) 2. *Par.* 20. 19.

(22) 1. *Par.* 25. 7.

(23) *Vide* 1. *Par.* 25. 1. 3.

(24) 1. *Par.* 4. 33. 34. 39.

(25) *Psalm.* 136.

(26) *Vide Dissertationem in Lamnazeach.*

(27) 1. *Par.* 25. 5.

(28) *Psalm.* 67. 26.

(29) 1. *Esdr.* 3. 66. 67. *&c.* 2. *Esd.* 7. 67.

(30) *Tostat. quæst.* 14. *in* 1. *Paral.* 25. *Menoch. ib.*

(31) 1. *Par.* 15. 20. *Binsalim al al. moth.*

(32) *Vide Comment. in Psal.* 8. 1. *in Argument.*

(33) 2. *Reg.* 19. 35.

(34) *Eccles.* 2. 8.

(35) *Athen. lib.* 3. *&* 12.

(36) *Suidas, in Mousourgos.*

(37) *Apud Athen. lib.* 13. *cap.* 9.

(38) *Suidas Ibid.*

(39) *Plut. in Crasso. Vide Brisson. de Regno Persar. lib.* 1.

(40) *Theopomp. Hist. lib.* 15. *apud Athen. l.* 12. *cap.* 8.

(41) *Josue* 10. 13.

(42) 2. *Reg.* 1. 18.

(43) *Laert. lib.* 1.

(44) *Isai.* 16. 3. 10. *&* 24. 7. 8.

(45) *Ps.* 68. 13.

(46) 2. *Reg.* 1. 19.

(47) 2. *Reg.* 3. 33.

(48) 2. *Par.* 35. 25.

(49) *Isai.* 144. 12.

(50) *Jerem.* 9. 17. *Amos* 16. 17.

(51) *Luc.* 7. 32. *Matth.* 11. 17.

(52) *Matth.* 9. 23.

(53) 1. *Reg.* 16. 23.

(54) *Plut. de Fortuna Alexand. lib. 2. Senec. lib. 1. de ira cap. 2. Alexand. ajunt Xenophonte canente* (ita Musicum hunc appellat) *manum ad arma misisse.*

(55) 1. *Reg.* 10. 6.

(56) 1. *Reg.* 19. 23. 24.

(57) 4. *Reg.* 3. 15.

(58) 2. *Par.* 13. 12.

(59) *Num.* 10. 9. *Si exieritis ad bellum de terra vestra, contra hostes, qui dimicant adversum vos, clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro.*

(60) *Josue* 6. 5. 20.

(61) *Num.* 23. 3. 16. *&* 26. 1. 2.

(62) *Strom. lib.* 6.

AUGUSTINI CALMET
DISSERTATIO
In Musica Instrumenta Hebræorum.

GEnio tantum indulgendi populo suo permisisse Deum in Templo Musicam & instrumenta S. Chrysostomus & Theodoretus autumarunt (1). Nihil ea de re in Lege constitutum, longoque temporis spatio musica in Tabernaculo siluit. David omnium primus novam in ea re disciplinam invexit, & Cantores voce pariter & instrumentis Domino censuit consecrandos; qua in re genio rudioris populi consultum est, quo in Religionem resque sacras pelliceretur, magisque ab Idololatria, & superstitione removeretur. In Ecclesia Christiana primorum seculorum, & cum res pietatis maxime florerent, nihil auditum in cœtibus religionis de musica musicisve instrumentis; nihilque ea in re de pristino disciplinæ tenore remissum fuisset, nisi imbecillitati Fidelium (quorum pietas externis hisce fulcienda erat, & cor in Deum resque Divinas erigendum) consulendum fuisse.

Quo vero totus iste musicæ, & instrumentorum apparatus a cultu omnibus numeris absoluto, atque eximia illa, quam Deus a suis reposcit, animi sanctitate distat, eo reliquis cæremoniis legalibus, cruentisque Sacrificiis supereminet. Tam piam atque utilem disciplinam curas suas omnes reposcere sapientissimi quique, & sanctissimi Veteris Legis Heroes arbitrati sunt: atque inter præcipuas reformati divini cultus leges, musicæ in Templo restitutionem nunquam non reputarunt. Quam sæpe Deus ipse Sacra Cantica, & laudis sacrificia cruentis victimis prætulit? *Sacrificium laudis honorificabit me* (2). Quam sæpe Prophetæ populum hortabantur, ut loco victimarum, & pinguissimorum arietum pura laudum holocausta, & Sacrificia gratiarum actionis offerrent? Monebant tamen non segniter, eas laudes, & musicas cantilenas jungi oportere cum justitia, & pietate, ut concinnum auribus Dei melos exhiberent; siquidem tædio sunt Deo cantilenæ, & harmonia, quas vitæ Sanctitas & innocentia non animat (3): *Aufer a me tumultum carminum tuorum, & Cantica lyræ tuæ non audiam.*

Post discussum in præcedenti dissertatione de Musica Veterum Hebræorum argumentum, nonnulla modo de musicis illorum instrumentis afferenda sunt. Quod sane argumentum curiosum alioqui, & maxime utile: satis hucusque neglectum miramur pariter, & dolemus. Interpretum enim plerique seria rei discussione omissa, satis habent insinuare, hanc de musicis instrumentis Hebræorum cognitionem in oblivionis tenebris alte defossam, conatus omnes, laborantium fallere. Sed oportebat pariter demonstrare, voces illas, quibus plerumque instrumenta designata creduntur, re tamen aliud præter instrumenta significasse; cum interim quæ musica illa instrumenta vere designant, minus lateant, quam vulgo credatur. Si quid tandem nos fugit in nominibus Hebraicis, numquid ne sane non assequimur ea, quæ apud Septuaginta & Vulgatam posita sunt? Nec ingratum accedit sedulo Lectori didicisse, quid maxime fuerit *Psalterium*, *Tympanum*, *Nablum*, *Sistrum*, *Cythara*, & *Lyra* Veterum. Profecto si omnia Hebræorum instrumenta describere non obvenit nobis, illud saltem præmii loco habebimus, quod de nonnullis non inverosimiles conjecturas afferre contigerit; plura simul obscura Sacræ Scripturæ loca nostris hisce observationibus de Veterum instrumentis pandentes.

Atque in ipso disputationis limine animadvertere juvat, Musica instrumenta in Græcos Latinosque nonnisi ab Orientalibus venisse, ut proinde plurimum ad Hebraica accessisse credenda sunt. Hebraica vero eadem reputanda cum instrumentis musicis Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum, & Syrorum. Non est igitur, cur animis despondeamus, fontem in rivis quærentes, atque sedulo investigantes tandem fiet, ut figuram & usum instrumentorum, quibus Judæi, & Orientales utebantur, apud Græcos, & Romanos saltem adumbratam deprehendamus. Vani semper, & propriæ gloriæ unice studentes Græci, sparserunt in vulgus, recepta apud ipsos instrumenta nonnisi Diis, sive vetustis eorum Vatibus deberi. Numquam ferme Apollinem, Minervam, Mercurium, Pana, nisi Musica aliqua instrumenta gestantes exprimunt. Sed jactabun-

bundæ gentis ambitionem Scriptura ipsa revincit. Religio, Numina, Musica, Poesis non in Græcia nata, sed aliunde in eam Regionem venerunt. Majori fide Latini fassi sunt, musica se instrumenta ex Oriente recepisse. Juvenalis Sat. 3.

Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes.
Et linguam, & mores, & cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit.

Titus Livius narrat, nonnisi post bellum Romanum cum Antiocho Magno receptas in Urbe turbas fœminarum instrumentis ludentium, & in conviviis adjecta symphoniarum oblectamenta (4).

Græci pariter, repugnante licet insito gentis studio mentiendi, & in majus sese efferendi, quo veram plurium suorum musicorum instrumentorum originem scrutentur, aliunde illa repetiisse coguntur. Itaque e Phrygia interdum sive e Lidia, sæpe e Syria vel Ægypto, sive Perside derivant. Quod ad Judæos spectat, recepisse illos musica instrumenta constat ex Chaldæis, quibus originem suam debent, & ex Ægyptiis, apud quos diutius commorati sunt, ac tandem ex Phœnicibus ceterisque Arabiæ & Syriæ populis, quorum media eorum regio continebatur. Numquam illi rei inventæ honorem sibi vindicandum susceperunt; quamquam perfectæ atque in sacros, & laudabiles usus, Dei nempe laudes celebrandi, traductæ illis jure meritoque tribuatur. Quæ sane gentis prærogativa illam a ceteris omnibus distinguit, quæ in usus quidem Religionis musicam adhibuerunt, sed non ea assiduitate, pompa, & cura, qua semper Judæi.

Si qua fides Rabbinis atque Interpretum plerisque, major vindicanda esset Hebræis instrumentorum copia, quam quæ apud alias gentes innotescat. Recensent illi non minus quam 34. quo de numero nos uno pennæ ductu 14. subducimus. Hæc nomina.

I. *Neghinot*, quam vocem Septuaginta reddunt *Hymni*, Vulgata *Canticum*. Hebræus ad literam sonat Instrumentis ludentes sive carmina ad musica instrumenta cantanda. Collatis autem simul omnibus textibus, in quibus vox illa recurrit, has tantum geminas significationes reperio, e. g. Job 30. 9. *Nunc in eorum Canticum (Neghinot) versus sum;* Psal. 68. 13. *In me psallebant, qui bibebant vinum;* & in pluribus titulis Psalmorum (5). *Ad musicæ moderatorem; Qui instrumentis fidicularibus præest.*

II. *Hannechiloth* apud Septuaginta, & Vulgatam redditur, *Quæ hæreditatem consequitur* (6). Recentiores Interpretes plerique musicum aliquod instrumentum eo nomine designatum malunt, quod scilicet ex radice derivetur exprimente perforare, tibia ludere; ut proinde. *Nechiloth* sonet tibiam seu simile quodcumque instrumentum. Nos tamen reddendum autumamus choreas & muliercularum saltantium choros; in quem sensum etiam reddimus vocem *Machalot* in titulis Psalmorum 52. & 77. occurrentem; & ex eodem verbo derivanda est. Ita pariter vertit Chaldæus, & genuina vocis *Chalal* significatio sonat cohoreas ducere.

III. *Hascheminith*, octava (7), quo designatum credunt instrumentum octo fidibus instructum; sed in Paralipomenis occurrit octava classis Musicorum Templi (8), quam facile hoc in loco designatam credimus nomine *Schemnith. Mathathias & Eliphalu &c. in citharis pro octava canebant* (Hebr. *Al-Haschiminith*).

IV. *Siggaion*, quod Septuaginta vertunt tantum *Psalmus David;* alii, *Pro ignoratione:* (nempe crimine ex ignorantia commisso) sonat potius *Canticum solaminis in luctu*, ac si diceretur *Tristia* vel *Elegia*. Vide nostrum argumentum in Psalm. 7. & titulum tertii capitis Habacuc, in quo vox *Siggaionoth* ex eadem radice ac *Siggaion*. Notæ sunt apud Turcas nostra etiam ætate fœminæ instrumentis ludentes & saltatrices, quas appellant *Pschingenes* (9).

V. *Gittith* (10) Septuaginta *pro torculari*, quasi scilicet pro *Gittith* legerint *Gittoh* Porro *Gittith* sonat *Getheam*, qua voce musicum aliquod instrumentum designari nullo argumento probatur; & Syntaxis Hebraica insinuare videtur Psalmos ita inscriptos ad Præfectum Chori Gethæarum dirigi, sive quod Gethæas Cantatrices David in Aula detineret; quemadmodum ex eadem gente corporis custodes habebat, sive quod Cantatrices Israeliticæ ignota aliqua de causa eo nomine appellarentur. Porro fœminas Cantatrices usibus Aulæ non secus ac Templi addictas fuisse in Dissertatione de musica Hebræorum demonstravimus.

VI. *Almoth* sive *Alamoth* vel *Hal-moth*. Septuaginta *Pro occultis*. Chaldæus, Sanctus Hieronymus, & Symmachus: *In mortem filii*. In Psal. 9. redditur ea vox, *Puellæ*, quo eodem sensu usurpatur in 1. Paral. 15. 18. 20. De musico instrumento exponendam nihil suadet.

VII. *Michtham* Septuaginta, & Vulgata red-

reddunt, *Tituli inscriptio* (11) Aquila, Symmachus, & S. Hieronymus, *Psalmus humilis, & simplicis David*, sonat: *Psalmus nomine David inscriptus* (12). Quicumque musicum instrumentum reddunt, illi ignorantiæ & incuriositatis suæ causationem quærunt.

VIII. *Ajeleth Haschachar* (13), redditur a Septuaginta, *Auxilium matutinum;* a plerisque ex Recentioribus, *Serpens matutinus*. Nomen est etiam classis Cantorum, vel Cantatricum, quemadmodum syntaxis Textus satis demonstrat: quamvis alioqui ejus nominis ratio penitus ignoretur.

IX. *Schoschanim* Vulgata & Septuaginta reddunt (14), *Pro iis qui commutabuntur*. S. Hieronymus & Aquila, *Pro liliis*; Symmachus, *Pro floribus*; recentiores Interpretes plerique Instrumentum sex fidibus instructum. Porro Textus Hebraicus Tituli Psalmi 44. in quo vox illa legitur, reddi potest: *Psalmus didascalicus ad Præfectum musicæ filiorum Core, ad instrumentum sex fidibus instructum decantandus. Canticum dilectorum;* vel potius, *Psalmus didascalicus ad Præcentorem filiorum Core, qui gaudiis præest*. Est equidem nuptiale carmen, gaudii & tripudii. Quemadmodum & ejusdem sunt argumenti ceteri Psalmi eodem titulo inscripti, & nonnisi vi quadam verbis illata *Schosanim a Schesch*, sex, derivaretur. Sonat autem, nemine ambigente, tripudium; & Hebraica Syntaxis obvio sensu exprimit Chorum adolescentulorum, qui festum aliquod veluti nuptiale celebrant, vel saltem similis festi occasione cantant. Diserte etiam Textus exprimit *Canticum dilectorum*, nempe epithalamium a puellis nuptiarum die cantatum.

X. *Machalath*, sive *Macleth*, ut habent Septuaginta & Vulgata, sonat *Chorea*. Est igitur inscriptus Psalmus musicæ Præfecto, choreas illas religiosas, de quibus sæpe in Scriptura, curante. Choreas ductas legimus post transfretationem Erythræi (15); choreas habebant puellæ ad Tabernaculum Silo venientes (16); choreis itidem celebrarunt relatam a Davide de Goliath victoriam (17); cum Regnum a Salomone iniretur (18); ac tandem cum in translatione Arcæ Jerosolymam puellæ festas choreas egerunt (19).

XI. *Jonath-Elem recokim* redditur a Septuaginta (20). *Pro populo qui a Sanctis longe factus est;* & a ceteris fere omnibus, *In columbam mutam elongationum*. Pluribus nostræ ætatis Interpretibus est musicum instrumentum, cujus tamen nullam mentionem aut vestigium reperio neque in Textu originali, neque in ceteris Scripturæ locis, ubi de instrumentis sermo. Crediderim potius nomen esse certæ musicorum classis, cujus appellationis causa prorsus ignoratur.

XII. *Higgaion* legitur Psal. 21. 17. & Psal. 19. 15. & Psalm. 91. 4. Plerique tam recentiores quam veteres Interpretes exponunt de meditatione sive Cantico; nec aliam ego magis genuinam vocis interpretationem quæsiverim, quippe quæ ex radice derivetur sonante meditari, sive meditata loqui. In Psal. 91. 4. jungitur *kinnor*, quod nomen est musici instrumenti, & synonimum videtur instrumenti decacordi: *In decacordo Psalterio* (*Hasur Nebol*) *cum Cantico* (*Higgaion*) *& Cithara* (Kinnor). Is unus Textus favere potest sententiæ, quæ vocem illam de musico instrumento interpretatur.

XIII. *Maschechil* (21) sonat ad literam, *qui docet;* quare voci Mismor junctam reddi posse credimus, *Psalmus didascalicus*. Legitur is titulus in fronte duodecim Psalmorum (22); in Psalmo 46. 8. designare videtur peritum Cantorem: *Psallite sapienter* (Psallite *Maschechil*, ut periti scilicet doctique Cantores).

XIV. *Al-taschchet*, *Ne disperdas;* legitur in inscriptionibus quatuor Psalmorum (23); eoque facile precavemur sedulo carmen illud servare, neque immutari quidquam permittere. Instrumentum aliquod musicum designare Interpretes quidem nonnulli opinantur, sed temere, quantum capio.

Nullum huc usque satis certum musici instrumenti nomen deprehendimus. Ita ex 34. quot a pluribus recensentur, 14. subductis, remanent viginti nobis jam discutienda. Ex quo numero quædam forte occurrent nomina synonima, & ad eamdem cathegoriam reducenda, ut variorum instrumentorum numerus adhuc extenuetur. Omnia vero nos in tres classes distribuimus. Primam tenent fidicularia instrumenta 2. Pneumatica. 3. Tympana, & Crepitacula.

Fidicularia instrumenta 8. recensentur: 1. *Nablum;* 2. *Kinnor;* 3. *Hasur*, sive instrumentum decacordum, 4. *Cythara;* 5. *Psalterium;* 6. *Symphonia;* 7. *Sambuca;* 8. *Minnim* sive *Mnaim*. Sed decacordum instrumentum & *cytharum* confundenda censemus, quemadmodum & *Nebel* cum *Psalterio* sive *Psanteron*, ut proinde ex 8. sex reddantur.

Tibiarum tubarumque septem sunt genera. 1. *Chazozeroth;* 2. *Schophar* Buccina; 3. *Keren* Cornu 4. *Huggab* Organum; 5. *Masroitha* Tibia; 6. *Machalat* Chorus, Tibiam utricularem interpretantur;

tur; 7. *Chalil* Tibia. Addunt nonnulli *Jobel* ſive *Jubal*, quod de buccina quadam uſurpant; ſed hanc opinionem alibi refutavimus [24]. Non abs re ſuſpicamur, *Chalil* & *Maſrokitha* unum idemque ſignificare; atque poſtremum illud confundendum cum *Syringe* Græcorum, quæ Tibiam ſonat. Itaque ſola ſuperſunt hujus generis ſex varia inſtrumenta.

Sunt tandem quatuor alia omnino a prioribus illis diverſa; 1. *Tuph* Tympanum. 2. *Zazelim* Siſtrum; 3. *Schaliſchim*, quod facile Trigonum deſignat; 4. *Mezilotaim*, forte crepitaculum.

In Scriptis Moſaicis ſeptem tantummodo inſtrumenta leguntur: *Kinnor*, *Huggab*, *Tuph*, *Machalat*, *Chazazeroth*, *Schophar*, & *Jobel*. In Libris Regum, Prophetarum, & Paralipomenon, præter hæc, parent *Nebelim*, *Mezilothaim*, *Menanaim*, & *Zalzelim*. Daniel tibias addit ſive *Maſrakita*, *Citharam*, *Sambucam*, *Pſalterion*, & *Symphoniam*, nomina fruſtra alibi quærenda. Tandem omnia ferme recurrunt in Pſalmis, exceptis iis, quæ apud unum Danielem parent, & quorum nomina e Græco derivantur. Modo de ſingulis aliqua.

Fidicularia Inſtrumenta.

NAblum ſive *Nabel* inſtrumentum eſt ligneum [25], quod plerumque in Scriptura jungitur *Kinor*, tympano, [26] & *Mezilothiam*. [27] Ejus uſus in pompis & cæremoniis Religionis. Ex tribus Pſalmorum locis [28] harmoniam feciſſe plerumque apparet cum *Aſur* ſive inſtrumento decacordo, & unum idemque reputari potuiſſent *Nebel* & *Aſur*, niſi in Pſal. 91. diſerte diſtinguerentur: *In Pſalterio decacordo* (*In Aſur & Nebel*). Hæc in Scriptura de *Nebel*, quam vocem Septuaginta ſæpius reddunt *Pſalterion*, raro *Naulum* ſive *Nablum*.

Porro *Nablum* Veterum inſtrumentum erat fidiculare, teſte Sopatro apud Athenæum [29], dictum etiam *Sidonium*, quod Phœnicium inventum crederetur. Conſtituiſſe tradit Author ille ex cavo quodam ligno, ad latera & e regione tenſarum cordarum de fixo, quo harmonicus quidam ſonus reddebatur. *Nablum* fidiculare eſſe inſtrumentum, ſicut cytharam, Euſebius in Pſ. 80. eſt author. Utraque manu pulſari tradit Ovidius de Arte lib. 3.

Diſce etiam duplici genialia Nablia palma
Plectere: conveniunt dulcibus illa modis.

Tandem Septuaginta reddere amant hanc vocem *Pſalterion*, quo nomine fidiculare inſtrumentum in lyræ modum intelligimus. Pſalterium, ait S. Hieronymus; [30], Caſſiodorus [31], & S. Iſidorus, delta Græcorum exprimens, cavum habet in ſuperioribus ventrem; fides ex inferioribus ad ſuperiora protenſæ, inferius pulſatæ ſuperius reſonant: cum cytharam in ſuperioribus pulſari, in inferioribus reſonare notum ſit. Ita Sanctus Auguſtinus [32], Sanctus Baſilius in Pſalm. 1. S Hieronymus in Pſ. 149. & 150. S. Hieronymus Prol. in Pſalm. Caſſiodorus Præf. in Pſal. & S. Hilarius Prol. in Pſs. Plectro pulſari Pſalterium tradit Caſſiodorus, quod teſtimonio ſupra ex Ovidio laudato de Nablo utraque manu pulſato nihil repugnat; cum ejus generis inſtrumenta ſive penna ſive virgula ſive digitis æque plecterentur.

Nablum Templi Jeroſolymitani ex *electro*, metallo, ſi quod aliud, pretioſiſſimo conflatum narrat Joſephus [33]. Potuit id quidem ejus ætate; ceterum a Salomone in uſum Templi fabricatum Nablum ex ligno *Almugim*, teſtimonio Regum [34], & Paralipomenon [35], docemur. Idem Joſephus Antiquit. l. 7. cap. 10. pag. 243. duodecim fidibus inſtructum idem inſtrumentum digitis pulſari teſtatur. Pſalterium plurimis fidibus inſtructum Græci modulabantur; cujus generis inſtrumentum fidibus numeroſiſſimum, ut nobiliſſimum inventionis ſuæ monumentum ſtaret, Alexander Cytheræus in Templo Epheſino dedicavit, teſte Juba apud Athenæum lib. 4. cap. 25. Meminit idem Athenæus ibid. alterius Pſalterii, cui nomen *Lyrophœnix*, ſive Epigonicum e nomine Inventoris, quod deinde inſtrumentum tranſmutatum fuit in *Pſalterium rectum*, apud Varronem *Orthopſallicum*, quod facile ex inferioribus ad ſuperiora aſcendendo, ut vetus Nebel, pulſaretur.

Noſtræ ætatis Pſalterium plectro pulſatur, nempe virgula quaddam ferrea, ſeu recurvo quodam ligno. Inſtrumentum eſt planum, figuram exhibens trianguli ſive trapezii. Inſtruitur 13. ordinibus fidium e ferro ſive auricalcho, ad uniſonum ſive ad octavam tenſis, & fulcro ad duo inſtrumenti latera commiſſis, ut proinde fides ad utrumque latus protendantur. Quare aliud plane eſt inſtrumentum a veteri Pſalterio, cujus fides e ſuperioribus ad inferiora tendebantur.

Cythara vetus, cujus ſæpe in Scriptura mentio, apud Danielem *Kitros* [36] ita pluribus referentibus Patribus depingitur. Inſtrumentum erat triangulare, fidibus

dibus ex superioribus ad inferiora tensis, ventre cavo inferius rebobantique instructum; in superioribus manu sive plectro, uti supra innuimus, tangebatur. Instrumentum decacordum Hebræorum, quod illi vernaculo sermone *Asur*, i. e. *decimus*, appellabant, idem fuisse credimus cum veteri cythara. Ejus imago plures fides exhibet, harpæ nostrati, recentiori plane instrumento, non absimiles. Pseudo-Hieronymus in Psalm. sex fidibus instructam cytharam perhibet; 24. tribuit Author Epistolæ ad Dardanum, inter Opera ejusdem Patris, & digitis pulsari instrumentum illud testatur. Profecto fidium numerus numquam satis certus constitutus est, & digitis interdum, quemadmodum & plectro quodam, sæpe pulsabatur.

Kinnor redditur a Septuaginta *Knir*, *Psalterion*, & *Cythara*. Ejus usus jam inde ante diluvium (37); eodemque coram Saule Davidem lusisse legimus 1. Reg. 16. 16. 23. Ligneum erat instrumentum, quemadmodum & *Nebel* (38), de quo supra. *Kinnor* salicibus in ripa Jordanis suspendisse sese captivi Babyloniæ profitentur Psalm. 136. 2. Eo fœminæ utebantur (39), & vulgatissimum erat apud Tyrios instrumentum (40); quemadmodum & peculiare octavæ classis Musicorum in Tabernaculo sub Davide (41). Tristem & reboantem sonum edidisse Isaias significare visus est illis verbis 16. 11. *Venter meus quasi Cythara* (Hebr. Kinnor) *sonabit*. Et *kinnyros* in Græco triste aliquid & lamentabile sonare Hesychius testatur. Horatius lib. 3. Od. 11.

> *Non loquax olim, neque grata: nunc & Divitum mensis, & amica Templis.*

Cynnaram Templi decacordum fuisse, & plectro pulsari Josephus Antiquit. lib. 7. cap. 10. pag. 243. est author. Alibi vero nempe lib. 8. cap. 2. narrat, ex *Electro* quamplurima ejus generis instrumenta Salomonem comparasse; quod Scripturæ testimonio repugnat, ubi legimus *Cynnaras* Salomonis ex ligno non metallo constitisse. Porro duo esse plane diversa instrumenta *Cynnaram*, & *Cytharam* ex eo intelligimus, quod 2. Macchab. 4. 54. & 13. 51. ambo illa eodem in loco recenseantur.

Sed operæ pretium est hic adnotare cum Euphotione apud Athenæum lib. 14. cap. 4. vetera fidibus ditissima instrumenta confundi sæpe, soloque nomine non raro distingui. Cum enim longa jam obtinuerint ætate, accidit non raro, ut varie immutata varias etiam denominationes obtinuerint; quamvis re quidem eadem semper, & parum diversa manserint. Ita si quando apud aliquos tribus fidibus instructa legimus, apud alios septem, 10. 12. 24. si ab aliquibus pulsari digitis perhibeantur, ab aliis plectro; si quidam describunt chordis e superiori ad inferiora protensis, alii vero per transversum & in plano; non continuo tamen plura inter se diversa instrumenta reputanda sunt, quamquam aliqui, cum adeo inter se varient, diversum etiam nomen obtinere debuerint. Accidit non raro, ut sæpe vel uno generali nomine plura inter se non dissimilia significentur sicut & peculiari singula designentur. Conferat, si quis vult, vetera monumenta, & varias discet Lyræ vel Cytharæ Veterum picturas, varia etiam nomina deprehendet. Scimus profecto, Septuaginta Hebræorum *Kinnor* reddidisse *Cynyram*, *Cytharam*, *Psalterion*, idemque instrumentum apud Græcos æque appellatum constat *Kinnyram*, *Lyram*, *Formingem*, *Cytharam*, *Chelym*, *Pectinem*, *Barbiton*; quibus nominibus Romani addiderunt *Testudinem*. Idem ipsum instrumentum Gallice exprimere solemus: *Lyra vetus*.

Inventæ Lyræ honor tribuitur Mercurio, sive Apollini, sive Orpheo. Vel forte dicatam a Mercurio Lyram suam Apollini (42), ejus Numini consecrari eique deinde vindicari contigit. Primo tribus fidibus instructa, deinde septem (43): interdum plectro, sæpe digito pulsabatur (44).

> *Sive chelyn digitis, & eburno verbere pulsas.*

Vetus Lyra Mercurii inventum (45), squamma testudinis constabat. Mercurius enim super inventam forte testam hujusmodi subtilem aliquam pellem extendit; adjecit deinde duo perracta ad utramque extremitatem brachia, superius transverso aliquo ligno instar furcæ conjuncta. Supra pellem jacebat arundo in duas partes scissa, cui septem fides e superioribus ad inferiora protensæ commendabantur. Hæc vetus *Chelys* sive *Lyra* Mercurii, inter astra deinde in Cœlo collocata, a testudinis figura non absimilis. Ex informi hoc rudique instrumento Lyram descendisse ferunt, quam expressam cernimus in manibus Apollinis, Herculis, Arionis &c. in marmoribus & nummis antiquis. Duplici frustulo instar duplicis. SS. in superioribus & inferioribus junctis constat. Porro superiora non nisi lignum exhibent; inferioribus cavum refert ventrem reboantem. Quare ejus forma scarabæo

non

non absimilis statueretur, cujus cornua referunt utraque instrumenti latera, manubrium, cui junctæ fides, sustinentia; corpus scarabæi ipse est cavus instrumenti venter. Nullus est ejus nostra ætate usus.

Pulsabatur sive plectro sive digitis fides vellicantibus. Apollini cythara ludenti plectrum tribuit Homerus [46]. Hercules eo instrumento canendi artem sub Lino præceptore discens, plectri ictu magistrum suum transfodisse fertur [47]. In vetustis marmoribus idem Apollo Lyram vellicans, quemadmodum nos harpam, exhibetur interdum, sæpe vero plectrum tenens. Lyra primum tribus fidibus constabat [48], deinde quatuor, tandem septem. Timotheus Lacedæmonem veniens, 600. circiter annis ante Christum natum, tres adjecit, quod piaculare viro fuit; decreta est enim in illum multa ab Ephoris seu Magistratibus Spartanis, coactusque tres illas subducere in plena populi concione; neque id satis, sed suspensa in loco publico lyra Timotheum Sparta exulare publico decreto sancitum est. Hæc decreti verba animadversione digna [49]. *Cum Timothæus Melesius in Urbem nostram veniens, contra veterem canendi musicis instrumentis consuetudinem, receptum Lyræ septicordis morem, majori fidium invecto numero novitate hac sua juvenum aures corruperit, formam & naturam musicæ immutaverit, ex simplici & gravi variam nimis & intercisam reddens; cum insuper accusetur de sparsa perniciosa quadam doctrina in Ludis Cereris Eleusinæ, ac de exhibito indecore coram adolescentulis Semelis, dum eniteretur, aggore; visum est Regi Ephorisque, ut Timotheus abscindere ceteras, septem tantummodo relictis in Lyra fidibus damnetur, ut animadversionis hujus exemplo discant Juvenes, ne pravum aliquem morem Lacedæmonem invehant, ac suus maneat Ludis honor.*

Paria statuerunt in Terpandrum, & Phrynidem instrumentis Cantores; quare Lacedæmones semel, iterum & tertio servatam a se musicam gloriabantur. Ea populi severitas, & veteris consuetudinis servandæ studium. Pindaro nonnisi septicorde instrumentum est, sicut & Horatio lib. 3. Od. 11.

Tuque testudo resonare septem
Callida nervis.

Octavam addidisse Simonides fertur, sicut & Timotheus tenuem [50]. Ceterum non ignoratione quidem & ruditate Veteres illi plures addere fides instrumentis renuebant; delicato enim aurium sensu mentisque gustu præstantes viri, norant id maxime ad harmoniam contulisse, ait Plutarchus de musica; sed musicæ genus robustum & grave amabant, aptum in veritatem, & Religionem amorem & obsequium inspirando.

Hæc maxime de musica Græcorum dicta accipienda sunt; quod enim ad Hebræos attinet, musica illorum instrumenta sub Davide & Salomone ceterisque post ipsum Regibus perfectionem suam in dies obtinuisse, neque utilia in eam rem inventa apud alias gentes obtinentia neglecta ab illis fuisse constat.

In veteribus nummis ad ætatem Simonis Summi Sacerdotis spectantibus, causa spectabatur Lyra vetus, ejusdem formæ ac instrumentum in Apollinis manu expressum. Sed certum fidium numerum in iis distinguere vix possumus. Ex Lyra veteri sive *Kinnor*, accepto referenda sunt fidicularia fere omnia instrumenta nobis non incognita, sive quæ digitis sive quæ plectro pulsantur, sive quæ fidibus in transversum tensis, sive quæ ex superioribus ad inferiora extensis constant, uti *Luth.* [51], instrumenti genus, cavum habent ventrem, cui singulare manubrium jungitur, unde ex recurva extremitate fides demittuntur, claviculis in eo infixis intendendæ ad arbitrium & remittendæ. Fortunatianus Lyram tribuit Romanis, Barbaris harpam, postremum hoc instrumentum barbarum esse inventum insinuans.

Romanusque lyra plaudat tibi, Barbarus harpa.

Instrumenta illa, quæ vocant *violon*, *viole*, *la basse viole* [52], ex eadem origine derivantur. Variæ etiam Lyræ apud Turcas nostra ætate noscuntur [53], octo fidibus ut maxime instructæ; aliæ septem; omnium minimæ tribus. Porro trium fidium instrumenta simplicissima sunt, cum unico manubrio duobus cubitis oblongo constent; eorum figuram non male compares cochleari, manubrio longiori, quadrato, ampliori. Porro eo instrumento canentes sive digito, sive pluma fides vellicant. Cavus instrumenti resonans venter pelle piscis, quem *Glanion* recentiores Græci appellant obducitur. Cythara Gallice *Guitarre* [54] sicut & *Luth.* [55] ex Hispania a Mauris, sive Arabibus originem referunt. Illa quatuor olim fidibus constabat, hodie ad decem creverunt; nominis etymon facile e cythara derivatur.

Symphonia musici instrumenti nomen est, quod nuspiam in Textu Hebræo, sed

ſed tantum in Chaldæo Danielis cap. 3. 15. legitur. Deſignare Lyram illam, quam *Viole* [56], ferunt, quod ſane inſtrumentum minimi noſtra ætate æſtimatur. S. Iſidorus Orig. lib. 3. cap. 31. interpretatur vocem illam tympanum quoddam, quod utroque latere pulſatum, ſonum edebat gravem, & acutum, gratam auribus harmoniam referens. Verum cum nomen *ſymphonia* apud Danielem e Greco derivetur, non aliunde ejus ſignificationem repe tendam credimus. Eſt autem *Symphonia* apud Græcos plurium vocum, ſive inſtrumentorum concentus [57], vel ſaltem unum inſtrumentum plures reddens tonos, cujus generis ſunt omnia pluribus fidium ordinibus inſtructa, uti *la Viole* [58], de qua ſupra.

Sambuca legitur apud Danielem, & ad inſtrumenta fidicularia referenda, quamquam alioqui S. Iſidorus Orig. l. 3. nomen illud deducat ex *Sambuco*, quo ligni genere inſtrumentum fabricari arbitratur. Athenæus [59], Vitruvius lib. 6. cap. 1., & Feſtus fidiculare inſtrumentum deſcribunt, acutum ſonans, & quatuor fidibus armatum. A fœminis potiſſimum pulſabatur. Inventum illud S. Clemens Alexandrinus Troglodytis vindicat [60]; Juba Phœnicibus [61]; Ne anthus Cyzicenus Ibico cuidam Rhegienſi; alii Sambuco (62). Quantum ex Athenæo colligimus, idem eſſe creditur inſtrumentum cum *Magadi*, *Pecti*, & *Trigono*, quæ fidicularia ſunt inſtrumenta, figuræ non ſatis cognitæ, ſed facile non abludentis a Pſalterio noſtræ ætatis, quamquam minori fidium numero. Eſt etiam *Sambuca* genus bellicæ machinæ, in obſidionibus Urbium, & navalibus præliis adhibendæ: ſed hæc noſtri non ſunt inſtituti.

Minnim, ſive *Mnanaim* genus tibiæ ſunt, aliquid; re tamen potius inſtrumenta ſunt fidicularia, de quibus infra, cum de tibiis agemus, ſermo recurret.

PNEUMATICA INSTRUMENTA

Tubæ.

MOdo ad varia tubarum, & tibiarum genera ſermo vertendus. Id generis organa uno generali nomine Hebræi deſignant, appellantes *Scophar*. Eorum duo erant apud illos genera; hæc nuncupabantur *Chazozeroth*; illa *Cornua*; quod ſcilicet materiam, & formam ex cornibus referrent. Moyſes ſermonem habens de ſono illo, inſtar tonitru, quo adventus Domini in Sinai ad ferendam Legem deſcendentis ſignum datum eſt [63], ſcribit, auditum clangorem *Schophar*, ſive buccinæ ſenſim in majus creſcentem. Eodem nomine deſignat inſtrumentum, quo ſignum edebatur ineuntis anni remiſſionis ſeu Jubilæi, i. e. anni quinquageſimi. Porro *Schophar* in publicis cæremoniis ludere Sacerdotibus tantum reſervabatur. In caſtris ad Jericho ſeptem *Schophar* clangebant, iiſdemque inſonantibus mœnia Urbis corruerunt [64].

Vulgare fuiſſe in ea regione inſtrumenti genus ideo credimus, quod Gedeon 300. Viris ſelectiſſimis ad inferendum Madianitis prælium aſſumtis ſuum ſingulis aſſignavit [65]. *Schophar* ad cogendos milites, incitandos in hoſtes, & receptum indicandum, canere ad Imperatorem ſpectabat. Ita ceciniſſe leguntur Aod [66], Saul [67] Joab [68]. Cum Salomon [69] & Jehu [70] Regnum inirent, Regis ſolio clangentibus *Schophar* primo aſſederunt. Nihil tandem eo frequentius in Scriptura ſive cum de præliis agitur, cœtibuſque publicis, ſive cum de Feſtis, ſive in Templo, ſive in fœdere. De ejus tamen forma & materia nihil.

Tubas illas, quas Moyſes in deſerto conflandas curavit, *Chazozeroth* appellat Scriptura Num. 10. 2. 8. 9. 10. Duo erant e ſolido argento, totidem ex ære. Earum uſus in cogendo ad concionem juſſu Domini popolo, in bellis, diebus quibus ſolemnis aliqua cæremonia præſtanda, uti diebus Neomeniæ, & cum publicum aliquod & ſolemne Sacrificium offerendum erat. Porro frequentiſſime eo organo uſos Hebræos, maxime in Templo, ex Scriptura conſtat. Sive rectæ erant tubæ illæ, ſive recurvæ; nihil tamen de illis in Scriptura: & quæ apud alias gentes obtinebant tubæ, ab Autoribus deſcriptæ, neque ſatis hiſce, de quibus agimus, affines ſunt, neque ſatis inter ſe uniformes habentur. Crediderim ergo, *Chazozeroth* oblongas fuiſſe rectaſque, quo a cornibus recurvis plane diſtinguerentur.

Sermo eſt apud Rabbinos de *Jobel*, nempe juxta quod illi interpretantur, *cornus arietis*. Sed hanc eorum interpretationem refutavimus in Levit. 25. 10. Annus *Jobel* ſignificat annum remiſſionis, quod ſcilicet avitæ poſſeſſiones Dominis ſuis remitterentur, ſervi item manumitterentur.

Varia Tibiarum Genera.

VAriæ apud Hebræos obtinuerunt tibiæ, quarum aliæ ſimplices, aliæ compoſitæ: illas appellant Chalil (71), veluti ſi dicerent perforatas vel ſaltatrices; radix enim *Chalil* æque ſonat perfora-

forare, & saltare. Legitur etiam in Hebræo (72), *Machalath*, quod reddi solet *chorus*, & designasse creditur interdum tibiam utricularem, Gallice *corne-muse*. Nullus tamen in Scriptura textus, in quo ea vox recurrat, non commode de choro puellarum Cantantium sive saltantium usurparetur. Notissimæ siquidem erant apud Hebræos & in cæremoniis etiam Religionis (73), ac facile etiam in Templo saltationes istæ muliercularum. Levitas & Israelitas simul omnes invitat Psalmista ad cantandas laudes Domini in Templo in *tympano*, & *choro*. Vide Psal. 149. 3. & 150. 4.

Masrokithe apud Danielem 3. 5. aliud est tibiæ nomen, derivatum ex radice sonante, sibilare. Idem facile est cum instrumento musico Græcorum *Syrigmon* (74) ex *syrixein* sibilare, sive tibia ludere. Salmasius in Solinum observat, antiquas illas tibias nonnisi uno vel duplici foramine instructas fuisse; unde duplici instrumento plerumque ludebant Veteres, alterum nempe dextro, aliud sinistro oris lateri admoventes. Tibia dextera uno foramine instructa grave sonabat, sinistra duplici, magis acutum. Porro disparibus hisce instrumentis canentes, *ludere tibiis imparibus* dicebantur; sicut vicissim *paribus*, qui ambas tibias vel unico foramine, vel duplici instructas ori admoverent. Porro cum utrique unicum esset foramen, sonus ille *modus Doricus*, gravior plane & severus, dicebatur; cum duplex, *modus Phrygius*. Contraria quam Salmasio sententia Vossio sedet; arbitratur enim, tibias illas, quæ junctim ori admovebantur tribus vel quatuor foraminibus instructas fuisse; sed cum longitudine quidem æquales, altera tamen altera crassior esset, quæque minor graviorem ederet sonum, quæ major tenuiorem, inde diversorum nominum inducta varietas. Paradoxa quidem ista videntur; sed non inepte demonstranda suscipit idem Vossius in suo Libro de *Poematum cantu & viribus rythmi* pag. 108. &c. Porro tibias dextrum oris latus tenentes tenuiores fuisse, idem Autor ex Plinio lib. 16. cap. 36. & Theophrasto de Plantis lib. 4. demonstrat; ex quo sibi inferendum arbitratur, Tibias dextras graviorem edidisse sonum, quam sinistras.

Huggab reddi solet in Vulgata, *Organum*. Septuaginta variant; modo enim vertunt *Cythara* (75), vel *Psalmus*; modo *Organum*; quam posteriorem lectionem interpretes fere omnes sequuntur. Sed non ita reputandum, quasi nostræ ætatis organa designata sint. Instrumentum enim erat pluribus fistulis simul glutine quodam hærentibus constans, quæ singulæ ordine ludentium ori applicatæ sonum edebant, quemadmodum vagi quidam per compita Urbium discurrentes nostra ætate ludere instrumento solent. Porro *Huggab* jam inde ante diluvium obtinuisse Moyses Gen. 4. 21. testatur. Ejusdem instrumenti bis meminit Job (76), & semel in ultimo Psalmo recurrit. Nihil ultra in Scriptura. Vox illa ex radice derivatur sonante, *Deperire* unde etiam Græcum *agapan*, amare.

Variant Prophani in assignando Organorum Autore; alii enim Deum Pana arbitrantur (77).

> *Pan primus calamos cera conjungere plures*
> *Instituit* . . . . . .

Alii (78) Marsiam; Pindarus Minervam prætulisse visus est (79). Sed hæc opinionum varietas ad ignorantiam veræ historiæ, & vetustatis hujus instrumenti referenda est, quod Græci ex Orientalibus retulerunt.

Fistulæ Organi cera conjungebantur, longitudine quidem impares, pares vero crassitudine. Labro per singulas discurrente sonum edebant (80).

> *Unco sæpe labro calamos percurrit hiantes.*

Solent Organa illa in manibus Satyrorum expressa in vetustis marmoribus spectari. Pastores collo appensa plerumque ferebant. Virgilius de Polyphemo Æneid. 3.

> *Solamenque mali de collo fistula pendet.*

Plerumque septem calamis constabat (81).

> *Est mihi disparibus septem compacta cicutis*
> *Fistula* . . . .

In vetustis tamen marmoribus ad decem etiam junctæ spectantur; & Pastor quidam apud Theocritum habere se dicit syringem novem foraminum (82). Ferunt (83), apud Turcas modo etiam obtinere Organa 14. & 15. fistulis compacta, quæ illi vernaculo sermone *Muscal*, Græci vero *Museagli* appellant. In fistulis olim nulla patebant foramina, ut tota soni varietas ex fistulis disparibus proveniret; adjecta dein varia. Acutum stridere organorum calamos ex Horatio l. 1. Od. 12. intelligimus.

Quem virum aut heroa, lyra vel acri
Tibia sumes celebrare Clio?

Primo ex arundine constabant, in quam rem maxime celebrantur arundines Lacus Orchomenii in Græcia (84); dein substituta metalla, quod scilicet arundines tonorum minus tenaces, sollicitum semper Musicum exigerent. Tandem cum tibia pluribus foraminibus instructa idem & minori negotio ac organa præstare intelligeretur, fistularum varietas tibiæ cessit. E tibiis vero hisce originem suam debent organa, quæ maximum sunt & præ omnibus harmonicum e musicis instrumentis, cujus fere omnis usus Ecclesiæ reservatus est.

Porro Organorum vetustior est quam ut vulgo credatur, origo. Ejus inventi honor tribui solet Ctesibio inclyto Alexandriæ Mathematico sub Ptolemæo Physcone 120. annis circiter ante Christum natum. Tertullianus ad Archimedem, virum illum omnium sermone celebrem, refert (85). Totam machinam exacte describunt Hero, & Vitruvius (86); quamquam apud illos, sicut & ceteros, sermo sit tantum de organis Hydraulicis aliis plane a nostris, quæ non aqua sed vento inflantur. Lucretius ita de organo agit (87), quasi ætate sua primum obtinere cœpisset. In dies, inquit ille, artes perficiuntur.

Modo organici melicos peperere sonoro

Sed falli virum ex supra deductis sat constat.

Diei partem reliquam Nero per Organa hydraulica novi ignotique operis circumduxit, ait Svetonius in Nerone. Ejusdem instrumenti non meminit tantum, sed etiam prolixam ejus descriptionem adornat Porphyrius in Panegyri Constantini; sed nonnisi de organis hydraulicis sermonem esse apud illum constat.

Sub quibus unda latens properantibus incita ventis.
Quos vicibus crebris juvenum labor haud sibi discors
Hinc, atque hinc animæque agitant.

Julianus Imperator epigramma in laudem organi scripsit. Eamdem machinam describit Claudianus veluti artificio & sono ingenti.

Vel qui magna levi detrudens murmura tactu
Innumeras voces segetis modulatur ahenæ;
Intonat erranti digito, penitusque trabali
Vecte laborantes, in carmina concitat undas.

Sponius vidisse se Constantinopoli (88) anaglypticum quoddam opus asserit, exhibens hydraulicum quoddam velut organum supra columnam, cui figura quædam Imperatoris Theodosii imposita spectabatur.

Organa hæc hydraulica, quorum fistulæ vento a lapsu & pondere aquæ producto inflabantur, tamdiu obtinuerunt, quamdiu Romanorum Imperium in Italia mansit. Pereuntibus enim tunc optimis quibusque artibus, Barbaris universum late Imperium totamque Europam vastantibus simul & inundantibus, nihil de pristina gloria relictum est (89). Illis restituendis laboratum est aliquando, sed frustra; quare organa follibus inflanda, qualia hodie in nostris Ecclesiis, retinere necessitas jussit. Nulla, præter hæc, norat Sanctus Augustinus in Psalm. 56. & 150. *Non solum illud organum dicitur, quod grande est & inflatur follibus &c.* Cassiodorus in Psalm. 150. organum instar turris magnam fistularum varietatem, & copiam referentem describit; *quibus*, ait, *flatu follium vox copiosissima destinatur &c.* Sanctus Hieronymus [90] meminit cujusdam organi duodecim follium, ligulam habentium e duplicato Elephantum corio. Huic machinæ 15. erant fistulæ æreæ ingentemque late sonum ad mille passus edebat. Fama est, delata primum organa in Gallias anno 757. [91], & oblata eodem anno Pipino tunc temporis Compendii versanti. A. 826. jussu Ludovici Pii Imperatoris fabricatum est organum hydraulicum Aquisgrani. Sed hæc alia plane sunt instrumenta ab *Huggab* Scripturæ.

Porro vox ista a Chaldæo redditur *abuba*, quod confunditur cum *ambubaja* apud Horatium (92), & Svetonium (93). Erant autem *ambubajæ* tibiarum quoddam sive Organorum genus e Syria deductum; unde etiam nomen in Viros ejus ludendi instrumenti peritos derivabatur (94).

Minnim & *Mnanaim* duo sunt varia instrumenta incertæ significationis, ab aliis inter fidicularia, ab aliis inter pneumatica relata. Primum occurrit in Psal. 150. 4. alterum 2. Reg. 6. 5. Septuaginta, & Vulgata cum Interpretum plerisque reddunt *Minnim* fides, idemque significare sentiunt Chaldæum *hardeblin*. Ver-

Versio Tigurina & Junius reddunt, *organa*. Malunt alii designari ea voce quodcumque fidiculare, alii vero statuunt quodcumque tandem pneumaticum instrumentum. *Mnanaim* redditur a S. Hieronymo *sistra*, a Septuaginta *cymbala*.

Crediderim ego, ambo hæc nomina idem significare, confundenda vero cum *Magadi* Græcorum, vel si mavis Syrorum, ex quibus in Græcia innotuerunt. (95) Congruunt enim inter se ista duo nomina; & si *hain* veluti *g* pronuncietur, quod sæpe Hebræi consueverunt, dicunt enim *Gaza* & *Segor*, pro *Haza* & *Sebor*, pro *Mnanaim* erit *Minganim*. Ex *Minganim* facile reddetur *Magadis* vel *mingadis*. Est autem *Magadis* instrumentum tota antiquitate celebratissimum, cujus duo fuisse genera videntur, alterum nempe tibiam referens, alterum instrumentum aliquod fidiculare.

Primum, juxta Athenæum, acutum & gravem sonum reddebat (*96*), alteri Anacreon 20. fides tribuisse visus est (*97*). Ex Magadi expressam refert Euphorianus sero tandem sambucam, quæ tamen jam inde ab ætate Nabuchodonosoris in Chaldæa obtinebat. Magadim, & pectinem idem esse contendit Menæchmus; & utrumque instrumentum plectro pulsari tradit Aristoxenes. In eo tantum ambo illa variare observat Philis Delius, quod pectine jambica tantum carmina cantarentur; Magadis vero omnibus tonis, & symphoniis quadraret. Instrumentum illud, cui fides Timotheus adjecit, Magadim fuisse Artemon arbitratur. Quinque fidibus instructum perhibet Telestes, tangique digitis ab una ad alteram extremitatem decurrentibus, testatur. Utroque latere pulsari, adeoque & fides habere e superioribus ad inferiora protensas, Diogenes Tragicus insinuat, quod etiam ex Appollodoro confirmatur, asserente instrumentum illud a veteri Psalterio non ablusisse. Hæc omnia apud Athenæum lib. 14. cap. 9. pag. 63. leges. Unde sententia illorum facile conciliatur, qui vocem *Minnim* reddunt fides; & eorum pariter, qui *Mnanaim* cum Magadi confundunt; utrumque enim fidiculare est instrumentum. Quamquam tanta ista non sunt, ut certum aliquod judicium ferendum suadeant de forma hujus Musici instrumenti.

Tympanorum, *Cymbalorum*, *& Sistrorum &c. varia genera.*

Tympana æque omnia uno generali nomine apud Hebræos *Tuph* appellantur; unde Græcum, & Latinum *Tympanum*. Vetustissimum esse instrumentum verba Labani ad Jacob Gen. 31. 27. demonstrant: *Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio & canticis, & tympanis, & cithara &c.?* Filia Jephte reduci e victoria patri occurrit cum tympanis aliisque musicis instrumentis (*98*). Maria soror Moysis transfretationem Erythræi cantilenis, tympani pulsatione, & choreis una cum aliis gentilibus puellis celebravit (*99*). Ejusdem instrumenti meminit etiam Job (100); nec deest in omnibus solemnibus Religionis ceremoniis; non raro a puellis, & fœminis pulsatur; nulla ejus in præliis mentio. Unde facilis conjectura, aliud fuisse a tympano nostræ ætatis, ut potius lætis quibusque festis, choreis, & religionis ceremoniis congrueret. Hæc omnia satis quadrant tympano veteri, æque & cymbalis nostræ ætatis, quæ nimirum in cribri modum subjectam habent fasciæ cuidam ligneæ pellem. Ita pariter describunt tympanum S. Isidorus (101), & Papias, ejusdemque generis tympanum Cybele mater Deorum tenens inducitur.

> *Tympana habet Cybele; sunt & mihi tympana cribri.*

Sed vetus *tympanum*, cujus in bellis publicisque solemniis, maxime Bacchi usus erat, ad nostra tympana magis referebatur, nisi quod formæ esset minoris. Non abs re suspicor, *tuph* sive *tympanum* vetus Hebræorum ad parva illa tympana accessisse, modo etiam apud Turcas & Arabes in bellis, & publicis solemniis obtinentia. Fœminæ apud Phrygas Festum Matrum Deorum agebant, tympana & manu & virgulis æreis pulsantes; ita enim moris erat ludere instrumento. Catullus de Nuptiis Pelei & Tethidis.

> *Plangebant alii proceris tympana palmis.*
> *Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.*

Eadem insinuat Lucretius, simul designans undique, & per circuitum tympana pulsari.

> *Tympana tenta sonant palmis, & cymbala circum*
> *Concava &c.*

S. Clemens Alexandrinus (102) author est, Ægyptios tympano usos fuisse in bello; Arabes vero cymbalo, cujus figura ad nostra accedebat, quamquam minus

minus esset mole, uti supra insinuavimus. Uniones illæ, *quibus una tantum est facies, & ab ea rotunditas, aversis planities, ob id tympana appellantur*, ait Plinius lib. 9. cap. 35.

Tympana, quorum nunc in bellis usus, recentissima quidem in Europa, vetustissima in Oriente ferebantur. Salmoneus, de quo in fabulis (103), tonitru Jovis exprimere artificio aliquo molitus, post currum suum tympana trahebat, quorum supra cavum ventrem extenta pellis porrigebatur. Plutarchus tympana Persarum in Vita Crassi depingit, quos populos neque cornibus, neque tubis classicum cecinisse testis est Arrianus (104), tradens ejus loco usos lancibus quibusdam amplioribus cavisque, extenta supra pelle æneisque clavibus defixa contectis. Percussæ undique lances illæ surdum quemdam horribilemque sonum instar tonitru reddebant. Ampliora illa tympana in Hispanias Arabes attulerunt. Cum Ladislaus Rex Poloniæ Legationem quamdam in Galliam misisset A. 1457. ejus Legatos substitisse Nancii refert Author Chronici Lorenensis, ibique admiratos ampliora illa tympana quæ imposita equis veherentur. *On n' avoit ni mi onques vu des tambourains comme des gros chauderons, qui ils faisoient porter sur des cheveaux* (105).

Zalzelim a Septuaginta, & Vulgata redduntur *cymbala*; & quæcumque tandam illa essent instrumenta, validum plane sonum longius auditum edidisse, satis in Scriptura insinuatur (106). Erant in Ægypto quædam alis quibusdam instructa (107). Nomen illud ex radice derivatur sonante acutum aliquem sonum, quo aures tinnitu pulsentur (108). Hæc de *Zalzelim* Scriptura. Recentiores Interpretes plerique reddunt *Sistrum*, quam controversiam nos in medio relinquentes, an scilicet vox illa *cymbala* potius vel *sistrum* significet, utrumque instrumentum describemus.

Cymbalum vetus æneum est instrumentum instar pileoli acutissime stridens. Porro duo cymbala, alterum dextera, alterum sinistra manu apprehensa contra se agebantur: *Cymbala dant flictu sonitum*, ait Ausonius Epist. 25. Quo vero commode apprehenderentur, faciebat sive annulus pollici, vel ansula summæ manui inserendæ, vel prominens aliquid in vertice instrumenti instar cuspidis. Celebris eorum usus potissimum in solemnis Bacchi, & Cybeles, quemadmodum in Tabulis pompas illas exhibentibus adhuc spectatur, & Horatius lib. I. Od. 16.

> . . . . *Non acuta*
> *Sic geminant Corybantes æra*.

Ita pariter nostram hanc sententiam S. Isidor. Origen. lib. 2. cap. 21. confirmat. *Cymbala acetubala quædam sunt, quæ percussa invicem se tangunt, & sonum faciunt*. Obtinent hodie pariter apud Armenos in eorum Liturgiis; cymbala enim cantantes affricant & simul invicem agunt (109). Sistrum familiare Ægyptiis instrumentum figura ovali, sive arcuatum instar hemicycli habens verticem, utroque latere longius descendens ad modum balthei; transversum autem secant æreæ quædam virgulæ ita lateralibus instrumenti parietibus utraque extremitate insertæ, ut simul virgulis quibusdam metalli agitatæ gyrarent & gyrando sonum acutum ederent stridentemque.

> *Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus*.

Idem instrumentum designasse creditur Isaias voce illa *zalzel*, *àlatum*. Sistrum aureum in pompa Cybeles delatum ita describit Apulejus (110): *Dextera quidem gerebat aureum crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio trigeminos jactus, reddebant acutum sonum*. Plura ejus generis instrumenta inter cymmelia Eruditorum servantur. Sistri inventi honor Isidi tribuitur, cujus Sacerdotes in sacris Numinis ceremoniis sistra detulisse legimus apud Ovid. de Ponto.

> *Jactantem Pharia tinnula sistra manu*.

Schalischim aliud est musicum instrumentum, quod Septuaginta reddunt *cymbala*, S. Hieronymus *sistra*. Semel tantum occurrit in Sacra Scriptura, occasione triumphi Davidici pro relata e Gigante Goliath victoria (111). Fœminæ venientibus Sauli, & Davidi occurrerunt cum tympanis & *schalischim*. Porro vox illa derivatur e radice, quæ tres sonat. Sunt vero qui de fidiculari instrumento nomen illud interpretentur; alii triagonale quoddam instrumentum malunt; alii sistrum. Qui nostra ætate eo lyræ genere, quod Galli *Viole* (112), ludunt, solebant ad harmoniam jungere triagonale quoddam e filo chalybis instrumentum, cui inserti quinque annuli virgula quadam ferrea agitantur. Simul enim & annuli & instrumentum, quod annulum habens in vertice, dextra manu sustentatum

tum in aere pendet liberum, agitati sonum edunt. Ejusdem instrumenti figuram quamdam non triagonalem, sed in vertice ovalem, exhibet Pignorius de Servis pag. 88. cui plures annuli virgula metalli jactandi inserti sunt. Num eo spectant *Schaliscim* Scripturæ?

De Trigono Musico quodam instrumento sermo est apud Veteres, quod e Syris Juba derivat (113); alii epithetum illi addunt Phrygii, vel Persici. (114) Novem fidibus instructum, plectro e puellis ut plurimum pulsabatur. (115) Diogenes Traicus apud Athenæum author est, Bactrianas & Phrygias puellas Dianæ numen in atris nemoribus venerari consuevisse, pectina & trigono Persarum inter sacra ludentes. Joseppos (116) Græcus Author tradit, Sacerdotes Ægyptios eodem instrumento uti in conviviis & festis. Trigonum vero Plato e Republica sua exulare jusserat (117). Mihi tamen ea stat sententia, quæ Hebræorum *schalischim* de sistro, seu de veteri illo instrumento triagonali, de quo in superioribus, interpretatur; melius enim cum illo quadrant omnia, quæ in Scripturis de *schalischim* leguntur.

Superest ut de *Mazilothaim* aliquid afferamus, cujus instrumenti frequens est in Sacra Scriptura mentio; & sonum accessisse credimus ad *Zalzelim* sive cymbala, supra a nobis descripta; utrumque enim nomen ex eadem radice derivatur. Porro sonum edebat acutum & stridentem adeo, ut longissime pervaderet (118). Æreum erat: usus ejus in Templo publicisque solemniis. Reddi solet plerumque nomen illud, *Cymbala*; ut proinde quæcumque de cymbalis diximus, huc etiam referenda sint. Narrat Josephus Antiquit. lib. 7. cap. 10. plura a Davide ex ære cymbala amplissima & latissima conflata.

Alii vero eamdem vocem, reddunt, *Tintinabula*, qua voce cave ut tintinnabula nostri moris designata credas; recentiora sunt enim; sed potius lances sunt quædam, quæ percussæ tinnitu suo aerem longe lateque commovent. Narrant Musicum quemdam olim in Insula Isso coram frequenti populo cantasse, cum subito dato signo vendendorum piscium tintinnabuli pulsu, facessere confestim omnes, Cantore solitario relicto, perseverante uno tantum surdastro, qui melos ægris licet auribus captabat. Rei indignitate permotus Cantor, plura in populum jactare, auditorem vero, qui unus, ceteris ad pisces dilapsis, manserat, pluribus gratiis cumulare. Interrogavit ille, num vendendi piscis signum tintinnabulo datum esset. Affirmante Musico, ille statim terga vertens ad pisces convolavit. Hanc sive fabellam malueris vel historiam, apud Strabonem (119) legas; quod tamen ab eodem Autore tamquam veterus aliqua historia relatum, instrumenti hujus vetustatem probat. Narrat alibi idem Strabo lib. 16. tintinnabulum jumentorum collo suspendere, in moribus apud Troglodytas positum fuisse, cujus sono carnivoræ belluæ, ne quid nocerent, arcerentur. Solebat alicubi tintinnabulum vigilanti super excubias tradi, quo scilicet experrectas illas haberet (120). Porro de tintinnabulis sermo est apud Dionem, Polybium, Plutarchum, & Josephum.


Ut quid vero aliena pro vetustate tintinnabulorum quærantur, cum apud Moysen suppetant, cujus jussu extremus tunicæ Summi Sacerdotis Judæorum limbus tintinnabulis ornabatur (121)? Addebantur pariter & phaleris equorum, qui belli usibus parabantur, ut scilicet fragori assuescerent (122). Zacharias morem hunc designare visus est (123), futurum prænuncians, ut clamari contingat super *Mizloth* equi, clamari, inquam, hæc verba: *Sanctum Domino*; i. e. aurum omne argentumque, quo phaleræ equorum ornantur, eorumque *mizoloth* sive *mizlothaim* præ ceteris Deo consecrabuntur. Equus qui tintinnabulum non audisset, dicebatur apud Græcos equus belli usibus ineptus, quippe qui tintinnabulo aures non attemperaverat, quo scilicet equi ad sustinendos belli tumultus fragoresque formabantur (124). Probatur itaque mihi ea vocis *mizlothaim* interpretatio, quæ de tintinnabulo magnos cœtus populi indicente dictam usurpat. De forma ejus instrumenti nihil in Scriptura.

Hæc suppetebant, quæ de hoc argumento scriberemus, pauca sane; sed argumentum tractamus, in quo solas attulisse non inverosimiles conjecturas satis reputandum est. Peritioribus interim, quæ libavimus tantum, relinquimus perficienda.

NO-

NOTÆ.

(1) *Chrysost. & Theodoret. in Psal.* 150.
(2) *Psalm.* 49. 23.
(3) *Amos* 5. 23.
(4) *Livius l. 39. Tunc Psaltriæ, Sambucistriæ, & convivialia ludorum oblectamenta addita epulis.*
(5) *Psal.* 60. 1. *Lamnazeach al neghinot.*
(6) *Psalm.* 5. 1.
(7) *Psalm.* 6. 1. & 11. 1.
(8) 1. *Par.* 15. 21. *bekinuroth al halchemeinith.*
(9) *Thevenoth. Vide cap.* 41. & 25.
(10) *Psalm.* 8. 1. *al gittith Vide Psal.* 80. & 83.
(11) *Psal.* 15. 1.
(12) *Vide Argum. Psal.* 15. & 56. & 57. & 58. & 59. & 60.
(13) *Psal.* 21. 1. *al ajeleth haschachar. Vulgata pro susceptione matutina.*
(14) *Psal.* 44. 1. *Lamnazeach al Scoschanim lesne korech.*
(15) *Exod.* 15. 20.
(16) *Judic.* 21. 21.
(17) 1. *Reg.* 18. 6.
(18) 3. *Reg.* 1. 40.
(19) *Psalm.* 67. 26.
(20) *Psalm.* 55. 1.
(21) *Psalm.* 31. 1.
(22) *Psal.* 41. & 42. & 43. & 44. & 52. & 73. & 77. & 87. & 88. & 141. 1.
(23) *Psalm.* 56. & 57. & 58. & 74.
(24) *Vide Comment. in Levit.* 25. 10.
(25) 3. *Reg.* 10. 12. & 2. *Par.* 9. 11.
(26) 2. *Reg.* 6. 5. & 1. *Part.* 13. 8.
(27) 1. *Par.* 15. 16. & 36. 1. 6. & 2. *Par.* 5. 12. & 2. *Esdr.* 12. 17.
(28) *Psal.* 22. 2. *Benevel asur Simrulo, & Psal.* 143. 9.
(29) *Athen. lib.* 4. *cap.* 23. *pag.* 175.
(30) *Hieronymiaster in Ps.* 31.
(31) *Cassiodor. Præfat. in Ps.*
(32) *August. in Psalm.* 32.
(33) *Joseph. Antiquit. lib.* 8. *cap.* 2. *pag.* 262.
(34) 3. *Reg.* 10. 12.
(35) 2. *Par.* 9. 2.
(36) *Dan.* 3. 5. 7. 10.
(37) *Genes.* 4. 21.
(38) 3. *Reg.* 10. 12. &c. & 2. *Par.* 9. 11.
(39) *Isai.* 23. 16.
(40) *Ezechiel.* 26. 13. *Isai. loc. cit.*
(41) 1. *Par.* 15. 21.
(42) *Serv. Æneid.* 4.
(43) *Diodor. Sicul. l.* 1. *p.* 10.
(44) *Ovid. ad Pisones.*
(45) *Hymnus in honorem Mercurii inter opera Homeri.*
(46) *Homer. hymn. in Mercur.*
(47) *Ælian. lib.* 3.
(48) *Diodor. lib.* 1.
(49) *Extant. Græce in fin. lib.* 1. *Boetii de Musica & apud Casaubon. in Athen. lib.* 8. *cap.* 11.
(50) *Plin. lib.* 7. *cap.* 56.
(51) Italice *Liuto.*
(52) *Italis* Violone, Viola, Violoncello.
(53) *Bellon. Obs. lib.* 3. *cap.* 48.
(54) *Italis* Chitarra.
(55) *Liuto.*
(56) La Viola.
(57) *Ælian. Plat. Comment. in Timæum.*
(58) La Viola.
(59) *Athen. lib.* 14. *cap.* 3. *pag.* 633. *ex Ephorione de Isthmiis.*
(60) *Clemens Alex. lib.* 1. *Strom. pag.* 307.
(61) *Juba lib.* 4. *Histor. Theatri apud Athen. lib.* 4. *cap.* 23. *pag.* 175.
(62) *Apud Athen. Ibid.*
(63) *Exod.* 19. 16. 19. & 20. 18.
(64) *Josue* 6. 3. 4. 5.
(65) *Judic.* 7. 18. 19.
(66) *Judic.* 3. 27.
(67) 1. *Reg.* 13. 3.
(68) 2. *Reg.* 2. 28. & 18. 16.
(69) 3. *Reg.* 1. 34. 39.
(70) 4. *Reg.* 9. 13.
(71) *Chalil Isai.* 5. 12. *troph. Vechalil. Vide & Is.* 30. 29. *Jerem.* 48. 36.
(72) *Exod.* 15. 20. & *passim.*
(73) *Exod.* 32. 19. *Judic.* 21. 21. *Psal.* 86. 7. & 149. 3. & 150. 4.
(74) *Athen. lib.* 14. *cap.* 9. *pag.* 638.
(75) *Gen.* 6. 4. 21. *Vulg. Organum. Job* 21. 12. *Septuag. Psalmus, Vulg. Organum Ps.* 150. 4. *Sept. & Vulg. Organum.*
(76) *Job.* 21. 12. & 31. 31.
(77) *Virgil. Eclog.* 2.
(78) *Vide Athen. lib.* 4. *pag.* 184.
(79) *Pindar. Pyth. Ode* 12. *de Pallade.*
(80) *Lucret. lib.* 4.
(81) *Virg. Eclog.* 2.
(82) *Idil.* 8.
(83) *Pet. de Valle Epist. pag.* 61. *Italice.*
(84) *Plin. lib.* 16. *cap.* 36.
(85) *Tert. lib. de Anima.*
(86) *Vitruv. lib.* 10. *cap.* 13.
(87) *Lib.* 5.
(88) *Spon Iter Constantinop. pag.* 234.
(89) *Vide Voss. de Poematum cantu & Rythmi viribus pag.* 105.
(90) *Hieron. seu alius epist. ad Dardan. tom.* 9. *pag.* 156.
(91) *Annal. Francorum.*
(92) *Horat. lib.* 1. *Satyr.* 2. *Ambubajarum collegia.*
(93) *Sveton. in Nerone cap.* 27. *Inter Scortorum totius urbis, Ambubajarumque ministeria.*
(94) *Vide si lubet Interpp. Horat. & Casaub. in Sveton.*
(85) *Strab. lib.* 10. *pag.* 324.
(96) *Athen. lib.* 4. *cap.* 25. *pag.* 182. *ex Alexandride. Oplomach. Vide & lib.* 14. *cap.* 3. *pag.* 634. *ex Thio. Omphale.*
(97) *Idem ibid. ex Anacreonte.*
(98) *Judic.* 11. 34.
(99) *Exod.* 15. 20.
(100) *Job* 17. 6. & 21. 11.
(101) *Isidor. Orig. lib.* 2. *cap.* 21. *Tympanum, est pellis vel corium ligno ex una parte extensum, est enim pars media in similitudinem cribri.*
(102) *Clemens Alexandrin. Strom. lib.* 2. *pag.* 164.
(103) *Apollodor. lib.* 1. *Biblioth.*
(104) *De bello Civili Rom.*
(105) Nullibi gentium spectarant tympana ad ingentis aheni modum quibus sarcinis equi onerarentur.
(106) *Psalm.* 40. 5.
(107) *Isai.* 18. 1.
(108) 1. *Reg.* 3. 2. *Vid.* & 4. *Reg.* 21. 12. & *Jerem.* 19. 3.
(109) *Roger. Terr. Sanct. lib.* 2. *cap.* 7. *pag.* 393. & 418. & *D. Bernard. de Montfaucon. not. in tract. Therapeut. Gallice.*
(110) *Metam. lib.* 11.
(111) 1. *Reg.* 17. 6.
(112) *Itali* Viola.
(113) *Apud Athen. lib.* 4. *cap.* 23. *pag.* 175.
(114) *Vide eumdem lib.* 14. *cap.* 19. *pag.* 636.
[115] *Athen. Ibid.*
(116) *Joseppos apud Thom. Galle not. ad Jamblic.*
(117) *Plato de Republica lib.* 3.
[118] *Paral.* 15. 18.
[119] *Strab. lib.* 14. 253.
[120] *Vide, si lubet, Henric. Sreph. Thesaur. in Codonophoros, & Aristoph. in Avibus.*
[121] *Exod.* 28.
[122] *Vide Schrliast. Aristoph. in Banis & Henric. Steph. Thesaur. in Codonophalarotolos & in Codonizo.*
[123] *Zach.* 14. 20.
[124] *Etymolog.*



AUGUSTI PFEIFFERI DE NEGINOT

ALIISVE INSTRUMENTIS MUSICIS HEBRÆORUM

Pſal. IV. I.

למנצח בנגינות מזמור לדוד׃

Præcentori in Neginoth, *Pſalmus Davidicus.*

Qv. *Quale inſtrumentum fuerit* נגינות Neginoth?

SENTENT. VAR.

NON inſtrumentum aliquod Muſicum, verum initium notæ alicujus cantionis fuiſſe exiſtimat Aben Eſra. Sed alii ex Hebræis conſentiunt fuiſſe inſtrumenti muſici genus. Cæterum inſtrumenta muſica erant vel *polychorda* ſive *fidicina*, quæ manibus tangebantur; vel *pulſatilia*, quæ bacillis vel concuſſione pulſabantur; vel *pneumatica* ſeu *flatilia*. De iis ex profeſſo egit ex Hebræis R. Abr. Aria Mutinenſis in libro שלטי הגבורים c. 4. & e Chriſtianis Vir Cl. Ath. Kircherus in *Muſurgia univerſali T.* 1. *lib.* 2. *qui philologicus dicitur cap.* 4. ubi *a pag.* 47. *& deinceps* proponitur ſtructura & forma inſtrumentorum Muſicorum tum *polycordorum*, cap. 4. §. 1. tum *pulſatilium* §. 2. tum *inſtatilium* §. 3. nec non agitur de uſu inſtrumentorum Hebraicorum apud Hebræos §. 4. & in ſpecie de Muſica Davidis & inſcriptione Pſalmorum §. 5. uſque ad *pag.* 84.

DECISIO.

נגינות eſt nomen generale omnium inſtrumentorum fidibus conſtantium, & tactilium, uti מחול, עשור, נבל, כנור, מנים.

PROBATIO.

I. EX *Etymo generali*. Dicitur enim a *tangendo* vel *pulſando* ſc. fides.

II. Ex terminatione plurali, cum alias ſingularis נגינה ſit uſitatus. Idem teſtantur

tur Autor *Schilte gibborim cap.* 4. & Kircherus *loc. cit. pag.* 48. ex quo, cum non ſit in omnium manibus, lubet præcipua de inſtrumentis Muſicis Hebræorum in gratiam lectoris excerpere, cum adeo magnifice *pag.* 48. extollat ſtudium ſuum, quod huic materiæ impenderit. Itaque כלי נגינות i. e. inſtrumentorum ψηλαφητῶν ſeu quæ manu aut plectro tangerentur, has conſtituit ſpecies, עשור *Pſalterium* ſeu *Decachordum*, נבל *Nablium*, כנור *Citharam*, מחול *Machol* & מנים. De עשור ſeu *Pſalterio* notat, rem dubio non carere. Aliquos enim velle, non tam inſtrumentum Muſicum, quam modum ea voce notari. Joſephus, ipſo teſte, XII. ſonos Pſalterium habere tradit & digitis carpi. Auguſtinus ait manibus portari percutientis & ex ſuperiori parte habere teſtudinem, illud ſcil. lignum concavum, cui chordæ innitentes reſonant, ſicuti citharæ habent inferne. Hieronymus deſcribit hoc organon in modum quadrati clypei cum 10. chordis. Hilarius idem vult eſſe quod נבל ſeu *Nablium*; certum enim eſt, Pſalterium cordis inſtructum fuiſſe, & *pſallendi* verbum ſignificat, Suida teſte, *ſummis digitis chordas carpere*. Quorſum & facit illud Ovidii 3. *de art. Diſce etiam duplici genialia nablia palma Verrere, conveniunt dulcibus illa modis*. Magna muſicorum pars ipſi ſimilitudinem *Harpæ* noſtratis tribuit, quam & paſſim ejus appingere imagini ſolent, triangulari forma, quam Apollodorus apud Athenæum vocatam ait μάγαδιν, Ariſtoteles τρίγωνον, Suidas *Sambucam*, Autor *Schilte gibborim* aſſerit *Nebel* inſtrumentum fuiſſe fidicinum, fidibuſque 22. in tres octavas fuiſſe diremtum: *Aſor* autem chordis 10. *Kinnor* 32. *Machol* 6. *Minnim* 3. aut 4. conſtitiſſe fidibus. *Nebel* inſtar trapezii fabricatum, *Kinnor* ad hodiernæ citharæ ſimilitudinem, *Machol* ut Violam & *Minnim* ut chelyn. Ipſe vero Kircherus (cujus fide hic utimur) ex antiquo codice Vaticano עשור *Pſalterium* repræſentat figura A. infra conſpicua: *Nablium* figura B. כנור ſeu *citharam* figura C. (Marſennus, citante Kirchero, diſtinguit inter *citharam novam* & *antiquam*: & hanc ſimilitudinem habuiſſe vult noſtræ *harpæ* in *Triſdiapaſon* ſeu per tres octavas 24. chordis diſtinctam.) *Machol* forma *violæ di gamba* (infra tamen *p.* 51. ex autore *Shilte* adducit, fuiſſe *ſiſtri* genus depictum ſub lit. E. (quanquam rectius illud inſtrumenti genus Kircherus ibi habeat pro צלצלות *cymbalis* & מנענעים *ſiſtris*) & *Minnim* figura Chelys ſeu teſtudinis. Porro e κρουστοῖς ſeu *pulſatilibus* inſtrumentis cumprimis occurrit תוף *Tympanum*, cujus figuram Kircherus *pag.* 51. eo inclinat, fuiſſe ſpeciem ſiſtri Ægyptii aut κρούσματος Græci, quod fœminæ, uti Mirjam & filia Jephtæ eo inſtructæ legantur. Cæterum formam *ſiſtri Ægyptii*, quam Kircherus *Tom.* II. *pag.* 185. veram perhibet, exhibuimus ſub lit. F. Deinde diſquirit etiam *Tom.* I. *pag.* 52. de alio κρουστῷ ſcil. עצי ברושים, quod alios ait confundere cum *Crotalis*, nonnullos idem facere cum inſtrumento ruſtico vulgo vocato *Gnaccari*, alias confundere cum ſiſtro. Ipſe tamen cum autore *Schilte* mavult fuiſſe lignum abiegnum ſimile mortariolo, quod pulſatum ſit alio ligno, quod ita deſcribit, ſcil. fuiſſe *ſimile piſtillo parvo, longo & rotundo, in cujus medio fuerit manubrium parvum, & in duobus capitibus eminuiſſe nodos quoſdam quaſi grandine guttatos*; qui vero ea pulſarint, accepiſſe mortariolum in manu ſiniſtra atque extremis duobus capitibus piſtilli manu dextra prehenſi alternatim pulſaſſe &c. Denique de מנענעים 2. *Sam.* VI. 5. hæc ex autore *Schilte* habet, inſtrumentum ſc. hoc fuiſſe tabulam quandam ligneam quadratam, in cujus capite manubrium fuerit apprehenſioni aptum, ſupra tabulam autem hinc inde fuiſſe globulos ligneos aut æneos catenæ ferreæ aut etiam ſupra tabulam extenſæ chordæ ex cannabi inſertos, percuſſaque tabula globulos illiſos tum inter ſe, tum cum tabula ſonum edidiſſe clariſſimum ex remoto perceptibilem: Schema nos dedimus lit. H. Tertii generis, inſtrumentorum ſcil. *ſtatilium ſeu pneumaticorum* præcipuum facile illud eſt, quod dicitur *organon*. Affine huic videtur משרוקאא, quod cum *ſyringe* ſeu *heptaulo* Panos contendit Kircherus, tribuitque ei figuram, quam repræſentavimus ſub lit. I. Alias ſpecies Pneumaticas ſcil. חליל, אבוב & קרן ſæpe confundi Kircherus ait. Interim veriſimile קרן *ſeu cornu* (cornette) habuiſſe figuram K. & L. אבוב formam M. & חליל tibiam N. Plura petantur ex ipſo Kirchero. Conferri quoque poterunt Dn. Andr. Sennertus *de Muſica Hebr. Diſſ. P.* 2. *pag.* 186. *ſeq.* Gatakerus *Cinn. lib.* I. *cap.* 10. *pag.* 125. Noldius *ad Concord. Partic. p.* 10. 84. *ſeq.* Otho *Lex. Rabbinico Philol. p.* 390. *ſeq.* Dieterichius *Antiq. Bibl. P.* I. *p.* 349. *ſeq.* Cæterum Schemata, quorum mentionem fecimus, hic ſubjicere placuit.

FOR-



FORTUNATI SCACCHI
DISSERTATIO
DE
INAUGURAT. REGUM ISRAEL.

CAPUT PRIMUM.

Regi inaugurato plaudebatur.

Ad loca 4. Reg. 11. *Feceruntque eum Regem, & unxerunt, & plaudentes manu dixerunt: Vivat Rex.* Nahum 3. *Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua: omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te.* Et ad alia.

ANtiquissimus ille, simulque sapientissimus Anaxagoras, hominem animal sapientissimum propterea sibi videri affirmabat, quod manibus foret instructus. Tradidit id nobis de Anaxagora Aristoteles, & a Plutarcho in Moralibus repetitum scimus. Hoc sapientissimi viri assertum, summorum Philosophorum autoritate comprobatum, ea ratione interpretatur Cælius Rhodig. *lib.* 4. *lect. antiq. cap.* 3. ut nisi datæ homini manus fuissent, ratio ipsa, quæ divinitatis in homine pars quædam est, debilis, manca, & quodam modo inutilis censeretur. *Ausim dicere*, inquit Cœl. *sejunctis manibus, fuisse non inermes modo nos futuros; sed vel brutis infeliciores: quem enim usum rationis haberet lumen illud divinum omni ope destitutum?* Et talis ac tantus revera est manuum usus in homine; ut Græci veteri proverbio dicere consueverint τί δῆτα χεῖρες ὀυκ ἂν ἐργάσαιντο; Id est, *Quid non efficere valent manus?* Propterea in sacris Ægyptiorum, & apud veteres Theologiæ peritos, innumerabilia fere symbola habuere manus. Quæ omnia pluribus commentatus est, Pier. Valer. vir longe doctissimus. Nec enim manus solummodo loquentem, ut cæteræ corporis partes adjuvant; sed ipsæ quodammodo loquuntur. Sis namque, ut Fabius docet apud Cœlium, poscimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, supplicamus, abomi-

minamur, timemus, interrogamus, negamus, gaudium, tristitiam, dubitationem, confessionem, pænitentiam, tempusque ostendimus. Quæ omnia loquutionum genera in solis manibus posita quotidie experimur in his, qui linguæ impedimento tenentur: quibus quidem alia non est lingua, quam manuum usus. Quare etiam de Zacharia patre magni illius Baptistæ scripsit Luc. cap. 1. *Et postulans pugillares scripsit dicens &c.* Postulat, atque dicit; cum adhuc lingua illius non esset soluta: postulavit certe non lingua, quæ divinitus vinciebatur; sed manibus. Et de Nerone Citharœdo in theatro Tacitus lib. 6. annal. scripsit: *Postremo flexus genu, & cœtum illum manu veneratus, sententias judicum operiebatur ficto pavore.* Quinimo in tanta idiomatum varietate solæ manus omnium gentium lingua loquuntur: nam si simul conjungantur, efficaciorem orationem reddunt. Hinc enim concussio, hinc plausus manuum originem duxit.

Manuum plausus, atque concussio simpliciter si considerentur, cum sint actiones corporei cujusdam instrumenti indifferentis, cunctorumque idiomatum vim retinentis, & quam maxime accommodati ad hoc, vel illud significandum, mœrorem potius, quam gaudium, aut aliquid aliud ex se ipsæ minime significabunt; sed ad tristitiam, mœrorem, gaudium, lætitiamque explicandam manus communes erunt. Significatio ergo manuum ad hoc potius, quam ad aliud significandum ex reliquis actibus, quibus plausus ipse jungetur, determinabitur. Aliis notis, si supercilia quis erexerit, oculisque defixis, seu erectis, manus per modum plaudentis concutiet, admirantis erit. Hinc etiam portentosam urbis Ninive ruinam cum minaretur Deus, ut cunctis admirationi futuram illius Urbis subversionem significaret, per Prophetam Nahum cap. 3. dicebat: *Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua: omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te.* Sub metaphora quidem compressionis manuum exprimens, portentosam adeo ejus ruinam futuram, ut cunctis admirationi esset.

Quid ejulatus, suspiriaque commemorem? Quid si erumpant lacrymæ? Plausus ipse manuum his junctus, mærorem maximum, animique angorem vehementissimum sane præ se feret. Quamobrem etiam in conclamandis mortuis plausu utebantur veteres. Hinc illud Plinii lib. 7. cap. 52. *Plaudendo concivisse ministeria ejus, qui videbatur extinctus.* Dominus quoque aperiens Ezechieli inauditam, atque severissimam ultionem, quam ob legis transgressionem de populo Jerosolymitano sumere decernebat, ut transgressionis meritas pœnas perversores daturos ostenderet: *Fili hominis*, ait ad Prophetam, *plaude manu ad manum; quin & ego plaudam manu ad manum.* Quibus quidem manuum plausibus, quemdam quasi dolorem aperire Deus contendit, ea ratione, qua nos dolorem, pro captu nostro, in Deo cujuscumque doloris, ac tristitiæ experte concipere possumus: quam etiam ob caussam Prophetam pariter secum de ruina civitatis tristari volebat.

Si denique lætas aliquis ediderit voces, hisque vocibus manuum plausus adjungetur; hilaris sane animus, lætitiæque signum, ipso manuum plausu ab eo demonstrabitur. Hujusce rei nobis auctor sit Xenoph. *lib.* 8. de pædia Cyri, ubi Hystaspes unus ex Cyri familiaribus, cum se alacrem de prosperitate Regis ostendere peroptaret; quibus signis, & indiciis hoc monstrari sibi liceat, aperit dicens: *Sed unum solum ignoro, quonam sim ostensurus, me gaudere bonis tuis, utrum manuum concussione utendum est, an ridendum, an aliquid faciendum?* Eapropter ad hilaritatem, gaudiumque demonstrandum, cum Princeps inauguraretur, Rexque renunciaretur, populi vocibus manus conjungebant; ut in tanta diversorum sexuum, ætatumque multitudine, quorum voces gaudii notæ ad Principis aures in acclamando pervenire nequibant, saltem plausus manuum spectaret: ac manibus saltem Principem alloquerentur, ad cujus aures alloqui nequibant, sicque inaugurationi Regiæ, summoque Principatui favere censerentur.

Plausum genera multiplicia erant: pedum nimirum, oris, atque manuum; de quorum multiplicitate accipi debet id, quod Tranquillus dixit in Nerone: *Divisi in factiones plausuum genera condiscerent, operamque navarent cantanti sibi.* Non enim prætereunda est Tranquilli dictio *condiscerent*, qua significare voluit, tanta impudentia Neronem ad theatrum ad citharizandum processisse, tantoque amore laudis, vel si mavis, adulationis in ea arte captum fuisse, ut adulari quæsierit. Nec satis sibi plausum inconditum, nullaque arte editum, uti mos erat theatri, existimaverit; sed arte quadam, ac ordine sibi applaudi a theatro voluerit. De quo Tacitus lib. 16. ait. *Et plebs quidem Urbis, histrionum quoque gestus juvare solita, personabat certis modis, plausuque composito.* Non incomposite nimirum, neque incondite, sed arte, ac methodo. Qua vero arte Neroni contanti ap-

applausum fuerit a spectatoribus, ignotum est. De plausu pedum Virgil. inquit:

Pars pedibus plaudunt choreas.

Plausum oris vidimus, in loco Taciti: sed quia in Regum inaugurationibus versamur; in his potissimum plausum quærimus, quo populi se favere Principatui innuebant. Tribus autem modis populi in inaugurationibus manibus favebant Principi, qui inaugurabatur: concutiendo nimirum, seu quassando ad invicem manus; lacinias vestimentorum in auras fluitantes, & denique sudariola, ac lora manibus in aerem agitando: quibus motibus, ac manuum quassationi juncta acclamatione, assensum electioni novi Principis, atque inaugurationi populi declarabant. Sudariolis, seu fasciolis uti ceperunt sub Aureliano; ut ex Vopisco dixit Casaubonus in illis verbis: *Ipsumque primum donasse oraria populo Romano, quibus uteretur populus ad favorem*. Nam favere, & favor sunt Theatrorum, atque Circi verba, nec non etiam aliorum locorum, in quibus publice alicui populi blandirentur; aut aliqua alia de causa acclamarent. Quo spectat illud Ovidii lib. 3. Amor.

Maxima jam vacuo Prætor spectacula circo
Quadrijuges æquo carcere misit equos.
Cui faveas video, vincet cujuscumque favebis,
Quid cupias, ipsi scire videntur equi.

Verbum enim, *faveo*, in Circo a Poeta ponitur, ut Theatri, Circique proprium. In quo etiam sensu Septimius Romanus apud Casaubonum in Valeriano Vopisci loco citato ait: *Interea reliquis Ducibus favorem attollentibus, gaudio, lætitiaque completa omnia sunt*. Corippus etiam lib. 4. de ludis Justini Cæsaris verbo *favere*, nonnisi in Circo utitur dicens:

Omnia roboribus sternunt, loco plana politis
Conjungunt tabulis, & ferri nexibus arctant:
Quæ pondus, strepitusque virum, motusque faventis
Ferre queant populi.

Et quia favere non significat tacitam tantum animi benevolentiam, sed quæ voce gestuque exprimatur: ut docet Casaubonus ad illum locum Vopisci: hæc autem in multorum hominum concursu minime satis exprimi poterant; propterea ut signo aliquo ipsum id aperirent, loris, sudariolis, atque fasciolis utebantur. Probat hanc consuetudinem locus Ovidii lib. 3. Amor. dicentis:

Quid facis infelix? perdis bona vota puellæ
Tende, precor, valida lora sinistra manu.

Ex quo Ovidii loco, qui Augusti seculo scribebat, Casaubonum deceptum arbitror, qui loco citato ex Vopisco Aurelianum primo apud Romanos incognitum orariorum usum instituisse docet. Cum enim orarium sub ora vestis reponatur, ut perdocte Salmasius in Aureliano Vopisci scripsit, idemque sit orarium, quod lorum ad oram vestis consutum, atque Ovidius hunc morem in theatris etiam sub Augusto stetisse notet; plane orariorum usum ab Aureliano institutum non reor: sed cum aliquos suspectos Aurelianus Imperator haberet, tunc tradita populo ab Aureliano oraria suspicor voluisse Vopiscum, quibus ad favorem populus uteretur: ut orariis his, qui sibi faverent, qui vero non, aperte dignoscerentur. Cum enim vocibus undique personantibus fautores agnoscere in tanta multitudine difficile foret; Aurelianus sudariolo favorem ostendi jussit, ut de cujuscunque favore, ac fide sibi constaret. Quod studium fautorum antecessores illius minus forte curaverant.

Vestimentorum quoque laciniis, tam in theatro, quam alibi favor ostendebatur: manibus nimirum elevando, atque agitando, & in aerem easdem lacinias jactitando; quod Græci dicunt, ut doctissime notavit Casaubonus loco citato ἀνασείειν τὴν χεῖρα, καὶ τὴν ἐσθῆτα. Quamobrem de Adriano Imperatore, autor vitæ Heliodori Sophistæ, scribit eum admiratum viri eloquentiam, more theatrali exiliisse, acclamasseque ἄνδρα οἷον οὔπω ἔγνωκα τῶν ἐμαυτοῦ καιρῶν εὕρημα, καὶ τὰ τοιαῦτα ἐκάλει τὸν Ἡλιόδωρον, ἀνασείων τὴν χεῖρα, καὶ τὸν κόλπον τῆς χλαμύδος. Philastratus etiam in Imagine Arrichionis Olimpyonicæ ait: ἔοικε μὴ τοῦ ἀντιπάλου μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῦ Ἑλληνικοῦ κεκρατηκέναι· βοῶσι γοῦν ἀναπηδήσαντες τῶν θακῶν· καὶ οἱ μὲν τὼ χεῖρε ἀνασείουσιν, οἱ δὲ τὴν ἐσθῆτα. Pro hac consuetudine stare etiam locum Ovidii putat Casaubonus; ut *validum lorum*, quod habetur in loco jam retro allato ex *lib.* 3. Amor. nihil aliud sit, quam vestimentorum lacinia, & infima ora, quibus adsuta sunt lora. Mihi tamen lora ibi pro orariis minime ve-

vestimento adsutis accipi placet. Viderint alii meliora. Quod enim ibi a Poeta valida lora dicantur, meum assertum tantisper deturbat, fateor: sed in his controversiis non est mihi immorandum. Verum pro loris, laciniisque vestimentorum Ovid. ibid. ait:

> *Favimus ignavo, sed eum revocate, Quirites,*
> *Et date jactatis undique signa togis.*
> *En revocant; at ne turbet toga mota capillos;*
> *In nostros abdas te licet usque sinus.*

Dare signa togis, de quibus hic Ovidius, est plaudere togis: jactatis nimirum, ut dicebamus, loris.

Favor manuum erat in plausu: quo spectat illa Varronis, atque Columellæ querela de suorum temporum patribus familias: *Qui in Circis potius, ac Theatris, quam in segetibus, ac vinetis manus movebant*. Illud etiam Corippi lib. 4. de ludis Justini Cæsaris, ex isto manuum plausu habet declarationem; sic enim de Circo ait:

> *Disposuere gradus, queis staret in ordine longo*
> *Divisum in turmas, atque in sua corpora vulgus;*
> *Posset & exertas ad munera tendere palmas,*
> *Liberius spectare oculis, manibusque favere.*

Nec enim solum animi gaudium, verum etiam eorum, quæ acta fuerant approbationem, illa manuum concussio præ se ferebat. Idcirco apud veteres Romanos, quibus Comædiarum erat usus, in fine ad notam approbationis, plaudebatur: quinimo auditores etiam in fine plaudere grati animi ergo, approbationisque de causa jubebantur; sicque dimittebantur; ut in Andria Terentii videre est, quæ sic clauditur: *Ne expectetis dum exeant; hic intus despondebitur, intus transigetur, si quid est, quod restet. Plaudite*. Sic Arist. in arte poetica docet verbo κροτεῖσθαι aprobationem fabulæ significari, dicens: δεῖ δ' ἄμφω ἀεὶ κροτεῖσθαι. Hoc est: *Oportet autem ambo semper plaudere*. Est enim idem κρότος Græce, quod Latine plausus; unde est versus ille trochaicus:

> Δότε κρότον, καὶ πάντες ἡμῖν μετὰ χαρᾶς ἐπικτυπήσατε.

Hoc est:

> *Date plausum, & omnes nobis cum gaudio plaudite.*

Plaudebatur igitur, ut gaudium perceptum ab auditoribus, his qui in comædia, aut tragædia personarum vices gesserunt, fieret manifestum. Hinc Quintil. *lib. 6. cap. 2.* dixit: *Tunc est commovendum Theatrum, cum ventum est ad illud ipsum, quo veteres comædiæ, tragædiæque clauduntur, Plaudite*. Et Horatius *epist. 3. lib. 2.* quæ inscribitur de arte poetica, instruens, qua arte Poetæ in sua poesi attentionem, auditorumque voluntatem procurare debeant; ad illam plaudendi consuetudinem respiciens, quæ in fine tragædiarum, & comædiarum adhibebatur, dixit:

> *Tu quid ego, & populus mecum desiderat, audi:*
> *Si plausoris eges, aulæa manetis, & usque*
> *Sessuri, donec cantor, vos, plaudite, dicat.*

Quem sane plausum tanti fecere veteres illi in fine ludorum, ut quo major ederetur plausus, clavos, ac lapides in labrum æreum projicerent, non solum ut plausus arte minime careret, sed etiam, ut strepitosior plausus ederetur. Inde fortasse hausit Claudius Pulcher lapidum sonitum fieri in plausu ea ratione, ut veri tonitrui similitudinem referret. Quæ etiam Claudiana tonitrua fuisse appellata, Janus Parrhasius in citato Horatii loco affirmat.

Plaudendi vero apud Hæbreos usus, in Regibus inaugurandis antiquior sane fuit, quam apud Romanos. Testatur hoc illud 4. *Reg. cap.* 11. & 2. *Paralip. cap.* 23. in quibus de inauguratione Joasi agitur, per hæc verba: *Feceruntque eum Regem, & plaudentes manu dixerunt: Vivat Rex*. Hebraice ויכו כף *vaiaccu caph*. Hoc est: *Et percusserunt manus*. Est enim plausus concussio manuum, ut vidimus. Nec solum cum Reges inaugurarentur, sed etiam ad lætitiam, alacritatemque indicandam, plausu uti consuevere Hebræi. Hinc enim illud Prophetæ respicientis inaugurationem Dei, ut Regis in Psal. *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis*, inquit, *quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram*. Et Isai. *cap.* 55. adnotans Propheta, divino afflatus numine, gaudium, quod erant habituri, a Domino, qui Messiæ doctrinam amplecterentur: *In læ-*

lætitia egrediemini, inquit, *& in pace deducemini: montes, & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu*. Quæ metaphorice dicta a Propheta, ea ratione accipi debent; ut absoluta omninoque perfecta lætitia populo his verbis a Propheta prænunciaretur. Nos autem hæc retulimus, ut plaudendi consuetudinem antiquissimam monstraremus. De qua etiam Corippus *lib.* 2. dum Justini posterioris solemnem ritum in Imperatore creando describit, de plausu loquitur his verbis:

> *Intonuit patrum subitus fragor inde clientum*
> *Clamores crescunt; clamoribus adsonat æther,*
> *Laudibus innumeris regnantum nomina tollunt:*
> *Justino vitam tercentum vocibus optant,*
> *Augustæ totidem Sophiæ plebs tota reclamat:*
> *Felices annos, dominis felicibus orant.*

Quamobrem licet in unius tantum Regis inauguratione, nimirum Joasi, plausus in sacris literis scribatur; nihilominus tam Davidis, quam Saulis, Salomonis, aliorumque quorumcumque Regum inaugurationes, plausu fuisse populos prosequutos, ex more omnium gentium, indubitatum, certumque fore debet. Eaque cum primis de ratione ita affirmare cogimur; quod tubicinum, atque cantorum in illorum inaugurationibus sacer textus meminerit: quibus instrumentis ad perfectam hilaritatem significandam, acclamatio, plaususque adjungebantur.

CAPUT II.

Regi inaugurato buccina, tubis, ac tibiis præcinebatur.

Ad loca 3. Reg. I. *& cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat Rex Salomon*. Et infra: *Et ascendit universa multitudo post eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & insonuit terra a clamore eorum* 4. Reg. II. *Vidit Regem stantem super tribunal juxta morem, & cantores, & tubas prope eum, omnemque populum terræ lætantem, & canentem tubis*. Et ad alia plura loca.

CUM Rex, & Princeps, in quacumque Republica Dei personam quodammodo sustineat; divinam quoque quamdam præ se ferre majestatem cogitur. Quamvis igitur cantores, musicaque ipsa ad divinas concelebrandas laudes cum primis hominibus concessa fuerit; ut Trismegistus affirmat in dial. Asclepius, qui est apud Apul. dicens: *Nec immerito in hominum cœtus, Musarum chorus est a summa divinitate demissus: scilicet ne terrenus mundus videretur incultior, si modulorum dulcedine caruisset; sed potius inusitatis hominum cantilenis concelebraretur; qui solus omnia, ut Pater est omnium: atque ita cælestibus laudibus, nec in terris harmoniæ suavitas defuisset*. Et Mundus iste inferior, superiorem cum primis imitetur ordine quodam Reipublicæ hierarchico, in quo Princeps Dei personam sustinet (si Paulo fides habenda est.) Et is a subditis cujusdam quasi adorationis cultu colatur. Ea propter inter homines non solum in sacris religionis, & inter sacrificia ipsa, divinasque laudes ab antiquis usque temporibus musica, cantores, buccinatores, atque alia instrumentorum genera libentissime recepta fuere, ut sacræ literæ passim testantur; sed etiam in cultu Principis musicam adhibitam legimus.

Ad cultum Dei, musicæ usum, sacræ undique confirmant literæ. Sic enim de his *cap.* 10. Num. cum de forma, & usu tubarum est sermo: *Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis; ut sint vobis in recordationem Dei vestri*. Imo tanto rigore hæc præcipiuntur a Deo, ut ipsius divini Numinis autoritate fulciantur. Huic enim statuto additur forma illa autoritativa, *Ego Dominus Deus vester*. Qua dicendi phrasi, præcepti vis explicatur. Quinetiam sacra Idolorum, nequaquam musica caruisse res est apertior quam probatione indigeat. Hinc enim illud Statii Thebaid. *lib.* 8. de Eteoclis, Thebanorumque sacris pro devictis Grajis, qui cum Adrasto ad Polynicis favorem arma sumserant:

> *At non Sidoniam diversa in parte per urbem*
> *Nox eadem: vario producunt sidera ludo,*
> *Ante domos, intraque, ipsæque ad mœnia marcent*
> *Excubiæ, gemina æra sonant, Idæaque terga,*
> *Et moderata sonum vario spiramine buxus.*
> *Tunc dulces Superos, atque omni ex ordine alumnum*
> *Nomen, ubique sacri resonant Pæanes, ubique*
> *Serta, coronatumque merum.*

Sic

Sic etiam Apul. *lib.* I. Metamor. ſacra Iſidis magnæ Deæ ſcribens, muſicæ choros minime ibi defuiſſe prodidit dicens: *Symphoniæ dehinc ſuaves, fiſtulæ, tibiæque modulis dulciſſimis perſonabant.* Et paulo infra: *Ibant & dicati magno Serapi tibicines, qui per obliquum calamum ad aurem porrectum dextram familiarem, templi, Deique modulum frequentabant.* Et infra cantorum meminit, qui ſacris erant initiati dicens: *Hi capillum deraſi funditus; verticem prænitentes, magnæ religionis terrena ſidera æreis, & argenteis, immo vero aureis etiam ſiſtris argutum tinnitum conſtrepentes.*

Cujus ſiſtri icon noviſſime Romæ reperti, in muſeo D. Franciſci Gualdi equitis Sancti Stephani aſſervatur. Nec ſolum ad Dei cultum, ſed etiam coram Principe quaſi divinitatis quodam ſimulacro, conſueviſſe cantores ac tibicines perſtrepere, res eſt notiſſima: Præcentionis hinc vocabulum. Nam quod Principem anteire ſolerent, præcentores hi dicebantur. Erat autem cantorum, atque tubicinarum, tibiarumque chorus harmonicus præcedens Principem, qui divinæ cujuſdam majeſtatis in Rege quodammodo populos admonebat. Quamobrem etiam apud Romanorum Imperatores uſu venit; ut cum aliquo Princeps progrederetur, tubicines, ac buccinatores præirent. Id affirmat Wolfang. Laz. *lib.* 9. comment. Reip. Rom. *cap.* 2. circa finem, & alii plures Romanarum rerum Scriptores, probaturque ex Lipſio *lib.* 7. *decad.* 3.

A ſacris oraculis, & Hebræorum ritibus, velut ab antiquioribus, id accepiſſe tam Romanos, quam alios merito ſuſpicabimur; apud hos enim ubi de inauguratione Principis ageretur, ut nihil illorum deeſſet, quæ divinitatis aliquod ſpecimen, majeſtatemque quamdam præ ſe ferrent; tubicinarum etiam, atque buccinatorum rumorem, vario genere ſymphoniæ Regi præciniſſe legimus: cum primis dum Rex ipſe jam inauguratus, ſacroque oleo unctus, a populo acclamandus, & plauſu excipiendus monſtraretur, ut inde ad palatium deduceretur. Leguntur hæc *lib.* 3. *Reg. cap.* I. cum Salomon ſub quadam inaugurationis ſpecie ſucceſſor in regnum, juſſu patris renunciatus fuit: *Et aſcendit univerſa multitudo poſt eum*, inquit textus, *& populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno, & inſonuit terra a clamore eorum.* Aſcendit igitur Salomon a loco, ubi de mandato patris ſucceſſor declaratus fuerat, Jeroſolymam verſus, mula vectus, & populus illum ſequebatur; ſed cantores præibant. Sic etiam *cap.* II. *lib.* 4. *Reg.* de cantoribus, qui Joaſo Regi tunc adſtabant, cum a populo conſalutandus, acclamandusque a Jojada proponebatur, ſcribitur: *Vidit*, ſupple Athalia, *populum terræ lætantem, & canentem tubis.* De teſſera vero, ſeu ſigno acclamationis, cum inauguratus fuit Salomon, loquens ſacer textus ait: *Unxit Salomonem*, ſupple Sadoch Sacerdos, *& cecinerunt buccina, & dixit omnis populus. Vivat Rex Salomon.* Strepitus, ergo, ac clangor buccinarum, tibiarum, atque cantorum in Regis inauguratione aderat. Eumdem inauguratum acclamandum indicabat, populum ad Regem conſalutandum excitabat. Et denique jam ſacro oleo Regem inunctum, jamque conſalutatum ad regiam deducebat.

Huc uſque de præcentione in genere egimus: reliquum eſt ut ad genera inſtrumentorum, quibus Regi ex ſacris oraculis præcinebatur, deſcendamus. Mihi enim ignotum eſt, quiſnam ex autoribus aliquando diſcrimen aliquod inter ſtrepitum, clangorem, ac præcentionem harmonicam ſacrorum oraculorum adverterit: trium enim tantummodo inſtrumentorum in allegatis ſacræ Scripturæ locis mentio habetur, quorum uſum in inauguratione fuiſſe certum eſt; tubarum nimirum, tibiarum, ac buccinæ: quæ inſtrumenta his dictionibus שופר *ſchophar* חצצרות *chatſotſeroth*, & חלילים *chalilim* in Hebraico textu nominantur. Nam שופר *ſcophar*, quod communi, & latino vocabulo buccina interpretatur, Græce κερατίνη dicitur: licet multoties pro κερατίνη in ſacris Græcorum exemplaribus σάλπιγξ legatur. Illam vero vocem Hebraicam חצצרות *chatſotſeroth* in plurali poſitam interpretes per Latinam vocem *tuba* inſtrumentum notiſſimum, ut plurimum reddunt: quod proprie Græce σάλπιγξ dicitur. Aliud denique inſtrumentum muſicum, quod Hebraice in numero plurali חלילים *chalilim* appellatur; noſter interpres *Tibiam* dixit, Græce αὐλός.

Interpretes aliqui fuere, qui illa duo inſtrumentorum genera שופר *ſchophar*, & חלילים *chalilim* confunderent, alterum pro altero accipiendo: nihilominus diverſa hæc inſtrumenta, atque diſtincta extitiſſe in ſacris literis, ex vocabulorum diverſitate liquido conſtat. Hanc enim diverſitatem aperte expiſcari poſſumus ex *cap.* 15. *lib.* 2. Paral. in illis verbis: *Juraverunt Domino voce magna in jubilo, & clangore tubæ, & ſonitu buccinarum.* Hebraice ſic legitur ובחצצרות ובשופרות quo in loco duo illa vocabula, ibidem poſita, idem ſignificare nequeunt. Idipſum etiam ex Græcis exemplaribus non obſcure colligitur: ſic enim legimus ibidem

καὶ ὤμω-

ϗ ὤμωσαν ἐν τῷ κυρίῳ ἐν φωνῇ μεγάλῃ, ϗ ἐν ἀλαλαγμῷ, ϗ ἐν σάλπιγξι, ϗ ἐν κερατίναις, ϗ εὐφράνθησαν πᾶς ἰούδα περὶ οὗ ὅρκου. Hoc eſt: *Et juraverunt in Domino voce magna, & in jubilo, & in tubis, & in buccinis*, ſive cornicinis, *& lætati ſunt omnis Juda de juramento*. Non ergo recte aliqui חצצרות ac pariter dictionem שופר per unam, eamdemque latinam vocem *Tuba* interpretantur, ut facit M. Marin. ſed neceſſario per diſtincta vocabula latina reddere, atque pro diverſis inſtrumentis eaſdem dictiones accipere cogimur. Illa enim vocabula non ſynonyma, ſed diverſa ſunt; & ad diverſa inſtrumentorum genera ſignificanda referuntur, & quænam illa ſint, nobis requirenda, ſacer textus ſubindicat.

Tubam igitur, nullumque aliud inſtrumenti genus Hebraice חצצרה *chatſotſerah* dictam fuiſſe arbitror. Et quidem ea voce nihil aliud præter tubam ſignificari ex *cap.* 10. Numer. apertiſſimum eſt; in quo Deus Moyſi præcipit, ut ad convocandum populum ex argento tubas conficiat, dicens: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare poſſis multitudinem quando movenda ſunt caſtra*. Ita ibi. Inſtrumenta autem quæ tubarum vocabulo a noſtro Interprete exprimuntur, חצצרות Hebraice dicuntur; & Græce σάλπιγγες appellantur: quamobrem ſic legimus Deum ad Moyſem dixiſſe: ποίησον σεαυτῷ δύω σάλπιγγας ἀργυρᾶς, ἐλατὰς ποιήσεις αὐτὰς, ϗ ἔσονταί σοὶ ἀνακαλεῖν τὴν συναγογὴν, καὶ ἐξαίρειν τὰς παρεμβολας. Hoc eſt: *Fac tibi duas tubas argenteas: laminatas facies illas, & erunt tibi ad convocandum Synagogam, & ad educendam caſtrorum metationem*. Hoc eſt ad educendum populum de caſtris, quoties vel progrediendum fuerit, vel cum hoſte manus ſit conferenda. Cum igitur inſtrumentum quod vocabulo Hebraico חצצרה ſignificatur, metallicum eſſet; nullibi vero hebraica exemplaria ærea, aut argentea inſtrumenta per vocem שופר *ſchophar* meminiſſe reperiantur; ea propter duo illa inſtrumenta, de quibus ſermo eſt *lib.* 2. Paral. nimirum חצצרה & שופר ab invicem diſtinguere cogimur.

Proinde dicendum eſt etiam, duo illa inſtrumentorum genera, ab eo tertio diſtingui, quod חלילים *chalilim* Hebraice appellabatur, tibiaque a noſtro interprete redditur, ac nominatur. Et quidem mihi eſt adeo hoc evidens, ut rem aliter interpretari nequeam. Quare apud me eorum expoſitio probatur, qui שופר buccinam interpretantur, חצצרה tubam latine vertunt, & חלילים, quod eſt numeri pluralis tibias transferunt; licet ſatis improprie hoc poſtremum, ut ſtatim declarabo, interpretentur. Hæc vero inſtrumenta illis vocibus Hebraicis nominata, atque per latinas *Buccinam*, *Tubam*, *Tibiamque* explicata, apud Latinos pariter diſtingui probare poſſumus, nec inepte, ex Apul. *lib.* 3. florid. ubi de ſuavitate, ac excellentia vocis humanæ agens, illamque per comparationem ad varia inſtrumenta conſiderans ait: *Siquidem vox hominis, & tuba rudiore torvior, & tibiæ queſtu delectabilior, fiſtulæ ſuſurro jucundior, & buccinæ ſignificatu longiquior*. Alii legunt: *Siquidem vox hominis, & tuba rudiore torvior, & lyra concentu variatior, & tibia queſtu delectabilior, & fiſtula ſuſurro jucundior, & buccina ſignificatu longiquior*. Hæc Apulejus, de cujus varia lectione nihil nunc ad nos. Sufficit hæc attuliſſe; quibus plane demonſtratur buccinam a fiſtula, fiſtulam a tibia, & utramque a tuba diſtingui: ut hæc inſtrumentorum genera diverſa fore plane conſtaret.

His omnibus inſtrumentis, atque pluribus aliis in choros, concentuſque ſuaviſſimos diſpoſitis, & una cum inſtrumentis, cantores, ac præcentores juncti, Regi jam inaugurato apud Iſraelitas præcinebant; eo tamen ſervato eorundem inſtrumentorum ordine, ut ad excitandum populum ad adorationem, precandumque fauſta Regi, buccina tantum caneretur. Hæc ex 2. *Reg.* 15. hauriuntur; ubi *Abſalon miſit exploratores*, cum renunciandus, & acclamandus Rex foret in univerſas tribus Iſrael, juſſitque præconis voce omnibus indici: *Statim ut audieritis clangorem buccinæ, dicite: regnavit Abſalon in Hebron*. Et 3. Reg. 1. ubi de inauguratione Salomonis agitur, David hac pompa Salomonis declarationem deſignavit: *Tollite vobiſcum ſervos Domini veſtri; & imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meam, & ducite eum in Gibon: & ungat eum ibi Sadoch Sacerdos, & Nathan propheta in Regem ſuper Iſrael; & canetis buccina atque dicetis: vivat Rex Salomon*.

Buccinæ uſus in regia adoratione, rationem habet a præconizando aliquid. Nam quoties aliquid populo prænunciandum erat; ſola buccina canebatur. Quin etiam in ſalutatione, obedientiaque Principi præſtanda, uſus buccinæ aderat. Ea propter cum Deus in Exodo *cap.* 19. ab Iſraelitica republica in Principe jam electo, populum alloqui, legeſque obſervandas eidem ore tenus tradere vellet; legitur: *Clangor buccinæ vehementius perſtrepebat, & ſonus buccinæ paulatim creſcebat in majus, & prolixius tendebatur*. Non

tubæ,

tubæ, non tibiæ, ſed buccinæ ſono populus congregabatur ad Imperatoris allocutionem.

Obiter autem adnotandum putavi, ab inſtitutione fortaſſe Iſraeliticæ Reipublicæ, (in cujus exordio Deus ad montem Sina populus alloquutus eſt) gentes reliquas accepiſſe ceſpiticium tribunal in caſtris; ex quo Imperator milites ſuos alloqueretur, atque ad arma excitaret. Hinc illud Plutarchi in Pompejo: βήματος δὲ ὀυκ ὄντος ὀυδὲ τοῦ στρατιωτικοῦ γενέσθαι φωθάσαντος ὃ πιῶσιν ἀυτοί τῆς γῆς ἐκτομὰς βαθείας λαμβάνοντες, καὶ κατ' ἀλλήλων συντιθέντες. De quo etiam Ammianus 23. ait: *Ipſe aggeri glebali aſſiſtens, coronaque celſarum circundatus, poteſtatum, talia ore ſereno diſſeruit*. Et Plinius in panegyr. Trajano dicto de eadem allocutione ait: *Decora facies Conſulis multa poſt ſæcula tribunal viridi ceſpite conſtructum*. Vopiſcus in Probo: *Ab omnibus acclamatum eſt: Probe Auguſte Dii te ſervent: deinde concurſus, & ceſpititium tribunal, appellatuſque Imperator*. Lucanus de Cæſare concionante ait:

—— Stetit aggere fulti
Ceſpitis intrepidus vultu, meruitque timeri
Non metuens ....

Et Statius *lib. 7.* Thebaid. Etcoclis ad ſuos, qui congreſſuri cum hoſte jamjam erant, allocutionem ſcribens ait:

—— Cum rector ab aggere cæpit:
Magnanimi Reges, quibus parere recuſem
Ductor, & ipſe meas miles defendere Thebas.

Et alibi:

Hic ſuetus dare jura parens, hoc ceſpite tarmas
Adfari ....

Quas conſuetudines a ſacris oraculis, Iſraeliticæque Reipublicæ ſacra exordia ſuffuratas gentes ſuſpicor.

Inſtrumentum, quod in præcitato loco Exodi; (ut ad rem redeamus) nobis eſt buccina, ac tuba, qua neomænia populo in *Pſal.* 81. & dies feſtus in menſe ſeptimo *Levit.* 25. prænunciabantur; ac propterea proprie a Sacerdotibus inflabantur; ut *Joſ.* 6. & alibi ſæpe in Pſalmis, & apud Iſaiam Prophetam. Ubique in citatis locis, & alibi in Hebraico exemplari eſt dictio שופר *ſcophar*, qua, ut dicebamus, non tuba, ſed buccina ſignificatur; qua ad Regis acclamationem excitato jam populo, gaudium, lætitia, & jubilum reliquis inſtrumentis populo indicebatur: ac ſimul etiam per choros populis concinentibus, atque muſicis inſtrumentis perſtrepentibus, feſtum celebrabatur. Eapropter cum inauguratus fuit. Salomon, ſcribitur: *Et aſcendit univerſa multitudo poſt eum, & populus canentium tibiis*. Hebraice מחללים חללים hoc eſt: *Fiſtulantes fiſtulis*. Et quando Joas Rex fuit renunciatus 4. *Reg. cap.* 11. omnem populum tubis exhilaratum legimus, Hebraice בחצצרות *bachatſorſeroth*. Ex quibus perſpicuum eſt, omni inſtrumentorum genere regiæ inaugurationi plauſum in Republica Iſraelitica fuiſſe concelebratum.

His illuſtrantur loca aliqua Pſalmorum, in quibus Deo triumphatori more regio concinendum a militibus ex parta victoria præcipitur. Unus eſt *Pſal.* 46. in quo Propheta omnes populos invitat ad præcinendum Domino dicens: *Aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ*. Eſt enim Prophetica metaphora ſumpta a conſuetudine Regum, cum ſe ad regiam recipiebant. Hebraice ſic יהוה בקול שופר hoc eſt: *Dominus in voce buccinæ*. Et *Pſal.* 97. Dei a propheta veluti Imperatoris ob portas victorias laudes celebrantur, deque militari peritia laudatur his verbis: *Pſallite Domino in cithara, & voce pſalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ*. Hebraice ſic legitur זמרו ליהוה בכנור וקול. ומרה כחצצרות וקול שופר הריעו לפני המלך. Hoc eſt: *Pſallite Domino in cithara, & ſono Pſalterii, in tubis, & voce buccinæ jubilare coram Rege Domino*. Tubæ igitur, ac buccinæ ſono, Regi cum feſtum celebraretur, ac etiam cum inaugurareturr, cantores, ac populi præcinebant, concinebant, atque etiam ſubcinebant, cum ad regiam Rex in ſolio regni ſeſſurus deduceretur. Omnibus enim his inſtrumentis conſociabatur, ut tam Rex, quam populus communi gaudio excitaretur, & ſpecimen quoddam divinæ imaginis in Rege populus contemplaretur, & Rex ipſe a Deo in ſummo totius Reipublicæ faſtigio conſtitutus, tantum beneſitium humilitate compenſaret, atque pro captu humanæ infirmitatis, cæleſtis beatitatis quodammodo tam Rex, quam populus participes fierent; ſicque magis, magiſque ad cæleſtem gloriam muſicis inſtrumentis, tam Rex, quam populus excitati ſuſpirarent. Utinam nos quoque dum in Eccleſia divinis ſacriſque myſteriis interſumus, canticis ſacris permoti, divinas in laudes erumpentes, & voce ac ſpiritu pſallentes, ad æternam adſpirantes gloriam, in ea quieſcere peropte-

roptemus; ut Deum perpetuo laudare possimus.

CAPUT III.

Buccina regiæ præcentionis instrumentum explicatur.

Ad loca 3. Reg. 1. *Sumsitque Sadoch Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & unxit Salomonem: & cecinerunt buccina, & dixit omnis populus: Vivat Rex Salomon*. Exod. 19. *Jamque advenerat tertius dies, & mane jam inclaruerat, & ecce cæperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat*. Et ad alia plura.

Regiæ præcentionis singula nunc instrumenta contemplemur, eorundemque distinctio, tam ex parte materiæ, quam formæ ac soni monstretur. Non enim præter rem doctioribus videtur, tantisper in his immorari, cunctaque sigillatim cognoscere, quæ ab aliis illustrata minime fuere. Buccina primo loco sese offert, instrumentum recurvum, sonum edens cum quodam stridore. Hujus instrumenti materiam antiquioribus temporibus corneam extitisse, sacris ex oraculis jam teneamus, vocabulumque שופר hoc subindicat: nisi fortasse שופר appellatum hoc instrumentum velimus, vel a forma, vel etiam a sono. Monstrantur ista tum autoritate, tum ratione. Autoritas sumatur ex Lips. *lib.* 4. milit. Rom. *dial.* 10. qui buccinatorem, buccinamque a vocis similitudine, & cantu dictam vult, autoritate Varronis, qui a *bou*, *bou*, buccinam putat. Et κέρατα βόεια cornua bubula, buccinam appellat *Dionys. l. 2. Nam quia ætate Varronis*, inquit doctissimus Lipsius, *buccina fiebat ex materia metallica, & tamen cornu dicebatur, &c.* Hujus vocabuli rationem quoque affert dicens: *Cornua dicebant, quod ea, quæ nunc sunt ex ære, ex cornu bubulino tunc fierent*. Verum, me judice, ex Varrone *l.* 4. de ling. lat. solum habetur buccinatorem a vocis similitudine, & cantu sic dici, quod interpretor ego a bucca, & cantu, quasi bucca cantantem Varro buccinatorem dicat; sicque non ad materiam buccinæ, sed ad buccinandi formam Varro respexerit.

Sed quicquid sit de Varrone, etymon quoque Hebraicæ vocis, materiam hujus instrumenti insinuare, atque cum Lipsio stare videtur. Vocem enim שופר *schophar* componi ex שוא *schave*, id est, *vanum*, seu *vacuum*, & פר *phar*, idest, *taurum*, sive *bos*, constat: ut idem sit שופר *schophar*, quod vacuum tauri, id nimirum, quod in tauro est vacuum. Quo nomine nil aliud significari, quam cornu bubulum, nomine ipso, ratione, & experientia manifestum est. Licet itaque postmodum ex ære apud exteros, & metallo fieri buccina cæperit, nihilominus sacris in oraculis, nonnisi ex cornu arietino eam fieri Deus jussit. Nam Josue *cap.* 6. in quo de ruina Jerichuntina est sermo, dicitur: *Septimo autem die Sacerdotes tollent septem buccinas, quarum usus est in jubilæo, & præcedant arcam fœderis, septiesque circuibitis Civitatem, & Sacerdotes clangent buccinis*. In Hebraico legimus hæc verba ושבעה יכהנים יש אור שבעה שופרות היובלים Hoc est: *Septem Sacerdotes assument septem tubas arietinas*. Et statim *n.* 5. in quo de qualitate soni harum buccinarum agitur, ad quarum clangorem corruerunt muri Jerichuntini, subditur, והיה כמשוך בקרן היובל. Hoc est: *Et fuit in protrahendo in cornu arietino*. Hoc est, dum protraheretur sonus. Quibus sane ex locis buccinam, cujus usus erat in sacris litteris, ex cornu fuisse liquido constat.

Quamvis autem apud Vulgatum interpretem tuba, & buccina confundantur, alteraque pro altera sæpe ab interprete ponatur, cum hoc discrimen nihil ad vim sacri sensus faciat, parumque referat, qua voce interpres utatur; nihilominus in Hebraico buccina, quæ שופר *schophar* dicitur pro arietina ubique ponitur, materiamque corneam extitisse monstratur, & ad majorem expressionem materiæ, instrumentum quod ibi *num.* 4. buccina appellatur per vocem קרן *cheren*, idest *cornu num.* 5. exprimitur. Similiter in exemplari Græco legimus, καὶ ἑπτὰ ἱερεῖς λήψονται ἑπτὰ κερατίνας ἰωβήλ. Hoc est. *Et septem Sacerdotes accipient septem cornicinas jubilæi*. Et infra: καὶ οἱ ἱερεῖς σαλπιοῦσι ταῖς κερατίναις. Id est. *Et Sacerdotes buccinabunt cornicinis*. Utimur hac dictione cornicina, pro buccina; ut efficacius rigorosa Græcæ vocis κερατίνη, & Hebraicæ שופר significatio exprimatur. Velim tamen admonitum Lectorem, quod quemadmodum in exemplari vulgato, absque discrimine tuba, buccinaque ponuntur, nulla habita discriminis ratione inter alteram, atque alteram; ita in Græcis exemplaribus κερατίνη, qua buccina, sive cornicina interpretatur, multoties pro tuba ponitur, & σάλπιγξ, quæ tubam significat, stat etiam aliquando pro buccina, quæ cornea erat. Josephus *lib.* 5. *antiq. cap.* 1. hæc ipsa expressit dicens: καὶ τῇ πρώτῃ τῆς ἑορτῆς ἡμέρᾳ τὴν κιβωτὸν οἱ

ἱερεῖς φέροντες περὶ αὐτὴν ἐν κύκλῳ, μέρος τι τῶν ὁπλιτῶν φυλάττον ἦν· οἱ καὶ προσῆεσαν ἑπτὰ κέρασιν αὐτῶν σαλπίζοντες. Hoc est: *Et prima die festi arcam sacerdotes ferentes, circum illam*, idest, urbem, *erant stipati armatorum custodia: & accesserunt clangentes septem cornibus*. Idipsum etiam autoritate nostri Interpretis ostenditur *Psalm.* 97. in quo divinæ concelebrantur laudes, in voce tubæ corneæ; sed pro tuba cornea in Hebræo est dictio שופר.

Æream fuisse buccinam Romanorum Veget. *lib.* 3. *de re milit. cap.* 5. apertis verbis aperit, dicens: *Buccina quæ in semet æreo circulo flectitur*. Hinc profecto a materia instrumenti desumto vocabulo, qui buccina clangebant Æneatores appellatos fuisse Godescalcus ad illum locum Vegetii testatur; ut palam fieret materiem illorum instrumentorum, quibus illi canebant æream fuisse. Hinc quoque illud Statii lib. 8. Thebaid.

Talia apud Grajos, cum jam Mavortia contra
Cornua, jam sævos fragor æreus excitat enses.

Lucanus quoque materiam, formamque buccinæ nobis insinuans ait:

Batavique truces, quos ære recurvo
Stridentes acuere tubæ....

Virgilius pariter lib. 7. Æneid. apertissime in hanc materiam buccinæ conspirans, sic cornuum meminit:

Æreaque assensu conspirant cornua rauco.

Ovidius eamdem cornuum materiam æream delineavit dicens:

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Forma buccinæ ex his etiam testimoniis non obscure colligitur; non quidem in gyrum; ut perfecti peripheriæ figuram retineret, sed ut a principio paulatim in circulum recurvum declinans, tandem in latum os desineret: ita ut tam sublimitate, quam gyro suum proprium initium, unde afflabatur, excederet: propterea que cornu, lituumque dictam fuisse buccinam, apud Poetas Latinos est manifestum. Hinc illud Statii *lib.* 7. Thebaid. congressum Thebanorum scribentis cum his, qui Polynicis partes cum Adrasto sequebantur, qui quidem non expectatis belli signis cum hoste conseruerunt manus. De quo sic ait:

.... Sic subitis Thebana, Argivaque pubes
Conflixere globis, retro vexilla, tubæque
Post tergum, & litui bellum invenere sequuti.

Peripheriæ dixi, non certe perfectæ, sed incurvæ. De qua ita Cerda in *6.* Virg. ad vers. *165. Lituus medium instrumentum fuit inter tubam, & cornu, non rectum prorsus, ut illa, nec totum incurvum*. Quamvis igitur Scriptores interdum confundant vocabula, liquet tamen eam fuisse buccinæ formam, qualem Ovidius effigiavit, cum ait;

..... cava buccina sumitur illi
Tortilis in latum quæ turbine crescit ab imo.

Et revera arietini cornu forma Jos. *6.* etiam figuram buccinæ plane explicat; sic enim circumagitur figura arietini cornu, ut non in sphæram, sed intra sphæram circumacta compleatur, ac intra seipsam claudatur. Arietinum cornu id ostendit, ut eapropter figuræ etiam, ac formæ de causa buccinam alio vocabulo a Latinis appellatam lituum, perspicuum sit apud Virgilium in sexto Æneidos, & apud alios, quos infra referemus; & ideo liticinas quoque dictos, qui buccina canebant.

Figuram, formamque buccinæ vox ipsa Hebraica pariter insinuat. Nam radix dictionis שופר est שפר schaphar, quæ rotunditatem cum incurvatione alicujus rei in se ipsa significat. Sic enim in ea radice, seu voce שפר dixit Avenarius. *Tuba instrumentum incurvum ex ære, argentove, cornu, quod rotunditate est præpilatum ad formam spirarum in circulos, & revolutiones non in se recurrentes coactum*. Cumque si ad idem omnino punctum buccina reflecteretur, sonum nullum ederet; eapropter figura buccinæ supra seipsam introrsum vergitur. Hanc buccinæ figuram, quæ ab ore pulsantis initio sumpto, sub axillam, & dehinc ad caput, ac supra reverrens facto circulo buccinatorem circundat, ex Ovidio accepimus, & ex veteri columna Trajana ab. *6.* & tab. 10. num. 57. & 3. & ex aliis pluribus lapidibus, ac antiquis parietinis. Inflexionis enim de causa, hoc instrumenti genus, lituus quoque, ut vidimus, appellabatur. De quo ita Giacconius in notis ad Trajani columnam. *Instrumenta cava, & retorta*, supple, illa sunt, *quæ in semetipsa æreo circulo flectuntur*,

tur, quorum sonitu aliquid exercitui nuntiabatur, aciesque excitabatur. Nam per hujusmodi cornua, & tubas, indubitatis sonis agnoscit exercitus, utrum stare, aut progredi, an certe regredi oporteat; utrum longe persequi fugientes, an receptui canere. Buccinatores enim, & cornicines ornamentum erant totius legionis in ingressu conflictus, & ejus reditu. Hæc erat ejus forma



Huic buccinæ consentiunt etiam, quæ de illa scribit Vegetius lib. 3. de re milit. cap. 5. dicens: *Buccina*, supple est, *quæ in semetipsa æreo circulo flectitur*. Quemadmodum Lucano autore jam supra retulimus: qui eamdem respiciens buccinæ formam ait:

> *Batavique truces, quos ære recurvo*
> *Stridentes acuere tubæ.*

De voce sonoque buccinæ agamus. Quem fuisse stridulum, & quam longe perstrepentem, non tam Apulejus lib. 3. florid. ubi de humana voce agens, eam buccinæ significatu longinquiorem dixit; quam etiam ex cap. 6. Josue hoc idem manifestum fit: cum dicitur, quod in extensione sonitus buccinæ Jerichuntina mœnia corruerunt; quibus sane verbis sonitum illius longe extendi sacer textus demonstrat. Unde Ennius Annal. 8. ait:

> *Inde locci lituus sonitus effudit acutos.*

Et in eadem soni descriptione Statius lib. 6. Thebaid. dixit:

> *Multa gemunt contra raucis conventibus agri,*
> *Et lituis aures circumpulsantur acutis.*

Cum enim hoc instrumentum esset incurvum, sonum edebat streperum, & acutum: de quo Seneca Oedip.

> *. . . . sonuit reflexo classicum cornu*
> *Lituus adunco strudulos cantus elisit ære.*

Virgilius etiam lib. 6. Æneid. cornuum ad pugnam excitantium dum meminit, sonum quoque illorum aperit dicens:

> *Æreaque assensu conspirant cornua rauco.*

Et lib. 8. in principio:

> *Ut belli signum Laurenti Turnus ab arce*
> *Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu.*

Horatius quoque lib. 2. Carm. od. 4. dixit: *Litui strepunt*. Locus ex cap. 19. Exo apprime perstreperum buccinæ, seu litui sonum monstrat. Nam cum Deus in Synai populo jam per biduum præparato, ut divinarum vocum fieret capax, more Imperatoris exercitum Israeliticum allocuturus accederet; *Jamque ad venerat tertius dies*, ait textus, *& mane inclaruerat: & ecce cæperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perstrepebat*. Et infra: *Et sonus buccinæ paulatim crescebat in majus, & prolixius ferebatur*. Vel ut Hebraice legitur וקול שופר חזר מאד: Hoc est: *Et vox buccinæ multum fortis*. Perspicuum est igitur clangorem buccinæ, quam longissime perstrepere ac audiri.

Buccina cujus esset materiæ, formæque, jam constat. Usus illius aperiendus superest. De quo ita Pontan. lib. II. Symbol. ad Æneid. ad vers. 165. *Tuba pedites, equites vero lituo, ad pugnam advocari sæpe*

pe notatum est. Quæ vera sint necne, alii me diligentiores viderint. Nec enim in columna Trajani, neque apud Guilel. Choul, ubi agitur de Romanorum castrorum metatione, liticines equestres nobis exhibentur: sed ubique pedestres eos vidimus, ut Missenum, quem in Maritima classe liticinam dixit Virgilius:

Et lituo pugnas insignis obibat & hasta.

Nec enim equites, sed pedites in ea classe ad pugnam vocabantur. Sed quicquid sit de his, litui, seu buccinæ apud Romanos usus, in bello tantum ex columna Trajani habetur. Itaque ad classicum canendum adhibitam buccinam, seu lituum suspicari potest; quod liticines hac de causa signis adjungi videamus in ejus columnæ delineatione tabula *6. 9. 37. 51.* atque etiam in aliis veterum monumentis.

Verum ut ad sacra me conferam oracula, ad quorum explicationem laboramus, instrumentum, quod שפר ut vidimus, dicebatur, toties ad usum Israelitis extitisse scimus, quoties aliquid populo prænunciabatur: sive ad sacra, sive ad alia prænunciatio pertineret. Buccina enim neomeniæ, sive novilunia prænunciabantur, de qua in Psal. 81. dicitur: *Buccinate in neomenia tuba*, Hebraice legitur, *clangite in neomeniæ buccina*. Si annus Jubilæi populo indicendus fuisset, de quo Levit. 25. buccina ille indicebatur. Classicum ubi canendum foret, excitandusque populus ad arma fuisset: eodem instrumento id fiebat, ut Jos. 6. & Judic. 7. Si ad pænitentiam commovendus esset populus, buccina excitabatur. Sic Isaiæ 58. dixit Deus ad Prophetam: *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam; & annuncia populo meo scelera eorum, & domus Jacob peccata eorum*. Et ubi in nostro textu est dictio tuba vocabulum שופר idest, buccina in Hebraico textu legitur. Quando etiam Rex adorandus, sive consalutandus fuisset, buccina id significabatur, populoque bene ominandi tempus in acclamationibus buccina prænunciabatur; ut una cum aliis musicalibus instrumentis in præcentione regia, buccina quoque perstreperet.

CAPUT IV.

Tuba, & tibia regiæ præcentionis instrumenta monstrantur.

Ad loca Num. 10. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem, quando movenda sunt castra*. 3. Reg. 1. *Et ascendit universa multitudo post eum, & populus canentium tibiis*. Et infra: *Et Joab audita voce tubæ*. Et ad alia.

TUba quæ חצצרה *chatsotserah* in singulari Hebraice dicitur; licet חצצרות *chatsotseroth* pluraliter in sacro textu ubique legatur; instrumentum metallicum ex ære, argentove factum, sive conflatum erat, ut supra vidimus ex c. 10. Num. ubi tubas, quæ ex Dei mandato a Moyse paratæ fuere ad populum in concionem vocandum, argenteas fuisse constat. Sic enim legimus: *Locutusque est Dominus ad Moysem dicens: fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus convocare possis multitudinem quando movenda sunt castra*. Usus itaque tubarum a Deo, tum ad profectionem exercitus, tum ad convocandum Senatum his verbis præscribitur: *Cumque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis*. Et infra: *Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, & non concise ululabunt*. Vetustiores vero Romani buccina comitia indicere consueverunt, si Propertio fides habenda est: nisi poetica licentia illum buccinam, pro tuba posuisse velimus, dum ait:

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.

Quod etiam Dionys. lib. 2. affirmat. Juvenalis tubæ materiam, ac formam quoque tradidisse tunc nobis videtur, cum ex joco de quodam ait se ignorare, tubicen, an cornicen dicendus foret:

Quadraginta dedit Gracchus sestertia dotem
Cornicini, sive hic recto cantaverat ære.

Et quia recti hic æris Poeta meminit, Lipsius vir undequaque eruditissimus lib. 4. de milit. Rom. dial. 10. tubam effingit unius tantum canalis, illumque rectum. Cui etiam consentit delineatio columnæ Trajanæ, in qua una cum buccinis instrumenta quoque ærea rectæ formæ ad classicum canendum conspiciuntur. Quæ tubas dici debere certius est quam pro-

probari possit. Sic enim de ea Vegetius lib. 3. de milit. Rom. cap. 5. *Tuba quæ directa est appellatur*. Stant pro hac tubæ forma vetera numismata, in quibus fama tubam inflat ad partas victorias, devictosque hostes publicandum, & tuba rectam retinet formam. Nam ad insinuandam velocitatem famæ, quæ in universum pervolat, alæ eidem imagini adjunguntur.

Favet huic formæ tubæ Ovidius, jam supra a nobis relatus, cum de materia ærea cornuum agens ait:

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Propertius quoque tubam appellavit *rectum æs*. Similem quoque rectamque habuisse formam, tubam de qua in sacris literis, certissimum est. At nos, quibus cum sacris oraculis standum est, tubæ formam tentabimus explicare per ea, quæ cap. 10. Num. habentur; Deo sic Moysi præcipienti: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles*. Hebraice sic legimus עשה לך שתי חצצרות idest, *fac tibi duas tubas*. Deinde materiam, formamque illarum aperiens subdit כסף מקשה hoc est, *argenti laminati facies illas*. In quam vero formam laminæ pro tubis ducerentur, intelligere possumus ex Josepho lib. 3. antiquit. cap. 11. dicente: *Reperit*, supple Moyses, *etiam formam buccinæ ex argento factæ: est autem talis, longitudinem quidem habet paulo minus cubitalem, crassitudine autem est tibiæ paulo crassior; cujus os tantum patebat, quantum ad inflandum sufficeret, desinebat in extremitate campanulæ similis; quemadmodum tuba, quæ Asosra vocatur apud Hebræos*. Ex quibus sane Josephi verbis tubam Hebræorum, ejusdem fuisse omnino formæ cum tuba Romanorum, quam ex lapidibus, & numismatibus tradidimus, perspicuum est, nimirum ut A in subposita tabula.



Verum ut hoc genus instrumenti sonum edere posset, necessario in eo requiri videbatur, ut aliquam haberet ad os ligulam, quæ ori admota buccinatoris, stridorem ederet, & tubæ canali admota, introque illata canali, sonum moderaretur, sicque gratior sonus ab ea redderetur. Quemadmodum nunc in illis instrumentis, quæ piphari Italice dicuntur, fieri solet. Stridor enim ille ad imum canalem delatus ea ligula in metallico instrumento dulcescit, atque gratior redditur; alias nullum, ut puto, sonum edidisset.

Quæ diximus de ligula ad os tubæ admota, intraque tubicinis os recepta, ad tubæ stridorem suaviorem edendum, tubæque cantum formandum, nobis viam aperiunt, ut intelligamus, cur tuba ossea dicta fuerit apud Prosper. *lib.* 4. *eleg.* 3. cum ait:

Et struxit querulas rauca per ossa tubas.

Per ossa, id est, *in ossibus simul junctis, atque conglutinatis ad tubam formandam*, dixit Passaratius. Verum fallitur, tum

tum quia inter tubam ac tibiam non distinguit, tum quia antiquitus fieri solitas tubas ex ossibus putat: quod ex Plutarcho hausit, qui ex ossibus Cervorum, & Asinorum, solitas fieri tibias ait: quæ quidem ossa, licet ad usum tibiæ valuissent, ut hodie ad fistularum usum accommodatissima sunt; tamen ad tubam non erant accommodata. Poeta igitur tubam dixit osseam, propter osseam ligulam, quam diximus tubæ admotam ad sonum edendum. Ligulæ circa medium partes constringuntur, ac colligantur, & a tubicine ad sonum edendum sic adstrictæ intra os recipiuntur.

Quemnam sonum tuba sub ea forma recta, sine ea, quam commenti sumus ligula ederet; satis perobscurum videtur. Non enim cantus, non harmoniam, sed ululatum ea instrumenti forma edi posse arbitror; qualem nimirum tabellarii apud Italos suo illo æreo instrumento unius canalis, quoties nocturno tempore cursitantes iter faciunt, edere consueverunt. Eo namque instrumento longe inflato vigiles civitatum excitati, equos statim parare tabellariis ad ulterius progrediendum, & urbium portas aperire eo sono, seu potius ululatu admonentur; nisi extra urbes equi parati jam habeantur, ne tabellarii tantisper immorari cogantur: quem quidem sonum, immo potius strepitum auribus potius injucundum, quam gratum esse constat. Quamobrem hac saltem de causa alienissimum quoque extitisse a majestate regia, & a sacris, instrumenti hoc genus, nobis sit certum.

Obliquam sacræ tubæ fuisse formam, vel aliquo modo in gyrum conversam, suspicari posset a ratione musicali, quæ in his instrumentis habetur; multiplicatis namque canalibus sonum reddidisset. Etenim per rectos, obliquos quæ canales tubicinis vocem, sive flatum deductum, gratum, suavemque sonum, sive potius cantum aliquem edere posse experimur, qualem passim in tubis cernimus, quorum usus his nostris temporibus, tam in choris musicalibus, quam etiam apud Principes, & Urbes Italas imperatorio jure insignes, tum in pace, tum in bello habetur, ad Principis majestatem repræsentandam, ad classicum canendum, militesque ad pugnam excitandos. Quam enim asperitatem habet vox ipsa unico deducta canali, per directos, repetitosque eosdem, & in seipsos etiam conversos, vel ad principium tubæ reflexos, vox moderatur, gratiorque redditur; in ea nimirum tubæ forma, qua cantores ad musicos concentus utuntur, cujus priores canales duplicati nunc extenduntur, nunc ad os retrahuntur, ut vox gravetur, vel acuatur, juxta extensionem, vel retractionem canalium. Hanc tubam veteribus quoque notam scimus ex concentu musicali: in ea enim tuba sonus gravatur, vel acuitur, si canalis mobilis, qui alios intra se claudit, ab ore elongetur, vel ori approximetur, more tubarum ductilium. Hac enim ratione toni musicales explicantur, & vox ipsa gravatur, vel acuitur ad libitum musici tubicinis; unaque pars tubæ ad aurem aliquando ducitur, ut aurem tegat ad sonum graviorem reddendum. Antiquitus apud Ægyptios tubas has extitisse notas, saltem autoritate Apuleji probatur, qui hanc tubam *lib.* 11. Metam. in sacris magnæ Isidis nobis effigiavit dicens: *Ibant & tibicines dicati magno Serapi: tibicines, qui per obliquum calamum ad aurem porrectum dextera, familiarem templi, Deique modulum frequentabant*. Duo sunt hic notanda in verbis Apuleji: alterum spectat ad formam, magnitudinemque tubæ, quam expressit in illis verbis: *Obliquum calamum ad aurem porrectum*. Alterum respicit musicalem harmoniam, ad quam illius tubæ usus erat, quem Apulejus in illis verbis expressit: *Dextera familiarem templi, Deique modulum frequentabant*. Itaque dextera extendente, vel retrahente tubæ canales, musicales soni ab ea edebantur, in eaque extensione, & retractione, tibicines modulabantur. Hujus tubæ formam icone B. superioris tabulæ utcunque reddimus.

Nec obiter aut inconsiderate prætereas velim, amice Lector, familiarem ab Apulejo templis, Diisque dici hujus tubæ modulum. Nam tuba, sive ejus, quam descripsit Apulejus, sive alterius formæ fuerit; non solum Ægyptiis, ut vidimus ex Apulejo, sed etiam Romanis ipsis erat instrumentum ad usum sacrorum. Quamobrem etiam Calphurnius in eclog-relatus a Lipsio loco citato ait:

Inter sacra tubas, non inter bella, sonare.

Et Suidas σάλπιγξ, inquit, ἱεροατικὸν τῦτο ὄργανον, ἱερῆς γὰρ ἐχρῶντο τῇ σάλπιγγι. Id est: *Tuba sacrum hoc instrumentum est: Sacerdotes enim utebantur tuba*. Quod Suidam dixisse constat, ut rationem afferret, cur tuba sacra diceretur.

Inter tubas eas quoque sacras fuisse constat, quarum usus erat in Israel: ubi ex lege *Num.* 10. solis Sacerdotibus tubis clangere concedebatur. Sic enim ibi dicitur: *Filii Aaron Sacerdotes clangent tubis; eritque hoc legitimum sempiternum in*

ge-

generationibus vestris. Qua phrasi dicendi significatur, nemini licuisse ex non sacerdotibus, tubis canere. Sacerdotes his utebantur in Calendis mensium, sive neomeniis, in motione castrorum, in convocando Senatu, similiter etiam cum in bello, ac pugna manus cum hoste conserenda foret, aut receptui canendum: & in aliis quoque occasionibus, de quibus *Num.* 10. satis prolixe a Moyse scribitur. Tubis quoque cecinisse Israelitas, cum Rex sacro jam oleo unctus, & a populo consalutatus, eidem populo venerandus, atque acclamandus monstrabatur, ex *cap.* 11. *l.* 4. Reg. in quo de Joasi inauguratione agitur, manifestum est.

Erat denique aliud genus instrumenti, quo ab Israelitis canebatur, cum Reges Hebræorum inaugurarentur. Hoc חלילים *chalilim* in numero plurali appellatur: nec frequenter sacris in oraculis hoc instrumentum in singulari legitur. Pluribus autem foraminibus perforatum extitisse, a vocabulo Hebraico hauritur. Hoc enim significat verbum חלל *chalal* a quo dictio חלילים derivatur, quam aliqui tibiam interpretantur, tibiæ quidem vocabulo illud intelligentes instrumentum, quod proprie fistula, tam apud Plinium, quam apud graviores Scriptores appellatur. Eam sic præclare descripsit S. Paul. Nolan. in nat. 9. quem ad honorem S. Felicis cecinit; ubi de adventu Nicetæ cujusdam Episcopi, deque modulationibus ait:

> . . . . . . *vel qui perflantia textis*
> *Labra terit calamis, licet unum carmen ab uno*
> *Ore ferat, non una tonat, variosque magistra*
> *Temperat arte sonos, arguta foramina, flatu,*
> *Mobilibusque regit digitis, clauditque, aperitque,*
> *Ut rapida vice dulcescat, redeatque cavernis.*

Cujus quidem instrumenti usum frequentissimum extitisse in sacrificiis veterum Romanorum, veteres lapides ubique subindicant; nullibi enim in his sacrificium expressum conspicitur, in quo aliquis duplicem tibiam inflans, non conspiciatur. Is est sensus Statii *lib.* 8. Thebaid. Sacrificium Thebanorum ob partam victoriam describentis, ac dicentis:

> . . . *gemina æra sonant, Idæaque terga,*
> *Et moderata sonum vario spiramine buxus,*
> *Tunc dulces superos, atque omne ex ordine alumnum*
> *Numen, ubique sacri resonant Pæanes . . . . .*

Hujus tibiæ sonum fuisse gratissimum auribus, atque suavissimum, ex Antipatro in florileg. epigram. *lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 3. subodoratur: qui etiam de ea sic ait:

> λωτοὶ δὲ κλάζοντες ἴσον φόρμιγγι μελιχρόν.

Id est:

> *Loti autem resonantes, æquale ipsi Citharæ dulce.*

Tibiam autem loti nomine hic significari suspicamur: quia ex loto apud Græcos, sive a suavitate soni vocabulum sortiebatur: quamobrem alio nomine fistula, a Latinis dicebatur, a Græco ἀυλή. Hæc omnia manifesta fiunt ex illo Philippi *l.* 1. florileg. epigr. *n.* 1. in illo:

> ἵμερον ἀυλήσαντι πολυτρήτων διὰ λωτῶν.

Hoc est:

> *Suaviter tibia canenti per foraminatas lotos.*

Tibiæ denique vocabulo illud instrumentum si accipiatur, quod vernacula lingua apud nos *pifaro* dicitur, Hispanice vero menestril, & Phrygia fortasse tibia apud Græcos fuit; verius, ut reor, Hebraici vocabuli vis attingeretur. Nam חלילים *chalilim* Hebraice instrumentum hoc, a pluralitate foraminum appellatum constat; quia præter foramina septena, quæ digitis ad vocem elevandam, gravandam, aut acuendam aperiuntur vel clauduntur, medium illius singulari quodam cortice, vel ligneo, vel ex aliqua materia, minutissimis foraminibus perforato circumdatur, ut vox gravior, ex foramine quodam majori sub illo cortice clauso resonet, dum tactu cujusdam ligulæ metallicæ extendentis se usque ad manus illius, qui tibia canit, aperiatur, & quo manus pulsantis pertingere nequit, ligula accedat, ac recedat, aperiat vel claudat foramen, & vox gravetur, vel elevetur, ut videre licet in figura C Pag.

Usus horum instrumentorum adhuc perdurat, & ex ligno tantum illud conspexi: sed jam olim ex auro, aurichalco, cervorum, asinorumque cruribus parabatur, ut legitur apud Philostratum *lib.* 5. de vita Apollonii Thianæi, ubi Apollonius

nius quærit a tibicine, an a materia ex qua tibia compacta est, sonum habeat, dicens: *An igitur præterea cani efficit hæc tibia, quod ex auro, aurichalcove, aut cervorum, aut asinorum cruribus compacta sit?* Quibus plane verbis autor subindicat, qua ex materia tunc tibia pararetur. Cumque per choros tibiis cani, quemadmodum etiam tubis, consuetudo tunc obtineret; idcirco quoties sacra Scriptura horum instrumentorum meminit; toties de illis non quidem in singulari, sed in plurali numero loquitur. Tubis igitur, buccinis, ac tibiis, ut puto, apud Israelitas Regi jam inaugurato, cum a populo fuisset acclamandus, & ab inaugurationis loco ad palatium educendus, præcinebatur. Hæc præcentio oraculo 3. Reg. confirmatur, & comprobatur, ubi de prima Salomonis inauguratione agitur. Postquam enim sacer textus adorationis ad sonum buccinæ meminisset; de præcentione, quæ tunc personabat, cum Rex ad thronum deducebatur, his loquitur verbis: *Et ascendit universa multitudo post eum, & populus canentium tibiis, & lætantium gaudio magno: & insonuit terra a clamore eorum.*

ANTONII GALLAND
DISSERTATIO
DE
TUBÆ ORIGINE
EJUSQUE APUD VETERES USU.

Tuba, ejusque species ante Moysis tempora notas fuisse docemur. Id probatur ex decimo Numerorum capite, in quo Deus Moysi mandat, ut duas ex argento Tubas confici curet, quarum variis clangoribus Principes, Populusque de castris movendis moneretur. Quia vero ibi Deus Tubarum materiem, signaque ab iis danda præcipit, de forma nihil præscribit, rationi consentaneum est arguere, eam Moysi æque ac Israelitis ignotam non fuisse. Unde autem illam noverint, nisi ab Ægyptiis? Hinc sequitur, Tubam in illa regione aut *Mesraim*, aut alicui ex ejus posteris ortum debere. Huic sententiæ Græci ipsi favent, qui Osirim, unum ex primoribus Ægypti Regibus, Tubæ inventorem fecerunt. Non defuere etiam qui illius instrumenti Minervam inventricem vellent. Verum, re ad Historiæ trutinam perpensa, eadem ætas apud Græcos, ac apud Ægyptios & Israelitas assignari usui Tubæ non potest, cum quo obsidebatur tempore Troja, minime nota fuisse videatur. Homerus sua ætate in præliis Tubarum usum fuisse palam facit, cum eas in Poemate de ranarum & murium pugna memorat; quarum item mentionem fecisset in Græcorum & Trojanorum bellis, si sui sæculi hominum censuram non reformidasset, qui certe ignorare non poterant, quam novus esset in Græcia Tubarum usus. Virgilius hac in re minus circumspectus Homero fuit, qui, antiquiorum esset, remotioris illius ætatis mores magis callebat. Habemus enim in Æneide, Misenum Eoli filium magni nomini Tubicinem ilii obsidioni interfuisse, qui Hectoris lateri adhærens fortia agendo sæpius clarum se reddidit. Si quosdam Græcos Autores audias, Tubæ inventores Tyrrheni fuere. Athenæus expresse dicit, ab hisce Populis inventa τὰ κέρατα ϗ σάλπιγγας, hoc est, ambas Tubas, incurvam & rectam. Nonnulli alii, inter quos Pausanias, hoc inventum non Tyrrhenis, sed eorum Duci Tyrrheno Herculi filio Lydique fratri adjudicant.

Tubæ origo ejusdem ætatis videtur penes Græcos Romanosque; ejusque usus in utraque Gente ætatem Herculis non antecedere. Hoc exercitium in solemnibus ludis qui in Græcia celebrabantur, locum habebat; præmiumque dabatur. A Græcis Autoribus nihil peculiare habemus de Tuba apud eos usitata. Romani Græcis ditiores cum tres Tubarum species haberent, de illis plura nobis tradidere. Prima dicebatur *Tuba* a *Tubus*, eo quod Tubo similis esset. Hæc Tuba recta erat, vocabaturque *Tuba recta Æs rectum*. Ar-

cta

cta erat in superiori extremitate, quæ ori admovetur, sensimque se dilatans in circularem adæquatam aperturam desinebat, omnino similis illi qua modo nos utimur.

Altera Tubæ Romanæ species minor erat prima, in extremitate erat incurva ad modum fere Baculi Auguralis, a quo nomen *Litui* mutuata est. Quandoque etiam *Tuba curva* vocitabatur. F.

Tertia Tubæ species a Romanis in usum recepta *Buccina* vel *Buccinum* appellabatur; itaque recurva erat, at quasi circulum referebat. Sub lævum Tubicinis brachium transiens ita se inflectebat, ut inferior extremitas supra humerum conspicienda veniret, quasi vellet alteri extremitati se adjungere.

Nunc quærendum de rectæ Tubæ frequentiori usu, quæ a Græcis σάλπιγξ dicebatur, Tuba a Latinis. Illa in bello Veteres utebantur ad milites ad prælium inflammandos, eosque ad vexilla revocandos, si in pugna dispersi nimis longe aberrassent. In exercitu Tuba recta peditatui assignata erat, ipsique Tubicines pedites erant, nisi aliqua extra ordinem occasio eos equum ascendere cogeret. Ubi hostiles copiæ prope aderant, Tubæ classicum canebant, hoc est pugnæ signum dabant; alio vero sonitu receptum, hoc est a pugna revocabant.

Urbium mœnia veteri Romano more Tubis canentibus diruebantur. In castris Tubæ rectæ peculiare erat quæ munia obeunda essent indicare. Tubis præcinentibus Dictatores, Consules, Prætores, cæterique Imperatores triumphabant. Pompæ triumphali præibant, suoque sonitu Populi acclamationes gaudiumque duplicabant. Non ita tamen bello Tuba recta addicebatur, ut nulli alii usui inserviret. Præcos imitati Romani eas in sacris Ludis, præcipuæ vero in Floralibus adhibebant.

Aliquando etiam in cæremonicis lugubribus Tubæ locus erat, ejusque sonus in Pompa funebri exaudiebatur quandiu ludi fierent circa rogum honoris gratia. Si Servium audias, Pompas funebres seniorum tantummodo hominum Tubæ rectæ, juniorum Tibiæ præcedebant. Verum, quidquid doctus Grammaticus dicat, certum est Tibiarum cantum immisceri Tubarum clangori sæpius solitum fuisse in Virorum Principum ac Imperatorum funeribus. Dici etiam generatim posset, in omnibus funebribus Romanorum cæremoniis, cujuscumque ordinis aut ætatis essent, semper Tibias adfuisse, cum in omnibus exsequiis funebria carmina *Neniæ* canerentur, quas ad tibiam persequi necesse erat.

Neque in aliquibus sacrificiis Tubæ rectæ cantus deerat; certe festum *Lustrationis* Armorum sine Tubæ sonitu neutiquam celebrabatur.

De duabus reliquis Tubæ speciebus, quibus Romani utebantur, sermonem instituam, *Buccina* & *Litus* seu *Tuba curva* ad Equitatum spectabat; quod in duobus primis suarum Odarum libris tam aperte innuitur ab Horatio, ut nullus dubitandi locus relinquatur. Romani Imperatores in castris milites suos allocuturi, eos sono Tubæ curvæ convocari jubebant, Ammiano Marcellino teste. Quæ signa vel ineundæ pugnæ, vel receptus Tuba recta Peditibus dabat, eadem *Lituus* dabat equitibus. In triumphalibus pompis pariter adhibebatur; nempe ubi adessent Equitum turmæ, quæ triumphantem comitarentur. Peditibus qui triumphalem pompam præcedebant, sui semper *Tubicines* præibant, qui Tuba recta, proprie *Tuba* dicta, canebant. Quoad alteram Tubæ speciem, cui *Buccina* nomen, hæc æque ac Tuba recta Peditatui communis erat. *Buccinæ* sono in castris vigiliæ indicebantur; signumque dabatur excubitori sua vigilia perfuncto, ut eam alteri traderet. Ideo vero ad hunc usum *Buccina* potius, quam Tuba recta & curva adhibebatur, quia ejus sonus, acutiorum cum esset, ad magis dissita loca distinctior perveniebat. Vegetius, qui sub Valentiniano juniore vitam egit, quartam Tubæ speciem suo tempore a Romanis adhiberi solitam narrat; eamque confici ex cornu Boum agrestium, qui *Uri* dicebantur, quorum tunc in Alemannia maxima copia. Hoc cornu in extremitate quæ ori admovebatur argento instructum, eodem referente Vegetio, sonitum æque distinctum & acutum dabat, ac alia quæcumque Tubæ species.

EXCERPTA
EX JO. GEORGIO ABICHT
DE
LAPSU MURORUM
HIERICHUNTINORUM.

Secunda quæstio, quæ in consideratione mandati divini occurrit, est de tubis, quibus clanxerunt sacerdotes. Quærunt enim interpretes, utrum arietinæ fuerint, & cur Jubilææ appellentur? Resp. Obscura vox יובל *Jobel* causam huic quæstioni præbuit, qua explicata difficultas tollitur. Rad. יבל in Kal nullibi legitur, sed in Hiphil & Hophal *adducere & adduci* significat *Ps.* LX. II. Quis יובילני deducet me, LXX. *τίς ἀπάξει με* &c. Hinc ad formam יותר *excellentia* formamus יובל *adductio*, *eductio*, *egressus*. Inde יבול *eductum ex terra*, *proventus*, LXX. *γεύνημα*, *τὰ ἐκφόρια* ita quoque אובל *fluentum*, *aqua egrediens*, Dan. VIII. 2. & יבלי מים *fluenta aquarum*, Es. XXX. 25. Reliqua derivata consonant. LXX. יובל *Jobel* vertunt *ἄφεσιν remissionem*, *dimissionem*, locis, quam plurimis, *v. 9. Levit.* XXV. 28. 30. 31. &c. Quandoque reddunt *ἀφέσεως σημασίαν dimissionis significationem* Lev. XXV. 10. 11. 12. inde colligimus יובל *Jobel* proprie significare *eductionem populi ex loco suo in alium*. Gallice *marche* appellabis. Deinde vox *Jobel* in specie denotat *sonum tubæ*, *quo populus evocatur*, uti ap. Germanos *den marche blasen*, ut ex loco suo egrediatur, & ad clangentem se conferat. Hanc enim ob causam LXX. *σημασίαν ἀφέσεως* transtulerunt. Ex hoc quoque intelligimus, cur *Exod.* XIX. 13. במשך היבל *cum quis tuba protraxerit sonum egressus*, *vel cum quis tuba signum egressus vel dimissionis dederit*, ipsi ascendant in montem. Ubi LXX. quando *αἱ φωναὶ καὶ αἱ σάλπιγγες καὶ νεφέλη ἀπέλθῃ soni & tubæ & nubes egredientur ex monte*, quæ nihil significant, nisi, quando sonus egressus dabitur: reliqua enim *καὶ αἱ σάλπιγγες καὶ ἡ νεφέλη ἀπὸ τοῦ ὄρους* pro glossemate habentur, quibus nihil in Hebræo codice respondet. Chaldæus reddit congrue במנגד היבל *in protractione soni dimissionis*, h. e. *cum tuba signum egressus datur*. Pari modo annus dimissionis, quo libertas in tota terra omnibus servis de proclamatur, dicitur יבל *Jobel egressus* vel *dimissio*, quo singuli servi captivi, pauperes, exules egrediebantur, & ad possessiones suas revertebantur, *Lev.* XXV. 10. 13. Denotat itaque *Jobel* tam sonum tubæ, signum nempe egressus, quam egressum ipsum, rem signatam. Mirum ergo non est jubilare Varroni esse *rustica voce inclamare*. Jubilo enim rustici audito ex locis suis egrediuntur & congregantur. Alii imprimis Judæi יבל arietem significare contendunt, provocantes ad R. Akibam, qui *Rosch haschana cap.* 3. *fol.* 26. a dixit: Cum in Arabiam profectus sum, arietem vocarunt יבלא *Jobela*. Sed teste Bocharto aries Arabicus nunquam vocatur Jobela. *Hieroz. Part.* I. *L.* II. *cap.* XLIII. *p. m.* 425. Nec ullibi in Scriptura aries Jobel appellatur, cujus tamen crebra fit mentio. Nec Radix יבל eundem significatum admittit. Et licet Chaldæus in nostro loco *v.* 5. 6. *cornu Jobel* appellet *cornu arietis*; nihilominus ex eo tantum patet, hanc arietis appellationem esse antiquam, sed non sequitur, eandem esse veram. LXX. Senes longe antiquiores in plerisque locis *ἄφεσιν* & *σημασίαν ἀφέσεως* transferunt. Existimamus itaque שופרות היובלים esse tubas egressuum, vel dimissionum, quibus signum datum est, ut milites egrediantur ex castris, vel ut servi exeant ex servitute. Hunc sensum approbant LXX. in nostro loco *v.* 7. vertentes: *καὶ ἑπτὰ ἱερεῖς, ἔχοντες ἑπτὰ σάλπιγγας ἱερὰς παρελθέτωσαν ὡσαύτως ἐναντίον τοῦ κυρίου, καὶ σημαινέτωσαν εὐτόνως & septem sacerdotes habentes septem buccinas sacras prætergrediantur similiter ante Dominum, & significent consonanter*, vel *egressum sono tubarum significent*. Quamvis vero arietem cum Judæis Jobel non appellemus; negare tamen non audemus, buccinas ex Arietino cornu olim esse factas: quia Chaldæus nostro loco *buccinas Jobel* appellat buccinas ex arietino cornu שופריא דקרן דכריא Sed quia Chaldæus tempore templi secundi vixit, non dubitamus ipsi in re notissima fidem adhibere. Accedit quod *v.* 5. buccina קרן היובל *cornu Jobel* appel-


appellatur. Sed licet hoc admittamus, non tamen concedimus, Chaldæum vocem Jobel recte transtulisse. Nam cum buccinæ Jubilææ ex cornibus arietis essent factæ, eas sic appellavit, veram vocis Jobel significationem non attendens, vel ignorans. Temporis enim cursu multi vocum natales & propriæ significationes oblivioni traduntur & amittuntur.

Tertia quæstio in mandato divino *v.* 4. & 5. dato agit p. de differentia, quæ fuit inter *clangorem tubæ* תקיע שופרות & inter *protractionem cum cornu jubilæo* משיך בקרן p. de תרועה *clamore*, quem populus edidit. Præcipit enim Deus, ut septem Sacerdotes cum militibus urbem circumeuntes *clangant*, & tandem septimo die *cornu sonum protrahant:* quo audito totus populus vociferatione magna תרועה גדולה clamet תקיעה *clangor* derivatur a תקע *fixit*, Jud. III. 21. ויתקעה & *infixit illum gladium in ventrem ejus*. Deinde de buccina usurpatur significatque clangere, quasi flatum buccinæ infigere, LXX. σαλπίζειν Qualis vero clangoris sonus fuerit, ex clangore buccinæ, quo anno jubilæa libertas publicata est, discimus. Omnes fatentur Judæi תקיע *clangorem* fuisse sonum fixum, rectum & æqualem Bartholoccio teste, *Part.* II. *Biblioth. p.* 588. si quid Rabbinorum traditionibus dandum est: Thekia vel clangor absolvitur novem flatibus, vel aeris haustibus, uti tradit הרא״בר R. Abrah. Ben David *in Animadd. ad Rambam part.* I. *Hilchoth Scophar cap.* III. *f. m.* 271. in quo discedit a Maimonide *l. c.* quia Thekia vel clangorem sex flatibus, vel duabus Thruis absolvi existimavit. Ex quo apparet, quam incerta sint, quæ hodierni Judæi de clangore Jubilæi nobis tradiderunt. Eadem nobis sententia de משך בקרן *protractione soni cum cornu* videtur. Quamvis vox משך *protraxit*, videatur diversum sonum significare; in versu tamen 16. vox תקע *clanxit* eidem respondet. Si quæ vero differentia intercedit, illa erit, quod תקע sit *clangere;* משך vero *clangorem eundem repetere vel continuare;* quo sensu eandem vocem Maim. adhibuit *l. c.* Si dicas: Deum mandasse, ut populus clamorem edat, quando audiat protrahi sonum cum cornu; respondemus, verba intelligenda esse, prout in *v.* 16. explicantur. Quando populus septimo die absolutis septem circuitibus audierit sacerdotes in septima circuitione clangentes, tunc clamorem edat. Adeoque ex numero non ex diverso sono Israelitæ tempus clamoris intellexerunt. Quod denique תרועה *clamorem* vel *ejulatum* concernit, descendit vox a רוע unde הריע *clangere*, *jubilare*, *harritum facere*. Ut distincte procedamus, observandum, quod Thruæ sonus etiam buccina productus sit. *Num.* enim X. 5. legimus ותקעתם תרועה *si clanxeritis Thruam*, sec. Vatablum, *Taratantara*, *proficiscantur castra*. Ex quo colligimus Thruam fuisse signum progressus, *der marche*, quem LXX. h. l. σημασίαν reddunt. R. Moses Maimon. *l. c. cap.* III. *n.* 2. fatetur, ignotum esse nostris temporibus, utrum ille clangor ejulatui mulierum, an vero gemitui similis fuerit. Audiamus eum: תרועה זו האמורה בתורה וסתפק לנו בה ספק לפי אורך השנים ורוב הגלות ואין אנו יודעין היאך היא אם היא היללה שמיללין הנשים ביניהם בעת שמייבבין או האנחה כדרך שיאנח האדם פעם אחר פעם כשידאו לבו מדבר גדול או שניהם כאחד האנחה והיללה שדרכה לבא אחריה הן הכקר און תרועה שבן דרך הדואג מתאנח תחלה ואחר כך מילל לכך אנו עושין הכל: *Thrua dicta in lege dubia apud nos & propter longum tempus & multa exilia. Nec scimus, qualis illa fuerit. Utrum ejulatus fuerit, quem mulieres edunt inter se vociferantes; vel gemitus, quando homo aliquot vicibus suspirat, corde ex re gravi dolorem sentiens, vel utrum ambo tam ejulatus quam gemitus conjungendi sint. Gemitus & ejulatus, qui se invicem sequuntur, appellantur Thrua (clamor) sic enim dolens primo gemit, deinde ejulat, propterea utramque conjungimus*. Deinde Thrua etiam est harritus militum, ante prælium ore editus, quem LXX. reddunt ἀλαλαγμὸν *v.* 20. ἠλάλαξε πᾶς ὁ λαὸς ἅμα ἀλαλαγμῷ μεγάλῳ. Ex quo intelligimus, clamorem ἐλελεῦ sonuisse: & quia ἐλελίζειν, quo Xenophon Martium clamorem expressit, descendit ab Hebræo הילל *ejulavit;* apparet hunc clamorem ab Hebræis ad Græcos descendisse. Quis vero ille clamor, aut quæ verba clamarint Israelitæ, veremur, ut certo adipiscamur. Arbitramur vocem aliquam confusam & nihil sonantem repetitam fuisse, cujusmodi subiti & primi impetus esse solent. Suidas dixit: οἱ προσιόντες εἰς πόλεμον τὸ ἐλελεῦ ἐφώνων μετά τινος ἐμμελοῦς κινήσεως, *Euntes in prælium illud eleleu acclamabant cum modulato quodam motu*. Lipsius *de Militia R. L.* IV. *Dial.* XI. *p. m.* 231. observat: *Græcis duplicem clamorem fuisse, alterum ante prælium Marti, alterum post prælium Apollini sacrum, quorum prior congressivus, posterior* ἐπινίκιος *victorialis appellatus est*. Nos existimamus, non ἐπινίκιον *victorialem*, sed congressivum nostrum fuisse, quia ante prælium cum Jerichuntinis editus est. Uti vero *Ejusmodi clamor eo fine militibus Romanorum & Græcorum est imperatus, quo animi incitaren-*

rentur, *& hostibus terror incuteretur*, vid. *Lips. l. c. p.* 228. ita quoque nostro clamori eundem effectum tribuimus. Deus enim imperato clamore Israelitarum animos ad pugnam excitare, & Jerichuntinos terrere voluit. Tantum enim abest, ut mænia hoc clamore lapsa dicamus quæ non nisi manu Dei potenti dejecta credimus. Si internam Israelitarum spem & fiduciam in Dei promissionem positam intueamur ;. non possumus non fateri, hunc clamorem fuisse insignem fidei effectum. Ululatum edunt & prælium inire cogitant, antequam urbis mænia dejecta vident, adeoque animis persuasi sunt, Deuti post ululatum certo mænia dejectuum esse. Porro firmiter promissione divina nixi credunt, se super mænia lapsa urbem ingressuros & hostes devicturos esse. Animi hac spe & fiducia commoti clamant, ululant, eoque demonstrant, se credere promissis a Deo per Josuam datis. Hæc est ea fides, quam septenario circuitu profitebantur, & tantum ululatu bellico exprimebant Israelitæ, quamque Paulus *Hebr.* XI. 30. laudavit.



JO-



JOHANNIS MEURSII F. DE TIBIIS COLLECTANEA.

CAPUT PRIMUM.

De derivatione Tibiæ.

Tibia proprie est os cruris, oppositum suræ. Tibia item vocatur instrumentuum musicum oblongum, teres, & foraminorum, quod inflatum, & digitis modo adductis, modo reductis temperatum, non injucundam reddit symphoniam. Has primum ex gruum tibiis confectas existimant, & inde nomen accepisse. Horatiur *de Arte:*

> *Tibia non, ut nunc, orichalco vincta, tubæque*
> *Æmula, sed tenuis, simplexque foramine pauco.*

Et de his plura apud Becmanum in *Manud. ad Latinam Linguam.*

CAPUT II.

De Tiibiæ inventione.

Fuit Ardalus Vulcani filius, quem Tibiam adinvenisse opinantur: & ab eo Musas dici Ardalidas, in Pausaniæ relatum monumentis est. Diodorus Siculus tradit Minervam tibias, earumque cantum, & plurima instrumenta ad varias artes pertinentia adinvenisse, indeque eam ἐργάνlω, id est, *operariam*, nuncupatum esse.

Plurarchus de Musica: Οὔτε γὰρ Μαρσύυ, ἢ Ὀλύμπυ, ἢ Τἀγγνῆδος. (ὥς τινες οἴονται) εὕρημα ὁ αὐλός· ὐ μόνη δὲ κιθάρα Ἀπόλλωνος, ἀλλὰ ϗ αὐλητικῆς, ϗ κιθαριστικῆς εὑρετὴς ὁ θεός· δῆλον δὲ ἐκ τῶν θυσιῶν, ἃς προσῆγον μετὰ αὐλῶν τῷ Θεῷ, καθάπερ ἄλλοι τε καὶ Ἀλκαῖος ἔν τινι τῶν ὕμνων ἱςορεῖ· ϗ ἡ ἐν Δήλῳ δὲ τῦ ἀγάλματος αὐτῦ ἀφίδρυσις ἔχει ἐν μὲν τῇ δεξιᾷ τόξον, ἐν δὲ τῇ ἀριςερᾷ Χάριτας, τῶν τῆς μυσικῆς ὀργάνων ἔχυσαν ἡ μὲν λύραν ἄρατει, ἡ δὲ αὐλὺς, ἡ

δ' ἐν

δ' ἐν μέσῳ προκειμένην ἔχει τῷ σόματι σύριγγα· ὅτι δ' οὗτος οὐκ ἐμὸς ὁ λόγος, Ἀντικλῆς, καὶ Ἴςρος ἐν ταῖς ἐπιφανείαις περὶ τούτων ἀφηγήσαντο· οὕτω δὲ παλαιόν ἐςι τό. ἀφίδρυμα τοῦτο, ὥς τε τοὺς ἐργασαμένους αὐτὸ, τῶν καθ' Ηρακλέα Μερόπων φασὶν εἶναι· ἀλλὰ μὴν καὶ τῷ κατακομίζοντι παιδὶ τὴν Τεμπικὴν δάφνην εἰς Δελφοὺς παρομαρτεῖ αὐλητής· καὶ ἐξ Υπερβορέων ἱερὰ μετὰ αὐλῶν, καὶ συρίγγων, καὶ κιθάρας εἰς τὴν Δῆλον γασι τὸ παλαιὸν ςέλλεσθαι· ἄλλοι δὲ καὶ αὐτὸν τὸν θεὸν φασιν αὐλῆσαι, καθάπερ ἱςορεῖ ὁ ἄρισος μελῶν ποιητὴς Ἀλκμάν· ἡ δὲ Κόριννα καὶ διδαχθῆναί φησι τὸν Ἀπόλλω ὑπ' Ἀθηνᾶς αὐλεῖν· σεμνὴ οὖν κατὰ πάντα ἡ μουσικὴ, θεῶν εὕρημα οὖσα. *Non enim Marsyæ, aut Olympi, aut Hyagnidis, ut putant quidam, inventum tibia, neque sola cithara Apollinis est: sed idem Deus & citaræ & tibiæ cantum invenit. Manifestum hoc est e choris & sacrificiis, quæ tibiis interim canentes Deo adferebant: quod & alii, & Alcæus in quodam hymno narrat. Sed & simulacrum Apollinis in Delo positum in dextra manu arcum, læva Gratias habet, quarum quævis aliquod musicum instrumentum tenet: Lyram una, alias tibias, media fistulam ori admotam. Hæc præcedentia Anticles & Ister in illustrationibus suis retulerunt. Et simulacrum illud ita antiquum est, ut dicatur a Meropibus factum, qui Herculis ætate vixerunt. Sed & puerum, qui Tempicam laurum Delphos desert, comitatur tibicen. Quin & Hyperboreorum sacra adhibitis tibiis, citharis, & fistulis in Delum missa fuerunt antiquitus. Sunt qui ipsum Deum tibia cecinisse autument, ut narrat optimus cantilenarum conditor Alcman. Corinna a Minerva didicisse tibiis canere Apollinem ait. Itaque veneranda prorsus est musica, deorum inventum cum sit.* Nonnus *Dionys.* lib. II.

> *Canente Hecate Thyasum olentes fremebant tibiæ.*

Hinc constat ab Hecate tibiam inventum fuisse. Plinius *Nat. Hist. lib.* VIII. ubi de instrumentorum inventoribus loquitur, hæc habet: *Fistulam & monaulum Pan Mercurii: obliquam tibiam Midas in Phrygia invenit: geminas tibias Marsyas in eadem gente.*

CAPUT III.

De inventione cantus Tibiarum.

TElestes in Asclepio tibiarum usum ita declarat, ut videre est apud Athenæum *lib.* XIV. *H.* Φρύγα ἀκλιπνόων αὐλῶν ἱερῶν βασιλῆα αὔδονος ἥρμοσε πρῶτος Λύδιος ἀντίπαλον μούσης νομοαίολον ἀμφιπλέκων καλάμοις.

> *Phrygium Rex leniter personantium tibiarum sacrum*
> *Cantum primus invenit, Doricæ musæ æquiparandum*
> *Æmulum: varie modulatam tenebrosi spiritus*
> *Auram levem atque pernicem arundine circumplectens.*

CAPUT IV.

De genere & differentia materiæ Tibiarum.

LOtus, quia cavari facilis, tibiæ materies fuit: *Lotos arboris genus, ex cujus materia frequenter tibiæ fiebant*, inquit Festus. Sic Ovidius *Fastor.* IV.

> *. . . . sed me sonus æris acuti* (Sistra loquitur)
> *Terret, & horrendo lotos adunca sono.*

Et lib. IV. *Metam.* tibiam Minervæ, *Tritonicam arundinem* dicit, quia Tritonis palus Libyæ non procul a Lotophagis, ubi materia tibiæ uberat. Adeo ut si fuit illa Minervæ tibia prima, e loto prima fuerit. Idem tamen in *Fastis* e buxo primam vult, inventamque Minervæ, quæ ibi fatur:

> *Prima terebrato per rara foramina buxo*
> *Ut daret, effeci tibia longa sonos.*

Apud Theocritum *Idyll.* K. succinat tandem victor tibia Apollo ex Philippi προοιμίῳ:

> Ημερον αὐλήσαντι πολυτρήτων διὰ λωτῶν,
> Εἴ πε λιγυφθόγγῳ Φοῖβος ἐπὶ γλαφύρα.
> Μαρσύη ἐψεύσω πὸν ἔρεμα τοὺς γὰρ Ἀθήνης
> Αὐλοὺς ἐκ Φρυγίης οὗτος ἐληΐσατο.

> *Multi foris blandum cum lotina tibia cantum*
> *Ederet, arguto Phœbus ait Glaphyræ:*
> *Inventi vanus Marsyas: namque Minerva*
> *Quam Phrygia tulerat tibiam, habes Glaphyra.*

Tibia Phrygia in dextra parte unum habet

bet foramen; in sinistra duo foramina. Sacra Cybeleja fiebant ex buxea tibia, & tympanis, cum maximo ullatu. Virg. lib. IX. *Æneidos:*

> *O veræ Phrygiæ*, (neque enim Phryges) *ite per alta*
> *Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.*
> *Tympana vos, buxusque vocat Berecynthia matris Idææ.*

Tibia avenacea usi sunt pastores, ex qua carmen rusticum, oblectamenti causa, canere soliti fuerunt, ut satis videre est ex sequentibus versibus Virgilii *Eclogæ* I.

> *Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi?*
> *Sylvestrem tenui Musam meditaris avena.*

Plinius *Nat. Hist.* lib. XVI. *Orchomenius est continuo foramine pervius, quem auleticum vocant, hic tibiis utilior, fistulis ille. Est alius, crassiore ligno, & tenui foramine. Hunc totum fungosa replet medulla Alius brevior, alius procerior, exilior, crassiorque.*

Athenæus lib. IV. *Dipnosophistarum* refert tibiarum genus, quas Anacreon ἡμιόπυς appellat, cæteris minores, sonoque minus claro, quod ipsum indicat cognomen.

Solinus *cap.* XI. mentionem facit de differentia tibiarum, ubi ait: *Thermitanis locis insula est arundinum ferax, quæ accommodatissimæ sunt in omnem sonum tibiarum: sive præcentorias facias, quarum locus est ad pulvinarie præcinendi: sive Vasscas, quæ foraminum numeris præcentorias antecedunt, sive puellatorias, quibus a sono claviore vocamen datur: sive Gingrinas, quæ breviores licet, subtilioribus tamen modis insonant: aut Milvinas, quæ in accentus exeunt acutissimos: aut Lydias, quas & Turarias dicunt, vel Corinthias, vel Ægyptias, aliasve a musicis per diversas officiorum & nominum species separatas.*

CAPUT V.

De Lydicarum, & Phrygiarum Tibiarum differentia.

NOnnulli produnt, Lydiis tibiis læta concinere, veteris fuisse moris, Phrygiis vero tristia: quoniam tres haberent tibiarum modos, Jonicum, Lydium, Phrygium, qui & barbarus. Ex iis vero innotescit amplus, quid sibi Papinus velit, quum *Thebaidos lib.* VI. ita canit:

> *Quum signum luctus cornu grave mugit adunco*
> *Tibia: cui teneros suetum producere manes*
> *Lege Phrygum mœsta.*

Horatius oda XV. lib. IV. *Carmem* usum Lydii generiis describens, ita canit:

> *Virtute functos, more patrum Duces,*
> *Lydis remicto carmine tibiis,*
> *Trojamque, & Anchisen, & almæ*
> *Progeniem Veneris canemus.*

CAPUT VI.

De laudatione, existimatione ex precio Tibicinum.

ATheneæus *lib.* I. Ο δὲ πατὴρ αὐτȣ̃ Αντίοχιος, τὸς Σωσράτȣ τȣ̃ αὐλητȣ̃ υἱεῖς σωματοφύλακας ἐπεποίητο. *Sostrati vero tibicinis filii apud Antiochum ejusque patrem satellites fuerunt, & custodes corporis.* Theophrastus inquit, *Andronem Catanensem, tibicinem primum, cum tibia lauderet, corporis motus aptos & concinnos addidisse, indeque veteres σικελίζειν, saltare dixisse.* Plutarchus in *Quæstionibus Romanis:* Διὰ τί ταῖς Ιανȣαρίαις εἰδοῖς περιϊέναι δέδοται τοῖς αὐληταῖς τὴν πόλιν ἐσθῆτας γυναικείας φορȣ̃ντας; ἢ διὰ τὴν λεγομένην αἰτίαν; μεγάλας γὰρ (ὡς ἔοικεν) τιμὰς ἐκαρπȣ̃ντο, τȣ̃ Βασιλέως Νȣμᾶ δόντος αὐτοῖς, διὰ τὴν πρὸς τὸ θεῖον ὁσιότητα. *Cur Idibus Januarii tibicinibus permissum est per urbem circuire, vestem indutis muliebrem? An hoc fit propter causam quæ subjicietur? Magnos illis honores Numa Rex religionis causa contulerat.*

Apulejus *Florid.* I. *Tibicen quidam fuit Antigenidas omnis voculæ melleus modulator, & idem omnimodis peritus modificator, seu tu velles Æolium simplex, seu Asium varium, seu Lydium querulum, seu Phrgium religiosum, seu Doricum bellicosum.* Locus insignis, in quo video & cæterarum usum. Miles. IV. *Sonus tibiæ Zygiæ*, (Parens meus *Phrygiæ* legendum putavit) *mutatur in querulum Lydii modum, cantusque lætus Hymenæi lugubri finitur ululatu.* Sed & rebus lætis adhibita hæc harmonia. Idem *Miles.* X. *Jam tibiæ multiforat iles cantus Lydios dulciter consonant.* Propertius *lib.* IV. *Eleg.* VII.

> *Ecce coronato pars altera recta phaselo,*
> *Mulcet ubi Elysias aura beata rosas:*

Qua

Qua numerosa fides quaque æra rotunda Cybeles,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris.

Minerva laudans artem Tibicinum sic ait, ut testis est Athenæus *lib.* XIV. Τὰν ἐν πεελθηοτάταν Βρομίῳ παρέδωκε σεμνᾶς δαίμονος ἀερθὲν πνεῦμ' αἰελλοπτερύγων σὺν ἀγλααῷ κυτᾶτι χειρῶν κομψῷ δέ.

Hanc artem igitur maxime divinam
Bromio concessit venerandæ Deæ sublimis & elatus spiritus,
Cum eleganti & arguta velocis manus celeritate.

Tacitus lib. XIV. *Annal.* meminit Eucari, cujus amor objiciebatur Octaviæ (quamvis per calumniam) Ægyptius erat, & tibiis canere doctus. Habebant Romani Tibicines ad cultum Deorum: & tibicinum collegium fuit in Vet. Rep.

Lucius Anitius Romani exercitus Imperator; debellatis Illyriis, & Gentio illorum Rege cum liberis capto, & Romam abducto, ludis victoriæ causa editis, quovis ritu digna multa fecit, ac excogitavit, ut scripsit Polybius *lib.* XXX. Nam accersitis e Græcia clarissimis artificibus, extructaque in circo maxima scena, primos induxit tibicines simul omnes, Theodorum, Boetium, Theopompum, Hermippum, Lysimachum, in Græcia celeberrimos. Eos in proscenio stantes simul omnes, cum choro tibiis jussit canere. Motu corporis tibiarum modis apto illis per scenam lente incedentibus, misit qui admoneret, non placere illam cantionem, itaque certarent vehementius. Dubitantibus ipsis quidnam mandaretur, significavit e lictoribus quispiam, ut in sese mutuo versi concurrerent, ac pugnæ speciem repræsentarent. Quidnam vellet Anitius tibicines ubi cognoverunt, tibias cantu inflantes, qui ardori pugnantium militum conveniret, omnia permiscuerunt, medios choros perturbatos cum extremis confundentes, insanis modis ac temerariis complentes omnia, & tibiarum concentu dissoluto, in sese mutuo vicissim impetum fecerunt.

CAPUT VII.

De contemtione Tibiarum.

PLutarchus in Alcibiade: Alcibiades τὸ δ' αὐλεῖν ἔφευγεν ὡς ἀγεννὲς καὶ ἀνελεύθερον. Πλήκτρου μὲν γὰρ καὶ λύρας χρῆσιν, οὐδὲν οὔτε μορφῆς ἐλευθέρῳ πρεπούσης διαφθείρειν, αὐλοὺς δὲ φυσῶντος ἀνθρώπου στόματι, καὶ τοὺς συνήθεις ἂν πάνυ, μόλις διαγνῶναι τὸ πρόσωπον, ἔτι δὲ τὴν μὲν λύραν τῷ χρωμένῳ συμφθέγγεσθαι, καὶ συνᾴδειν, τὸν δ' αὐλὸν ἐπιστομίζειν καὶ ἀποφράττειν ἑκάστου τήν τε φωνὴν καὶ τὸν λόγον ἀφαιρούμενον. Αὐλείτωσαν οὖν (ἔφη) Θηβαίων παῖδες, οὐ γὰρ ἴσασι διαλέγεσθαι, ἡμῖν δὲ τοῖς Ἀθηναίοις (ὡς οἱ πατέρες λέγουσιν) ἀρχηγέτις Ἀθηνᾶ καὶ πατρῷος Ἀπόλλων ἐστίν, ὧν ἡ μὲν ἔρριψε τὸν αὐλόν, ὁ δὲ καὶ τὸν αὐλητὴν ἐξέδειρε, τοιαῦτα παίζων ἅμα καὶ σπουδάζων ὁ Ἀλκιβιάδης, αὑτόν τε τοῦ μαθήματος ἀπέστησε καὶ τοὺς ἄλλους· ταχὺ γὰρ διῆλθεν ὁ λόγος εἰς τοὺς παῖδας, ὡς εὖ ποιῶν ὁ Ἀλκιβιάδης βδελύττοιτο τὴν αὐλητικὴν, καὶ χλευάζοι τοὺς μανθάνοντας· ὅθεν ἐξέπεσε κομιδῇ τῶν ἐλευθέρων διατριβῶν, καὶ προεπηλακίσθη παντάπασιν ὁ αὐλός. *Tibiam ut rem sordidam & illiberalem refugit. Nam plectri quidem & lyræ usum nihil dicebat gestum vel formam depravare libero homini convenientem: tibiam vero inflantis hominis ore, vel intima familiaritate conjunctos, vix agnoscere vultum: præterea lyram non adimere pulsanti, quin simul loqui & accinere valeat; tibiam obturare & obstruere cujusque vocem & incidere sermonem. Ergo, inquit, canant tibia Thebanorum filii, nam dicere nesciunt. Nobis Atheniensibus (ut a majoribus accepimus) dux Minerva & præses Apollo est, quorum superior tibiam projecit, alter excoriavit fistulatorem. Ita juxta joco ac serio se ipse Alcibiades, & cæteros ab eo studio abduxit. Statim enim dilata est inter pueros fama, merito Alcibiadem fastidire fistulam, & ejus studiosos deridere: unde ex oblectamentis liberalibus plane fuit explosa & prorsus irrisa tibia.*

CAPUT VIII.

De appellatione Libycæ Tibiæ.

LIbycas tibias poetæ appellant, ut inquit Duris libro secundo *de rebus gestis Agathodis*, quod Seirites primus, ut credunt, tibicinum artis inventor, e gente Nomadum Libycorum fuerit, primusque tibia Cerealium hymnorum cantor. Tryphon libro secundo *Nomenclaturarum*, has recenset cantiones tibiales: Comon, Bucoliasmum, Gingras, Tetroacomon, Epiphallon, Choricam, Callinicon, Polemicam, Hedycomon, Sicinnotyrben, Thyrocopicon, quæ Crousithyros etiam dicitur, Crismon, Mothona, quæ omnes cum saltatione canebantur.

CAPUT IX.

De Thracibus, & Arcadibus, qui ad Tibiam armati saltabant.

SAltationis hic modus est: Armis appositis quidam jugatos boves agit, seritque frugem, tamquam metu identidem se obvertens. Accedit prædo: quo prospecto raptis armis ante jugum arator pugnat tibiæ modis corporis motum adaptans. Ad extremum vero, prædo vinctum aratorem cum jugo abducit, & nonnumquam prædonem jugarius. Quidam, inquit Xenophon, & Persicam saltaturus exurrexit, ceterarum, quas collidebat, fragore obstrepens & obtundens: eaque omnia faciens ad tibiæ numeros concinne. Arcades vero arma illi detracturi assurgunt, inquit, & ad numeros, quos bellicos appellant, convenienter incedentes, tibia canunt & saltant. In usu fuerunt Heroibus & tibiæ & fistulæ. Agamemnon fistularum tibiarumque sonos audit: ad convivia tamen illas poeta non inducit, in bellica saltatione cum celebrarentur nuptiæ, tibiarum tantum mentione habita, quas barbaris tribuit. Apud Trojanos igitur sonitus fistularum tibiarumque multus funditur.

CAPUT X.

Quomodo Arcades præ omnibus nationibus pueros suos Tibia ludere assuefaciant.

POlybius Megal. *Hist. Lib. Soli ferme sunt Arcades, apud quos pueri primo ab ipsa infantia ex legibus assuefiant hymnos & pæanes canere; quibus more patrio singuli suos heroas & Deos concelebrant. Deinde Philoxoni ac Timothei nomos addiscentes, quotannis per Liberalia ipsis in theatris cum saltatione & tibiis, summo studio puerilia quæ vocant ludicra pueri agitant, juvenes, quæ dicuntur virorum.*

CAPUT XI.

De Choreis ad Tibias & fistulas.

MAcrinus, (ut Herodianus sui temp. *Hist.* lib. v. ait) sacra celebrans, choreas circa altaria barbarum in morem ad tibias fistulasque duxit. Præcedit etiam ad tibias est tympana Antoninus Eleagabalus, velut numinis origia concelebraret.

CAPUT XII.

De Cantoribus ad libias ex Prolegomenis in Pythionicas.

SEcunda Pythiade, αὐλῳδίαι, idest *cantiones ad tibias*, fuerunt repudiatæ, quod οὐκ εὔφημον ἄκουσμα eas judicarent, quum σκυθρωπότατα, ἐλεγεῖα & θρῆνοι, ad tibias accinerentur: ut videre est. Pythiade prima vicerat Echembrotus, præmio, æneo videlicet tripode, Herculi Thebis dedicato, quem hac Inscriptione insignivit. Εχέμβροτος Αρκὰς ἔθηκεν Ηρακλεῖ νικήσας τὸ δὲ ἄγαλμα Αμφικτυονων ἐν ἀθλοις, Ελλησι δ' ἀείδων μέλεα καὶ ἐλέγους. *Echembrotus Arcas dedicavit hoc simulacrum Herculi, quum præmium Ludis Amphictysonum meruisset, decantatis inter Græcos modulis & elegis.* Ut Pausan. citat. in *Phoc.*

CAPUT XIII.

Tibia ad Baccanalia & letitiæ signum usurpata.

CAtullus Baccantium cohortem describens, ita canit *eleg.* LXV.

Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.

Apud Hom. Trojani de suis rebus prosperis læti, sese ut oblectent, pernoctantes in campo tibias inflant. Olympiodorus a Phrygibus inventas fuisse tradit, usumque in certamine Marsyam tibia.

CAPUT XIV.

De Præficis Tibicinis.

PRæficæ tibicinæ sunt, quas *monumentarias ceraules* vocat Apulejus: quæque non vere plangunt, sed se plangere simulant, conductæ ad excitandum dolorem: & plerumque quas ipsæ non habent, ab aliis eliciunt veras, & intimas lachrymas. Plinius Nepos Epistola *Regulus l.* IV. *Amissum luget insane: nec dolor erat, sed ostentatio doloris*, id est ut Tacitus ait lib. III. *Annal. doloris imitamenta.* Lucillus ex Nonio Marcello de Præficis:

Conductæ flent alieno in funere præficæ,
Multo & capillos scindunt & clamant magis.

Etiam nænias canunt inconditum carmen compositum ab eis: canuntque illud ad tibias & fides. Nonius in verbo *Nænia:* & sic eliciunt lachrymas: *Sed lachrymæ nunquam fluunt tam lubenter, quam finguntur turpiter*, ait Seneca *epist.* XCIX.

CAPUT XV.

De Tibia funesta, sive usu Tibiarum in funeribus.

VEteres tibiam funeribus adhibuerunt, religio enim erat, ut *majoribus mortuis* tuba, *minoribus* tibia caneretur.

Persius de divite:

Tibia funeribus convenit ista meis.

Homerus in funere Hectoris dicit:

Tum pyra construitur, quo bis sex corpora Grajum,
Quadrupedesque adduntur equi, cursusque, tuæbque.

Ovidius:

Tibia, cui teneros solitum deducere manes

Funeribus, ut etiam sacrificiis, tibicines adhibiti. Varro *de Vita P. R.* lib. IV. Nam in tibia mœstum carmen, quod testantur autores, & Ovidius *l.* VI. Fast.

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Horatius in Arte:

—— *Conducti plorant in funere, dicunt*
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo.

In exequiis Pertinacis, ut Xiphilinus refert, multi cecinere flebile carmen ad tibias. Sedulius *l.* III.

Funereosque modos cantu lachrymante ferebat.
Tibicen.

Athæneus lib. *Dipnosophist.* IV. Cares itidem ut Phœnices in luctu tibiis uti solent magnitudine palmi, lugubre quiddam & stridulum sonantibus. Eas autem tibias Phœnicum lingua, *gringas* vocari, quod iis in Adonidis luctu soleant uti. Porro Adonidem γρίγγην, id est, gringam, appellant. Hinc iisdem verbum γιγγραίνω.

CAPUT XVI.

Minervam usam fuisse tibia, lamentationis causa.

PIndarus in *Pyth.* od XII.

—— ὦ ἄνασ-
σ', ἵλαος, Ἀθανάτων
Ἀνδρῶν τε, σὺν εὐμερείᾳ,
Δέξαι στεφάνωμα τοδ' ἐκ
Πυθῶνος εὐδόξῳ Μίδᾳ,
Αὐτὸν τέ νιν, Ἑλλάδα νικά-
σαντα τέχνᾳ· τάν ποτε
Παλλὰς ἐφεῦρε, θρασεῖαν Γοργόνων
Θούλιον θρῆνον διαπλέξαισ' Ἀθανά.

—— *o Regi-*
na, propitia Immortalium,
Hominumque, cum benevolentia
Accipe coronam hanc ex
Pythone, glorioso Midæ concinnatam,
Eumque adeo ipsum, Græciam qui superavit arte; quam quondam
Pallas invenit, audaciam Gorgonum
Tristem lamentationem contexens Minerva.

CAPUT XVII.

De Tibia Nuptiali.

PRopertius *lib.* II. *elegia* VII.

Nam citius paterer caput hoc discerpere collo,
Quam posse nuptæ perdere amore faces.
Aut ego transirem tua limina clausa maritus
Respiciens udis prodita luminibus.
Aut mea quum tales caneret tibi, Cynthia, somnos
Tibia, funesta tristior illa tuba.

Quos versus Jos. Scaliger Jul. Cæs. filius sequenti modo explicavit. Citius mererer, inquit, quam amorem meum nuptiis mutarem, aut transirem respiciens tua lumina maritus factus, aut canente tibi somnos nuptiali tibia. Tibiam intelligit nuptialem, qua novam nuptam mariti domum deducebant noctu. Tunc enim deducebatur nupta, quum jam concubia nox esset. Ovidius pene idem de eadem re:

At subito nostras ut Hymen cantatus ad aures,
Venit, & accenso lampades igne micant:

Ti-

Tibiaque effudit socialia carmina vobis,
At mihi funesta tristior illa tuba.

CAPUT XVIII.

De usu Tibiæ in bello.

SPartani ad tibiam & lyram inibant cum hostibus certamina, sicuti enim qui pondera deferunt, & qui remigant, vel aliud quiddam molesti laboris perferunt, concordi voci & tamquam gemitu conantur mentem avertere a laboris molestia consideranda: ita & tubis, & tibiis milites in bello usi sunt, non ut haberent aliquid ex harmonia quo mens excitaretur, aut inderetur fortitudo, sed propter agoniam & perturbationem revocare animum in sese studuerunt. Polybius Megal. *Hist.* lib. IV. *Veteres Lacedæmonii & Cretenses loco tubæ, tibiam & rhythmum ad bella sine causa usurparunt.* Omnes Lydi tibiarum ac fistularum sono usque adeo capiebantur, ut ad earum sonitum in bellis struerentur acies, inquit Herodotus.

CAPUT XIX.

Usus Tibiarum in conviviis Spectaculis, & bello.

ATheneus *lib.* XIV.

Ποικιλόπτερον μέλος
Τῶν ἀοιδᾶν.
Κατεᾶς ἐπιερεῖς βασίλεια.
Οὐ δ' αὐλὸς ὕςερον χορευέτω.
Καὶ γὰρ ἐθ' ὑπηρέτης κώμων μόνον
Πυραμάχοις τε πυγμαχίαισιν
Εων θέα, ἐς πάροινον ἔμμεναι ςρατηλάτης.

Varii modi sunt accinendi.
Tibiis cantiones præire gaudet Rex Dionysius.
Post illas canat & saltet tibicen:
Tibia tantum commessationum administra est,
Spectaculis commoda, quibus pugnant ardentibus animis pugiles,
Et ut quasi tumulenti apud se non sint.
In conflictibus bellicorum agminum Duces.

CAPUT XX.

De longis Tibiis.

QUum post arreptum Imperium Otho sacrificaret primo, dira portendi animadvertit: quamobrem facti pœnitens, *τί γάρ με*, inquit, *ἔδει μακροῖς αὐλοῖς αὐλεῖν: quid erat opus me tibiis longis incinere?* Tibiis incinuisse longioribus olim inter sacrificandum, Plutarcho credimus, & indicavit Dion. In tibicines illud est apud Græcos concinnatum:

Ἀνδρὶ μὲν αὐλητῆρι θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν,
Ἀλλ' ἅμα τῷ φυσᾷν χ' ὡ νόος ἐκπέταται.

Id est:

Homini quidem tibicini mentem non ingenerarunt dii,
Sed simul ac tibias inflat diflatur mens.

Marius Victorius de spondeo *Dictus a tractu cantus ejus, qui per longas tibias in templis supplicantibus editur: unde*, inquit, spondulæ appellantur, qui hujusmodi inflare assueverunt.

CAPUT XXI.

De apertis Tibiis.

APertas *tibias* Fabius vocat, quæ apertis omnibus foraminibus sonant clarius. Nam clausis sonus redditur fuscior & obscurior, ut apertis candidior & clarior, quod & per adagionem usurpat. *Illa vero*, inquit *lib.* II. *cap.* III. *jam pene apertis, ut ajunt, tibiis:* id est, ajunt, jam clarissima voce. Rursus ibidem: *Nam tibiæ eodem spiritu accepto alium clausis, alium apertis foraminibus, alium satis purgatæ, alium quarsæ sonum reddunt.* Apertis tibiis invehi in quempiam, id est, non clanculum obtrectare, sed palam insectari, lacerareque conviciis: aut apertis tibiis laudes cujuspiam celebrare, id est, palam & magnifice.

CAPUT XXII.

De Synaulia, & Monaulo Ægyptiorum invento.

ΣΥναυλίαν Antiphones in *Tibicine* lepide qualis esset ita declaravit:

Ποίαν φράσον γάρ ἤ δε τὴν συναυλίαν;

Ταύτην ἐπίςαται γάρ, ἀλλ' ηὔλουν ἔπ
Μαθόντες ὥςε τοὺς αὐλοὺς, &c.

A *Quam, quæso, noverat is synauliam?*
B. *Illam enimvero scit adbuc: sed & præterea canebant tibia,*
Suorum docti concentuum numeros
Simul jungere cum dulci tibiarum sono.

Monaulus Ægyptiorum inventum est, hoc est, Osiridis, ut aliqui interpretantur, qui photinga excogitavit etiam, unde & photingia. Sunt autem ex loto, inde lotinæ tibiæ dicuntur. Meminit Monauli in *Thamyre* Sophocles. Censetur vero hæc nuptialis maxime, *Tityrinon*, quidam item vocant. Fuit vero Monaulus, qui postea dici cœpit *calamaules*, id est, *calamo incinens*. Nam *rhapaules* est, qui calamum inflat, id est, stipulam.

CAPUT XXIII.

Pejus Babys Tibia canit.

Κάκιον Βάβυς αὐλεῖ, id est, *Pejus Babys cantat*. Hoc adagium jaci consuevit in eos, quorum exercitatio semper vergit in pejus. Quod genus sunt Oratores quidam, qui quo diutius dicunt, hoc dicunt indoctius. Refertur autem ad hujusmodi fabulam. Ferunt Babyn fratrem fuisse Marsyæ, qui non veritus est ipsum Apollinem ad canendi certamen evocare, a quo cum esset victus, ab eodem supinus de pinu suspensus, excoriatus est. Deinde cum Apollo pararet Babyn quoque perdere, intercessit Pallas, admonens, hunc usque adeo infeliciter & indocte tibiis canere, ut omnino negligendus esse videretur Κάκιον, inquiens, Βάβυς αὐλεῖ, id est, *Deterius Babys tibiis canit*. Quibus verbis commotus Apollo Babyn adeo contemsit, ut eum ne supplicio quidem dignum esistimaret, sed suæ potius inscitiæ judicaret relinquendum.

CAPUT XXIV.

De certamine Marsyæ cum Apollinæ de Tibiis,

Marsyas Phrygius tibicen ob similem huic temeritatem & petulantiam non leve supplicium subivit. Hic Hyagnidis fuit filius, ejus qui primus omnium mortalium leges musicas ad laudes Deorum, quibus in solemnitatibus Græci usi sunt, accommodavit, qui Marsyas (cujus jam antea mentionem feci) ausus est cum Apolline de tibiarum peritia contendere. Fabulati sunt, hunc magna consuetudine cum Cybele fuisse conjunctum, sed diu postea pervagatum in Nysam civitatem ad Dionysium, qui ibi regnabat, eo tempore pervenisse: ubi cum Appolline illic invento, qui cum ob alia multa præclara, tum ob inventam citharam, & artem pulsandæ citharæ magno in honore habebatur, ausus est contendere; cum ipse tibias a Minerva ejectas suscepisset, ut ajunt, iisque inflandis factus jam peritior sibi videretur. Apollinem igitur in certamen musices provocavit ea conditione, ut victor victo quodcunque libuisset, imperaret, ut testatur Pausanias in Phocaicis. Idcirco mansit ea consuetudo postea in magnæ Matris sacrificiis, ut adessent illis etiam tibiæ, ut ait Myrleanus Asclepiades. In eo certamine igitur cum Apollo citharam pulsasset, mox ore cantabat: at Marsyas tibiis inflandis tantum erat peritus, quare etiam victus pœnas dedit suæ temeritatis.

CAPUT XXV.

De tempore Sacrorum.

Tibia sane rei sacræ signum erat precationumque faciendarum tempus indicabat, quasi adesse jam Deum per eam admonerentur, qui sacris assistebant. Nos quoque cum in sanctis ædibus sacra facimus, æris tinnuli sono utimur. Sed quod ad tibiam spectat, minime recens, neque imperitæ plebeculæ dicterium est, de cessantibus, tibicinum exspectare, sed antiquum & nobile, quippe quo Scipio minor usus est in Pompejum qui tibicinis filius credebatur. Pompejus enim C. Lælio consulatum ambiente, cui Scipio maxime favebat, negaverat Scipioni se repetiturum, adfuturum vero Lælio, eumque deducturum: quem dum exspectat, auditum est eum jam candidatum prehensare obvios. Tum Scipio ridens: *Næ*, inquit, *nos egregie stulti sumus, qui perinde ac Deos, non homines precaturi simus, stamus tibicines expectantes*. Hinc ansam Cornelius Tacitus, ubi *lib.* XIV. de Octavia Messalinæ filia loquens: *An quia*, ait, *veram progeniem penalibus Cæsarum datura sit, malle populum Romanum tibicinis Ægyptii sobolem imperatorio fastigio induci?* Nempe propter Pompejum, qui, uti dicebamus, Tibicinen a Scipione vocatus est. Octavia vero a Scribonia Augusti uxore descendebat.

A L-

ALDI MANUTII PAULI F. ALDI N. DISSERTATIO DE TIBIIS VETERUM

AD BARTHOLOMEUM CAPRAM.

Ingratus sim Bartholomæe Capra, si quæ in Patrem meum officia contulisti, ea mihi in animo fixa non hærerent. Memini, quam grata, & jucunda Tui memoria Patri esset; nec ego ei dissimilis in eo unquam ero; &, cum eximiis tuis erga nos meritis vix ullo pacto respondere possim, enitar saltem, ut, iis agnoscendis, & prædicandis, non omnino ingratus judicer.

Dextræ tibiæ erant, quæ dextra histriones spectabant, sinistra scilicet spectatores. Sinistræ contra, quæ sinistra histriones, dextra spectatores. Opinor autem, sinistras gravem sonum reddidisse, dextra acutum; sinistræ enim ex ea arundinis parte fiebant, quæ proxima terræ nascitur: quæ cum crassior sit, & foramen latius habeat, quam quæ longinquior a radice est, graviorem sonum reddat, necesse est; dexteræ autem ex superiore arundinis parte fiebant, testis Plinius *lib.* XVI. in extremo *cap.* 36. his verbis. *Sed tum ex sua quamque tantum arundine congruere persuasum erat: & eam, quæ radicem antecesserat, lævæ tibiæ convenire: quæ cacumen, dextræ.* Hinc legas, *Acta est tibiis dextris, & sinistris*, id est, sono acuto, & gravi tibiis utrimque constitutis. Ubi autem legitur, *Paribus dextris, & sinistris*, Sarranas significat, dextrorsum sinistrorsumque positas, quæ Pares vocabantur, quod foraminis caverna, ut ait Servius, par erat; ideoque sonum parem reddebant, ut Phrygiæ impares, quod cavernam imparem habebant, ex quo sonum reddebant imparem, acutum scilicet partim, & partim gravem. Ex quo Servius interpretans illud Vigil. lib. IX. *Æneid.*

O veræ Phrygiæ, (neque enim Phryges) ire per alta
Dindyma, ubi assuetis biforem dat Tibia cantum:


explanat, *Biforem*, dissonum, imparem, & dissimilem, juxta Phrygiarum tibiarum naturam, quæ hoc a Sarranis distabant, quod, ut ait Servius, cavernam foraminis imparem habebant; ut Phrygiæ distabant, quod dextræ unicum foramen habebant, ut sonitu uniformi sonarent; sinistræ vero, duo: quorum unum gravem, alterum acutum sonum reddebant. Quod vero dextræ tibiæ acutum, sinistræ gravem sonum reddiderint, præter Plinii, Varronis quoque testimonium exstat, *de Re Rust.* lib. I. cap. II. quo loco ait, *Tibias dextras, & sinistras*, cum uno eodemque tempore sonarent ut histrionum vocem sequerentur, alteram incentivam, alteram succentivam fuisse. Quod autem, ubi Incentivam nominat, dextram significet; ubi Succentivam, sinistram; nihil dubito. Subjungit enim: *Agricultura succinit Pastorali*, quod est inferior, ut tibia sinistra dexteræ foraminibus. Cum igitur sinistra succentiva sit, gravis sonus erit; dextræ autem acutus, quoniam incentiva, sinistræque foraminibus superior, cum majorem foraminum numerum habeat sinistra, cui, ut graviter sonet, pauca foramina sufficiunt. Quo loco vero dicit: *Tibiis Sarranis*, idem est, ac si dicas, *Paribus*: cavernam enim parem habebant, ex quo parem quoque sonum reddebant. Et, quoniam eruditi quidam Artis Musicæ scriptores, scripsere, ideo in Terentii *Adelphis*, quæ comœdia acta fuit ludis funebribus Q. Fabii Maximi, sonuisse Sarranas sine Phrygiis, quod par sonus

nus rebus mœstis aptior esset, quam acutus: opinor ego, Sarranas, id est, pares, non solum in rebus mœstis, verum etiam in lætis sonuisse; cum videam non tantum in *Adelphis*, sed & *Andria*, & in *Hecyra* fuisse *Tibias pares*, id est, *Sarranas*, nisi si tres eas comœdias actas fuisse ludis funebribus alicujus summi civis credamus: quod falsum est: Hecyra enim primum acta ludis Romanis. Et, quoniam Acro, *in Horatii Artem Poeticam*, ait, ex Varronis sententia, Tibias veteres, indicio id est, Varronis tempestate Tibiarum foramina mutata fuisse, cum Veteres nominet. Verum, si Acro ex persona sua Veteres nominat, quemadmodum ego arbitror, cum ipse inferior multis annis, sæculisque a Varrone fuerit: dicamus, ita locutum Acronem, ut rem alienam a temporibus suis designaret, Tibias scilicet non habuisse quatuor foramina, quemadmodum Varronis tempestate; vel quod prorsus in usu esse desiissent, nec amplius in Comœdiis sonarent, ut hodieque in usu non sunt. Donatus dextris tibiis gravem sonum tribuit, sinistris acutum; in quo aperte fallitur: quod non solum Plinii jam recitato testimonio probavimus, qui Tibias dextra ex arundinis cacumine fieri ait, sinistrus ex ea quæ radicem antecesserit; sed etiam Varronis, qui dextram incentivam, succentivam sinistram appellat. Fallitur quoque in eo, quod ait, Tibias Sarranas, sinistrasque easdem esse; nam, si Sarranæ pares sunt, & Phrygiæ impares, ob foraminis æqualitatem, inæqualitatemque, quod ait Servius: manifesto patet, Sarranas tam dextras, quam sinistras esse posse: quales in *Andria* Terentii fuisse existimo: ideoque in inscriptione legitur, *Tibiis paribus dextris, & sinistris*, id est, Sarranis. Et in *Adelphis*, ubi legitur *Tibiis Sarranis*, easdem opinor fuisse cum paribus dextris, & sinistris. Et in *Phormione*, *Tibiis imparibus*, ex plano *Tibiis Phrygiis dextris & sinistris*. Hanc opinionem meam id confirmat: quod numquam reperi Phrygias, aut Sarranas nominatas una cum paribus, aut imparibus; quod indicio est, *Paribus*, ad indicandas Sarranas; & *Imparibus*, ad Phrygias, satis fuisse. Illud etiam animadverti, Sarranas, Phrygiasque in una easdemque comœdia numquam sonuisse, sed vel has, vel illas; ideoque legitur, *Paribus*, *aut Imparibus*; nec unquam una, *Paribus*, *& Imparibus*. Opinor etiam, ubi legitur, *Dextris*, intelligendum esse, non unam tantum, sed plures Tibias a dextris sonuisse sinistrisque scenæ: aliquandoque sonuisse tantum ex altera parte, quo modo in *Eunuchi* inscriptione legitur, *Tibiis duabus dextris:* itaque est in scriptis libris, & recte. Quo loco dubitavi interdum deesse *Paribus*, *vel Imparibus*: ut ostenderet, Phrygiæ ne, an Sarranæ essent; quod in aliis dixerat, sed postea, cum neque *Paribus*, neque *Imparibus* ibi scriptum sit, inteligi debere existimavi, Pares potius, quam impares fuisse: Sarranas scilicet potius, quam Phrygias: cum æqualis sonus gravior sit, qui Sarranarum erat, ideoque convenientior, & Romanorum auribus jucundior. Quod autem dextræ Tibiæ sint pares, id patet ex *Heautontimorumeni* inscriptione, ubi est, *Acta primum Tibiis imparibus, deinde duabus dextris;* nam, si dextræ non eædem sunt cum imparibus, sequitur pares esse; pares autem easdem fuisse cum Sarranis, jam diximus, impares igitur Phrygiæ sunt, a sinistaque sonabant. Ex quo patet, Sarranas modo utrimque sonuisse, tuncque dicebant *Tibiis Paribus dextris*, *& sinistris*, ut in *Andriæ* inscriptione; modo a dextra tantum, ut in *Heautontimorumeno*, ubi ait, *Deinde duabus dextris*, cum dixisset jam, *Acta primum tibiis imparibus*. In *Eunucho* quoque sonuerunt tantum a dexta: dicit enim, *Tibiis duabus dextris*. Ubi vero neque dextræ, neque sinistræ nominantur, ut in *Phormionis*, *Hecyreque* inscriptionibus: credendum est, ab uno tantum latere sonuisse: a sinistro scilicet, in *Phormione*; cum dicat, *Tibiis Imparibus*: a dextro autem in *Hecyra*, cum dicat, *Tibiis parilibus*, testimonio enim inscriptionis *Heautontimorumeni* jam demonstravimus, impares. Sarranas vero somisse opinor modo a dextro solum, ut in *Eunucho*, & in *Heatontimorumeno:* tuncque in Comœdiæ inscriptione id aperte significabatur, & dicebatur *Tibiis dextris*: modo a dextra & sinistra, ut in *Andria*, ubi, tanquam de re, quæ interdum variaret, *Dextris*, *& Sinistris*, dicitur. Diomedes Tibiarum tria generat nominat, *dextras*, *Sarranas*, *sinistras;* in quo dupliciter errat. Primum, quod, si Sarranæ aliæ sunt a dextris & sinistris, non tria, sed quatuor Tibiarum genera erunt; cum sint & Phrygiæ, quas Servius Sarranis opponit; errat & in eo, quod Sarranas a dextris, & sinistris distinguit, cum Sarranæ possint esse dextræ, sinistræque; quod & jam probavimus, & ex *Adelphorum* inscriptione patet; in qua cum sit, *Tibiis Sarranis*, neque dicatur, dextris aut sinistris: quis non videt, in Sarranis inesse dextris & sinistris, vel saltem dextris?

tris? cum ex altero ſcenæ latere, vel ex ambobus ſonuiſſe neceſſe fuerit; utriuſque autem moris exempla dedimus, cum de Sarranis loqueremur. Phrygias enim a latere ſiniſtro tantum ſonuiſſe videtur: quod ex *Heautotimorumeni* inſcriptione elicitur.

Tibiæ autem non ſemper ex arundine factæ ſunt, ſed Plinii ætate ſacrificæ e buxo, ludicræ autem e loto, oſſibuſque aſininis, & argento. Qua de re in noſtro *commentario Artis Poeticæ Horatii*, quem ad te mittimus, Bartholomæe Capra, diximus, & apud Plinium in extremo cap. 35. lib. XVI. quædam leguntur.





FRIDERICI ADOLPHI LAMPE DISSERTATIO DE CYMBALIS VETERUM.

LIBER PRIMUS

De nominibus & generibus Cymbalorum.

CAPUT PRIMUM.

Cymbalum: Vox Græco-Romana. In etymon inquisitum. Rejiciuntur tria Etymologici, & aliud Leighii, item quintum Isidori. Κύπελον. *Κύπαλον & κύμβαλον utrumque recte. Frequens literæ* μ *& pleonasmus & ellipsis.* Πεποιημένη φωνὴ. *Ballematia. Vallematia.* bal. baller. *Vera origo ostenditur. Cymbala describuntur.* Rubenius notatur. Nonnus explicatur.

ΚΥΜΒΑΛΟΝ vox apud Græcos nata, quam deinde Romani Græcorum in Italia victores & successores una cum multis aliis civitate sua donarunt. Unde Glossaria & Lexicographa antiqua simpliciter *κύμβαλον*, *cymbalum* explicant. Major de etymo lis inter bonos autores veteres juxta atque recentiores. Etymologicon Sylburgii: Κύμβαλα παρὰ τὸ κυφος, κύφαλά τινα ὄντα, καὶ κύμβια, τὰ κῦφα ἐκπώματα, διὰ τὸ περιφερῆ εἶναι· κῦφων δὲ τὸ κυρτοειδὲς, καὶ περιφερές. καὶ κύμβαι πλοῖα περιφερῆ παρὰ Ῥωμαίοις'. *Cymbala a κῦφος, quia incurva sunt: & cymbia, incurva pocula, quia rotunda sunt. Κῦφον autem est, quicquid incurvum seu gibbosum & rotundum est: & cymbæ navigia rotunda apud Romanos.* Sed observandum, quam parum sibi in sententia constans, quicunque fuerit Etymologici autor. Idem enim alio loco: Κύμβαλον παρὰ τὸ κύπελον· κύπαλον καὶ κύμβαλος, ἢ παρὰ τὸ πεποιημένην φωνὴν ἔχειν. *Cymbalum derivatur a κύπελον. Dicitur enim cybalum & cymbalum, aut quod fictum edit sonum.* Tres hic diversæ rationes derivandi. Prima ἀπὸ τοῦ κῦφος a gibbositate: quod facile posset admitti, nisi vocum obstaret dissimilitudo. Κύπελον, quod alii κύπελλον proferunt, unde secundo loco deducit, poculi quoddam genus est simile scyphis, ut patet ex Eustath. ad Iliad. ά. & Athenæo Deipnos. non uno loco. Atque hic quod moveret ad calculum adjiciendum, nihil video. Quæ enim inter cymbala & pocula seu scyphos convenientia, nisi sola rotunditas? Quod autem argumenti loco adducit, ὅτι λέγεται κύβαλον (quod substituo pro κύπαλον) καὶ κύμβαλον, nihil heic infert. Frequentissima enim

enim in Hellade literæ *μ* & ellipsis & pleonasmus. Exempla sunt ad manum & notarunt ante me viri summi Salmasius & Reinesius. Ita *κύβη* dicitur & *κύμβη*: *ἀρύβας* & *ἀρύμβας*: *κυβέλη* ϗ *κυμβέλη*, Apud Paulum Æginetam lib. VII. cap. 11. *κακάλβη* est pro *κάκαβος*: apud Homerum & Catullum *τύπανον* pro *τύμπανον*: Apud Nonnum haud semel: cum primis Dionys. *κ'*. quamvis in editis legatur *τυλπάνων* repugnat enim metro, cum sic habeat versus:

> Καὶ κτύπος ἦν τυμπάνων ἐπιδόρπιος....
> *Et inter cœnam secundam pulsabantur tympana*

Apud Tertull. II. ad Nat. cap. 12. ex carmine Sibyllino *Jaffetus* & *Jamfetus*. Serenus Sammon cap. 7. pro *sambucus* habet *sabucus*: Leonides in Epigrammate pro *ὑκαμπὲς*, *ὑκαπὲς*: Simonides *ἀφορὺς* pro *ἀμφορὺς*: Joh. Gazensis libro *περὶ ἀρχαιολογίας*, *καππάγια* pro *καμπάγια*. Apud Hesychium, Stephanum, Dionysium Periegeten & alios pro *Θύβεις*, quod est *Tiberis*, legitur *Θύμβεις*. Suidas pro *ἐρύμβυν* habet *ἐρύβυν* in voce *ῥυμβή*. In inscriptione, quam ex Seldeno & Tomasino excerpsit Reinesius, ita legitur:

> ΚΛ. ΛΕΟΝΤΙΟΝ. Μ. ΚΛ. ΑΥΡΗΛΙΑ.
> ΚΕΙΟΝΑΣ. ΚΥΜΒΕΛΛΕΙΤΑΣ. ΣΥΝ.
> ΣΠΕΙΡΟΚΕΦΑΛΟΙΣ. ΕΙΣ. ΤΟΝ. ΦΟΙΝΕΙΚΩΝΑ. &c.

Latine?

> CL. LEONTION. MINAM Ī. CL. AVRELIA.
> COLVMNAS. CYMBELLETAS. CVM.
> CAPITVLIS. TORTILIBVS. IN. PALMETVM. &c.

Ubi recte pro *κυμβελλέιτας* legendum Reinesius putat *κυβελλέιτας* a Cybelo monte, unde petebatur saxi istud genus. Eadem ergo ratione *κύμβαλον* dici poterat & *κύβαλον*. Tertio putat Etymologici conscriptor dici *κύμβαλον παρὰ τὸ πεποιημένην φωνὴν ἔχειν*, quod *fictum quemdam sonum habeat*: quo quid intendat, difficulter quis harioletur, nisi acutum sonum, quem litteræ *κυμ.* referunt, quique cum illo cymbalorum convenit, innuat, de quo plura lib. II. cap. 7. Sed jam ad alia. Ridicule derivat Isidorus Orig. lib. III. cap. XXI. *Dicta cymbala, quia cum ballematica simul percutiuntur. Ita enim Græci dicunt, cymbala ballematica.* Sequutus tamen eum Ugutio iisdem fere verbis: *Cimbala acitabula sunt, quæ percussa sonum faciunt, sic dicta, quod cum ballematica similiter percutiuntur.* Item Joh. de Janua: *Cimbala accitabula sunt quædam, quæ percussa se invicem tangunt, & faciunt sonum: sic dicta, quod cum ballematia similiter percutiuntur.* Absurditatem etymi nemo est, qui non videat; quæ tamen eo facilius inferioris ævi scriptoribus condonanda, quo usitatior hæc dicendi formula. *Ballematia* enim seu *Vallematia*, nihil nisi saltationis quoddam genus lascivum, & in quo cymbala erant frequentia. Glossæ Isidori: *Vallematia, inhonestæ cantationes & carmina jocaque turpia.* Concilium Toletanum III. Can. 23. *Quod ballimathiæ & turpia cantica probibenda sunt a sanctorum solenniis.* *Βαλλίζειν* certe idem esse, quod *κύμβαλα κτυπεῖν*, suo loco probo. Fluxisse inde Gallorum nostrorum *baller*, quod *saltare* innuit, & *bal*, quo solennem saltationem designant, nemo esse quod diffitetur. Leighius vir doctus & magni nominis a *κύμαιη* seu *cymba* deflectit cymbalum, quo argumento, sane nescio. Simplicissime & ad veritatem accommodatius faciunt, qui *ἀπὸ τῦ κύμβος* a cavitate deduci volunt: in qua opinione cum plerosque eruditos esse videam, non sum hic prolixior. Est vero *cymbalum*, si simpliciter describi velis, *instrumentum musicum, semirotundum, cavum, binum & conflictu motum*: quæ singula libro secundo latius exsequar. Vir Clarissimus Albertus Rubenius & meritis in remp. literariam insignis, quæ majora fuissent, nisi præmaturo ejus obitu spes omnis præcisa esset, apud Nonnum in Dionysiacis pro cymbalis sibi videtur aliud quod instrumentum legere. Verba hæc sunt lib. III.

> Κύμβαλα βομβήεντα συνέκτυπε δίζυγι χαλκῷ,
> Συμφερετοῖς δονάκεσσιν.....

i. e. ut ipse interpretatur: *Cymbala bombitantia una sonum edebant duplici ferro consertis fistulis.* Nihil hic video, quod morari lectorem possit: omne punctum in recta interpunctatione & versione τῦ *δονάκεσσιν* volvitur. Ita ergo interpretor: *Cymbala bombitantia sonum edebant duplici ferro: consertis donacibus.* *Δόνακες* autem certum genus cymbalorum fuisse, cap. XV. hujus libri probo.

CAPUT II.

Κύμβαλον vox πολύσημος. Ἀρδάνιαι ollæ, *quas aqua plenas collocabant Græci ante fores mortuorum, cymbala dictæ. Crepidæ æreæ. Empedocles æreis calceamentis usus est. Conum seu apex qui solebat esse in media galea, itidem cymbala.* Πηγαῖα. Tertullianus explicatus. Pamelius notatus, *itemque Salmasius.*

Dedi etymon & simplicem descritionem. Addo jam cognatas & translatitias. Ἀρδάνιαι seu ollæ, quas collocabant aqua plenas ante fores mortuorum, *cymbala* Doribus vocabantur. Hesych. Lexico: Ἀνδάνιαι, αἱ τῶν κεραμίων γάστραι, ἐν αἷς τὰ βοσκήματα ἐπόπιζον, ἃ Δωριεῖς κύμβαλα καλοῦσι. Ταῦτα δὲ πρὸ τῆς αὐλείας θύρας ἐτίθεσαν ὕδατος πλήρη, ἵνα, ὁπότε τις τελευτήσειεν, οἱ πρὸς ἐμφανισμὸν ἐξιόντες περιρραίνωνται. Latine: *Ardaniæ, fundi vasculorum fictilium, in quibus pecudi potum præbebant, quæ Dores cymbala vocant. Hæc autem ante fores vestibuli collocabant plena aqua, ut si quando quis moreretur, illi, qui in publicum exirent, lustrarentur.* Habes duos talis cymbali usus: pecudes potare, egredientes domum feralem lustrare. Ambos tangit Suidas: hic tamen frequentior. Suidæ in Lexico verba hæc sunt: Ἀρδάνιον· κεράμιον· γάστρα ὅθεν τὰ θρέμματα πίνει, καὶ εἴρηται παρὰ τὸ ἄρδειν· ἐτίθετο δὲ καὶ πρὸ τῆς θύρας τῶν τετελευτηκότων τοῖς εἰσιοῦσιν καὶ ἐξιοῦσιν, ἵνα περιρραίνωνται· ἐχρῶντο δὲ καὶ αἱ γυναῖκες τῷ ἀρδανίῳ αἱ τὴν κρόκην τρίβουσαι ἐπ' αὐτοῦ. *Ardanium, vas figulinum, ventrosum, unde pecudes bibunt. Dictum autem est ab* ἄρδειν, *rigare. Ponebatur autem etiam ante fores defunctorum, ut introeuntes & exeuntes se aspergerent. Utebantur etiam mulieres ardanio, quæ subtegmen in ipso tundebant.* Pollux lib. VIII. Onomast. c. 7. Καὶ οἱ ἐπὶ τὴν οἰκίαν τοῦ πενθοῦντος ἀφικνούμενοι, ἐξιόντες ἐκαθαίροντο ὕδατι περιρραινόμενοι. Τὸ δὲ ὄστρακον ἐκαλεῖτο ἀρδάνιον, i. e. *Et qui in lugentis domum pervenerant, egredientes aqua lustrabantur rigati. Vas vero vocabatur* ἀρδάνιον. Ὄστρακα simpliciter nominata esse talia vasa, ex Hesychio, Aristophane & aliis liquet. Euripides eadem πηγαῖα ex sententia viri docti appellitat, Alceste *verſ.* 98.

> Πυλῶν πάροιθεν δ' οὐχ ὁρῶ
> Πηγαῖον, ὡς νομίζεται
> Γε χέρνιβ' ἐπὶ φθιτῶν πύλαις.

> *Non enim video ante fores*
> *Vas aquarium, uti receptum moribus*
> *Aquam ante defunctorum fores collocare.*

Quamvis Scholiastes recte alia omnia doceat: παροξυτόνως τὴν πηγαῖον χέρνιβα, τὴν ὕδατος πηγαίου πεπληρωμένην· *penacute fontanum vasculum aqua fontana repletum.* De curribus bellicis streperis, ferreisve, aliquando κύμβαλον usurpatur. Nonnus Dionys. λ'ξ.

> Καὶ σέο κύμβαλον ἅρμα καὶ αὐχμώσσαν ἱμάσθλην.

> *Et tuum cymbalicum currum & squallens flagellum.*

Nisi potius ibi ex Gerardi Falkenburgii emendatione legendum sit κύμβαχον, quod facile permitto. Cum crepidas æreas in antiqua Græcia non omnino infrequentes sciant viri docti: Tertullianus de Pallio *cap.* IV. cymbala singulari dicendi ratione eas appellat: *Atquin* Empedoclem innuit, *alius & sericatus & crepidam æratus incessit: digne quidem, ut bacchantibus indumentis aliquid subtinniret, cymbalo incessit.* Inepte Pamelius, ut recte sentit ὁ πάνυ, putat autorem alludere ad cymbala, quæ bacchantium indumentis subsuebantur. Quis enim autorum antiquorum unquam hæc literis prodidit? Nescivit forsan vir cætera satis accuratus, quid essent cymbala & quomodo haberi solita in sacris Bacchi. Ipse Salmasius aliam causam excogitat: *Cymbala*, ait, *ex ære rotunda & cava: ad hanc formam proxime accendebant æreæ crepidæ.* Nescio ego, an hæc satis apte; & alii disputent, quæ similitudo crepidis cum cymbalis. Verecunde contra tantos manes insurgo, & dico Tertullianum respexisse sonitum, quem edebant crepidæ, cum solo collisæ, cymbalis similem. Luce hoc meridiana clarius, si consideres illa autoris: *Ut bacchantibus indumentis aliquid subtinniret.* Cæterum Empedoclem hoc habitu indutum fuisse testantur, qui aliquid de eo literis mandarunt. Ælian. Var. Hist. l. XII. Ἐμπεδοκλῆς δὲ ὁ Ἀκραγαντῖνος ἁλουργῷ ἐχρήσατο καὶ ὑποδήμασι χαλκοῖς: *Empedocles Agrigentinus purpura utebatur & calceis æneis.* Hesychius Milesius de claris viris ex versione Hadr. Junii: *Empedocles multas puellas populares suas indotatas, ex privatis opibus dote addita locupletavit: propterea purpuram sumsit & aureo strophio usus fuit: adhæc crepidas æreas induit.* Ex quo loco augurari licet crepidas tales æreas & cymbalicum sonum referentes puellis quoque in usu fuisse. Quod vel ex Hieronymo patet, qui

qui *Ep.* 10. ad Furiam: *Non habuit*, inquit, de pænitente illa muliere loquens, *Luc.* VII. *nec crispantes mitras*, *nec stridentes calculos*, *nec orbes stibio fuliginatos*, *quanto fœdior*, *tanto pulchrior*. Idem de Empedocle affirmant Philostratus & Diogenes Laertius, apud quem notabile est, quod memorat *Empedoclem in ignis crateres se injecisse*, *ibique dum fidem cupit facere*, *famamque adstruere*, *quod Deus effectus sit*, *ignibus consumtum esse: postea*, *quomodo se res haberet*, *innotuisse*, *una ex illis crepidis vi flammæ ex intimis ad exteriora rejecta*: quæ eadem ad verbum occurrunt apud Suidam. Conum, apex est sive summitas galeæ. Suidæ hæc sunt verba in Ἀμύκλας. Ἀμύκλαι, inquit, κόσμιόν τι, ὅπερ ἐν ποσὶν εἶχεν Ἐμπεδοκλῆς· εἶχε γὰρ ἀμύκλας ἐν τοῖς ποσὶ χαλκᾶς· i. *Amyclæ sunt ornamentum*, *quod in pedibus habebat Empedocles*. *Habebat enim in pedibus amyclas æreas*. „ Colligit hinc If. Casaubonus hoc Empedoclis calceamentum dictum fuisse ἀμύκλας. Nec video cur id displicuerit Ægidio Menagio ad Laertii l. cit. qui tamen ut in causa non sat æqua parum etiam sibi constans esse videtur. Hæc ejus est κρίσις: „ Quæ
„ verba (Suidæ) non eum sensum vi-
„ dentur habere, quem eis dat Casaubo-
„ nus, qui inde æneas illas Empedoclis
„ crepidas ἀμύκλας vocatas existimat: ni-
„ hil enim aliud significant, quam pe-
„ dis indumentum esse, sive sit ex æ-
„ re sive ex alia qualibet materia. Im-
„ mo si Suidam audimus, ne indumen-
„ tum quidem pedis erat, sed ornamen-
„ tum: κόσμιον· idque satis verosimile
„ est: quo enim ærea calceamenta? Sed
„ Comici, ut γελωτοποιοὶ, rem, ut fit,
„ in majus auxerunt. Hesychius: Ἀμυ-
„ κλαΐδες εἶδος ὑποδήματος πολυτελοῦς Λακω-
„ νικοῦ. Sic legendum ex Meursio in La-
„ conicis. De his crepidis Pollux VII.
„ 22. Ἀμυκλαΐδες δὲ, ἐλευθεριώτερον ὑπόδη-
„ μα· δηλοῖ δὲ κλῆσις τὸν τόπον. " Hactenus Casaubono dicam dicit. Eccur vero? quod dixerit calceos esse? Videtur id velle Menagius; & tamen adstruit ex Hesychio ἀμυκλαΐδες esse calceamentum. Si merum calcei ornamentum, cur audit Hesychium & Pollucem contrarium affirmantes? An quod æreorum calceamentorum nulla mentio in vetustis scriptoribus; Verum id est. Hinc constanter de Empedocle tanquam singulare aliquid memorant Autores. Cur vero mox ipse contrarium defendit, quando pergit: „ Quid-
„ ni tamen ærea calceamenta habuerit
„ Empedocles? cum de Goliatho dicatur
„ 1. *Reg.* XVII. 6. *Ocreas æreas habebat*
„ *in cruribus*. Et Vulcanus stanneas ocreas
„ Achilli fabricaverat, apud Homerum
„ Iliados Σ, versu 612. in quas Ageno-
„ ris telum resultavit Iliad. φ. v. 593.
„ Sed & Græci omnes Iliados ή. χαλκο-
„ κνήμιδες appellantur. Quæso, ec. quid
„ hæc probant? Quis neget ocreas fer-
„ reas, stanneas, æneas a militibus Græ-
„ corum olim adhibitas? Quis vero exinde colligat calceos quoque ejusdem materiæ habuisse veteres? Aut an ocreæ cum calceis eædem sunt? Quis vel linguæ peritus hoc affirmare auderet? Est tamen alius in Sacro Codice locus *Deut.* XXIII. 25. qui videtur harum esse partium. Istud enim ברזל ונחשת מנעלך vertunt οἱ ό. Σίδηρος καὶ χαλκὸς τὸ ὑπόδημα αὐτοῦ. & Vulgatus: *Ferrum & æs calceamentum ejus*. Descenduntque in eandem sententiam plurimi interpretum. Sed omne in hoc loco explicando punctum tulit Vir Celeberr. Antonius Bynæus in Erudito de Calceis Hebræorum Commentario. Abunde enim probavit, per מנעל nunquam designari calceum, sed ocreas. Vide eum prolixe de hac re disserentem laudato *l.* 1. *cap.* 4. Solinus: *Capite honorato in conum plumis extantibus*. Sil. Italicus lib. 2.

> *- - galeamque coruscis*
> *Subnixam cristis, vibrant cui vertice coni*
> *Albentes niveæ tremulo nutamine pennæ.*

Ibidem libro 4.

> *- - niveumque repostæ*
> *Instaurant galeæ coni decus -*

Servius: *Galeæ eminentia*, *quam Græci conum vocant*, *in qua eminet crista*. Hesychius: κῶνος περικεφαλαία, καὶ ὁ τῆς πίτυος καρπός. Atque hanc galeæ summitatem Latini etiam *apicem*, Græci κύμβαλον vocabant. Illud satis notum, hujus testes glossatores antiqui. Glossæ Philoxeni: Κύμβαλον, καὶ τὸ ἄκρον τῆς περικεφαλαίας, *Conum*. Aliæ, quas citat Salmasius: *Conum*, κύμβαχον (pro quo recte legendum monet κύμβαλον) καὶ τῆς περικεφαλαίας ἄκρον. Quod non mirabitur, qui notata Viro eidem alio loco leget, ubi κῶνον de plurimis rebus rotundis, de nuce pinea, de herba ex ferulaceorum genere similiter umbellata, de στροβίλοις Græcorum, dictum esse erudite pro more probat. Κυμβάλιον meretricium nomen est apud Lucian. Dial. Meretr. Παρῆσαν καὶ ἡ αὐλητρὶς Κυμβάλιον, καὶ Πυραλλὶς ἐχθρὰ οὖσα ἐμοί· σὺ δὲ τοῦτ' εἰδὼς, τὴν Κυμβάλιον μὲν οὔ μοι πάνυ ἐμέλησεν, &c. *Aderant & tibicina Cymbalium & Pyrallis quæ inimi-*

ca mihi eſt. Quod cum ſcires, non valde Cymbalium curavi.

CAPUT III.

Cymbalum in proverbio. Cymbalum juventutis. Cymbalum mundi. Κύμβαλον ἀλαλάζον. Κύμβαλον ἀκρότητον. Ἄκρον. *Faſtigium.* Euſtath. Swartius notatus. *Cymbalum refectorii. Campana medii ævi. Symbolum pro Cymbalum: Cymbolum pro Symbolum.* Κυμβαλικοὶ ναοὶ, *ædes in Cymbali formam tectæ.* Δικύμβαλα. Τρικύμβαλα.

Diverſa ex cymbalis proverbia fluxere, quæ hic, quotquot occurrere, appono. In Priapejis Virgilii operibus annexis, cujuſcunque ſint illa autoris, mentio fit *cymbalorum juventutis:*

> *Ite hinc inanes rhetorum manipli*
> *Inflata rore non Achaico, verba:*
> *Et vos Seliquati, Arquitique, Varoque,*
> *Scholaſticorum vario madens pingui.*
> *Ite hinc inanis cymbalon juventutis.*

Nemo heic dubitat, quin intelligantur, quos ignominioſe & ſatyrice ita vocat, rhetores & declamatores. Caſaubonus, vir maximus, & quem nunquam abſque ſingulari veneratione nominandum exiſtimo, Auguſto dictum eſſe *cymbalum juventutis* famoſum quendam grammaticum; ſed fateor, nondum ſuccurrit ex antiquis ſcriptoribus, qui hæc tradiderit. Affine eſt huic alterum dicterium Tiberii Cæſaris Appionem Grammaticum *cymbalum mundi* indigitantis, quod Plinius obſervavit Hiſt. Nat. præf. *Apion quidem Grammaticus, hic quem Cæſar Tiberius cymbalum mundi vocabat, quum publicæ famæ tympanum potius videri poſſet, immortalitate donari a ſe ſcripſit, ad quos aliqua componebat.* Diligenter hoc explicat, literarum pene conclamatarum magnus reſtaurator, Deſ. Eraſmus. Ad imitationem ſane Picum Mirandulanum ita appellitat vir doctiſſimus Stephanus Le Moyne, ſicut Baptiſta Pius *cymbalum juventutis* eſt Joſ. Scaligero & Boxhornio. Affini dicendi ratione D. Paulus 1. *Cor.* XIII. *v.* 1. Κύμβαλον ἀλαλάζον nominat hypocritum & ore tantum Chriſtianum: Ἐὰν ταῖς γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων λαλῶ καὶ τῶν ἀγγέλων, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, γέγονα χαλκὸς ἠχῶν, ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον. In quo eum ſecutum eſſe Septuaginta Interpretes ſuo loco doceo. Expreſſit hanc Pauli mentem eleganter D. Iſidorus *l.* 1. *Ep.* 163. Τὸ γὰρ καλῶς λέγειν κυμβάλῳ παρέοικε· τὸ δὲ χρηστῶς πράττειν ἀγγέλοις συμπέφυκε, i. e. *Pulchre enim loqui, cymbalo aſſimulavit: utile vero facere angelis cognatum fecit.* Et *Ep.* 62. Λόγος πρὸς ὠφέλειαν τῶν ἀκουόντων γινόμενος, λόγος ἐστὶν ἐνδύναμος, ἐνδέκως λόγος καλούμενος καὶ πρὸς Θεὸν ἔχων τὴν μίμησιν· ὁ δὲ πρὸς τέρψιν μόνην, καὶ κρότον τελευτῶν ἦχος ἐστὶ χαλκοῦ τοῖς μεγάλοις ψόφοις τὴν ἀκοὴν ἐνηχῶν· ἢ τοίνυν σεμνότητι τὸν λόγον σου ῥύθμιζε, προτιμῶν τοῦ κόμμου τὸ μέτριον, ἢ γίνωσκε κύμβαλον ὢν τῇ σκηνῇ τῶν θεάτρων ἁρμόδιον. Latine: *Sermo ad utilitatem audientium compoſitus ſermo eſt validus, juſte ſermo dictus & Dei habens imitationem. Qui vero ad ſolam delectationem & plauſum inſtituitur, ſonus eſt aeris, magno tinnitu auribus obſtrepens. Aut igitur ſermonem tuum cum gravitate conjunge, præferens ſtrepitui menſuram, aut ſcias, te eſſe cymbalum ſcenæ theatrorum aptum.* Qui magis ſcurrilem garrulitatem alicui exprobare volebant, κύμβαλον eum ἀκρότητον indigitabant: quod falſo vir cætera non indiligens Euſtathius Swartius ab ἄκρον, a *ſummitate* putat derivandum. Operæ pretium erit audire ipſum diſſerentem. Julian. Orat. *pag.* 6. extat hic locus: „ Νόμος ἐστὶ παλαιὸς παρὰ τῆ πρώτῃ „ φιλοσοφίαν ἀνθρώποις φήναντος οὑτοσὶ κείμε- „ νος, ἅπαντας πρὸς τὴν ἀρετὴν καὶ πρὸς τὸ „ καλὸν βλέποντας ἐπιτηδεύειν ἐν λόγοις, ἐν „ ἔργοις; ἐν ξυνουσίαις, ἐπὶ πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς „ κατὰ τὸν βίον ἄκροις καὶ μείζοσι τοῦ καλοῦ „ πάντως ἔφη. Corrigendum ait vir præ- „ ſtantiſſimus (D. Petavius) τοῖς κατὰ τὸν „ βίον μικροῖς καὶ μείζοσι. At nobis τὸ „ ἄκροις longe dignius viro philoſopho & „ eleganti videtur, qui ἄκρα κατὰ τὸν „ βίον dixit, ut Virgilius:

> *— Summa ſequar faſtigia rerum.*

„ Pro tenuiſſimis videlicet & vix tactui „ obnoxiis. Quo pacto in Gloſſario quo- „ que a Stephano primum publicato ἄκρον „ *ſummum* exponitur, addendo *cacumen,* „ *faſtigium.* Apud Græcos ex hac ἄκρου „ ſignificatione ἀκρότατα κύμβαλα in Pro- „ verbium venerunt, pro ineptis velut, „ atque minutioris ſoni, quam require- „ batur. Nec abit, quod dici ſolet, ἄκρῳ „ τῷ δακτύλῳ ἅψεσθαι, ἐπὶ τῶν οὐκ ἀκριβῶς „ ἠσκημένων, ut interpretatur Zenobius. „ Inde genus quoddam luctæ ἀκροχειρισ- „ μὸς dictum apud Pollucem, videtur „ enarrandum *l.* 11. Onomaſt. *c.* IV. & „ ἀκροδακαύλιον, ut legendum videtur in „ Gloſſis Græco-barbaris apud præſtantiſ- „ ſimum Meurſium noſtrum. “ Habetis omnem Viri eruditi Criticam, quæ quam male hic ceſſerit, doctis viris dijudicandum relinquo. Quod corrigat corrigentem Petavium, abſque ulla id cauſa fieri exiſtimo.

ſtimo. Nam, quem argumento adducit Virgilii locum, nihil minus probat, quam quod elicere inde vult Swartius. Ergone *ſumma rerum faſtigia*, ſunt *tenuiſſima?* Quis unquam huic conſentiet? An vero, qui ſummam, i. e. compendium rerum geſtarum nectit, peſſimis & viliſſimis inhæret, pulcherrima prætermittit? Eadem facilitate jam cadunt cætera, nec Gloſſarium hic quicquam probat, nec adagium Zenobii quadrat, nec cætera ita explicanda. Si quiſquam alius, profuiſſet Suidæ locus: Ἄκρον· ἐπιλίγδην. μεσότητος ἐπίρρημα· ἀντὶ τοῦ ἐπιψαύδην. ὅσον ἐπὶ ψαῦσαι μόνον. καὶ ὅτι ἐν Ἰλιάδι ἅπαξ, καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ ἅπαξ. Vertit Æmilius Portus: Ἄκρον *in ſumma parte corporis. Strictim. Leviter. Adverbium mediæ ſignificationis, pro* ἐπιψαύδην, *levi tactu, molli attactu. Ita ut tantum corpus attingas, nec alius penetres. Hoc vocabulum ſemel in Iliade, ſemel in Odyſſea reperitur.* Maxime inconveniens eſſet, & adverſum antiquæ illi Græcorum elegantiæ κύμβαλα δυσήχεια dicere ἀκρότατα ſive *ſumma* interpreteris ſive *levia*. Quanto melius ſubſtituo ἀκρότητα, *male crepituntia*, quod deducitur a contrario κροτητὸς, *bene ſonans*. Sic invenies κροτητὰ μέλη apud Sophoclem in Thamyra:

> Οἴχωκε γὰρ κροτητὰ πηκτίδων μέλη
>
> *Abivere enim bene ſonantia citbararum carmina.*

Præterea ipſum, unde hoc Proverbium fluxit, Athenæi locum intuere, Deipnos. IV. *cap.* 18. Ὑπὸ τῆς ἐμφύτου γαστριμαργίας, καὶ ἡδυλογίας; κολάβους ἀναγινώσκει καὶ μέλη πάραυλα, καὶ ἀκρότητα κύμβαλα. *Ob ingenitam voracitatem & ſcurrilem dicacitatem mutilos recitat modos tibiæ non congruentes cymbalaque minime ſtrepentia.* Tuam ego, lector, conſcientiam teſtor, quam bene conjungantur μέλη πάραυλα *cantus abſque ſonitu* καὶ ἀκρότητα κύμβαλα *& cymbala abſque crepitu.* Apud Latinos hoc ſenſu *cymbala inania* leguntur. Venant. Fortun. de vita S. Mart. *l.* 5.

> *Sed fremitus fragilis per inania cymbala tinnit,*
>
> *Oppoſitiſque minis interritus ipſe reſiſtit.*

Dedi ſignificationes, quas puriore ſermone recepta cymbala habuere: ad medium me ævum jam verto, ubi campana qua Monachi ciebantur ad refectorium, quæque appendebantur in clauſtro, cymbalum dicta. Hinc legitur in Chronico Abbatiæ S. Trudonis *l.* IX. *p.* 460. *Cymbalum refectorii.* Lanfrancus in Decret. Ordin. S. Ben. *cap.* I. *Cantata nona exeant, Prior ad percutiendum cymbalum, hebdomadarii, coquinæ, & cæteri qui ſervituri ſunt, ad injuncta ſibi officia.* Alibi: *Qua cantata pulſato cymbalo a Priore pergant omnes in refectorium.* Regula S. Benedicti (Bibl. Patr. T. IX. p. 658.) *ad horam vero refectionis poſt expletionem exſpectent in eccleſia pſallentes in choro. Cum audierint cymbalum, ordinate & ſine ullo ſtrepitu feſtinent totis manibus introire refectorium.* Paulo poſt: *Tunc Cellarius ſonet iterum cymbalum tacite.* Udalricus in antiq. Cluniac. Conſuetudin. lib. III. c. 18. *Si forte contigerit, quod ad horam refectionis panis aut aliud quid non ſit coctum; pertinet quoque ad cellerarium, ut auferat malleum, ne cymbalum percuti poſſit.* Ordo antiquus Converſationis Monaſticæ *cap.* II. apud Edm. Martene Ant. Moh. I. *c.* 9. *Ad horam vero refectionis poſt expletionem exſpectent in eccleſia pſallentes in choro: cum audierint cymbalum, ordinate & ſine ullo ſtrepitu feſtinent totis manibus introire refectorium.* Conſuetudines S. Benigni Divionenſes c. 7. *Quas ipſe cum uno æque de ſociis tacto cymbalo in refectorium defert, finitoque prandio eodem modo reportant.* Citatus Ordo Converſ. Monaſticæ alio loco: *Et tunc ſonent cymbalum tacite & dicant:* Fratres, Benedicite *æqua voce & producta.* Ibid. c. 59. *Finitis veſperis pro cymbalo percutitur tabula & in refectorio pro ſcilla, ubi, ſicut in capitulo, quæ dicenda ſunt omnia, præter lectionem, ſub ſilentio dicuntur.* Vita S. Wilhelmi num. 20. *Hora refectionis acceſſit ad cymbalum & percuſſo cymbalo convocavit conventum.* Liber Ordinis S. Victoris MSS. c. II. *Pertinet ad Cellerarium, ut auferat malleolum, qui pendet ad cymbalum.* Et pœna conſtituta erat, ſi quis non ſtatim ſe ſiſteret. Vita Trium S. Alb. Abbatum, quæ eſt in appendice Matthiæ Pariſ. *Quod ſi aliquis eorum, quod cymbalum percuſſum fuerit in refectorio, remanſerit, locutorium cum cæteris non ingrediatur, ſed ſolus in eccleſia remaneat, ſilentiumque teneat, dum cæteri loquentur.* Eodem pulſatum eſt ad mortuos, ut indicat Gregor. Magn. *l.* I. Dial. *c.* 9. Vita S. Leonis apud Ughellum T. 8. *In cujus obſequio Petri cymbalum a ſemetipſo nullo cogente ſonare cœpit.* Interdum corruptam hanc vocem lego & *cymbalo* ſubſtitutum *ſymbolum.* Typicum, quod citat Leo Allatius, *cap.* 40. Ὅτε δὴ ἐπιστῇ ὁ καιρὸς τοῦ ἑσπερινοῦ, κρουομένου τοῦ συμβόλου συναγόμεθα ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. *Cum vero adeſſet tempus veſperæ, pulſante ſymbolo*

con-

congregabamur in ecclesia & c. 41. Περὶ δὲ ὥραν ἕκτην κρουομένου τοῦ συμβόλου συναγόμεθα ἐν τῷ νάρθηκι: *Circa horam vero sextam pulsante symbolo congregabamur in narthece*. Quanquam non repugno, si quis contrarium persuadere conetur, & per symbolum intelligere signum campana datum. Liceat tamen mihi ita opinari, quia video τὸ *symbolum* & *cymbalum* non infrequenter ab his barbariem olentibus scriptoribus commutari invicem. Sic e contrario *cymbola* pro *symbola* invenio in Vita S. Heldradi num. 24. *Ob frequentiam itaque populi custodibus per ecclesias deputatis, unus de ipsius monasterii clientibus ad Heldradi Oratorium accedens cymbolam a custode petiit, sed non impetravit. Instinctu igitur diaboli, custode nesciente, cymbolam de altari furtiva temeritate capere præsumsit*.

Tandem ædes in cymbali vel tympani speciem tectæ κυμβαλικοὶ ναοὶ dicebantur. Codinus descript. S. Sophiæ *n.* 147. Εἶπον δὲ οἱ τεχνῖται, ἵνα γένηται ἐπίπεδος ὁ τροῦλος, καὶ κυμβαλικός, καθὼς ἐστι νῦν. *Dixerunt vero artifices, ut fieret rotundus trulus & cymbalicus, veluti nunc est*. Quæ vero duobus vel tribus tricliniis κυμβαλικῶς tectis constabant, inde dictæ δικύμβαλα, τρικύμβαλα. Ita δικύμβαλον ἐν τρίτῳ νάρθηκι τῆς μεγάλης ἐκκλησίας. *In tertio narthece magnæ ecclesiæ* memorat VI. Synodus Act. 18. Velut τρικύμβαλον τοῦ Τζυκανιστηρίου Anonymus Combesianus in Porphyrog. *n.* 4. Cui addo Codinum in Originibus, quas citat Allatius: Αἱ παλαιαί, ait, πύλαι εἰς τὸ τρικύμβαλον τοῦ Τζυκανιστηρίου ἤρθησαν ἀπὸ τοῦ ἐμβόλου τοῦ φόρου παρὰ βασιλέως τοῦ μακεδόνος. *Antiqua porta in tricymbalum Tzycanisterii perfecta erat versus prominens forum a Basilio Macedone*.

CAPUT IV.

Κρόταλον. *Recensentur falsæ variorum de crotalo opiniones, & refutantur*. Scaligeri, Bulengeri, Brodæi, Magii, Salmasii, Weitzii sententiæ rejiciuntur. *Sistrum*. *Calami rauci*. Virgilii Copæ lux. *Tintinnabulum*. Johannes Saresberiensis, Lexicon Græco-Latinum, Philoxenus, Pomponius Sabinus refutantur. *Trochus*.

Cymbalis ipsis accuratius inspectis, genera illorum singula curatius contemplari operæ pretium erit. In illis primum sibi locum vendicat κρόταλον: crux sane virorum doctissimorum, contra quorum autoritatem insurgere mihi juveni, quam temerarium esset, facile cognoscerem, nisi haberem ipsam veritatem a meis partibus pugnantem. Vir summus & immensæ eruditionis, quo nostra sæcula nullum majorem, similes vix unum atque alterum spexerunt, Jos. Justus Scaliger crotalum falso cum sistro confundit, dum illud ab Apulejo illis verbis describi putavit: *Dextra ferebant æneum crepitaculum: cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos ictus, reddebant argutum sonum*. Mox deinde cum scabillis, dum nihil aliud intelligi ab Arnobio *l.* 2. *per scabillorum concrepationes*, & lib. 7. *per crepitus scabillorum* statuit. Utrumque nollem excidisset tanto viro; quantum enim ab his singulis discrepet crotalum, ex sequenti capite fusius disces. Certe splendor nominis Scaligeriani multos alios in eundem induxit errorem, qui potius tanti viri autoritati fidem habendam, quam rem ipsam altius inquirendam censuerunt. Nec vidit plura Bulengerus, qui cum recensuisset hanc Scaligeri opinionem, nihil contra affert: sed ipse potius fallitur, dum *usos fuisse hoc instrumento*, quod nemo veterum autorum prodit, *Ægyptios in Deorum solennitatibus* nimis confidenter asserit. Unde facile inducor credere, quod ab ipso quoque sistrum innuatur. Nam licet sciam cymbalum in Ægypto in usu fuisse, non tamen id fuerat de crotalo perhibendum, multo minus de Deorum solennitatibus, cum in solis Isidis sacris solus Ausonius cymbali mentionem faciat, ut suo loco monstrabitur. Vir omni laude major Claudius Salmasius recte Scaligerum refutat, sed mox incogitantius addit: *Crotalum etiam de sistro quidam dixere*, quod ego de recentioribus quibusdam glossatoribus, iisque minoris fidei facile concedo, de antiquioribus neutiquam. Pergit: *Et nescio an apud Virgilium, ubi Copa illa Syrisca sub crotalo latus movere dicitur & ad cubitum calamos raucos excutere, de sistro accipiendum sit. Calamos raucos fortean vocavit virgulas illas ferreas, quæ per laminam sistri mediam, in modum balthei recurvatam, trajiciebantur, quæque brachio crispante concussæ tergeminis ictibus resonabant & crepitabant*? Itane, Salmasi, *calamos raucos* laminas ferreas dici putas? Quæ vero ferro cum calamis seu arundinibus similitudo? Crotala cur heic intelligam, non video quid moretur, quæ plerumque ex calamis facta esse sequenti capite doceo. Unde mirari subit, qua ratione factum sit, ut vir supra invidiam eruditus Caspar Barthius se non assequi hujus versus sententiam ingenue fateatur. Adeo non video causam cur Johannes Weit-

Weitzius, in illo ad Copam Virgilianam commentario (ſive potius, quod pace illius viri dixerim, commentariorum centonem) quod enim pars heic Weitziani laboris eſt? acclamet Salmaſio iſtud triviale: Λεπτὰ διακρίνων πολυΐδμονος ὄργια μύστης. Sed jam ante hos omnes antiquitatum utrarumque peritiſſimus Brodæus in hoc errore fuit, cui *croatalum eſt inſtrumentum rotundum circulo ligneo factum, cum laminis quibuſdam ex ære rotundis, numiſmatis magnitudine, ſonum ex colliſione reddentibus: id eſt* Siſtrum. Cauſam hujus erroris capite XXIII. hujus libri detegere conabor. Nec defendi poteſt Hieron. Magius, vir ob ſingularem eruditionem meliore fato dignus, qui Crotala cum certa quadam tintinnabulorum ſpecie confundit; *Viſuntur*, inquit, *antiquorum Crotala marmore expreſſa, quæ tintinnabula affixa continent*. Ubi gentium Hieronyme Magi? Excuſandus tamen meliori jure ob leve hoc ἁμάρτημα μνημονικὸν, qui omnibus adjumentis memoriæ deſtitutus, tantum tamen ex ſola memoria depromſit, quantum cæteri ex maximo bibliothecarum ſelectu.

Habes errores recentiorum, quotquot exigua lectione notare potui. Sed nec antiquiores ſibi ſatis conſtantes in hac materia. Joh. Saresberienſis Policr. lib. VIII. cap. 12. *Crotala dicuntur ſonoræ ſphærulæ, quæ quibuſdam granis interpoſitis pro quantitate ſui & ſpecie metalli varios ſonos edunt*. Cujus quidem inſtrumenti figuram in antiquis picturis mihi occurriſſe non memini, ſed expreſſit tamen feliciter Ferrarius vir doctus Italus. Deſcriptio certe ſuſpecta eſt, veſtigium in vetuſtiore antiquitate nullum. Nec majorem apud me fidem habet Lexicon Græco-Latinum Vulcanii, in quo Κρόταλον *Siſtrum* eſt: nec Gloſſa Philoxeni: Κρόταλον. *Plauſtrum*, *Tintinnabulum*, *Crepitaculum*. Errat quoque Scholiaſtes ille Virgilii Pomponius Sabinus ad Copam, qui, *Crotalus*, ait, *eſt annulus ferreus, qui percutitur virga ferrea ad ſonum fiſtulæ*. Hanc enim deſcriptionem eſſe trochi, non crotali, quotuſquiſque eſt, qui non videat?

CAPUT V.

Vera Crotali deſcriptio adducitur. Crotalum fiſſus calamus: interdum e teſta, ligno, aut ære confici ſolitum. Confunditur cum cymbalo. Sponius notatus. Gruterus vindicatur. *Quomodo differat*. Κρότον: *Plauſus*. Κροταλίζειν.

Antiquiores Scholiaſtæ & quorum fides nobis merito antiquior erit, fere unanimiter, crotalum eſſe inquiunt calamum fiſſum atque ita compoſitum, ut concuſſus manibus ſonum edat. Scholiaſtes Ariſtophanis in Nubibus: Κρόταλον κυρίως ὁ σχιζόμενος κάλαμος ὁ κατασκευαζόμενος ἐπίτηδες, ὥστε ἠχεῖν, εἴ τις αὐτὸν δονοίη ταῖς χερσὶ, καθάπερ κρότον ἀποτελῶν. *Crotalum palmarie fiſſus calamus, præparatus apte ut ſonet, ſi quis eum verſet manibus, ad efficiendum plauſum*. Fere iiſdem verbis Suidas: Κρόταλον ἰδίως ὁ σχιζόμενος κάλαμος καὶ μετασκευαζόμενος ἐπίτηδες, ὥστε ἠχεῖν, εἴ τις αὐτὸν δονοίη ταῖς χερσὶ, καθάπερ κρότον ἀποτελῶν. *Crotalum proprie fiſſus calamus & ſtudioſe comparatus, ut ſonet, ſi quis manu eum pulſet, quaſi plauſum efficiens*. Scholiaſtes item Ruffini: Ἔστι καὶ κάλαμος ἐσχισμένος κρόταλον. *Crotalum vero eſt fiſſus calamus*. Nec tamen infrequens fuit etiam alia materia, videlicet teſta, lignum, æs. Euſtath. ad Iliad. λ' Ἐκ δὲ τοῦ κροταλίζειν, καὶ κρόταλον, οὗ χρῆσις καὶ παρὰ τῷ κωμικῷ· σκεύη δέ τινα τὰ κρόταλα, ἐξ ὀστράκου τυχὸν, ἢ ξύλου, ἢ χαλκοῦ, ἃ ἐν χερσὶ κρουόμενα θορυβεῖ, i. e. *Ab crotalizare & crotalum, cujus uſus etiam apud comicum. Vaſa vero quædam ſunt crotala ex teſta, ſive ligno, ſive ære, quæ manibus mota ſonum edunt*. Atque hoc eſt inſtrumentum, quanquam aliquantum a cymbalis diverſum, a nullo tamen non cum iiſdem commixtum. Unde Sponius in Miſcellaneis citra neceſſitatem Grutero dicam dicit, quod crotala cum cymbalis confuderat: non enim aliter autores. Clare Joh. Saresber. Policrat. lib. 8. cap. 12. *Croton Græce pulſus dicitur & inde cymbala ſic dicuntur: vel muſicum notat inſtrumentum, quod in ſono vocem ciconiæ imitatur*. Inde factum, ut κροτεῖν & *crepare* ſæpius de cymbalis diceretur, *tinnire* contra de crotalis: cum tamen in hoc latere palmarium cymbalorum & crotalorum diſcrimen exiſtimem, quod cymbala tinniebant, crotala crepabant, Die Cymbeln klungen / die Crotala klapperten. Sed & in eo differebant, quod cymbala bina & majora ambabus manibus: crotala vero quaterna, atque adeo ſingulis manibus bina percuterentur: id quod clarius fiet, ſi lu-

ſi luſtraveris & inter ſe comparaveris tam crotaliſtriarum, quam cymbaliſtriarum ſtatuas, quas infra damus. Etymon manifeſtum a κροτέω *plaudo* & κρότος *plauſus*, qui ſcilicet erat inſtrumentum in plauſu non infrequens: quin imo in plauſu cymbalicos modos exprimebant, quod ſuo loco doceo. Κροταλίζειν proprie quidem eſſet crotalo uti, quin imo & ipſo cymbalo. Sic Nonnus Dionyſ. XLIII. ἐκροτάλιζεν ὁμόζυγα κύμβαλα. Sed tamen frequentiſſime ad plauſum transfertur. Heſychius: Κροταλίζει, κρούει ταῖς χερσίν: Id eſt, *Crotalizei idem eſt, quod pulſat, ſeu plaudit manibus* Nonnus Dionyſiac. ιη.

> Καὶ παλάμῃ κροτάλιζε καὶ εὐρύθμοισι πεδίλοις.
>
> *Et manu plaude & bene modulatis calceis.*

Ex quo loco patet κροταλίζειν etiam de pedibus uſurpatum eſſe, quo ſenſu idem κη.

> . . . . . . ὁ δὲ κροτάλιζε πεδίλῳ.

Sane & ungula ἵππος ἀνεκροτάλιζε apud eundem lib. XLI. Eodem ſenſu Callimachus Hymno in Dianam verſ. 247.

> . . . . . Αἱ δὲ πόδεσσιν
> Οὖλα κατεκροτάλιζον, ἐπεψόφεον δὲ φαρέτραι.

id eſt:

> . . . . . *Ipſæ vero pedibus*
> *Valde ſtrepebant, ſonitumque edebant pharetræ.*

Euſtath. Iliad. Τὸ δὲ κροταλίζειν ὀνοματοπεποίηται, κατὰ καὶ τὸ κροτεῖν οὐ παράγωγον τὸ κροταλίζειν· ἔστι γὰρ κροτῶ, ἀφ' οὗ κροτίζω, ὡς νεμεσῶ νεμεσίζω, καὶ πλεονασμῷ κροταλίζω. *Vocabulum vero* κροταλίζειν *deducitur a* κροτεῖν, *cui quoque ſignificatione convenit: a* κροτῶ *enim ſeu* plaudo *eſt* κροτίζω, *ſicut a* νεμεσῶ νεμεσίζω, *& per pleonaſmum* κροταλίζω. Et hoc ſenſu Athenæus Deipnoſ. x. cap. II. Ὅσοι οὖν τότε περὶ ἑστίας ἦσαν ἥκουσι τῶν περιοίκων εὐωχοῦνται· οἱ δὲ λοιποὶ κροταλίζουσι μετὰ χαρᾶς. *Tum quotquot locum eum circumhabitant divites, convivantur, cæteri læti plaudunt.* Gloſſæ tamen: Κροταλίζοντες, *Tintinnaculos* explicant & apud Achillem Tatium de conflictu dentium dicitur lib. II. οἱ δὲ ὀδόντες κενοὶ τῆς θήρας περὶ ἑαυτοὺς ἐκροτάλιζον. *Dentes vero inanes feræ circa ipſos crepitabant*. Qui vero crotalis utuntur lubentes & frequentes, φιλοκρόταλοι dicuntur. Nonnus Dionyſ. ια.

> Οὐκ ἔτι Βασσαρίδεσσι φιλοκροτάλοισι κελεύεις
>
> *Non amplius incitas Baſſarides amantes crotala.*

Hinc & Cybele ſeu Rhea apud eundem libro viceſimo θεὰ φιλοκρόταλος, *Dea, quæ amat crotala*, vocatur. Et ibidem paulo poſt: χεῖρες φιλοκρόταλοι. Idem Dionyſ. κζ. φιλοκρόταλοι γυναῖκες. *Crotalorum amantes mulieres.*

CAPUT VI.

Vocis κρόταλον *cæteræ ſignificationes. Narciſſus antiquiſſimis* κρόταλον. *Aliis ſandalia ad imitationem Latinorum, an recte?* Cœlius notatus. *Proverbialiter ita homo loquax, facundus, & aſtutus.* Caſaubonus memoria lapſus. *Hinc actus orationis patheticæ* κρότος. *Ciconia, Crotalus apud Ægyptios. De voce ejus quædam.* Notatus Solinus. *Avis pia & ſymbolum concordiæ.* Petronius explicatus & Juvenalis. Politianus refutatus. Κροτάλια, χρυσεοκρόταλα.

HAbet & hæc vox ſingulares ſuas ſignificationes, quas hoc capite expono. Narciſſum antiquiſſimis κρόταλον dictum eſſe ex Eumacho probat Athenæus Deipnoſ. lib. XV. cap. 8. Εὔμαχος δ' ὁ Κερκυραῖος ἐν ῥιζοτομικῷ καὶ ἀκακαλλίδα φησὶ καλεῖσθαι τὴν νάρκισσον καὶ κρόταλον: *Eumachus vero Cercyræus in rhizotomico ait narciſſum appellari acacallidem & crotalum.* Cælius Rhodoginus certum quoddam ſandaliorum genus crotala dici teſtatur, qua tamen fultus authoritate neſcio. Sin eſt ita, putem id eadem ratione factum, qua capite ſecundo crepidas Tertulliani expoſui. Magis tamen reor lapſum Rhodiginum, dum confudit duas ſignificationes vocis ἄσκαρος. Cum enim ea & crotalum & ſandalium ſignet, ut alio loco videmus, ſandalium putavit crotalum dici. In proverbio Græcorum nihil uſitatius, quam aſtutos, loquaces, facundos κρόταλα & κροτάλους appellitare. Loquaces, inquam, & garrulos. Euſtath. in Iliad. λ. Ἀπ' αὐτῶν δὲ καὶ ὁ στωμύλος καὶ παρὰ τὸ δέον ἐν λαλιαῖς ὀχληρὸς, εἰς κρόταλον παροιμιάζεται. *Ab illis vero & garrulus & præter decorum in ſermonibus moleſtus proverbialiter crotalum dicitur.* Iliad. υ. Τῷ δὲ ῥηθέντι ἐπιτρίπτῳ παρωμοίωται καὶ τὸ παρὰ τῷ κωμικῷ τρίμμα, συγγενὲς ὂν τῷ ἐξ ὀπτῆς λίθου κροτάλῳ. *Quem vero dicunt* ἐπίτριπτον *contritum, ille aſſimilatur a Comico* τρίμματι, *quod ſimile*

eſt

est crotalo ex tosto lapide. Astutos & callidos. Aristoph. in Nubibus:

> Λέγειν γενήσει τρίμμα, κρόταλον, παιπάλη
>
> *Fies in dicendo tritus, crepitaculum, pollen.*

Scholiastes ejus: Καλοῦμεν δὲ καὶ τῶν ἀνθρώπων τοὺς κακεντρεχεῖς καὶ μὴ ἁπλοῦς τρίμματα καὶ πολυτρίμματα, καὶ πολυκρότους καὶ κρόταλα. *Vocamus vero homines subdolos & minime simplices res tritas, multumque tritas, item multum crepitantes & crotala.* Ex quo loco explico Hesychii illud: κρόταλον, περίτριμμα, κρότημα. Euripides in Rheso vers. 498. de Ulysse:

> —— ἔστι δὲ αἱμυλώτατον
> Κρότημ' Ὀδυσσεύς ——
>
> —— *Est autem facundissimum*
> *Crepitaculum Ulysses* ——

& in Cyclope de eodem, vers. 102.

> Σιλ. Χαῖρ' ὦ ξέν', ὅστις δ' εἶ φράσον, πάτραν τε σήν.
> Ὀδ. Ἴθακος Ὀδυσσεὺς, γῆς Κεφαλλήνων ἄναξ.
> Σιλ. Οἶδ' ἄνδρα κρόταλον δριμὺ, Σισύφου γένος.
>
> *Sil. Salve hospes, quinam autem sis dicito, & tuam patriam.*
> *Ulyss. Ithacus Ulysses, Cephaleniæ terræ Rex*
> *Sil. Novi virum crepitaculum*, (i. e. loquacem) *acre, Sisyphi genus.*

Rationem hujus rei Casaubonus adducit ex Hesychio: quod κροτεῖν & κρότημα ἐπὶ τῶν δολίων τάσσεται: quem tamen locum frustra in Hesychio quæres, quod sæpius obvenit in scriptis Casauboni, nimium interdum memoriæ indulgentis. Addo demum facundos, & ita Aristophanes in Nubibus:

> Τοῖς ἀνθρώποις τ' εἶναι δόξω
> Θρασὺς, εὔγλωττος, τολμηρὸς, ἴτης
> Βδελυρὸς ψευδῶν συγκολλητὴς,
> Εὑρεσιεπὴς, περίτριμμα δικῶν,
> Κύρβις, κρόταλον, κίναδος, τρύμη.

Ubi vertit optimus Aristophanis interpres Nicod. Frischl.

> *Neque me commoveat, si me homines*
> *Dicant audacem, linguacem,*
> *Petulantem, præcipitem, impurum,*
> *Nugarum consabricatorem,*
> *Fictorem verborum, rabulam,*
> *Crepitaculum & astutam vulpem.*

Quo loco Scholiastes: Κρόταλον εὔστομος καὶ εὐγλώττος, ὡς τὰ κρόταλα. *Crotalum, loquax & linguax, uti crotala*. Idem alio loco, in Nubibus: Κρόταλος δὲ εὔγλωττος (non ut habent editi ἄιγλωττος) εὔστομος· ἡ μεταφορὰ ἐκ τοῦ κροτάλου. *Crotalus vero est facundus & loquax. Metaphora desumta a crotalo.* Scholiastes Rufini: Γράφεται καὶ κρόταλος ἀρσενικῶς, ἀντὶ τοῦ εὔστομος καὶ εὔγλωττος, ὡς τὰ κρόταλα. *Scribitur vero crotalus genere masculino eleganter pro loquaci & linguaci, sicut crotala*. Suidas: Τρανὸς οὖν ἔσῃ, φησὶ, καὶ τὴν φωνὴν διηρθρωμένος ὥσπερ κρόταλον· ἀντὶ τοῦ εὔγλωττος, εὔστομος. *Perspicuus igitur, dici solet, & voce distincta præditus eris, ut crotalum, pro linguaci & loquaci*. Idem: Κρόταλος ἀρσενικως· ἀντὶ εὔγλωττος καὶ εὔστομος, ὡς τὰ κρόταλα· καὶ ἐν ἐπιγράμματι· καὶ νῦν καλοῦμαι θηλυμανής· ἢ νῦν δίσκος ἐμοὶ κρόταλον· ἔστι δὲ καὶ κάλαμος ἐσχισμένος. Vertit Æmilius Portus: *Crotalus genere masculino: qui linguam bonam & expeditam habet & os valde resonans & claram vocem, ut crepitacula. Et in epigrammate:* (quod ex duobus senariis constat, quorum alter est mutilus & in posteriore legendum videtur ὁ νῦν δίσκος, vel ἢ pro καὶ sumendum) *Et nunc vocor feminarum insanus amator & nunc discus est mihi crepitaculum*, id est, *crepitaculi loco. Est etiam* κρόταλος *vel, ut ante,* κρόταλον, *calamus scissus*. Atque ad hanc dicendi rationem referendum, quando actus orationis patheticæ & sublimis κρότος dicebatur. Schol. Luciani ad Judices: Κρότος μὲν ἐπὶ τῶν ῥητορικῶν καὶ μάλιστα τῶν παθητικῶν ἐν θεάτρῳ καλουμένων, καὶ τῶν ῥητόρων, ὡς ἦθος αὐτοῖς πεπαῤῥησιασμένως χειροτονούντων ἐπὶ τοῖς λεγομένοις ὑπ' αὐτῶν, ἐπὶ δὲ τοῖς διαλόγοις τοιοῦτον οὐδὲν, ἀλλά τι πρὸς ἔπος τῶν ἀντιλεγόντων γινομένων τῶν λόγων. *Κρότος quidem seu plausus dicitur in eos, qui eleganter & pathetice in theatro loquuntur, & in ipsos rhetores, quorum consuetudo est libere manuum gestus accommodare ad ea, quæ dicunt. At vero nihil tale in dialogis fieri solet, ubi tantum moventur manus ad verba sermonum, quæ sibi invicem contraria dicunt*. Tzetzes ad Lycophron. Πρώτην ἀράξας νύσσαν (τὴν πρώτην νύσσαν καὶ ἔκβασιν καὶ ἀπαρχὴν, καὶ τὸ προοίμιον ἀράξας, ἐπικροτήσας, κτυπήσας, τουτέστι ῥητορικῇ μεγαλοφωνίᾳ ἀπαρξάμενος τρέχειν τοῖς λόγοις. i. *Primam collidens metam*) *Primam metam & evasionem & principium & procemium collidens, complodens*, *sc-*

feriens, id est, rhetorica magniloquentia incipiens nectere sermonem.

Apud Ægyptios ciconia κρόταλος dicebatur. Joannes Saresber. Policrat. lib. 8. cap. 12. *Croton musicum notat instrumentum, quod in sono vocem ciconiæ imitatur. Nam ipsa apud Ægyptios crotalus appellatur.* Quo sane respexit Petronius ciconiam crotalistriam appellitans:

> *Ciconia etiam grata peregrina hospita*
> *Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria,*
> *Avis exul hiemis* ——

Recte enim ibi pro *coralistria* substituere summi critici *crotalistria*. Κρότος scilicet seu crepitus ciconiæ perquam familiaris. Et eleganter observavit Samuel Bochartus *illam ciconiæ vocem non prodire ex intimo gutture, sed fieri ex duabus rostri partibus ad invicem collisis crotali instar aut crepitaculi.* Hinc Solinus *sonum quo crepitant, ori potius, quam vocis esse scripsit*, cap. 40. ubi recte notat Salmasius melius dixisse *rostri potius, quam vocis esse. Nam*, ait, ore sonare *dicuntur etiam, quæ lingua pronunciantur. Sed &* ora canora *passim poetæ dicunt*. Quicquid id sit, rem eandem testantur & alii scriptores. Philostratus epistola ad Epictetum: Καὶ τὰς πελαργὰς, ἐπειδὰν παριόντας ἡμᾶς κροτῶσιν. *Et Ciconias, cum ad nos prætereuntes crepitant.* Isidorus: *Ciconiæ, quasi cicaniæ, a sono, quo crepitant, dictæ sunt, quem rostro quatiente faciunt.* Ovid. de Antigone Metam. VI.

> — — — *Nec profuit Ilion illi*
> *Laomedonte pater, sumtis quin candida pennis*
> *Ipsa sibi plaudat crepitante ciconia rostro.*

Juven. Sat. I.

> *Ut colitur pax atque fides, victoria, virtus.*
> *Quæque salutato crepitat concordia nido.*

Falso hic Politianus censet, intelligendam cornicem, utpote concordiæ symbolum: quod ego quidem non diffiteor, sed aptius longe cum plurimis ciconiam intelligi censeo, avem piam & amabilem. D. Ambrosius: *Ciconia avis est, quæ Romano usu pia vocatur* (vel Petronii locum vide) *ob hanc videlicet caussam, quod ciconiarum pulli parentibus jam senio confectis & longa ætate invalidis & opem & alimenta ministrant in mutuam recompensationem*. Et paulo post: *Unde in regum sceptris superne ciconiam figurabant, inferne vero hippopotamum*. Adiri etiam possunt, Plin. Hist. Nat. X. 23. Solin. Polyhist. Aristophan. Avibus. Ælian. Hist. III. 23. X. 16. Horapollo Hieroglyph. II. 55. Orig. contra Cels. lib. IV. Apostolius Proverb. 1141. &c. quos non exscribo. Quin ipsa quoque concordiæ symbolum fuit. Jo. Saresberiensis: *Ciconia quoniam avis concordiæ est, concordiam invenit & concordiam facit*. Stant a me omnes cordatiores Critici, Turnebus, Britannicus, Grangæus, Autumnus, Merula. Ipse Scholiastes Juvenalis: *Ciconia, quæ contra templum Concordiæ ex consilio, rostri sonitum fecit. Et satyrice nido, non templo. Templum Concordiæ vetus, in quo ciconia multa est.* Nec opus est, ut cum Jacobo Suzio metrum turbemus & ex ejus Mss. pro *concordia, ciconia* legamus.

Redeo in viam. Crotalia appellitabant margaritas proceriores, inaurium loco luxui Romanorum inservientes, quas alii elenchos dicebant. Habes integrum locum Plinii lib. IX. cap. 35. *Et procerioribus sua gratia est: elenchos appellant fastigiata longitudine, alabastrorum figura, in pleniorem orbem desinentes: hos digitis suspendere, & binos ac ternos auribus, fœminarum gloria est: subeunt luxuriæ ejus nomina & tædia exquisita perditione portatu: siquidem cum id fecere, crotalia appellitant, ceu sono quoque gaudeant & collisu ipso margaritarum*. Erat etiam armillæ genus, quod aureum crotalum seu χρυσεοκρόταλον appellat epigramma vetus:

> Τὴν χρυσεοκροτάλῳ σειομένην σπατάλῃ.
>
> *Quæ aureo crotalo delicio suo ludit.*

Thomas Bartholinus, vir omni laude dignissimus, transfert id ad certum quoddam armillarum genus meris fere circulis constans, qui concussi crepabant. Ego donec firmiora docear, hæc in medio facile relinquo.

CAPUT VII.

Tertia cymbalorum species κρȣ́ματα. Vox πολύσημος. Signat & tibiæ flatum, & citharæ pulsum, & sonum arundinis agrestis. Junius notatur. Κρȣ̃μα τῆς πορνείας· ἁπλῶς *cymbala κρȣ́ματα dicta* contra Stephanum asseritur. Κρȣματικὴ σοφία· *Crumata Hispanis familiaria*. Delineantur ex Sponio.

Tertia cymbalorum species sunt illa, quæ Græci juxta æque ac Romani scri-

ſcriptores ἀπὸ τοῦ κρούειν, *a pulſando* κρούματα ſeu κρούσματα appellant. Quæ vox cum non unam ſignificationem habeat, hæc breviter præmitto. Frequenter pro ipſo flatu & modis κροῦμα poni invenio. Plutarch. Sympoſ. I. cap. 4. ὥς πε καὶ τὸν αὐλὸν ἡρμόσθαι λέγουσι, καὶ κρούματα αὐλήματα καλοῦσιν. *Sicut aliquando & tibiam aptari dicunt, & flatus tibiarum crumata vocant*. Julius Pollux Onomaſt. IV. cap. 10. Μέλη δὲ αὐλημάτων, κρούματα, σιρίγματα, τερετισμοὶ τερετίσματα, νίγλαροι. *Porro modi tibiarum cantus ſunt, pulſationes, fremitus, ſibilationes, niglari*. Et ſic intelligendus Heſych. Miles. de Vit. Philoſ. in Crate: Οἷον Διονυσόδωρόν ποτε τὸν αὐλητὴν φασὶν εἰπεῖν σεμνυνόμενον ἐπὶ τῷ μηδὲν τῶν κρουμάτων αὐτοῦ, μήτ' ἐπὶ τριήρους, μήτ' ἐπὶ κρήνης ἀκηκοέναι, καθάπερ Ἰσμηνίου. Id quod Hadr. Junius non recte vertit: *Dionyſodori tibicinis ſimiles erant, quem gloriatum accepimus, quod ſuos modos ad lyram pulſos nemo unquam inaudiſſet triremi aut apud fontem, quemadmodum Iſmeniæ Thebani*. Potuiſſet enim τὸ *ad lyram pulſos* ſecure omittere. Quanquam hoc ſenſu non infrequenter ſumatur. Achill. Tat. Erot. I. Καὶ τι κρουμάτιον ὑπολιγήνας ὑποψιθυρίζουσι τοῖς δακτύλοις, μετὰ τοῦτο ἤδη τῷ πλήκτρῳ τὰς χορδὰς ἔκρουεν, καὶ ὀλίγον ὅσον κιγαρίσας συνῇδε τοῖς κρούμασι. Themiſtius Orat. XVI. Ἀλλ' οὐδὲ τοὺς ὑφάντας ὑπὲρ τῶν ἐρίων, οὐδὲ τοὺς κιθαριστὰς ὑπὲρ τῶν κρουσμάτων. *At vero neque textores propter lanam, neque citbariſtas propter cruſmata ſeu pulſationes lyrarum*. Nazianzen. de Orphei lyra: Πάντα τοῖς κρούμασιν ἕλκουσιν. *Omnia vero lyrarum pulſationibus trahunt*. Et ambas ſignificationes innuit Plato in Minoe: Τίς δὲ κρουμάτων ἐπὶ τὰ μέλη ἀγαθὸς νομεὺς καὶ τὰ ἄξια νεῖμαι, καὶ οὗ τινες νόμοι ὀρθοί εἰσιν; οἱ τοῦ αὐλητοῦ καὶ κιθαριστοῦ. *Ecquis vero bene & juſte leges dabit circa modulationes crumatum ſeu cithararum, & quænam leges erunt rectæ? Illæ quas dedit tibicen & cithariſtes*. Hinc apud Pollucem Onomaſt. IV. 9. ubi enumerantur vocabula ad cithariſtas ſpectantia, eſt: Κρούματα, προσχορδίσματα, πρόσχορδα ἄσματα, &c. *Pulſationes, chordarum tactus, muſicæ cantilenæ*. In epigrammate quodam Alcæi κροῦμα pro ſono arundinis agreſtis poſitum invenio:

> Οὐκ ἔτ' ἀνὰ Φρυγίην πιτυοτρόφον ὥς ποτε μέλψεις
> Κροῦμα διὰ τρητῶν φθεγγόμενος δονάκων.

> *Non amplius ſuper Phrygiam piniferam, ſicut antea, cantabis*
> *Inflans cruma per perforatas arundines.*

Τὸ δόνακες lubens per κρόταλα explicarem, niſi repugnaret τρητῶν i. e. *perforatorum*, ut explicant Lexicographi, quod mihi de tibia ſeu arundine perforata modulandi ergo rectius dicitur. Qui primis tantum labris Græca libarunt, facile colligent, quam ridicule verterit Megiſerus:

> *Amplius haud ternis chordas ſociare cicutis*
> *Pinoſa in Phrygia tu velut ante potes.*

Sane hinc ſæpe apud Græcos authores κτύπος adſcribitur tibiis, ut κτύπος αὐλοῦ & κτύπος δίζυγος αὐλοῦ frequenter apud Nonnum. Clemens Alexandrinus κροῦμα τῆς πορνείας pro motu illo & turbine, quem facit in animo hominis impuri ſcortatio, poſuit Pædagog. lib. II. cap. 6. Ὡς μὴ δύνασθαι ἐξικνεῖσθαι εἰς θραῦσιν τῆς ψυχῆς, τὸ κροῦμα τῆς πορνείας. *Ne poſſit ad vulnerandam animam pervadere pulſatio fornicationis*. Oblitus fere eram monere, quod in epigrammate quodam Anthol. libr. I. κρουματικὴ σοφία inveniatur pro ſcientia citharam pulſandi. Epigramma hoc eſt:

> Τὸν σοφὸν ἐν κιθάρῃ τὸν μυστικὸν Ἀνδροτίωνα
> Ἤρετό τις τοίην κρουματικὴν σοφίην.

> *Sapientem Cithariſtam, Muſicum illum Androtionem*
> *Interrogabat quis de illa crumatica ſcientia.*

Errat tamen H. Stephanus, vir illuſtris & de Græcia antiqua optime meritus, qui τὸ κροῦμα generaliter omnem ſonum inſtrumentorum muſicorum deſignare perhibet.

Varias haſce hujus vocis ſignificationes notavit quoque Vir ad ſtuporem uſque doctus Ez. Spanhemius in profundæ ejus eruditionis teſtibus Notis ad Callimachum pag. 467. Cumque volupe ſit, tantos viros cauſſæ ſuæ aſſertores habere, non pigebit adſcribere: „ Nota vero inſtrumentorum Muſicorum apud veteres diſtinctio & de qua, ut alios mittam, „ Maximus Tyrius Diſſert. XXI. p. 715. „ εἰς τὰ κρουόμενα, *in ea quæ pulſantur*, „ ut lyra vel cithara, quæque τὰ ἔγχορδα, καθαπτὰ, vel τὰ ἔντατα, *quæ chordis* ſeu *fidibus tenduntur*, ac inde in „ veteri Epigrammate ἄπνοα νεῦρα ταθέντα,

„ *sine flatu nervi tensi* dicuntur Anthol.
„ lib. I. cap. 45. & ἐς τὰ ἐμπνεόμενα vel
„ ἔμπνευστα aut ἐμφυσώμενα, eadem etiam
„ ἔνηχα, in ea; quæ inflantur, seu flatu
„ resonant, ut tibia, ac unde φυσατήρια
„ vocat *tibias* Aristophanes Lysistr. pag.
„ 910. Hinc autem κρέματα, sicut etiam
„ adducto apud eundem Comicum loco,
„ & κρέσις, ut apud Plutarchum de Mu-
„ sica pag. 1140. ac alibi, de pulsatio-
„ ne fidium citharæ, aliorumne ἐγχόρδων
„ ὀργάνων, ac inde κρέματα ἄφωνα, *citha-*
„ *ræ pulsus*, *qui sine voce*, seu addito iis
„ cantu fierent, quomodo κιθαρισαὶ ἐπὶ
„ τῶν κρεμάτων ἀφώνων a citharœdis pro-
„ inde diversi vocantur apud Pausaniam
„ lib. x. pag. 621. sicuti in genere τὰς
„ κιθαριστὰς ἐπὶ τῶν κρεμάτων, non quidem
„ *citharœdos*, ut ibi doctissimus Petavius,
„ sed *citharistas* de citharæ *pulsibus* non
„ esse ab aliis edocendos, dixit Themi-
„ stius Orat. XXVI. pag. 311. ult. edit.
„ Unde κρεματικὴ σοφία, de *arte cithari-*
„ *stica*, non de *Musicæ scientiæ* in gene-
„ re, ut ibi Interpres, in eodem, de
„ quo modo, Epigrammate dicitur, cu-
„ jusque initium τὸν σοφὸν ἐν κιθάρῃ *peri-*
„ *tum citharæ*, &c. Ac ubi de aliquot
„ *citharæ chordis*, de quibus hic in ge-
„ nere Callimachus, earumque proprie-
„ tatibus agitur & κρέειν citharam ple-
„ ctro pulsare, alibi dicitur Anthol. lib.
„ IV. cap. XVI. Ep. IV. Quamquam κρέ-
„ ματα etiam de eo, & peculiari quidem
„ concentus genere dicta, qui ῥυθμὸς κα-
„ τὰ δάκτυλον, *rhythmus ad digitum* vo-
„ cabatur, & ad quem inflabant subinde
„ tibiam, tradunt eruditi Comici Enar-
„ ratores ad Nub. p. 165. cujusque me-
„ minit etiam Plutarchus de Musica pag.
„ 103. Unde, ut hoc addam, δακτυλικοὶ,
„ quas Pollux memorat pag. 192. dictæ
„ videntur eædem tibiæ: κρεμαματοποιὸς
„ autem Dorion, de tali tibicine, a
„ Machone Comico apud Athenæum lib.
„ VIII. p. 337. qui certe αὐλητὴς pau-
„ lo post ibidem vocatur, non proinde
„ *fidicen*, juxta illustrem Grotium in
„ Excerpt. Comic. pag. 849. aut, ut de
„ eo magnus Animadversor, *nescio quo-*
„ *rum instrumentorum pulsator*. Hæc Ma-
„ gnus Sphanhemius.

Præter has enim, quas citavi hacte-nus, vix aliquas præterea in monumentis Græcorum invenies, excepta illa significatione, qua ἁπλῶς cymbala considerantur. Cassiod. de Music. *Organorum*, inquit, *aliud percutitur*, *aliud intenditur*, *aliud inflatur*. *Percutiuntur acetabula ænea vel argentea*, *unde crumata dicta*. Acetabula vero & cymbala eadem prorsus esse deinde probo. Atque hoc sensu habes apud Themistium Orat. I. Ὅτι τὰ κρέματα μὲν, οἶμαι, καὶ τὰ ὀρχήματα ὠσί τε καὶ ὀφθαλμοῖς δοκιμάζεται. *Puto enim*, *quod crumata & saltationes auribus & oculis dijudicentur*. Et apud Lucianum Nigrino: Ὅστις ἀκέων τέρπεται κρεμάτων τε καὶ τερετισμάτων καὶ διεφθορότων ᾀσμάτων. *Quotusquisque audiens delectatur crumatis & pulsationibus perditisque cantilenis*. Addo Martianum Cap. N. P. lib. II.

— *Quid jacente*, *quid jugata linea*
Trigonus recurvet, *circulusque torqueat*
Melos probare ac tonos & crusmata.

Luciani vero interpres Joh. Benedictus absque causa κρέματα loco citato vertit citharæ pulsationes, quia iis κρέμασι mox itidem opponuntur οἱ κιθάρᾳ προσᾴδοντες: *cithara canentes*. Instrumentum Hispanis in usu, si fides Martiali lib. VI. Epigram. 71.

Edere lascivos ad Bætica crumata gestus.

Qui accepisse a Phœnicibus videntur: nam iis usurpatum fuisse cruma innuit Dio Chrysostomus Tharsico I. ἡ τῶν Ἀραδίων νῦν κρατεῖ μυσικὴ κατὰ Φοινίκων κρέματα. *Nunc viget Aradiorum musica secundum crumata Phœnicum*. Unde Olympo Phrygi inventionem tribuit Clemens Alex. Strom. I. Κρέματα δὲ (εὑρεῖν) Ὄλυμπον ὁμοίως τὸν Φρύγα. *Crumata vero invenisse Olympum quendam Phrygium*. Ingens enim est inter Phœnicum & Phrygum musicam vicinitas. Sed agam de hac re pluribus lib. II. capite 17. Hæic vero subjungo crumatum formam, quæ hausta est ex Sponio Miscellan. Sect. I. Art. VI. f. 21. & Leonardi Augustini Gemmis.

CA-





CAPUT VIII.

De Hesychii loco quodam anquisitum. *Διπλῆ inter saltationes Tragicas. Item figura trianguli. Quomodo κρῦμα? Νίγλαροι.* Gualterus & Divus notatus. *Κρῦμα recentioribus Græcis conflictio campanarum, ex ligno vel ferro in ecclesia.* Cruma, Crumena.

OBscurus & difficilis est Hesychii locus: Διπλῆ, ὀρχήσεως εἶδος, ἢ κρούματος: *Diple, saltationis genus aut κρούματος.* prius manifestum. Diplen enim inter saltationes Tragicas numerat Pollux lib. 4. cap. 14. Καὶ μὴν τραγικῆς ὀρχήσεως τὰ σχήματα σίμη, Χειροκαλαθίσκος, ξύλου παράληψις, διπλῆ. *Præterea Tragicæ saltationis figuræ sima, chirocalathiscus, manus obliqua, ligni prehensio, diple.* Rodolphus Gualtherus aliter interstinguens hunc locum ita legit: ξύλου παράληψις διπλῆ, & vertit, *duplex ligni prehensio.* Sed malim heic facere cum Meursio, cum διπλῆν singulare saltationis genus fuisse constet. Et sic explicabis Aristophanem in Thesmophor.

> Ἔξαιρε δὲ προθύμως.
> Διπλῆν χαίρειν χορείας.

Andreas Divus vertit:

> *Extolle autem promte*
> *Duplicibus manibus (duplici gratia choreas).*

Ubi ipsum saltationis genus, quod heic innuitur, non exprimitur. Rectius ergo ita:

> *Effer autem promte*
> *Diplen, ut gestiant choreæ.*

De altero ambiguum magis, & nemo, quod sciam, qui explicet. Ego, si meo judicio stet sententia, existimem esse, aut instrumentum musicum in διπλῆ usitatum, aut crotali quandam speciem triangularem, cujus mentionem alicubi facit Cœlius Rhodiginus, licet authorem non laudet. Videtur hoc ex ipso Aristophane patere, cum loco citato statim subjungit: Παίσωμεν ὦ γυναῖκες, &c. *Ferianus, o mulieres.* quod non inepte de crumatum aut similis instrumenti conflictione intelligere licet. Διπλῆν sane notam esse in comœdiis atque tragœdis figuram triangularem obliquam sine basi, sciunt, qui Aristoph. Scholiast. & Hephæstionem περὶ μέτρων legerunt. Magis dubium videtur, ad quam κρουμάτων speciem transscribendum sit instrumentum musicum, quod νίγλαρος vocatur, & de quo Suidas: Νίγλαροι, τὰ τερετίσματα, καὶ περίεργα κρούματα· κροῦμα δέ ἐστι, καὶ μέλος λυσικὸν παρακελευστικὸν, ὁ νίγλαρος. *Niglari sunt cicadarum cantus & lascivi seu inanes crumatum strepitus. Niglaros vero est cruma & modulamen musicum incitatorium.* Nulla enim necessitas est, cur præcise ad citharas hic respici putemus, qualiter fecit Æmilius Portus eruditissimus Suidæ interpres, dum vertit: *Niglari vocantur cicadarum cantus & citharæ lascivi strepitus, nimiumque procaces soni, vel cantus, qui cithara pulsata feriunt au-*

res

res. *Niglaros autem eſt etiam muſicum modulamen incitandi vim habens, ad ſaltationem & choreas agitandas impellens.* Hauſit & deſcripſit hæc Suidas, ut infinita alia, ex Scholiaſte Ariſtophanis, apud quem ejuſdem inſtrumenti mentio fit in Acharnenſibus. Fors commune eſt vocabulum, cum & ad tibias transferatur loco Pollucis ſupra cit. Jam pergo ad cætera.

Κροῦμα ſeu κροῦσμα recentioribus Græcis eſt ſigni ſeu campanæ pulſatio in eccleſia, quæ cum ex ligno vel ferro eſſet, malleo concuti ſolebat. Cyrillus Scythopolitanus in vita MSS. S. Sabæ cap. 42. Ἐν μιᾷ νυκτὶ ἀναςὰς ὁ ἅγιος πρὸ τῆς τοῦ κρούματος ὥρας. *In quadam nocte ſurgens ſanctus ille ante horam pulſu campanæ indicatam.* Vita S. Niconis: Καὶ τῷ τοῦ ξύλου κρούματι πᾶσαν συγκαλέσας τὴν ἀδελφότητα. *Et convocans omnem fraternitatem (omne collegium) pulſatione ligni.* Author vitæ Athanaſii Geleſii: Καὶ τῷ τῶν μεσονυκτίων ὕμνων τοῦ ξύλου κρούματι πρῶτος πάντων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ εὑρίσκετο. *Et cum pulſatione ligni excitarentur ad hymnos media nocte canendos, primus omnium in eccleſia inventus eſt.* Ibidem: Ἕως ἂν οἱ νεωκόροι τῷ συνήθει τοῦ ξύλου κρούματι τοὺς μονάχους πρὸς τοὺς μεσονυκτικοὺς ὕμνους συνήθροισαν. *Donec æditimi conſueta ligni pulſatione monachos ad hymnos media nocte canendos congregabant.* Addi hic poſſunt vita Nicolai Studitæ p. 499. Martyrium SS. xx. Patrum Sabaitarum num. 12. Ordo Monaſterii Caſulorum, atque alii hujus ævi ſcriptores, quos in hoc argumento citat vir illuſtris & ſingularis eruditionis Carolus du Freſne. Quod Jo. de Janua Gloſſator infime Latinitatis *cruma*, *crumena* explicet, huc non pertinet.

C A P U T IX.

Πλαταγῶν. *quarto cymbalum: ex ære vel buxo fieri ſolitum.* Corrigitur Portus & Aretinus. *Platagidorus.* Plautus explicatus. Πλαταγεῖν. Πλαταγωνεῖν. *Crepitaculum Archytæ.*

AD cymbala ſeu magis ad crotala, ſi fides antiquis authoribus, referenda eſt Platage, ſive ut Græci pronunciant, πλαταγή. Rei teſtis Suidas: Πλαταγή. εἶδος ὀργάνου ἦχος καὶ ψόφον ἀποτελοῦντος· ὁ δὲ πλαταγὴν χαλκευσάμενος, ἐπλατάγει. *Platage, ſpecies organi ſonitum atque crepitum perficientis. Cum vero quis platagen ex ære fabricaret, πλαταγεῖν dicebatur.* Ubi male interdiſtinguit Æmilius Portus, ὁ δὲ πλαταγὴν χ. ε. & vertit: *Ut platage fabricata, eaque pulſata ſtrepitum edebat.* Exiſtimare videtur vir eruditiſſimus, Suidæ mentem eſſe citatis his authoris alicujus incerti verbis adſtruere ſignificationem τοῦ πλαταγή. Id cur fiat, nulla equidem ſuccurrit ratio. Innuit Archytam, qui inventor platages dicitur, quod patet ex loco ejuſdem Suidæ, quem mox citamus, ubi eadem ad verbum repetuntur. Etymologicon Sylburgii: Πλαταγή· κρόταλόν ἐςι χαλκοῦν· Χαλκείην πλαταγὴν ἐνὶ χερσὶ τινάσσων Δουπεῖ. *Platage eſt crotalum æneum. Apollinius: Æneam platagen in manibus movens verberat.* Habes ex his iiſdem locis, materiam platages, æs ſcilicet. Invenio tamen & buxum. Epigramma Leonidæ:

> Εὔφημόν τοι σφαῖραν, εὐκρόταλόν τε Φιλοκλῆς
> Ἑρμείῃ ταύτην πυξινέην πλαταγήν.
>
> *Philocles ſphæram elegantis ſoni & bene tinnientem*
> *Illam buxeam platagen aptat.*

Herculi ſacra erat. Antipater Sidonius in ſimulacrum Bacchi & Herculis:

> Ἀμφοῖν δὲ ςῆλαι, συντέρμονες, εἴκελα δὲ ὅπλα
> Νεβρὶς, λεοντῆ· κύμβαλα δὲ, πλαταγή.
>
> *Ambobus vero contiguæ columnæ & arma ſimilia,*
> *Illi nebris, huic leonina pellis: illi cymbala, huic platage.*

Addo ſimul autorem crepitaculi Archytam. Ariſtot. de Republ. *l.* VIII. *cap.* 6. Ἅμα δὲ καὶ δεῖ τοὺς παῖδας ἔχειν τινὰ διατριβήν· καὶ τὴν Ἀρχύτου πλαταγὴν οἴεσθαι γενέσθαι καλῶς· ἣν διδόασι τοῖς παιδίοις, ὅπως χρώμενοι ταύτῃ, μηδὲν καταγνύωσι τῶν κατὰ τὴν οἰκίαν· οὐ γὰρ δύναται τὸ νέον ἡσυχάζειν· αὕτη μὲν οὖν ἐςὶ τοῖς νηπίοις ἁρμόττουσα τῶν παιδειῶν· δὲ παιδεία πλαταγὴ τοῖς μείζοσι τῶν νέων· Latine: *Simulque pueros oportet aliquod vitæ traducendæ atque occupandæ genus habere: & Archytæ crepitaculum præclare eſſe comparatum exiſtimare, quod pueris dare ſolent, ut, dum hoc utuntur, nihil eorum, quæ domi ſunt, perfringant. Quod enim puerile & juvenile eſt, quieſcere non poteſt. Atque hoc quidem ludicrum pueris infantibus convenit: diſciplina vero pueris grandioribus crepitaculum eſt.* Duo præterea ex hoc loco noto. Primo lapſus eſt Aretinus vir pro ſuo ævo ſatis doctus, qui defunctorie ſatis πλαταγὴν *tabellam* vertit. Deinde diſcis puerorum hoc inſtrumentum proprium fuiſſe, quod

alias

alias latius exſequior. Redeo jam ad Archytam: nam cum multos Archytas referat antiquorum hiſtoria, intelligo tamen ſtricte heic illum Tarentinum, virum in inventis mechanicis juxta atque mathematicis feliciſſimum. Illius enim eſt columba lignea volans, licet Diogenes Laertius teſtis, alium quoque fuiſſe, qui conſcripſiſſet librum de machina. Hæc in tranſitu. Natum inde adagium, & *crepitaculum Archytæ*, pro homine garrulo & inficeto dici cœptum, qualem Eupolis deſcribebat:

Λαλεῖν ἄριςος καδυνατώτατος λέγειν.

Garrire doctus & bona impotens loqui.

Ad loc. Heychii. Appoſite ad rem Heſychius vertit ἀποληκυθίσας. Cum enim Græcis ληκυθίζειν ſit garrula eloquentia fatigare aures & verborum ampullas projicere, nullum mihi dubium, quin reſpiciat proverbialem platages ſignationem, de qua modo dicebam. Ita enim recte explicat parœmiam Deſ. Eraſmus: & addere potuiſſet locum Plauti in Curculione Sc. *Quos homini Dii ſunt*, ubi leno Cappadox, ad militem:

Therapontigone, platagidore: ſalve, ſalvus quem advenis
In Epidaurum, hic hodie apud me nunquam diliges ſalem.

Ita enim recte reſtituunt feliciores Critici, ex eo quod habebant depravatiores codices: *Therapontigonoplatagidore*. Therapontigonus enim nomen militis glorioſi erat: quem recte & facete nominat πλαταγιδῶρον, i. e. *Strepitum, qualis eſt platages, edentem*. Suidas in Lexico: Καὶ παροιμία, Ἀρχύτε πλαταγή, ὅτι Ἀρχύτας πλαταγὴν εὗρεν· ἥ τις ἐςὶν εἶδος ὀργάνε, ἦχον ἢ ψόφον ἀποτελοῦντος· ὁ δὲ πλαταγὴν χαλκευσάμενος ἐπλατάγει. *Et proverbium, Archytæ platage ſeu crepitaculum, quia Archytas platagen invenit, quæ eſt ſpecies organi, ſonum aut ſtrepitum efficientis. Ille vero crepitaculum fabricans, πλαταγεῖν dicebatur*. Platagas vero concutere πλαταγεῖν & πλαταγωνεῖν antiquis Græcis erat. Heſychius: Πλαταγεῖν, κροτεῖν. Idem: Πλαταγωνήσας, ἀποληκυθίσας, καὶ ψοφήσας. Hinc ἐπιπλαταγεῖν nutrix Dionyſii apud Nonnum dicitur Dionyſ. ϑ

— ἐπεπλατάγησε δὲ βάκχῳ
Κύμβαλα — —

— *Concuſſit vero Baccho cymbala*

Et alius Dionyſ. ια

Χερσὶ συνεπλατάγησε πολύκροτος —

Multiſonus platagonizavit ſimul manibus.

Idem. η

Κύμβαλον εἰ πλατάγητε —

Si cymbalum concutiatur —

Ut alia loca ſatis frequentia apud eundem autorem heic omittam. Interdum tamen ſimpliciter plauſum denotat, velut apud eundem λζ.

Χεῖρας ἐπεπλατάγησεν ἐπικλάγξας ὑμεναῖος.

Manus comploſit ſimul clangens Hymenæus.

CAPUT X.

Πλαταγώνιον quintum Cymbalorum genus. Significat omnem rem latam. Proprie eſt crepitus papaveris & anemones foliis editus, ad divinandum de amantum affectibus. Scholiaſtes Theocriti correctus. Πλατυγίζειν. Theocriti lectio adſerta contraCœlium.

DIminutivum platages *platagonium*, itidem ſpecies certa crotali, quæ infantibus in cunis ſopiendis adhibita eſt. Heſychius: Ἐπλατάγησεν· ἐψόφησεν· ἔνθεν τὸ πλαταγώνιον παίγνιον ξύλινον, ᾧ ψοφοῦσιν. *Eplatageſen, i. e. ſtrepitum edidit: Inde platagonium ludicrum ligneum, quo ſtrepunt*. Julius Pollux Onomaſt. *l.* IX. Τὸ δὲ πλαταγώνιον οἱ ἐρῶντες, ἢ ἐρῶσαι ἔπαιζον· καλεῖται μὲν γὰρ οὕτω καὶ τὸ κρόταλον, καὶ τὸ σεῖςρον, ᾧ καταβαυκαλῶσιν αἱ τίτθαι ψυχαγωγοῦσαι τὰ δυσυπνοῦντα τῶν παιδίων. *Platagonium vero amantes & amaſiæ ludunt. Vocatur autem ita & crotalum & ſiſtrum, quo utuntur nutrices, dum lenire infantes cupiunt, qui difficiles conſopiuntur*. Quod præmittit autor: πλαταγώνιον οἱ ἐρῶντες ἢ ἐρῶσαι ἔπαιζον, cave id ita intelligas, quaſi crotalis ἐρῶντες καὶ ἐρῶσαι luſiſſent puerilibus: nam id fuere platagonia. Certus reſpicitur inter Græcos ritus, quo per papaveris & anemones herbæ folia periclitabantur, ecquid amaſiis amantibuſve ſuis forent grati, eſſetque affectus mutuus. Siquidem pollici imponentes ea & indici, mox collidebant. Quod ſi percrepuiſſent aut ruborem concepiſſent, amari ſe augurabantur; ſin minus, ut fruſtrati ingemiſcebant. Diverſa ſane hoc affirmant

auto-

autorum loca: producam aliqua. Etymologicon: Πλαταγώνιον· τὸ μηδέν· κυρίως δὲ τὸ τῆς μήκωνος φύλλον, καὶ τὸ τῆς ἀνεμώνης, ἀπὸ τοῦ πλατάσσειν ἤγουν ἠχεῖν· καταχρηστικῶς ὁτιοῦν πλάτος ἔχοντι, ὅθεν καὶ ἡ πλαταγή· ἐσημειοῦντο δὲ ἀπ' αὐτοῦ, τὴν τῶν ἐρωμένων στοργὴν, τιθέντες ἐπί τε τοῦ ἀντίχειρος καὶ τοῦ λιχανοῦ, καὶ ἀντικόπτοντες· καὶ εἰ μὲν ἤχησεν ἐστέργοντο· εἰ δὲ μὴ, τὸ ἀνάπαλιν. *Platagonium aliquando nihil significat, sed emphatice folia papaveris & anemones, a sonitu quem edunt. Catachrestice vero istud, quod latitudinem habet, ut & platage. Amantium vero mutuum affectum ex eo divinabant, imponentes pollici & digito indici. Ita concutiebant, & si sonus ederetur, redamari se putabant; si vero non, contrarium sibi persuadebant.* Antequam transgrediaris ad cætera, tanquam ἐν παρόδῳ notabis duas insuper significationes. Τὸ πλαταγώνιον γὰρ σημειοῦται καὶ τὸ μηδὲν, καὶ τὸ πλάτος ἔχον. *Platagonium*, inquam, *significat & nihil & rem latitudinem habentem*. Ubi prima signatio proverbialiter intelligenda est, & commode dici potest de re, quæ nihil nisi inanem strepitum habeat. Jam pergo. Schol. Theocriti ad Εἰδύλλ. ιά. Ἐρυθρὰ πλαταγώνια. τὰ τῆς μήκωνος φύλλα φησὶ, καὶ τὰ τῆς ἀνεμώνης, ἀπὸ τοῦ πλάσσειν ὅ ἐστι ψοφεῖν· τιθέντες γὰρ αὐτὰ κατὰ τὸν ἀντίχειρα, καὶ τὸν λιχανὸν δάκτυλον, τύπτουσι τῇ ἑτέρᾳ χειρὶ καὶ οὕτω σημειοῦνται ὑπὸ τῶν ἐρωμένων· ὥσπερ καὶ ἀπὸ τοῦ τῆς πλαταγῶνος ψόφου, εἰ ἀψόφως ἐπικρουσθείη. *Platagonia rubra, papaveris folia appellabant & anemones, dicta a verbo* πλάσσειν, *quod significat idem, quod sonare. Namque imponentes ea pollici & digito indici, percutiunt manu altera, atque ita divinant de amasiis suis, sicut etiam (contrarium & sinistrum quid) ex platagonis sono, si non rite sonuerit.* Suidas Lexico: Πλαταγώνιον τὸ μηδέν· κύριως δὲ τὸ τῆς μήκωνος φύλλον καὶ τὸ τῆς ἀνεμώνης, ἀπὸ τοῦ πλατάσσειν, ἤγουν ἠχεῖν· καταχρηστικῶς δὲ, ὁτινιοῦν πλάτος ἔχοντι, ὅθεν καὶ πλαταγή· ἐσημειοῦντο δὲ ἀπ' αὐτοῦ τὴν τῶν ἐρωμένων στοργὴν, τιθέντες ἐπί τε τοῦ ἀντιχειρος, καὶ τοῦ λιχανοῦ, καὶ ἀντικόπτοντες· καὶ εἰ μὲν ἤχησεν, ἐστέργοντο· εἰ δέ μὴ, τὸ ἀνάπαλιν. *Platagonium, nihil. Proprie vero papaveris folium & anemones, a verbo* πλατάσσειν, *sonum edere. Catachrestice vero seu abusive de qualibet re latitudinem habente. Unde & ipsa platage dicta. Ex eo autem mutuum amasiorum amorem divinabant, id pollici & indici imponentes & adversum percutientes. Si enim resonuisset, amabantur; si vero non, contrarium conjiciebant.* Allidebantur vero hæc folia non tantum manibus sed etiam cubitis. Theocritus Eidyll. III.

> Ἔγνων πρᾶν, ὅκα μευ μεμναμένω, εἰ φιλέεις με,
> Οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα,
> Ἀλλ' αὔτως ἁπαλῷ ποτὶ πάχεϊ ἐξεμαράνθη.

Latine:

> *Intellexi nuper, cum quærerem, an me amares,*
> *Telephilon allisum non edidit sonum,*
> *Sed frustra in tenero cubito exaruit.*

Duo ad hunc locum observanda mihi commentatorum incuria reliquit. Primo falso Scholiastes, cum aperte πάχει, i. e. *cubito* in verbis Theocriti est, hunc locum ita περιφράζει: Ὁ νοῦς, πρὸ ὀλίγου· ὅτε σημεῖον θέλοντός μου λαβεῖν εἰ φιλεῖς, τὸ φύλλον, δι' οὗ ἡ φιλία δηλοῦται, ὑπὸ τῶν χειρῶν πληττόμενον, οὐκ ἀφῆκε τὸν ψόφον. *Mens Theocriti paucis hæc est, quod cum signum capere vellem, an me amares, folium, quo amor manifestatur, manibus concussum nullum emisit sonum.* Hac enim ratione non probaretur exinde, quod nos elicere volumus, nempe cubitis allisa telephila. Deinde secundum versum male ita a Cœlio Rhodogino lectum puto:

> Οὐδὲ τὸ τηλέφυλλον ποτιμαξάμενον πλατάγησεν.

Quanquam Scholiastes testatur etiam longe ante lectum ita esse hunc locum. Causa, cur ita sentiam, hæc est, quod probaverim capite antecedente πλαταγεῖν idem esse quod *platagas concrepare*. Addo, quod apud Aristophanis enarratores in Equitibus non πλαταγεῖν, sed πλατυγίζειν signet peculiariter τὸ ἐπιτιθέναι πλαταγώνιον τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ, καὶ παίειν τῇ δεξιᾷ, καὶ ἦχον ἀποτελεῖν. *Sinistræ platagonium imponere, moxque dextre impacta sonum elicere*. Ipsis quoque humeris elisus hac ratione sonus. Scholiastes Theocr. l. c. Οὐ μόνον δὲ ἐπὶ τὰς χεῖρας τὸ τηλέφιλον, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τὸν ὦμον τιθέντες, ἔσθ' ὅτε καὶ νῦν τὸν πῆχυν, ἐπεπειρῶντο τοῦ ψόφου. Ἄλλος· τινὲς τῶν ἐρωτικῶν τὸ τηλέφιλον ἐπὶ τὸν ὦμον τιθέντες, ἢ τὸν καρπὸν, ἐπικρούουσι, καὶ ἐὰν μὲν ἐρυθρὸν γένηται καλοῦντες αὐτὸ ῥόδιον, νομίζουσιν ἀγαπᾶσθαι ὑπὸ τῶν ἐρωμένων· τοῦ χρώματος δ' ἐμπρησθέντος, ἢ ἑλκωθέντος, μισεῖσθαι. *Telephillum vero non solum manui, sed & humeris imponentes, sicut & in præsentia cubito, attendebant ad sonum. Sive, quidam amantium telephillum aut alium fructum humeris imponentes, sonum eliciunt, & si rubrum fiat, roseum appellantes, existimant se amari ab amasiis suis;* quod

quod si igneum haberet colorem, & comminueretur, exosos se esse. Omnium exsertissime de singulis Julius Pollux Onomast. IX. c. 7. ubi superius desierat: Ἀλλὰ καὶ τὰ τοῦ τηλεφύλλου καλουμένου φύλλα ἐπὶ τοὺς πρώτους δύο τῆς λαιᾶς δακτύλους εἰς κύκλον ἐμβληθέντας ἐπιθέντες, τῷ κοίλῳ τῆς ἑτέρας χειρὸς ἐπικρούσαντες, εἰ κτύπον ποιήσειεν εὔκροτον, ὑποσχισθὲν τῇ πληγῇ τὸ φύλλον, μεμνῆσθαι τοὺς ἐρωμένους αὐτῶν ὑπελάμβανον. Καὶ μὴν καὶ τὸ κρίνον διπλοῦν, ὂν καὶ διάκενον ἔνδοθεν ἐκφυσήσαντες, ὡς ὑποπλήσει πνεύματος, πρὸς τὰ μέτωπα ῥηγνύντες ἐσημαίνοντο τὰ παραπλήσια τῷ κτύπῳ· Ἔπι τοίνυν τὸ σπέρμα τῶν μήλων, ὅπερ ἔγκειται τοῖς μήλοις ἔνδοθεν ἄκροις, τοῖς πρώτοις τῆς δεξιᾶς δύο δακτύλοις συμπιέζοντες (W. Siberus legit συμπαίζοντες) ἔπι διάβροχον καὶ ὀλισθηρὸν ὂν, εἰ πρὸς ὕψος πηδήσειεν, ἐσηλαίνοντο τούτῳ τὴν εὔνοιαν τῶν παρὰ τῶν παιδικῶν. Vertit Gualtherus: *Sed & papaveris & telephylli dicti folia primis duobus sinistræ manus digitis in circulum flexis imponentes & vola alterius manus percutientes, si raptum hoc ictu folium sonum clarum ederet, eos, quos amabant, sui meminisse existimabant. Insuper & lilium duplex existens, & vacuum interius inflantes, ut spiritu impleretur, in fronte rumpentes sono similia judicabant. Præterea & malorum semen, quod malis summis inest, primis dextræ manus digitis humidum adhuc existens & lubricum comprimentes: si in altum exiliret, hoc judicabant amicorum benevolentiam.* Anemones autem usus in hoc ritu eo nomine adeo creber videtur, quod ex sanguine Adonis nata proditur, vel ex lacrumis Veneris exstinctum eum lugentis. Unde & Ἀδωνιὰς dictus flos ille. Absolvam hanc rem, si prius monuero, simpliciter quoque papaveris folia, absque respectu ad hunc ritum, πλαταγώνια audire. Unus omnium Theocritus, quoniam in eo potissimum hoc capite versati fuimus, Idyll. XI.

> — ἔφερον δέ τοι ἢ κρίνα λευκὰ
> Ἢ μάκων᾽ ἁπαλὰν ἐρυθρὰ πλαταγώνι᾽ ἔχοισαν.

Verto:

> — *Adferrem vero tibi vel alba lilia*
> *Vel papaver tenerum, quod rubra folia habet.*

CAPUT XI.

Sexto loco inter Cymbala referuntur ὀξύβαφα. An acetabula? *Conficiebantur ex pluribus metallis in unum confusis ad ampliorem sonum. Inventor Diocles Athenæus.* Attinguntur ceteræ significationes. *Vasa quædam variis usibus apta: ad embamma continendum: ad mel: ad bibendum: ad lusum cottabi.* Ὀξίδες & κήθεα *seu* κηθάρια idem. Ὀξύβαφον *tractus Constantinopolitanus ad violaceam tincturam.*

SEquuntur ordine, quem nobis ipsi fiximus, cum prima tractationis hujus rudimenta vulgaremus, Græcorum ὀξύβαφα quæ Glossatores probatæ fidæi unanimi consensu *acetabula* interpretantur. Id quod non male fieri existimo, licet Græcorum illa, ut erat gens in componendis verbis multa & ampla, pateant magis significationum numero. Ad cymbala referri debere nemo dubitat. Ὀστράκινα seu *testacea* frequenter erant, ut patet ex loco Suidæ quem mox adscribemus. Interdum conficiebant ex differentibus metallis, aere, ferro, ligno, ut sonorum dissensu harmoniam efficerent. Suidas: Ἄλλως χαλκὸς ἤχει, καὶ ἄλλως σίδηρος, καὶ ἄλλως μόλυβδος, καὶ ξύλον· διὸ καὶ τὰ ὀξύβαφα εἰώθασιν ἐκ διαφόρου κατασκευάζειν ὕλης, ἵνα τῇ διαφορᾷ τῶν ἀπηχήσεων τὴν ἁρμονίαν ἀποτελέσωσιν, *Aliter æs sonat & aliter ferrum, aliter item plumbum atque lignum. Quapropter & oxybapha censentur ex differenti materia facta, ut sonorum dissensu harmoniam perficerent.* Interdum pulsabantur: quod ego ita factum puto, ut altera manu æneum, altera ligneum oxybaphum teneretur, quæ conflicta creparent. Inventor rei Diocles Athenæus. Ambo docet idem Suidas: Φασὶν, ait, Διοκλέα τὸν Ἀθηναῖον εὑρεῖν τὴν ἐν τοῖς ὀξυβάφοις ἁρμονίαν ὀστρακίνοις ἀγγείοις ἅπερ ἔκρουσεν ξυλυφίῳ. *Inquiunt Dioclem Atheniensem invenisse oxybaphorum harmoniam seu testaceorum vasorum, quæ percutiebat lignulo.* Idem in Ξυλυφίων· Οἷον ἐπὶ τῶν ἁπλῶν ξυλυφίων, ὅταν κάμψαντες ἀφῶμεν αὐτά· ὅτι Διοκλῆς ὁ Ἀθηναῖος, πρῶτος εὗρε τὴν ἐν τοῖς ὀξυβάφοις (falso legitur ὀξυγράφοις) ἁρμονίαν ἐν ὀστρακίνοις ἀγγείοις, ἅπερ ἔκρουεν ἐν ξυλυφίῳ. *Parvorum lignorum, quemadmodum in simplicibus lignis fieri solet, cum ea inflexa dimittimus. Diocles Atheniensis primus invenit harmoniam in oxybaphis seu testaceis vasis, quæ ligno pulsabant.* Ex quo simul discimus, lignum huic usui adhibitum ξυλύφιον appellitari solitum. Videtur effæminatum in Musica

ca oxybaphorum usum implicite traducere Clem. Alexandr. Pædagog. II. *cap.* 3. Κλιντῆρες δὲ ἀργυροῖ, καὶ λεκάναι, καὶ ὀξύβαφα, καὶ πινακίσκοι, καὶ τρύβλια· πρὸς ἐπὶ τούτοις σκεύη ἀργυρᾶ τε καὶ χρυσᾶ, τὰ μὲν εἰς διακονίαν τροφῆς, τὰ δὲ καὶ εἰς ἄλλας τινὰς αἰσχύνομαι καὶ λέγειν, χρείας. *Sellæ autem argenteæ, pelves & acetabula, scutellæ & catini, & præterea vasa aurea & argentea, nonnulla quidem ad ciborum ministerium, alia vero ad alios usus, quos me pudet dicere.* Extra Musicam oxybaphum vas erat domesticum quoddam Hesychius: Ὀξύβαφον· τὸ σκεῦος οὕτω λέγεται. *Oxybaphum vas aliquod dicitur.* Id vero variis usibus adhibebatur. Illustro breviter præcipuos. Acetum iis asservabatur, quod ipsa quoque nominis vis declarat. Athen. Deipnos. XI. c. 13. Ὀξύβαφον· ἡ μὲν κοινὴ συνήθεια οὕτως καλεῖ τὸ ὄξος δεκτικὸν σκεῦος. *Oxybaphum vulgari consuetudine vas dicitur, quod acetum continet.* Idem lib. II. c. 26. Λεκτέον δὲ ὀξύβαφον διὰ τοῦ υ, ὀξὺ γὰρ διὰ τὸ υ, καὶ τὸ δεχόμενον αὐτὸ ἀγγεῖον ὀξύβαφον· *Dicitur autem oxybaphum per y, cum ὀξὺ seu acetum scribatur per y & oxybaphum sit vas acetarium.* Embammata continebantur. Julius Pollux VI. 13. Τὰ δὲ τῶν ἡδυσμάτων ἀγγεῖα, ὀξίδας μὲν, εἰς ἃς καὶ τὸ ὄξος· ἐμβάφια δὲ καὶ τὰ λεκάρια καὶ λεκάνια καὶ τρύβλια καὶ ὀξύβαφα, ἐν οἷς τὰ ἡδύσματα ἢ βρώματα. *Condimentorum autem vasa acetabula quidem, quibus acetum inest. Intinctoria vero lecaria* (in editis male legitur κελάρια) *pelves, catini & acetabula, in quibus condimenta & cibi.* Idem lib. X. c. 13. Ἐμβάφια, λεκάρια, τρύβλια, ὀξύβαφα, ὀξυβάφια· οὐ γὰρ μόνον ἐπὶ τῶν κοτταβικῶν εἴρηται ὀξύβαφα, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῶν εἰς τῶν ἐδωδίμων χρείαν, ὡς ἐν ὄρνισιν Ἀριστοφάνης·

> Ὀξύβαφον ἐντευθενὶ πρόσθες λαβών, ἢ τρύβλιον
>
> κἂν ταῖς Φρυνίχου Μούσαις, κἂν ὀξυβάφων τρεῖς χοίνικας ἢ δύ' ἀλεύρων· *Intinctoria, lebetes, catini, acetabula: non enim de cottaborum ludo solummodo acetabula dicta sunt, sed etiam de illis, quæ eduliorum necessitati serviunt. Ut Aristophanes in Avibus: Acetabulum huic appone capiens, aut catinum, & in Phrynichi Musis: Et in acetabulis chœnices tres aut duos farinæ.* Lucillius in epigrammate:

> Τὸν μέγαν ἐζήτουν Εὐμήκιον· ὃς δ' ἐκάθευδε
>
> Μικρῷ ὑπ' ὀξυβάφῳ τὰς χέρας ἐκτανύσας·

> *Magnum Eumecium quærebant, ille vero dormiebat*
>
> *Extensis manibus sub parvo oxybapho.*

Scholiastes ad hunc locum κύμβον interpretatur ex Nicandro: Ὀξυβάφῳ· τούτεστι, τρυβλίῳ, ὅπερ Νίκανδρος κύμβον καλεῖ -- ἔνθα καλεῦσας Σπέρμαθ' ὅσον κύμβοιο τραπεζήεντος ἔλεσθαι. *Oxybapho, id est, catino, quale Nicander cymbium appellat: ibi poscens semina, quantum quidem cymbio mensario contineri potest.* Archestratus apud Athenæum *lib.* II. *cap.* 23.

> Βολβῶν καὶ καυλῶν χαίρειν λέγω ὀξυβάφοισι
>
> Ταῖς τ' ἄλλαισι παροψίσι πάσαις —

> *Bulborum & caulium valere jubeo oxybapha,*
>
> *Aliasque omnes parospides.*

Poculi loco erat. Ex Cratino probat idem Athenæus lib. XI. c. 13. Ἔστι δὲ ὄνομα ποτηρίου, οὗ μνημονεύει Κρατῖνος μὲν ἐν Πυτίνῃ οὕτως,

> Πῶς ἄν τις αὐτὸν ἀποπαύσειε τοῦ λίαν πότου,
>
> Ἐγ' ᾦδα· συντρίψω γὰρ αὐτοῦ τοὺς χόας,
>
> Καὶ τοὺς καδίσκους συγκεραυνώσω σποδῶν,
>
> Καὶ τ' ἄλλα πάντ' ἀγγεῖα τὰ περὶ τὸν πότον,
>
> Κοὐδ' ὀξύβαφον οἰνηρὸν ἔτι κεκτήσεται.

> *Est vero & poculi nomen, cujus meminit Cratinus in Pytine:*
>
> *Quo pacto a nimio potu cohiberi queat.*
>
> *Optime novi: ejus congios obteram,*
>
> *Cadiscos admixtis sordibus inquinabo,*
>
> *Aliaque item vasa omnia, quibus ille potat:*
>
> *Ut ne vinarium quidem oxybaphum ille contineat.*

Julius Pollux X. c. 19. Ὥσπερ καὶ τὸ παρὰ τῷ Κρατίνῳ οἰνηρὸν ὀξύβαφον: *Ut apud Cratinum in Pytina vinarium acetabulum.* Nicander apud Scholiastem Lucilii:

> Σπέρματα μεσωθὲν δὲ κάδου βάθος ὀξυβάφοιο.

> *Profunditas poculi, quod dicitur oxybaphum, repleta erat seminibus.*

Ameipsias in Cottabo ludentibus:

> Ἡ Μανία φέρ' ὀξύβαφα καὶ κανθάρους.

> *Mania fert oxybapha & canthabros.*

Id

Id vero poculi genus ut plurimum fictile fuit. Athenæus loco citato: Ὅτι δέ ἐςι τὸ ὀξύβαφον εἶδος κύλικος μικρᾶς κεραμέας, σαφῶς παρίςησιν Ἀντιφάνης ἐν Μυςίδι διὰ τούτων, &c. Vide locum ipsum, aliquanto prolixiorem. Quem adscribo Latine ex versione Jac. Dalechampii: *Oxybaphum porro fictile ac exiguum poculum esse in Mystide Antiphanes his verbis aperte declarat: Anus vinosa inducitur magnum calicem laudans & ob parvitatem contemnens alterum. Huic quidam cum dixisset: A Tibi ego persuadebo. Etenim alliciet, o Dii boni, utcunque te figura calicis, digna certe gloria & celebritate festi hujus diei: haud ita dudum nos quidem ex oxybaphiis bibebamus fictilibus. B. Hujus, o fili, multa & fausta Dii opifici tribuant, qui ejusmodi fecit, tutius ut stet, & observata in ejus partibus commensus proportione ac congruentia sit venustius. In Babyloniis Aristophanis, cum Bacchus ait de oratoribus, qui Athenis populari multitudini serviebant, absenti sibi dicam eos impegisse, oxybapha duo petentes, oxybaphum intelligere debemus poculum. Non enim aliud putandum, quod judicio poscebant, quam pocula. Apud eundem in iis, qui cottabo ludunt, oxybaphum appositum, in quod latagas effundebant, aliud nihil est, quam patulum & latius poculum. Meminit & oxybaphi poculi Eubulus in Mylothride: Bibebat etiam præter modum ex oxybapho novo.* Antiphanes apud Polucem:

—— Ἄρτι γὰρ
Ἐξ ὀξυβαφίων κεραμέων ἐπίνομεν.

—— *Nuper vero*
Ex oxybaphis fictilibus bibimus.

Mel item in simile vas indebant. Alexis:

Δίπυρον παραθήσεις ὠὸν ἐπιτετμημένον,
Πυὸν, μέλιτος ὀξύβαφον.

Recoctum appones ovum incisum,
Colostrum, mel in oxybapho.

Cottabum denique cum oxybaphis ludebant. Scholiastes Aristophanis in Pace: Διττὸς ὁ τρόπος τῶν κοττάβων· ὧν ὁ μὲν ἕτερος, Ἵςασαν ξύλον τι λυχνίῳ παραπλήσιον ἐν μέσῳ, καὶ ἐπ' ἐκείνου ἤρθη τὸ ἀγγεῖον ὅμοιον ὀξυβάφῳ, εἰς ὃ τὸ καταλειπόμενον ἐν τῷ ποτηρίῳ ἠκόντιζον. *Duplex cottaborum modus est, quorum alter talis. Statuebant lignum aliquod prope candelabrum in medio, & super id collocabatur vasculum simile oxybapho seu acetabulo, in quod conjiciebant reliquum, quod erat in poculo.* Atque hæc

Cottabi species κυρίως dicebatur κότταβος δι' ὀξυβάφων. Scholiastes Luciani: Ὁ δὲ δι' ὀξυβάφων τοιοῦτος· ἀγγεῖον τῷ λουτηριδίῳ ἐοικὸς πλῆρες ὕδατος ἐτίθετο· ὀξυβάφων κενῶν ἐπιπλεόντων, ἅπερ ἦν καταδύειν ταῖς ἀπὸ τῶν ςομάτων προϊεῖσαις λάταξιν ὁ ἀγών· πλάςιγγας δὲ, τὸ ὑποκείμενον ἄνω τὸ μικκρὸν, τὸ πινακίσκιον λέγει· ἐὰν δὲ μόνον τύχῃ αὐτῆς ἐπὶ τὸν μάνιν πεσεῖται. *Ludus vero cottaborum per oxybapha talis est. Vasculum aliquod simile & quod λουτηρίδιον vocant* (seu quod ad lavandum adhiberi solet) *plenum aqua ponebatur. Certamen in eo situm erat, ut niterentur submergere oxybapha vacua, ut implerentur ex æris phialis, quas λάτακας vocabant.* (v. Suidam.) Πλάςιγγας *vero vocat lancem paulo superius sitam. Si vero illam solam contigerit, incidit in Manen statuam.* Ὀξυβάφων in ludo Cottabo meminit & Julius Pollux Onomast. VI. 19. Τὸ δὲ χάλκειον ἐπεπλήρωτο μὲν ὕδατος, ἐπεπόλαζε δ' αὐτῷ σφαῖρα καὶ μάνης καὶ τρεῖς μυρῖναι, καὶ τρία ὀξύβαφα. *Pelvis porro aqua implebatur, cui globus innatabat, lanx, Manes statua, tres myrti & tria acetabula.* V. & Joh. Tzetzem Chiliad. Hist. 85. Non addo plura loca: res enim est, quam nec pueri ignorant. Ὀξίδες idem signabant. Schol. Aristophanis Equitibus: Ὀξίδες, ἃ καλοῦμεν ὀξυβάφια. *Oxides, quæ oxybaphia nuncupamus.* Itemque κήθεα seu κηθάρια, quod didici ex eodem Scholiaste in Vespis, & Hesychio. In nova Roma, quam Constantinus Magnus de se dici voluit, locus erat seu tractus quidam, qui ὀξύβαφον dicebatur, ubi violacea tinctura fiebat. Probat id ex Codino Orig. num. 110. & Balsamone ad Can. 60. du Fresne, quam rem, cum minus ad propositum faciat, haud difficulter prætermittimus, atque ad sequentia nos accingimus:

CAPUT XII.

Κοτύλην, *scilicet, septimam nobis cymbalorum speciem. Addo significationes vocis reliquas. Omnis cavitas. Poculum certum. Mensura Latinis Hemina.* ἡμιξέςιον. Εἰρεσιώνη. *Cavitas manuum. Ludus* ἐν κοτύλῃ. *Acetabulum. Coxæ. Polypi acetabula. Humeri cavitas, &c. Scripsit de cotylis Demophon.* Eustathius leviter correctus.

Cotylen ad cymbala recte refero. Ita enim probatæ fidei autores. Adducit Æschylum Athenæus Deipnos. lib. XI. Καὶ τὰ κύμβαλα δ' Αἰσχύλος ἐν Ἠδωνοῖς κοτύλας εἴρηκεν.

Ὁ δὲ χαλκοδέτοις κοτύλαις ὀτοβεῖ.

Et cymbala quidem Æschylus in Hedonis cotylas appellavit.

Ille vero æreis cotylis strepit.

Eadem autoritate in probando nititur Eustath. in Iliad. χ'. Ἔστι ἰστέον καὶ ὅτι παράγωγον κοτύλης κοτυλίσκη τε καὶ κοτυλίσκιον· οὗ μνεῖα παρὰ Ἀριστοφάνει ἐν τῷ, κοτυλίσκιον τὸ χεῖλος ἀποκεκρουσμένον· καὶ ὅτι Αἰσχύλος καὶ τὰ κύμβαλα κοτύλας φησίν· οἷον· χαλκοδέτοις κοτύλαις ὀτοβεῖ. Τὸ δὲ ἐπίσχε τί σημαίνει, δεδήλωται καὶ ἐν λιταῖς. *Sciendum est, quod cotyles diminutiva sint cotylisce & cotyliscium, cujus mentio apud Aristophanem in illo, cotyliscium littus a mari pulsatum. Nec minus notatu dignum, quod Æschylus & cymbala cotylas vocet. Quid vero* ἐπίσχε *hinc significet, manifestatur in lapidibus.* Variæ & elegantes hujus vocis significationes sunt, paucisque, quod sciam, attactæ, quas breviter addere, non ingratum duxi. Primo omnis cavitas, cotyle. Athenæus Deipnos. XI. cap. 8. Πᾶν δὲ τὸ κοῖλον κοτύλην, φησὶν (Apollodorum citaverat) ἐκάλουν οἱ παλαιοί, ὡς καὶ τὸ τῶν χειρῶν κοῖλον. *Nam quicquid cavum est, inquit, cotylum veteres appellaverant, ut manus cavum.* Etymologicon: Πᾶν τὸ κοῖλον κοτύλην ἔλεγον. *Omne cavum cotylem nominabant.* Deinde poculum quoque aliquod certum. Athenæus loco cit. Σιληνὸς καὶ Κλείταρχος, ἔτι τε Ζηνόδοτος.

Πάντη δ' ἀμφὶ νέκυν κοτυλήρυτον ἔρρεεν αἷμα

καί·

Πολλὰ μεταξὺ πέλει κοτύλης καὶ χείλεος ἄκρου.

Σιμάριστος δὲ τὸ λευκὸν ποτήριον οὕτως καλεῖσθαι. Διόδωρος δὲ τὸν ποιητὴν πύρνον καὶ κοτύλην· οἱ κύλικα μὲν οὐκ εἶναι, γὰρ ἔχειν ὦτα· παραπλήσιον δ' ὑπάρχειν λουτηρίῳ βαθεῖ· ποτήριον δὲ εἶδος εἶναι· μνημονεύει δ' αὐτοῦ Κράτης ἐν Παιδιαῖς καὶ Ἕρμιππος ἐν Θεοῖς. *Silenus & Clitarchus, etiam Zenodotus:*

Undique circa defunctum sanguis fluebat tam multus, ut cotylis hauriri posset.

ac rursum:

Multa cadunt inter cotylam supremaque labra.

Simaristus album poculum sic vocari tradit. Diodorus censet, quod nonnulli Cotylum vocant, a poeta dictum fuisse Cotylen, hoc versu:

Si quis panis frustum & cotylen porrexerit.

Calicemque id non esse, quoniam auribus caret; esse tamen posse id, quod Ætoli & Jonum quidam cotylum nominant, similem quidem supra memoratis, sed auritum ex una parte. Hujus meminit Crates in Lusibus & Hermippus in Diis. Et paulo post: Ἀπολλόδωρος δὲ ποτήριόν τι γένος ὑψηλὸν καὶ ἔγκοιλον (φασί.) Dionysius Sinopensis in servatrice:

Ὅσα δ' ἐστὶν εἴδη θηρικλείων τῶν καλῶν

Γύαλοι, δικότυλοι, τρικότυλοι, δεῖνος, μέγας

Χωρῶν μετρητὴν ———

Quod vero pulchrorum genera sunt Thericleorum,

O mulier, dicotyla, tricotyla, ingens, Dinus,

Qui metretam capiat ———

Aristophanes in Pluto:

Ἀλλ' ἐστὶν ἡ καπηλὶς ἡ 'κ τῶν γειτόνων

Ἣ ταῖς κοτύλαις ἀεί με διαλυμαίνεται.

Quod si hæc foret ista de fœdis muliercul is.

Quæ in hac cauponatur vicinia, & suis

Cotylis iniquis semper imponit mihi:

Ibidem:

Καὶ πρίν σε κοτύλας ἐκπιεῖν οἴνου δέκα,

Ὦ Πλοῦτος ὦ δέσποιν' ἀνεστήκει βλέπων.

Et priusquam cotylas vini decem biberes,

O domina, Plutus videns resurrexit.

Etymologicon: λέγεται κοτύλη καὶ εἶδος ποτηρίου. *Dicitur & cotyle genus poculi.* Adde Eustath. in Iliad. ε' & χ'. Musonius Philosophus cap. 3. *Cotylen tenuissimum poculum appellari ait Simaristus.* Mensuræ quædam species cotyle audiebat. Ex Thucydide probat Athenæus loco citato: Ἀθηναῖοι δὲ μέτρον τι καλοῦσι κοτύλην. Θουκυδίδης· Ἐδίδοσαν μὲν αὐτῶν ἑκάστῳ ἐπὶ ὀκτὼ μῆνας κοτύλην ὕδατος καὶ δύο κοτύλας σίτου. *Mensuram quandam Athenienses cotylam nominant. Thucydides: Eorum singulis in octo menses aquæ dederunt cotylam, tritici vero cotylas duas.* Aristophanes Προαγῶνι·

Ὁ δὲ

Ὁ δὲ ἀλφίτων πριάμενος τρεῖς χοίνικας
Κοτύλης δεούσας εἴκοσ᾽ ἀπολογίζεται.

Mercatus ille farinæ tres semodios
Una cotyla minus, domi rationem subducit.

Plutarchus de defect. oracul. Τίς δ᾽ ἀνέξεται πρὸς χόα καὶ κοτύλην ὕδατος τὸ τοῦ ἡλίου μέγεθος μετρούμενον; *Quis vero sustinebit ad choam & cotylem aquariam metientem magnitudinem solis?* Etymologicon: Κυρίως δὲ τὸ ὁπωσοῦν μέτρον κοτύλην ἔλεγον οἱ ἀρχαῖοι, διὰ τὴν κοιλότητα. *Proprie vero certam aliquam mensuram cotylen nominarunt veteres, ob cavitatem.* Martialis Epigram. 8. lib. VIII.

Bessalem ad scutulam sexto pervenimus anno:
Post hunc in cotyla rasa selibra data est.

Eustath. Iliad. ε. Κοῖλα γὰρ καὶ ἡ κατὰ τὸ ἰσχίον κοτύλη καὶ τὸ ἀγγεῖον δι᾽ οὗ ἀρνόμεθα. Tu lege, nam verba ultima aliquantum corrupta: τὸ ἀγγεῖον δι᾽ οὗ ἀρνύμεθα. *Vasculum, quo metimur.* Et mox: Δῆλον δ᾽ ὅτι κοτύλη καὶ μέτρου τι εἶδός ἐστιν οὐ μεγάλου, ἀλλά τινος βραχέος. *Manifestum vero, quod cotyle etiam mensuræ aliquod sit genus non adeo magnæ, sed exiguæ.* Themist. Orat. I. Ἀλλὰ τῷ ἐκ μαγείρου τυχὸν ἴσως ἢ ἀρτοκόπου, ἐπιτετραμμένην χοινικίσι τε καὶ κοτύλαις. Orat. IV. Ὅτι τοῦ νέκταρος ὄδωδε τὸ πόμα ἐκεῖνο, καὶ ἡ κοτύλη πολυχανδεστέρα. Plutarchus Συμποσ. προβλ. α. Ὅπως μὴ κοτύλῃ μηδὲ κυάθοις τὸ ἴσον, ἀλλὰ καιροῦ τινι μέτρῳ καὶ σώματος δυνάμει τὸ οἰκεῖον ἑκάστῳ καὶ πρόσφορον ἀπονέμηται. *Ne hemina & acetabulis æqualitas æstimetur, sed modo quodam opportunitatis & vi corporum sua unicuique vini portio attribuatur.* Alexis in mercenariis apud Athenæum Deipnos. XI. cap. 10. Εἶτ᾽ ἐν τετρακότυλον ἐπεσόβει κώθωνά μοι. *Cothonem quatuor cotylarum mihi obtendebat.* Nicon in citharoedo ibid. c. 12.

Μάνην δὲ εἶχε κεραμεοῦν ἁδρὸν
Χωροῦντα κοτύλας πέντ᾽ ἔσως ἐδεξάμην.

Fictilem manen amplum habebat, qui propemodum
Cotylas decem capiebat, eum non recusavi.

Sexcentos possem adducere hujuscemodi locos, si aut rei necessitas id flagitaret, aut instituti ratio pateretur. Heminam communiter interpretes vertunt. Recte. Athen. loco citato: Διόδωρος δὲ ἐν Ἰταλικαῖς Γλώσσαις καὶ Ἡράκλειτος, ὥς φησι Πάμφιλος, τὴν κοτύλην καλεῖσθαι καὶ ἡμίναν, παρατιθέμενος Ἐπιχάρμου· καὶ πιεῖν ὕδωρ διπλάσιον χλιαρὸν ἡμίνας δύο. καὶ Σώφρων· κατάστρεψον τέκνον τὰν ἡμίναν. *Diodorus vero in linguis Italicis, & Heraclitus, ut Pamphilus ait, tradunt, cotylen etiam vocari heminam, citato hoc loco Epicharmi: Et aquæ duplum bibere ad heminas duas, & Sophron: Heminam subvertere, o fili.* Omitto alia quæ loco hoc addi possent, & noto tantum κοτύλην etiam ἡμιξέστιον Græcos nominasse. Scholiastes Aristophanis in Pluto: Κοτύλη δὲ εἶδος μέτρου, ὃ νῦν καλεῖται ἡμιξέστιον. *Cotyle vero species mensuræ, quæ nunc dicitur semisextium.* Et paulo ante: Κοτύλη δέ ἐστι εἶδος μέτρου, ὃ λέγομεν ἡμεῖς ἡμιξέστιον. *Cotyle vero est species mensuræ, quam nos semisextium appellamus.* Talis cotyla ramis Εἰρεσιώναι, quos portare in Thargeliis & Pyanepsiis solebant, appendebatur. Nota res est. Sufficiet unus Scholiastes Aristophanis: Εἰρεσιώνη, ait, δὲ θαλλὸς ἐλαίας ἢ δάφνης ἐξ ἐρίων καὶ θαλλοῦ συμπεπλεγμένος, ἔχων ἄρτον ἐξηρτημένον καὶ κοτύλην. *Eiresione vero ramus est oleæ aut lauri ex lana & ramo conligatus, habens panem & cotylen.* Cotyla quoque cavitas manus. Κοτύλη τὸ κοῖλον τῆς χειρός, inquit Eustathius ad Iliad. 10. Idem affirmat ad lib. 5. Iliad. & Pollux lib. IX. cap. 7. & Etymol. in κοτύλη. Hinc ludus erat apud Atticos ἀγκοτύλη seu ἐν κοτύλῃ. Res trita & quam jam diu explicarunt Græciæ ludibundæ scriptores. Consule Hesychium in Ἀγκοτύλη & Ἐφεδρίζειν. Eustath. Iliad. ε. & χ. Tarrhæum in Proverb. Zenob. Cent. III. Proverb. 60. Pollucem IX. cap. 7. Athen. loc. cit. Julianum in Misopogone, & sexcentos alios. Reliquas cotyles significationes pertexo breviter. Acetabulum. Diphilus.

Δειπνεῖ τε καταδύς, πῶς δοκεῖς; Λακωνικῶς.
Ὄξους δὲ κοτύλην, παπαῖ.

Et convivando submergens, quid videtur? Laconice.
Aceti vero cotylen seu acetabulum, Papæ.

Alexis:

—— Τέτταρας κοτύλας,
Ἀναγκάσας με μεστὰς αὐτοῦ σπάσαι,
Ὄξους Δεκελεικοῦ, δι᾽ ἀγορᾶς μέγης ἄγεις.

— Qua-

——— *Quatuor cotylas*
Cogens eum trahere impletas
Aceto per forum medium ducis.

Coxa. Homerus Iliad. έ.

Τῷ βάλεν Αἰνείαο κατ' ἰσχίον, ἔνθα τε μηρὸς
Ἰσχίῳ ἐνςρέφεται, κοτύλην δέ τέ μιν καλέουσι.
Θλάσσε δέ οἱ κοτύλην ———

Eo percussit Æneæ coxendicem, ubi femur
In coxa vertitur, acetabulum autem ipsum vocant:
Contudit autem ipsi acetabulum. ———

Eustathius loco citato: Ἡ δὲ τοῦ ἰσχίου κοτύλη. καθ' ὁμοιότητα λέγεται τοῦ σκεύους τῆς κοτύλης· κοῖλα γάρ καὶ ἡ κατὰ τὸ ἰσχίον κοτύλη, καὶ τὸ ἀγγεῖον δι' οὗ ἀρυόμεθα. *Coxendicis vero cotyle seu cavitas dicitur ob similitudinem, quæ ei intercedit cum vasculo, quod cotyle dicitur. Cava enim est coxendicis cotyle, quemadmodum vasculum illud, quo metimur.* Etymologicon: Κοτύλη, ὁ γλουτός, ὅπου ἐγκλίνεται ἡ κεφαλὴ τοῦ μηροῦ, παρὰ τὴν κοιλότητα τὴν ἐν αὐτῇ τῇ κοτύλῃ γενομένην. *Cotyle, clunes: ubi curvatur pars superior femoris, propter cavitatem, quæ est in illa parte, quam cotylen appellamus.* Cavitas humerorum. Eustathius ibidem: Ὅτι δὲ οὐ μηροῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ ὤμου κοτύλη λέγεται τὸ κατ' αὐτὴν κοῖλον τῆς ὠμοπλάτης, λέγουσιν οἱ παλαιοί. *Antiqui tradunt, quod cotyle non tantum dicatur, de femore, sed & de humero, ubi cavitas scapulæ sub humero intelligitur.* Hinc pars illa vulgariter ὠμοκοτύλη. Pollux Onom. II. c. 4. Ἀπὸ δὲ ὤμου ὄνομα, καὶ ἡ ἐξωμὶς, καὶ ἡ ἐξωμιδοποιΐα· ὅπου δὲ ἐνερείδεται τοῦτο τὸ ἄρθρον, ἐντύπωσις καλεῖται, ἢ ὠλοκοτύλη. *Nomina vero ab humero sunt, exomis & exomidopœja. Ubi vero articulus huic infigitur, humeri vertebra vocatur & acetabulum*, Acetabula Polypi, quæ alias cotyledones. Lucian. Dial. Mial. Mar. Με. ἀλλὰ τὸν μὲν πολύπουν εἶδον, ἃ πάσχει δὲ, ἡδέως ἂν μάθοιμι παρὰ σοῦ. Πρω. ὁποίᾳ ἂν πέτρᾳ προσελθὼν ἁρμόσῃ τὰς κοτύλας, &c. ἐκείνῃ ὅμοιον ἀπεργάζεται ἑαυτόν. *Men. At polypum quidem vidi, quæ vero accidant illi, libenter ex te cognoverim. Prot. Cuicunque saxo acetabula sua accedens applicuerit & cirramentis affixus adhæserit, illi seipsum similem efficit.* Hæ notiores notiones. Tractatum singularem de cotyla scripsit quidam Demophon. Ephippus in Similibus:

Διονυσίῳ δὲ δράματ' ἐκμαθεῖν δέοι,
Κτὸ Δημοφῶντος ἅτ' ἐποίησεν εἰς κοτύλην.

Dionysii fabulas oportet ediscere,
Ac Demophontis quas edidit de cotyla orationes.

CAPUT XIII.

Octavum locum occupat ῥύμβος Lectio Apollonii adserta. Scholiastes ejus vindicatus. Etymologicon & Scholiastes Alcæi rejecti. Δῖνος *vas rotundum, simillimum cymbalo.* Phurnutus correctus.

Ῥύμβον cymbalum esse & in sacris magnæ Matris a Phrygibus adhibitum disco ex Apollon. Argonauticῶν I. v. 1139.

Ῥύμβῳ καὶ τυμπάνῳ Ῥείην Φρύγες ἱλάσκονται.

Rhymbo & tympano Rheam Phryges placant.

Abeunt hic in diversa commentatores. Alcæi Scholiastes omnino substituendum ῥόμβῳ putat. Habetis verba: Ἀπολλόδωρός φησι γὰρ, ῥόμβῳ καὶ τυμπάνῳ Φρύγες ἱλάσκονται. Ῥόμβος δ' ἐστὶ τροχίσκος ὃν στρέφουσι ἱμᾶσι τύπτοντες, καὶ οὕτω κτύπον ἀποτελοῦσι. *Apollodorus enim dicit: Rhombo & tympano Phryges placant. Rhombus vero est species trochi, quem circumagunt, loris verberantes eum, & ita strepitum elicientes.* Moderatius agit Etymologicon, dum ῥύμβος quidem retinet, sed tamen dupliciter ῥύμβος & ῥόμβος legi posse putat: Ῥύμβῳ καὶ τυπάνῳ Ῥείην Φρύγες ἱλάσκονται, μυστικῷ σανιδίῳ ὃ στρέφουσιν εἰς τὸν ἀέρα. καὶ ἦχον ἐμποιοῦσι· ῥύμβος δὲ καὶ ῥόμβος διχῶς λέγεται· ἔστι δὲ τροχίσκος, ὃν τύπτοντες ποιοῦσι περιδονεῖσθαι καὶ ψόφον ἀποτελεῖν, ῥύμβον δὲ αὐτὸν Εὔπολις εἶπε· καλεῖται δὲ καὶ βρυτήρ. *Rhymbo & tympano* (pro quo *tympanum* recte aliquando legi ex cap. I. hujus libri patet) *Rheam Phryges placant, id est, mystica quadam tabella* (quæ potuit habere similitudinem platages) *quam circumagunt in aere, & sonum faciunt. Rhymbus vero & rhombus legitur dupliciter. Si posteriori modo legas, intelligenda est species trochi, quem loris verberantes & circumagentes faciunt concuti & strepitum reddere. Rhymbi vero mentio etiam est apud Eupolin. Ille idem etiam Bryter dicitur.* Fateor, habet in adsertione duplicis hujus lectionis authorem Eustathium, licet non citet, qui ita in Odyss. ά: Τροχίσκον δηλοῖ τὸν καὶ ῥόμβον καλέμενον, ὃν τύπτον-

πτοντες ἱμᾶσι καὶ ςρέγοντες, ἐποίων δινεῖσθαι καὶ ψόφον ἀποτελεῖν. Ἔυπολις δὲ φασι, ῥύμβον αὐτὸν εἶπε διὰ τοῦ ὑψιλοῦ. *Iunuit trochiscum, qui etiam rhombus appellatur, quem verberantes loris & circumagentes, concutiunt atque eliciunt sonum. Eupolis vero, ut ajunt, Rhymbum eum vocavit per ypsilon.* Ego vero, si nihil aliud, quod obgererem, haberem, hoc possem dicere, quam facile in lectione tam propinqua Eustathius falli possit: nam ex eo sua, ut infinita alia, descripsit Etymologici author. Adhæc Alcæi epigrammatum enarrator de diversa hac legendi ratione ne hilum quidem. Hæc, inquam, dicerem, si argumentis aliis destitutus essem, quæ jam produco potiora, validioraque. Primo a me stat ipse Apollonii Scholiastes loco citato: Ὅθεν, inquit, καὶ Φρύγες κυμβάλοις καὶ τυμπάνοις τὴν Ῥέαν ἱλάσκονται. *Quod & Phryges cymbalis tympanisque Rheam colunt.* Deinde observa mecum perpetuum illum loquendi apud Græcos & Romanos genium, qui ubique fere cymbala atque tympana conjungit. Non possum non hic aliqua loca, quo magis patescat rei veritas, adponere. Catullus de Berecynthia & Aty, v. 21.

> *Ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant.*

Claudianus lib. I. in Eutrop. v. 278. seq.

> *Rauca Celenæos ad tympana disce furores,*
> *Cymbala ferre licet ——*

Ovidius Fastor. lib. IV.

> *Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant.*

Auson. Ep. XXV.

> *Cymbala dant flictu sonitum, dant pulpita saltu.*
> *Icta pedum, tentis reboant cava tympana tergis.*

Statius Thebaid. lib. IV.

> *Æraque, tympanaque & biforem reticere tumultum*
> *Imperat ——*

Ovidius artis Amat. lib. I.

> *—— Sonuerunt cymbala toto*
> *Littore & attonita tympana pulsa manu*

Valer. Flaccus Argonaut. lib. II.

> *—— Vocat æraque circum*
> *Tympanaque ——*

Homerus in hymnis:

> Ἡ κροτάλων, τυπάνων ἰαχὴ σύν τε τρόμος αὐλῶν
> Ἔυαδεν ——

> *Fremitus cymbalorum & tympanorum,*
> *simulque tremor tibiarum*
> *Complacuit. ——*

Diogenes Tragicus:

> Τυμπάνοισι καὶ βομβοῖσι καὶ χαλκοδτύπων
> Βόμβοις βρεμούσας ἀντὶ χυμβάλων.

> *Cum bombizantibus tympanis & ærisonorum*
> *Bombis fremens conflictis manibus cymbalorum,*

Euripides Cyclope vers. 203.

> Κρόταλα χαλκοῦ, τυμπάνων τ' ἀράγματα.

> *Crotala ærea & tympanorum strepitus.*

Oppianus Cyneget. IV.

> Τύμπανα δ' ἐκτίπεον, καὶ κύμβαλα χερσὶ κρόταινον.

> *Tympana vero pulsarunt & cymbala manibus concrepuerunt.*

Non cumulo plura, quanquam possem. Mera autem attuli poetarum testimonia, quo minus existimes metri causa in Apollonio hanc mutationem factam. Pergo jam. Tertii mihi argumenti loco est, quod Hesychio in Lexico: Ῥύμβος, δῖνος sit. Δῖνος autem vas tam simile cymbalo, ut non magis ovum ovo. Aristophanis Enarrator in Vespis: Δῖνος δέ ἐστιν ἀγγεῖόν τι κεράμιον βάσιν οὐκ ἔχον, ἀλλὰ στρογγύλον κάτω. *Dinus vero est vasculum testaceum, quod basin non habet, sed rotundum & concavatum infra est.* Imo omne rotundum. Thomas Magister dictionibus Atticis: Δῖνος ἡ κύκλῳ στροφή· ἀφ' οὗ καὶ τὸ κύκλῳ στρεφόμενον σῶμα, δῖνος· οἷον, ὁ οὐρανὸς καὶ τὸ κυκλικὸν μέν τοι σῶμα· οὐ μὲν δὲ καὶ στρεφόμενον κύκλῳ. Δῖνος λέγεται, διὰ τὸ κυκλοτερῆ ὡς αὐτὸς εἶναι πάντως τὰ στρεφόμενα

να κύκλῳ. Dinus circumrotatio in gyrum, ab eo & corpus gyratum ita dicitur, quale est cœlum. Gyratum seu rotundum inquam corpus, non vero, quod in gyrum vertitur, dinus vocatur, quia rotundiora, ut dinus sunt, quæ in gyrum circumaguntur. Nihil in hoc loco magis urgeo, quam illud: ἐ μὲν δὲ καὶ στρεφόμενον κύκλῳ scilicet δῖνος καλεῖται, i. e. *non vero quod in gyrum vertitur, δῖνος vocatur*, cum tamen ipse gyrus & vasa gyrata ita appellentur. Nisi fallor, fuere, quia hæc confunderent, & propterea hoc loco a Thoma refutantur. Quid si dicerem idem cum ῥύμβῳ factum, quod cum δίνῳ idem esse docuit te Hesychius? Eadem fere iisdem verbis habet Moschopulus: δῖνος, ἡ κύκλῳ συστροφή· ἀπὸ τούτου καὶ τὸ κύκλῳ στρεφόμενον σῶμα δῖνος, οἷον οὐρανός, ΚΑΙ ΤΟ ΚΥΚΛΙΚΟΝ ΜΕΝ ΣΩΜΑ, ΟΥ ΔΕ ΣΤΡΕΦΟΜΕΝΟΝ. Οὕτω λέγεται διὰ τὸ κυκλικὸς τὰ ἄλλα στρέφεσθαι ἐν αὐτῷ. *Dinus, circumrotatio in gyrum. ab eo & corpus gyratum ita dicitur, quale est cœlum. Gyratum seu rotundum inquam, non vero, quod in gyrum circumagitur. dicitur vero ita, quia ipsum & rotundum & alia in eo circumrotantur.* Ex his simul eadem opera deduci potest causa, cur solitum sit apud authores κύμβαλα δινεύειν de motu & flictu cymbalorum dicere. Nonnus Dionys. θ'.

Κύμβαλα δινεύουσα, περίκοτα —

Cymbala rotata, circumcrepitantia —

Et κθ'. κύμβαλα δινεύουσα βαρύβρομα: *rotata cymbala gravisonantia.* Et λ'. ἐν δὲ κυδοιμοῖς κύμβαλα δινεύουσιν, *in tumultu vero cymbala movent.* Tandem & extremo figo loco, non meminisse me unquam legisse apud Phrygas in sacris Berecynthiæ matris trochos seu ῥόμβους usitatos fuisse. Jam puto persuasi & evici ῥύμβον ad cymbala recte referri. Ex quo fundamento correctus ab amico quodam Phurnuti locus de Nat. Deorum cap. 30. Καὶ ὁ τῶν ῥόπτρων ψόφος, καὶ τῶν τυμπάνων, ἃ παραλαμβάνουσιν εἰς τὰ ὄργια αὐτῆς. Quod recte vertit Tigurinus inclytus Conr. Clauserus: *Cymbalorum & tympanorum adhibetur sonus, quæ ad celebranda orgia afferunt.* Ille vero pro ῥόπτρων substituit ῥύμβων. Id quod ego eo facilius fieri posse existimo, quia Thomas Gale testis legi in MSS. ῥόμβων. At vero nescit juvenis optimus ῥόπτρα eadem ratione inter cymbala locum habere. Interea, quod in transitu addo, errasse & Suidam puto, qui ῥύμβην vocem τῷ ῥύμβος affinem ἀπὸ τοῦ ῥόμβος. voluit derivare. Ita in Lexico: Ῥυμβὴν· τοῦτο δὲ ἀπὸ τῆς κινήσεως τοῦ ῥόμβου. *Rhymbe idem est quod rhombe, deductumque id est a circumactione rhombi.*

CAPUT XIV.

Nono loco produco κρέμβαλα. *Testacea plerumque: interdum deaurata ænea. In saltationibus mulierculareum & sacris Dianæ frequentia.* Κρεμβαλίζειν. *Decimum cymbalorum nomen.* Δίζυγα χαλκὸν *esse probatur.* Hesychius leviter correctus.

Κρέμβαλα ad cymbala referri debere ex mentione ejus apud probatos authores facile innotescit. Muson. Philosophus cap. VII. *Crembala musicum est instrumentum, quod digitis plectitur, unde* κρεμβαλίζειν *est eo personare.* Athen. Deipnosoph. XIV. cap. 9. Ἦν γὰρ δή τινα, καὶ χωρὶς τῶν ἐμφυσωμένων καὶ χορδαῖς διειλημμένων ἕτερα, ψόφου μόνον παρασκευαστικά, καθάπερ τὰ κρέμβαλα. *Quin & alia diversa sunt, tum ab iis, quæ animantur afflatu, tum ab iis, per quæ protenduntur fides, crepitu solum obstrepentia, veluti crembala.* Hæc autem instrumenta maxime in saltationibus & cantilenis muliercularum in usu fuisse ex Dicaearcho docere pergit Athenæus: Περὶ ὧν φησὶ Δικαίαρχος, ἐν τοῖς περὶ τοῦ τῆς Ἑλλάδος βίου ἐπιχωριάσαι, φάσκων ποτὲ καθ' ὑπερβολὴν εἰς τὸ προσορχεῖσθαί τε καὶ προσᾴδειν ταῖς γυναιξὶ ὄργανα τινὰ ποιά, ὧν ὅπτοιτο τοῖς δακτύλοις ποιεῖν λιγυρὸν ψόφον. *De illis Dicaearchut in libro de Graciæ ritibus ait: Popularia supra, quam credat aliquis, instrumenta fuisse quædam saltationibus & cantilenis fœminarum accommodata, quibus digitis suavis ederetur strepitus.* Materia crembalorum utplurimum testæ, conchylia, & sane similis fuit. Hermippus ibidem: Λεπάδας δὲ πετρῶν ἀποκόπτοντες κρεμβαλίζουσι. *Lepadas vero petris abscindunt & crembala pulsant.* Hesychius: κρεμβαλιάζει, κογχύα καὶ ὀστᾶ ἅμα συγκροτοῦντας ἄρρυθμον. (ita enim recte substituitur pro eo quod erat in editis ἐρισμὸν) τινα ἦχον ἀποτελεῖν τοὺς ὀρχουμένους. *Crembala pulsare, conclylia & officula concuciendo in saltationibus musicum quendam sonum perficere.* Mentio tamen fit crembalorum æreorum & ad majorem ornatum deauratorum in sacris Dianæ. Athenæus loco citato: Δηλοῦσθαι δ' ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ᾄσματι, ὅ ἐστιν ἀρχὴ, Ἄρτεμι σοί με τί φρὴν ἐφ' ἵμερον ὕμνον ἵεναι τε, ὅθεν ἅδε τις ἀλλὰ χρυσοφανία κρέμβαλα χαλκοπάραα χερσίν. *Significari ea in Cantico Dianæ, cujus hoc est initium: Diana, unde venit in mentem tibi, ad dulcem me somnum dimittere? Deinde postea:* Ca-

Canebat alius habens in manibus crembala ænea deaurata. Pergit jam: Ἕρμιππος δ' ἐν Θεοῖς τὸ τέτοις κρεῖν κρεμβαλίζειν εἴρηκεν. *Hermippus vero in Diis* κρεμβαλίζειν *dixit crembala pulsare*. Locum jam ſupra exſcripſimus, & poterat idem colligi ex Heſychii & Muſonii Philoſophi citatis. Plura in hanc rem & de hujus generis cymbalis verba facere mens eſt, ubi capite XIX. hujus libri de teſtis differemus. Nunc vero monemus decimo loco periphraſticam illam magis quam ſynonymam dicendi rationem notari poſſe, qua crotala circumſcribebant δίζυγα χαλκόν. Quod recte omnino ita factum puto, cum crotalum virgulas vel laminas æneas, arundineaſve, quæ manibus verſatæ concutiebantur & inter ſe collidebantur, ut ſonum ex ipſo colliſu redderent, proprie dici jam ſupra probavi. Notavi jam Capite primo locum ex Nonno, qui non tantum de crotalis ſed etiam de cymbalis recte ita dici manifeſto declarat. Adduco nunc inſuper alios, qui & ad cymbala, & ad crotala apte referuntur. Nonnus Dionyſ. θ':

> —— ἐπεπλατάγησε δὲ Βάκχῳ
> Κύμβαλα δινεύσα περίκροτα δίζυγι χαλκῷ
>
> —— *Concuſſerunt vero Baccho*
> *Cymbala circumrotata ſonantia duplici ære*.

Nec dubito, quin idem deſignetur Ibidem ιέ.

> Δίζυγον ἐπλαράγησε μέλος χαλκό κροτον ἠχώ.
>
> *Crepuit duplici melo, quod æneum ſonitum habebat*.

Idem ιή.

> Καὶ κεφαλὴν ἐλέλιζε μετήλυδα δίζυγι χαλκῷ.
>
> *Et adveniens quaſſabat caput cum duplici ære*.

Et κθ'.

> Κύμβαλα δινεύσα βαρύβρομα δίζυγι χαλκῷ.
>
> *Cymbala rotata grave-ſonantia duplici ære*.

Vide ſis eundem Dionyſ. 7. verſ. 333. Ejuſdem Nonni eſt.

> —— χεῖρα δὲ δισσὴν
> Θηλύνων ἐλέλιζεν ἀμοιβάδα δίζυγι χαλκῷ,
> Οἷα γυνὴ παίζουσα χορόιτυπος ——

Alter eſt Claudiani in verſibus ἀνεκδότοις, ſed a Salmaſio citatis ἐς κροταλιστρίαν.

> Μαχλὰς εὐκροτάλοιτιν ἀνοιάζουσα χορείαις
> Δίζυγα παλλομένοισι τινάγμασι χαλκὸν ἀράσσει.

CAPUT XV.

Adduntur quinque alia cymbalorum apud Græcos genera. Βακύλλιον. Martinius notatur. Ῥόπτρα· Λεκίδες. *an* Λεκανίδες. Δόναξ· *Arundo*. Στρόμβος. *Crepitaculum, quo utebantur antiqui paſtores ad cogendum pecus*. Nicomachus emendatus.

Conjicio in hoc caput, quicquid cymbalorum in Græcia reſtitat. Βακύλλια medium ævum pro cymbalis agnoſcit. Heſychius: κύμβαλον, βακύλλιον, βακύλιον, εἶδος ὀργάνε μεσικε. *Cymbalum bacyllium dicitur; eſt vero id ſpecies organi Muſici*. Suidas: βακύλιον, κύμβαλον. Id quod etiam confirmatur authoritate Lexici MSS. a du Freſne citato. Vir omni laude major & noſtræ urbis gloria magnus Martinius βακύλλιον, *baculum*, *fuſtem*, *tympanum* explicat. De prioribus non diſcepto, ſed qua ratione *tympanum* interpretetur, nondum video. Vocem hanc in authore antiquæ fidei atque gravitatis nunquam inveni, unde libuit ſuſpicari, num etiam ad cymbala referrem. Si quis objiciat autoritatem ſcriptorum quos citavimus, ei author ſim, ut in mentem revocet, quæ capite tertio dicta a nobis ſunt: ſcilicet, κύμβαλα medii ævi ſcriptoribus eſſe campanas, malleo percuti ſolitas. Quid ſi malleos βακύλλια dictos eſſe exiſtimarem? Deinde inverſam ſignificationem, & quod de integro dici fas erat, parti attributum eſſe? Sed relinquo hujus rei judicium doctioribus. Ῥόπτρον apud Lexicographos varias habet ſignificationes. Sunt qui clavam, incurvum lignum, fuſtem, exponunt. Alii pro enſe, quidam pro membro virili dictum notant. Plutarcho eſt oſtii annulus. Heſychio & Euſtathio paxillus in majoribus laqueis aut retibus venaticis. Nemo quod ſciam, inter crepitacula poſuit. At pono ego, cum ſæpiſſime hac ſignificatione apud Nonnum inveniatur, ex quo loca evidentiora excerpo. Lib. XXXIII.

Οὐ τότε ῥόπτρα φέρουσα καὶ εὔια κύμβαλα Ῥείης.

Non tum rhoptra ferens & evia Rheæ cymbala.

Lib. XLV.

Κύμβαλα δ' αἰθύσσουσα καὶ εὐπήληκα βοείην,
Κυδαίνω Διὸς υἷα, καὶ οὐ Πενθῆα γεραίρω.
Λύδιά μοι δότε ῥόπτρα ——

Cymbala vero splendentia & ornatum galea bovina
Jovis filium, non vero Penthea deprædico.
Date mihi rhoptra Lydia.

Lib. XLVII.

Σείσατε χάλκεα ῥόπτρα καὶ εὔια τύμπανα Ῥείης.

Concutite ænea rhoptra & evia tympana Rheæ.

Et mox: Ῥόπτρα μὲν ἐπλατάγησεν: *Rhoptra sicut platagen concrepuit.* Sufficiant hæc ex quamplurimis aliis. Constat enim hinc abunde, Rhoptrum fuisse instrumentum æneum in Bacchi & Cybeles sacris frequentissimum, quod confligebatur uti cymbala, in Lydia cumprimis. Quæ sane κριτήρια ejusce sunt modi, ut secure rhoptra inter cymbalorum species collocemus. Quibus omnibus accedit, quod iisdem attribuatur δίζυγος χαλκὸς, quod nomen cymbalorum esse modo probavi lib. XIV. vers. 337. interfere: Ῥόπτρων quoque meminit Plutarchus in Crasso p. 557. Πάρθοι γὰρ οὐ κέρασιν, οὐδὴ σαλπίγξιν ἐποτρύνουσιν, ἑαυτοὺς εἰς μάχην, ἀλλὰ ῥόπτρα βυρσοπαφῆ καὶ κοῖλα περιτείναντες ἠχείοις χαλκοῖς ἅμα πολλαχόθεν ἐπιδουποῦσι. Liceat hic addere versionem & crisin Magni Literatoris Jacobi Perizonii ad Ælian. pag. 540. „ *Parthi non cornibus, neque buccinis, excitant se ad pugnam, sed in circulis corio extenso obductis & cavis, quos æreis tintinnabulis circumtenderant, multis ex locis simul strepitum edunt.* „ Ῥόπτρα enim sunt circuli incurvi tympanorum, quibus pelles intenduntur, „ & qui in concava parte continent tintinnabula ærea. Nisi quis per ἠχεῖα „ malit intelligere *vasa ænea*, quibus illa tympana quasi obtendebantur, seu „ quæ illis tympanis undique quasi claudebantur, qualia tympana, hujusmodi „ vasis ligneis obducta, sed in quorum „ medio vel sic tintinnabula inerant, Indis in bello tribuit Suidas. Prius ta„ men credo verius, quoniam ipsa illa „ ῥόπτρα βυρσοπαγῆ dicuntur etiam κοῖ„ λα, *cava* fuisse, quibus ergo ipsis in„ clusisse videntur isthæc ἠχεῖα χαλκᾶ æ„ rea tintinnabula. „ Hæc vir sine controversia maximus. Nec dubito, quin ita interpretandus sit locus difficilis & obscurus ex ipsa rei veritate. Addo tantum *rhoptra* potuisse hæic dici vascula, quibus corium obtendebatur, quod semirotunda fuerint, tympanorum instar, quibus equites nostri utuntur, sed minora, atque adeo quadam ratione cymbalis similia. Fallor? an hinc inductus in errorem Alexander ab Alexandro, de quo lib. III. moneo, ut Parthis adscriberet cymbala, quod inveniret apud Plutarchum ῥόπτρων mentionem, quæ instrumentum cymbalis affine erant. Sed dabitur amplior de hac re dicendi locus in tractatu de Tympanis, quem molior.

Memini me λεκίδες cymbalis addidisse, quod jam emendo λεκανίδες: ita enim & inusitata alias in Nicomacho vox sustolletur, & major splendor opinioni meæ accedet. Ille Harmonices Manualis libro I. hæc habet: Ἐπιβάθρα τε ταύτῃ χρώμενος, καὶ οἷον ἀνεξαπατήτῳ γνώμονι εἰς ποικίλα ὄργανα λοιπὸν τὴν πεῖραν ἐξέτεινε. Λεκίδων (λεκανίδων) τε κρούσιν, καὶ αὐλοὺς, καὶ σύριγγας, καὶ μονόχορδα, καὶ τρίγωνα, καὶ τὰ παραπλήσια. *Ponte vero illo usus & quasi infallibili gnomone in multifaria organa reliquam experientiam extendit. Lecidum conflictum & tibias & fistulas & monochorda & trigona & similia.* Attende, Lector: nam quamvis argumenta, quæ pro me sunt, lateant, facile tamen eruuntur. Primo te doceat τὸ κροῦσις vox cymbalicæ conflictioni propria in tantum, ut certum quoque cymbalorum genus inde κρέματα vocaverint. Nec audio eos, qui dicunt eundem vocem lyræ & chordis frequentem, imo forsan usitatiorem. Non potest hic tale organum musicum intelligi, quod facile patebit ei, qui λεκανίδων alias significationes contemplabitur, ex quibus unum tantum ex Phavorino adduco, qui nihil scripsit, quod non ex vetustioribus exscripsit, & has λεκανίδας ὀξυβάφων similes esse testatur, verbo tenus ita Suidam exscribens: Λεκάνια δὲ καὶ λεκανίδας τὰ μείζονα τῶν ὀξυβάφων καὶ ἐκπέταλα. *Lecania vero & lecanides majora sunt vascula inter oxybaphorum genera & ampla.* Hinc postquam tractaverat de oxybaphis, statim subjungit λεκίδες Julius Pollux Onomastici l. x. c. 23. καὶ λεκίδας δὲ, inquit, Ἐπίχαρμος εἴρηκεν ἐν Νιόβης γάμῳ, λεκίκα καὶ ἐμβάφια δύο: *Lecides vero Epicharmius dixit in Niobes Nuptiis: Lecidem & duo intinctoria.* Colloca-

locaverat hoc vaſculorum genus jam ante inter vaſa ad menſam ejuſque inſtructionem pertinentia: Τοῖς δ' ἀγγείοις προσαριθμητέον λεκάνας, λεκανίδας, λεδανίσκους, κάναστρα, μαζονομεῖα. *Vaſculis vero adnumerare oportet, pelves, lecanides, lecaniſcos; cophinos, paropſides.*

Et ita intellige Teleclidem apud Athenæum VI. 19.

> Ὡς τ' ἀφθονία, τὴν ἔνθεσιν ἢ νάρδον ἁπαλὴν καταπίνειν
> Λεκανίσι ——
>
> *Nardique recentis tanta copia, ut ad ſingulas buccas liceret*
> *Plenis devorare pelvibus* ——

Tertio in ipſum te verborum nexum duco, qui cum varia inſtrumentorum genera recenſeat, non facile hic aliud organum intelliget, quam aliquod pulſatorium, cæteris generibus ordine ſequentibus.

Δόναξ proprie denotat ſonum ſeu ſtrepitum arundinis vento conflictæ, fiſtulæque inde factæ. Schol. Ariſtophanis in Ranis: Δόνακος δὲ τοῦ λεπτοκαλάμου μέλος ἀποτελοῦντος τῇ τοῦ ἀνέμου συγκρούσει. *Donacis vero exigui calami melos efficientis transverberatione venti.* Depingit Ovidius Metam. I.

> —— *Motos in arundine ventos*
> *Effeciſſe ſonum tenuem ſimilemque querenti.*

Nonnus Dionyſ. α'.

> Ἐμῶν δονάκων γὰρ ἀναίνεται ἔμπνοον ἠχώ.
>
> *Meorum donacum enim rejicitur inſpirata reſonantia.*

Ibidem ς'.

> Εἰαρινοῖς δονάκεσσι μελίζετο θῆλυς ἀήτης.
>
> *Vernis donacibus ſeu arundinibus modulabatur fœmineum flatum.*

Ibidem ιθ'.

> —— ὑπὲρ ποταμοῖο δὲ γείτων
> Ὀξυτενὴς σύριζε δόναξ δεδονημένος αὔραις.
>
> —— *trans fluvium vero vicina*
> *Sibilabat tenuis arundo commota ab auris.*

Ibidem κδ'.

> —— δόνακες γὰρ ἐπ' ἀλλήλοισι δὲ θέντες
> Ὑλετέρην εὔυδρον ἐλαγρίζουσιν ὀπώρην·
> Μὴ δόνακας φλέξειας ——
>
> —— *Enimvero arundines componentes*
> *Elevant veſtrum humidum autumnum.*
> *Arundines non aridas ſeu ambuſtas.*

Hinc Gloſſarium: Δόναξ, *harundo* & Euſtath. Iliad. κ'. Δόνακες δὲ, εἶδος καλάμου· λεπτοὶ καλαμίσκοι, οὓς οἱ μεθ' Ὅμηρον δαλοῦσι δονάκια παρὰ τὸ ῥᾶον δονεῖσθαι· δι' οὓς καὶ ποταμόμος που ἐν τοῖς ἑξῆς δονακοῦς· δῆλον δὲ ὡς οἱ δόνακες καλάμων μὲν λεπτότεροί εἰσιν. *Donaces vero ſpecies arundinis. Graciles arundines, quas Homerum ſequentes donacia appellant, propter motum facilem. Unde in ſequentibus fluvius eſt donaces ferens. Conſtat vero donaces arundines graciliores eſſe.* Quia vero ex fixa arundine ſæpius κρόταλα fieri probavi loco ſuo, hinc ipſa κρόταλα ita nominare haud verita eſt antiquitas. Iſtud præter Pollucem clare teſtatur citatus jam alias Nonni locus Dionyſ. γ'.

> Κύμβαλα βομβήεντα συνέκτυπε δίζυγι χαλκῷ
> Συμφερετοῖς δονάκεσσιν ——
>
> *Cymbala bombilantia ſonum ſimul edebant ære duplici*
> *Conſertis donacibus* ——

Idem Dionyſ. ιά.

> Καὶ δονάκων συνέχευεν ὅλον μέλος ——
>
> *Et donacum confundit ſeu immiſcuit totum melos.*

Idem libro I. eleganter:

> Σῶν δ' ὀλίγων δονάκων ἐχέτω κτύπον· οὐτιδανοῦς γὰρ
> Οὐ πλεκτοῦ καλάμους καλάμοις στοιχηδὸν ἐλίσσω·
> Ἀλλὰ κυλινδομένας νεφέλας νεφέλῃσι συνάπτων
> Οὐρανίοις πατάγοισιν ὁμόζυγα δοῦπον ἰάλλω.

Id eſt,

> *Tuorum vero exiguorum donacum ſonum tibi habeto: nam nullius pretii*
> *Et tortos calamos ad modulos cum calamis non confligo.*
> *Sed convolutas nubes cum nubibus contendere faciens*

Cœlestibus fragoribus parem sonitum emitto.

Hos eosdem paulo post, τερθινοὺς δόνακας appellitat seu *animum delectantes donaces*. Idem ιϛ',

Καὶ λιγυδοῖς δονάκεσσι γαμήλιον ἦχον ἀράσσων.

Id est,

Et streperis donacibus nuptialem sonum pulsando eliciens.

Idem libr. XLVII.

Καὶ δίδυμον κελάδημα δόναξ ἐλίγαινεν Ἀχαρνεὺς
Θλιβόμενος παλάμῃσιν ———

Et duplicem strepitum donax Acharnensis edidit
Conflictus manibus ———

Στρόμβοι crepitacula, quibus utebantur antiqui pastores ad cogenda pecora. Observavi ex Plutarcho Συμποσ. Προβλ. lib. VII. Ὡς γὰρ τὰ θρέμματα λόγου μὲν οὐ συνίησι διάνοιαν ἔχοντος σιγμοῖς δὲ καὶ ποππυσμοῖς ἀμελέσιν, ἢ σύριγξι καὶ στρόμβοις ἐγείρουσι ψ καπυνάζουσι. Et putabam referri debere ad genus quoddam crotalorum testaceorum, eo potissimum argumento, quod Aristoteli alicubi στρόμβος *concha* est. Sed erravi, ingenue fateor: melius fecissem, si omnino omisissem. Quis tamen ab hac ætate solidum in omnibus judicium desiderabit, quod raro viris, etiam Illustribus, contingit? Στρόμβοι nihil diversi a ῥόμβοις genus quoddam sistri seu turbinem denotantibus habent. Lexicon Græco-Lat. Στρόμβος, *turbo*. Eustath. Iliad. ξ. Στρόμβον δὲ τινὲς μὲν, ἄτρακτον νοοῦσιν ἀπὸ τοῦ στροβεῖσθαι καὶ δινούμενον περιφέρεσθαι. ἕτεροι δὲ τὴν παιζομένην βέμβικα, ἣν καὶ στρίβον βούλονται λέγειν οἱ ἰδιωτίζοντες· ἄλλοι, τὸν ῥόμβον· τινὲς δὲ λίθον στρογγύλον. *Strombum vero quidam colum esse existimant, quod torqueatur & motus circumagatur: alii trochum, quo ludi solet, quem quidam etiam cum vulgo loquentes stribam dici volunt: alii rhombus: aliis lapis rotundus explicant.* Descripsit hæc ad verbum Phavorinus in Lexico. Ego plura non addo, utpote in re & trita & a loco aliena.

CAPUT XVI.

Transitur a Græcis ad Romana & decimo sexto inter cymbala acetabula nominantur, Ὀξυβάφοις *similia. Alii usui abhibebant præstigiatores.* Ψηφοπαῖκται. Ψηφολόγοι. Κληροπαῖκται. Ψηφοκλέπται. *Acetabulari. Vasa ad acetum destinata. Mensuræ species.* Acetaforium. Acetallum.

ABsolvi, quicquid in Græcia cymbalorum potui invenire, & jam ad Latium me converto. Heic primo ordine locari poterunt Acetabula, instrumenta ænea vel argentea, suavemque concussa tinnitum reddentia. Isidorus Orig. lib. 3. *Acetabula ænea & argentea, vel alia, quæ metallico rigore percussa reddunt cum suavitate tinnitum.* Cassiodorus l. IV. Epist. ad Symmachum: *Quid acetabulorum tinnitus? Quid dulcissimi soni referam varia percussione modulamen?* Alii adhuc usui præstigiatores adhibebant hæc ipsa acetabula. Nempe celeritate ac dexteritate manuum e pluribus acetabulis, quæ in mensa exponebant, efficiebant, ut quos calculos sub uno acetabulo conditos putes, sub altero reperias. Hunc morem innuit Seneca Epist. XLV. *Qui interrogatur an cornua habeat, non est tam stultus, ut frontem suam tenet: nec rursus tam ineptus aut hebes, ut non habere se nesciat, quod tu illi subtilissima collectione persuaseris. Sic ista sine noxa decipiunt, quomodo præstigiatorum acetabula & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat.* Hausit Seneca comparationem dialecticæ cum fallaci illo ludo ex Arcesilao, ut putat Muretus. Is enim dicebat, τοὺς διαλεκτικοὺς ἐοικέναι τοῖς ψηφοπαίκταις, οἵτινες χαριέντως παραλογίζονται· *Dialecticos similes esse præstigiatoribus, qui gratiose argumentando fallunt.* Stobæus λόγῳ π'. Qui vero hoc præstigiarum genus exercebant a Græcis ψηφοπαῖκται, ψηφολόγοι, κληροπαίκται, ψηφοκλέπται, dicebantur. Atque hos interpretes, inducti, ut puto, illo Senecæ loco, communiter *Acetabularios* nominabant. Sextus Empiricus: Καθάπερ οἱ ψηφοπαῖκται τὰς τῶν θεωμένων ὄψεις δι' ὀξυχειρίαν κλέπτουσι, οὕτως οἱ ῥήτορες διὰ πανουργίαν τὰς τῶν δικαστῶν διανοίας ἀμαυρώσαντες τὸν νόμον συγκλέπτουσι. Vertunt: *Sicuti acetabularii spectantium oculos agilitate manuum suffurantur ac illudunt, ita & rhetores suis cavillationibus judicum animis tenebras offundentes suffurantur legi calculos suos.* Athenæus lib. I. cap. 15. Θεοδώρου ψηφοκλέπτου ἐν τῷ θεάτρῳ χαλκῆν εἰκόνα ἀνέθηκαν, ψῆφον κρατοῦσαν. Interpres:

Theo-

Theodori acetabularii in theatro æreum simulacrum populi decreto dedicarunt. Suidas: Ψηφολόγοι εἰσὶν οἱ ψηφοπαῖκται· ψηφολογικοὶ γοῦν οἱ πλανῶντες, καὶ ἀπατῶντες, ὥσπερ οἱ ψηφοπαῖκται τοὺς ὀφθαλμοὺς τῷ τάχει τῆς μεταθέσεως τῶν ψήφων ἀπατῶντες συναρμάζουσι. Latine: *Psephologi sunt acetabularii. Psephologi, qui decipiunt plani, quemadmodum acetabularii oculos celeritate transpositionis calculorum decipientes suffurantur.* Artemidorus lib. III. cap. 6. Ψηφοπαικτεῖν παραλογιζόμενον καὶ ψευδόμενον διὰ τὸ πολλὰς ψήφους κλέπτειν, καὶ ταύτας ἄλλοτε ἄλλας δεικνύειν, οὐ κατά τινα ἁπλοῦν λόγον, ἀλλὰ πανούργως, i. e. *Acetabularium agere paralogismis utentem & mentientem, eo quod multos calculos suffuretur, & jam hunc, jam illum ostendat, non secundum unum aliquem simplicem sermonem, sed subdole.* Innuit eosdem idem autor l. I. Ναύταις, ὀρχησταῖς, καὶ θαυματοποιοῖς μὴ ἔχειν τὰς χεῖρας οὐκ ἀγαθὸν, ἐπεὶ μὴ ἄνευ τούτων οὐκ οἷοί τε εἰσὶ ἐργάζεσθαι. *Nautas, saltatores & præstigiatores videre sine manibus, nefas. Sine manibus enim artificia sua exercere prorsus nequeunt.* Heic enim θαυματοποιοὺς pro ψηφολόγοις positos ex mente Bulengeri est, & rationem addit, quod manibus acetabula versent ψηφολόγοι, cum cæteri θαυματοποιοὶ ore, pede, reliquoque corpore frequentius utantur. Clarius eosdem innuit Gregorius Nazianz. in Athanasium: Ἀλλὰ ταυτὸν ἦν ψήφοις τε παίζειν τὴν ὄψιν κλεπτούσαις τῷ τάχει τῆς μεταθέσεως, ἢ κατορχεῖσθαι τῶν θεατρῶν παντοίοις καὶ ἀνδρογύνοις λογίσμασι, καὶ περὶ θεοῦ λέγειν τι, καὶ ἀκούειν καινότερον. *Sed idem erat calculis ludere decipientibus oculos celeritate transpositionis, aut omni genere effœminatarum rationum insultare auditoribus & de Deo aliquid novum dicere & audire.* Crederem hos Acetabularios eadem acetabula, quæ ad has præstigias adhibebant, etiam simul loco cymbalorum habuisse. Argumentum hoc est. Athenæus lib. XII. & alii cum eo κυβιστητάς, νευροσπαστάς, ψηφοπαίκτας; i. e. *Circulatores, machinatores, acetabularios* eodem loco ponunt. Circulatores autem iidem sunt, qui agyrtæ. Glossæ veteres: *Circulator*, ὀχλαγωγὸς, ἀγύρτης. Agyrtæ autem ii erant, qui matris Deum simulacrum circumferebant, & cum cymbalis atque crotalis circumstrepentes victum mendicabant, unde & μητραγύρται nominabantur, ut suo loco doceo. Sed dispiciant de hac re viri docti. Proprie acetabula sunt vasa aceto continendo destinata, quod ipsa nominis vis non obscure declarat. W. Brito in Vocabulario: *Acetabulum, vel acetarium vas est aceti. Unde in Exod. cap. 37. ubi fit mentio de acetabulis, dicit Glossa, quibus acetum ferebatur, sed quod nunquam vel raro occurrit de oblatione aceti, sic dicit Magister in Hist. Quidam dicunt acetabula, ubi scilicet fundebantur a Sacerdote, quæ debebant offerri, ut viderent, utrum accepta, id est, idonea essent, an non.* Ugutio: *Acetarium & dicitur acetabulum & acetasorium, quod ferat acetum, & appendat duodecim drachmas.* Testamentum S. Remigii apud Flodoardum lib. I. cap. 18. *Acetabulum argenteum pondo centum siclorum.* Apitius lib. VI. c. §. *Nullus oxyzomus. Hei acetabulum majorem satis modice, liquaminis acetabulum minorem, piperis scrupulos sex, petroselinum, porri fasciculum.* Designat etiam mensuram, quæ complectitur quartam heminæ partem, seu drachmas quindecim. Epist. Plinio adscripta ap. Marcellum ad XX. *Libris hordei adjiciantur tres libræ lini, seminis coriandri selibra, salis acetabulum. Ad unum liquaminis acetabulum aquæ septem mittas.* Plin. lib. XVIII. H. N. cap. 7. *Quocunque autem genere præparata vicenis hordei libris, ternas seminis lini & coriandri selibra, salisque acetabulum torrentes ante omnia miscent in mola.* Et clarissime l. XXI. *Cum acetabuli mensura dicitur, significat heminæ quartam partem, id est, drachmas quindecim.* Item Priscianus carmine de Cyatho:

> *Bis quinque hunc faciunt drachmæ, si appendere tentes:*
> *Oxybaphus fiet, si quinque addantur ad illas.*

Acetabula enim idem Latinis, quod ὀξύβαφα Græcis, ut jam ante monui. Glossæ: *Acetabulum*, Ὀξυβάφιον. Lexicon Græco-Latinum: Ὀξύβαφον, *Acetabulum.* Addere potes Celsum de re Med. lib. V. cap. 18. atque alios, quos passim & cumulatim invenies apud rei mensurariæ scriptores. Cito Scholiastæ in Juvenalem verba, sed corruptissima. In editione Clarissimi Henninii, cui maximas de Juvenale nitori suo reddito habemus gratias, aliquantum legitur emendatius: *quin jam tunc non erat, ut mesochori percuterent manibus.* Sed sic quoque quid intendat Grammaticus, obscurum est.

CA-

CAPUT XVII.

Decimo septimo testæ etiam cymbalorum usum habebant. Has in plausibus imitabantur, an his plausus? Utebantur iis, quibus meliorum copia non erat. Tales testas a pueris ori indi & inflari solitas λοπάδας vocabant.

ACetabulis jungo testas, genus cymbalorum sane non infrequens apud Romanos: Juven. Sat. XI.

> — *Audiat ille*
> *Testarum crepitus cum verbis, nudum olido stans*
> *Fornice mancipium quibus abstinet –*

Scholiastes loco citato, licet misere luxatus: *Testis nam antea percutiebant saltantibus pantomimis quidam ** huc non erat ut mesocori percuterent manibus*. Columella lib. X. cap. 7. *Testarum plerumque vulgo jacentium sonitu terreatur fugiens juventus*. Longe antiquior testarum usus in Græcia fuit. Nam jam Aristophanis in scriptis invenitur harum mentio. Ranis *v.* 2. 49.

> —Πᾶσιν ἡ τοῖς ὀστράκοις
> Αὑτὴ κροτοῦσα; —

Ubi est illa testulis crepitans? Aristoteles H. N. lib. IX. Διὸ ϗ κροτοῦντές φασιν ἀθροίζειν αὐτὰς εἰς τὸ σμῆνος ὀστράκοις τε ϗ ψόφοις. *Quapropter ajunt* (de apibus loquitur Philosophus) *eas crepitu convocari in alveare, testarum & plausuum*. Athenæus Deipnosoph. XIV. cap. 9. Δίδυμος δὲ φησιν εἰωθέναι τινὰς ἀντὶ τῆς λύρας κογχύλια ϗ ὄστρακα συγκρούοντας, ἔυρυθμον ἦχον τινὰ ἀποτελεῖν τοῖς ὀρχουμένοις, καθάπερ ϗ Αριστοφάνης ἐν Βατράχοις φάναι. *Didymus vero inquit, quosdam solitos lyræ vice conchis & testis complosis numerorum sonum saltantibus excitare, ut testatur & in Ranis Aristophanes*. Hesychius: Κρεμβαλιάζειν, κογχύλια ϗ ὀστᾶ ἅμα συγκροτοῦντας ἄῤῥυθμόν τινα ἦχον ἀποτελεῖν τοὺς ὀρχουμένους. *Crembala pulsare, id est, conchylia & ossicula concrepando in saltationibus musicum quendam sonum efficere*. Quæ totidem verbis repetit Phavorinus. Vides ex his omnibus saltantes cumprimis usurpasse hæc cymbala. Et quid si Gaditanæ? Quid si dicam a crumatis Hispanicis non longe abesse? in quam rem inductus sum autoritate Juvenalis, qui citato loco testarum crepitum cum Gaditanarum tripudiis immediate conjungit. Habes ipsa verba integra:

> *Forsitan exspectes, ut Gaditana canoro*
> *Incipiat prurire choro, plausuque probatæ*
> *Ad terram tremulo descendant clune puellæ,*
> *Irritamentum Veneris languentis & acres*
> *Divitis urticæ: major tamen ista voluptas*
> *Alterius sexus. Magis illa extenditur & mox*
> *Auribus atque oculis concepta urina movetur.*
> *Non capit has nugas humilis domus: audiat ille*
> *Testarum crepitus* —

Lietum tamen de hac re cuique sit judicium. Certe a vulgaribus tantum mulierculis usurpabantur, siquidem parvi pretii & tenuioribus modo adhibitæ, psaltriis cum primis, quibus lyræ & similium organorum copia non erat. Enarrator Aristophanis: Ἀπορίᾳ λύρας ὄστρακα τινὲς λαμβάνοντες ἦχον μὲν ἀπετέλουν, ἄσημον δέ. *Quosdam in defectu lyræ ostracis seu testis sumtis efficere sonum, sed ignobilem & obscurum*. Idem ex Didimo: Δίδυμος δὲ προστίθησιν, ὅτι εἰώθασιν ἀντὶ λύρας κογχύλια ϗ ὄστρακα κρούοντες εὐρυθμόν τινα ἦχον ἀποτελεῖν τοῖς ὀρχουμένοις. *Didymus vero scriptum reliquit, quod consuetudo sit loco lyrarum conchylia & testas pulsando a saltantibus musicum quendam effici sonum*. Has in plausibus imitabantur, non vero his plausus, ut quondam putavimus. Suetonius Neron. §. 20. *Adolescentulos equestris ordinis undique elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent (bombos & imbrices & testas vocabant) operamque navarent cantanti sibi*. Aristænetus lib. I. Epist. 10. Ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεσταλμένοις, ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν ἔπληττεν εἰς τὸ κοῖλον, ἵνα ὦσιν αἱ χεῖρες ἔυφωνοι συμπληττόμεναι τρόπον κυμβάλων. *Dextera contractis digitis cavitatem sinistræ manus subjectæ ferit, ut manus sint consonæ, imitantes modum cymbalorum*. Corippus l. 2. talem ritum plausum describit:

> *Emittunt dextras pariter, pariterque remittunt,*
> *Ingeminantque cavos dulci modulamine plausus.*

Plin. lib. 2. Epist. 14. *Pudet referre, quæ quam fracta pronuntiatione dicantur; quibus quam teneris clamoribus excipiantur. Plausus tantum ac potius cymbala & tympana illis canticis desunt*. Quanquam hic locus

locus & aliter explicetur. Philoſtrat. Icon. lib. I. in cone Comi: Μιμεῖται τινα ἡ γραφὴ καὶ κρότον, ὃ μάλιστα δεῖται ὁ Κῶμος· καὶ ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεσταλμένοις, ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν πλήττει ἐς τὸ κοῖλον, ἵν' ὦσιν αἱ χεῖρες ξύμφωνοι, πληττόμεναι τρόπῳ κυμβάλων. Patet ergo falli Brodæum Miſcell. IX. cap. 17. qui putat intelligendos Juvenalem & Suetonium de vaſis quibuſdam teſtaceis, quæ parietibus infarciebant, ut exceptum hominum ſpectantium plauſum cum harmonia quadam redderent. Quin & adagium eſt apud Græcos: *Teſta teſtæ colliſa*, quod monet Eraſmus adag. pag. 706. Autor illius eſt Ariſtophanes in Pace:

> Καὶ πίθος πληγεὶς ὑπ' ὀργῆς ἀπηλάκτισεν πίθῳ.
>
> *Ac recalcitrans per iram teſta teſtam vulnerat.*

Neſcio tamen, an ad hunc ritum collimet optimus poeta. Eraſmus de ollis interpretatur. *Talis*, ait, *eſt fere conflictatio rerum inter ſe belligerantium*, *qualis ollæ cum olla coliſio. Nonnunquam perit uterque*, &c. Vid. l. c. *Plauſum etiam quendam imitatur*, *pictura*, *cujus maxime indiget Comus. Nam dextra contractis digitis ſubjectam ſiniſtram ad cavum plectit; ut manus cymbalorum more percuſſæ conſonæ fiant.* Talis plauſus dicitur *compoſitus* Tacito Annal. XVI. *Et plebs quidem urbis hiſtrionum quoque geſtus juvare ſolita perſonabat certis modis plauſuque compoſito.* Quem cum Pompejus in ſomno lugubriorem audiviſſe ſibi videretur, malum iſtud ei omen fuit. Florus IV. c. 2. *Dux ipſe & nocturna imagine theatri ſui audiens plauſum in modum planctus circumſonare*, *& mane cum pullo*, *nefas! apud principia conſpectus eſt.* Teſtarum item quoddam genus erat, quod λεπάδας nominabant, ſimile his de quibus dicimus. Has pueri ori indere, inflare & ſonum tibiis ſimilem elicere inde ſolebant. Athen. lib. III. cap. 9. de his λεπάσι verba faciens: Τὰ παιδάρια, inquit, δὲ ἡνίκ' ἂν εἰς τὸ στόμα λάβωσιν, αὐλεῖν ἐν ταύταις καὶ παίζειν, καθάπερ καὶ παρ' ἡμῖν τὰ σπερμολόγα τῶν παιδαρίων ταῖς καλουμέναις Τελλίναις. *Puellulos enim inditis ori lapidibus ſonare & laſcivire*, *quemadmodum & apud nos dicaculi & procaciores adoleſcentuli conchis*, *quas Tellinas vocant.* Et citat in hanc rem Sopatrem Phlyacographum, qui in fabula Enbulotheombroto ita ſcripſerat:

> Ἀλλ' ἴσχε· τελλίνης γὰρ ἐξαίφνης, μέ τις
> Ἀκοὰς μελῳδὸς ἦχος εἰς ἡμᾶς ἔβη.
>
> *At reſiſte: nam e Tellina repente quidam*
> *Aures ſuavis venit ad meas ſonus.*

CAPUT XVIII.

Imbrices decimum octavum locum occupant. Cymbala lapidea, quorum ſonitum plaudentes exprimebant. Plauſus imitabantur organa muſica, tibias & cumprimis cymbala.

IMbrices invenio in uno Suetonii loco, quem ſuperiore capite citavi ex Neronis §. 20. *Qui diviſi in factiones plauſuum genera condiſcerent (bombos & imbrices & teſtas vocabant.)* Ne mirare lector, quod ex hoc loco, ex quo, qui minus attente tuetur, quidvis aliud potius faciat, imbrices cymbalis vindicare aggrediar. Si nihil aliud haberem, quod dicerem, ita tecum agerem. Probarem in plauſibus nihil frequentius fuiſſe, quam imitationem organorum muſicorum, quod cum ex aliis, tum ex hoc loco manifeſtiſſimum eſt. Uti enim teſtas jam ſupra cymbala eſſe evici, ita bombi certe ad tibias referendi, quod nemo, qui Græcas literas vel primis labris deguſtavit, inficias ibit. Præcipue cymbalicam imitationem hic plurimum valuiſſe aſſererem, quod vel ipſum crotali etymon a κροτέω plaudo omnino educendum innuit. Dicerem, ubi cætera hic duo plauſuum genera inſtrumenta muſica imitantur, ſolos imbrices fruſtra excipi, hos vero ad nullam Muſices partem commodius quam ad crumaticam referri poſſe. Denique autoritate virorum Clariſſimorum, atque inter illos τοῦ πάνυ Iſaaci Caſauboni Viri incomparabilis & cujus nomen ipſum tacita quadam veneratione amplector, me involverem. Sed reſtant alia, eaque potiora & validiora. Lapides ſcilicet & abſciſſa ſaxis fruſtula cymbalorum in modum in omni Græcia uſitata reperio. Hermippus Comicus apud Athenæum: λεπάδας δὲ πετρῶν ἀποκόπτοντες κρεμβαλίζουσι. *Petrarum vero lepades abſcindentes crembala pulſant.* Ariſtophanes in Nephelis:

> — Στ. ἔτι δὴ τί κερδανῶ;
> Σω. λέγειν γενήσει τρῖμμα, κρόταλον, παιπάλη.

Vertit Friſchlin:

> — *Sed lucri quidnam hinc aufero?*
> *Fies in dicendo tritus*, *crepitaculum*,
> *Pollen.* —

Et

Et clarius hanc rem explicans Scholiastes ejus: Ταῦτα δὲ λέγων λίθους συγκρούει ἄνωθεν αὐτοῦ· τρίμμα οὖν εἶπε διὰ τὸ τρίβεσθαι τοὺς λίθους· κρόταλον δὲ διὰ τὸ κρούεσθαι αὐτῶν· παιπάλη δὲ διὰ τὴν τραχύτητα· ἐπὶ παίπαλα καλοῦμεν τὰ δύσβατα· ἄλλως· ταῦτα λέγων ἅμα ὁ Σωκράτης εἰς τὰ θύματα παρατρίβων ὀρεινοὺς λίθους καὶ κρούων πρὸς ἀλλήλους συναγαγὼν τὰ ἀπὸ τούτων τραύσματα, βάλλει τὸν πρεσβύτην, καθάπερ τὰ ἱερεῖα οἱ ταῖς οὐλαῖς θύοντες· *Illa vero dicens lapides confligit super ipsum*, τρίμμα *ergo dixit ab attritu lapidum*, *crotalum vero*, *quia confligitur*. *Pollen vero ob asperitatem*, *solent enim ita appellari difficilia*. *Aliter*: *Illa dicens Socrates*, *simul conterens in sacrificia montanos lapides & confligens*, *colligensque lapidum particulas conjicit in senem*, *quemadmodum solent*, *qui sacrificant mola salsa*. Itemque Eustathius in Iliad. ῡ commentario: Τῷ δὲ ῥηθέντι ἐπιτρίπτῳ, παρωμοίωται καὶ τὸ παρὰ τῷ κωμικῷ τρίμμα συγγενὲς ὂν τῷ ἐξ ὀπτῆς λίθου κροτάλῳ. *Quod vero dicat attritus*, *istud convenit cum illo Comici* τρίμμα, *quod coincidit cum crotalo facto ex tosto lapide*. Addo Suidam, ex quo sua quoque Aristophanis Scholiastes: Τρίμμα δὲ ἀρωμάτων πόμα ταῦτα λέγων ὁ Σωκράτης, ὥσπερ εἰς τὰ θύματα λίθους παρατρίβων πυρίνους καὶ κρούων πρὸς ἀλλήλους, συναγαγὼν τῷ τούτων θραύματι, βάλλει τὸν πρεσβύτην αὐτοῖς, καθάπερ τὰ ἱερεῖα ταῖς οὐλαῖς οἱ θύοντες. καὶ διὰ τοῦτο παίζει τοῖς ὀνόμασι. Τρίμμα μὲν αὐτὸν ἔσεσθαι λέγων παρὰ τὸ τρίβειν καὶ θίγειν πρὸς ἀλλήλους τοὺς λίθους· κρόταλον δὲ παρὰ τὸ προσκρούειν τοὺς λίθους ἑαυτοῖς· παιπάλην δὲ διὰ τὴν ἐκ τούτων ἐκπίπτουσαν λατύπην· καλοῦμεν δὲ, τῶν ἀνθρώπων τοὺς κακεντρεχεῖς καὶ μὴ ἁπλοῦς περιτρίμματα, καὶ πολυκρότους, καὶ κρόταλα· ὅθεν καὶ τὸν πρῶτον στίχον Ὀδυσσείας οὕτως ἀξιοῦσι γράφειν τινές· ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύκροτον. Docta est Æmilii Porti in hunc locum paraphrasis, quam propterea integram addo. „ Τρίμμα. Intritum. Potus ex aromatibus confectus.
„ *Item homo in rebus tritus*, *exercitatus*
„ *ac veterator*. *Arist. in Nubibus p.* 74.
„ *v.* 2. *Schol. annot* 1. *&* 2. *item in Avi-*
„ *bus p.* 385. *v.* 4. Socrates *autem* hæc
„ dicens tanquam ad victimas *immolandas*
„ montanos lapides atterens & inter se
„ collidens, fragmentis inde collectis se-
„ nem *Strepsiadem* ferit, quemadmodum
„ illi, qui sacrificium faciunt, victimas
„ mola salsa *feriunt aspergentes*, *l.* λί-
„ θους ὀρεινοὺς & συναγαγὼν τὰ ἀπὸ τούτων
„ θραύσματα. *Sic enim in Schol. recte*.
„ Et propterea nominibus jocatur, dum
„ ipsum τρίμμα quidem fore dicit, *hoc*
„ *est*, *dicendi peritum & in dicendi facul-*
„ *tate versatum*, *exercitatum*, *ac in ea*
„ *quodammodo tritum & attritum*, *allu*
„ *dens* ad verbum τρίβειν, &c. Quod la-
„ pides terantur & tangantur, dum in-
„ ter se colliduntur, *quasi subindicaret*,
„ *illum istorum lapidum instar collisum ac*
„ *attritum iri*. κρόταλον vero *vocat*. *i*. *cro-*
„ *talum sive crepitaculum*, quod lapides in-
„ ter se collisi, sonum ac strepitum edant,
„ *quem solum ac strepitum loquens imita-*
„ *retur Strepsiades*, *eloquens factus*. Παι-
„ πάλην vero i. *tenuissimum farinæ florem*,
„ *vel tenuissimum pulverem* propter te-
„ nuissima frustra ex his *lapidibus collisis*
„ excidentia. Vocamus autem homines
„ ad vitiositatem pronos & *astutos &*
„ *malitiosos* neque simplices περιτρίμματα,
„ quasi dicas undique trita ingenia i. *quæ*
„ *in omni calliditatis ac fraudis genere sunt*
„ *exercitata* & πολυκρότους i. multistrepos,
„ sive valde strepentes, vel multicrepos
„ & κρόταλα crepitacla. Quamobrem et-
„ iam quidam primum Odysseæ versum
„ ita scribendum censent: Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύκροτον i. Virum mihi
„ dic Musa multicrepum. Hactenus Æ-
„ milius Portus. Ni fallor, quanquam somnians, huc alludere videtur Pro-
„ pertius lib. III. Eleg. 2.

> *Dixerat, & plectro sedem mihi monstrat eburno,*
> *Quæ nova mansuro semita facta solo est.*
> *Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,*
> *Pendebantque cavis tympana pumicibus.*

Tonus autem, quem lapidea hæc cymbala edidere, videtur dictus fuisse κόναβος. Eustathius. Iliad. σ'. Ὁ δὲ κόναβος καὶ τὸ κοναβίζειν καὶ κοναβεῖν, διφορεῖται γὰρ καὶ αὐτὸ, ἦχός ἐστι ξηρῶν πεπληγότων· ἢ μᾶλλον κοινότερον εἰπεῖν, ἦχος σωμάτων ξηρῶν. Non moratur, quod prius dicat ξύλων ξηρῶν: nam deinde quoque addit, σωμάτων ξηρῶν· ξηρῶν vero etiam lapidum epitheton esse, idque minutorum docent Lexicographi.

CAPUT XIX.

Ultima duo cymbalorum genera addita. *Crepitacula*, *cymbala infantum*. *Vox tamen latior*. *Naulia*. *An Naublia*? Ovidii lectio adseritur. Ναῦλαι.

Crepitacula, seu *crepitacilla* sunt crotala infantum, quæ a *crepitu* suo *crepundia* quoque dicebantur. Glossarium: *Crepitaculum*, ποδοψόφιον, κρόταλον. Testimonia rei ampliora hauriet qui caput decimum sextum libri ultimi consulet, ubi

πλα-

πλαταγώνια & crepitacula sistendo infantium ploratui usitata enarramus. Latioris tamen significationis hæc vox fuit, unde & sistra ita appellata apud Martialem invenies lib. XIV. Epigr. 54.

> —— *Crepitaculum*
> *Si quis plorator collo tibi vernula pendet,*
> *Hæc quatiat tenera garrula sistra manu.*

Ultimo loco do Naulia, sed vindicanda prius nobis, utpote ab aliis in dubium vocata, ab aliis omnino ex cymbalorum numero extrusa. Qui memorat ea, quod sciam, solus est Ovidius de arte amandi lib. 3.

> *Disce etiam duplici genialia Naulia palma*
> *Vertere, conveniunt dulcibus illa jocis.*

Valde hæc implicita videntur Pignorio, & ut illi placet dicere, *egent aliquo Alexandro, qui non gladio dissecet, sed explicet calamo & dissolvat*. Tentavit Vir præclarus, Theologus Dordracenus. Nimis tamen violento, ut existimo, conamine non tantum non secuit hunc nodum, sed ex implicato implicatiorem reddidit. Substituit pro *Naulio*, *Nablium*, seu νάβλαν instrumentum a Judæis ad Græcos translatum, & cujus toties meminit in scriptis Athenæus. Sed aut valde a scopo aberro, aut ille cæcutit, qui hic non aliquod genus cymbalorum describi videt. Primo *duplicem palmam* & exinde duplex organum agnosce. Stat. Thebaid. VIII.

> —— *Gemina æra sonant*

Ovid. Fastor. IV.

> *Æraque tinnitus ære repulsa dabant.*

Ita vero *verti* scribit, id est, *variis modis jactari*, *susque deque ferri*. Martialis de cymbalista Gaditano:

> *Qui movet in varios brachia versa modos.*

Et ostendunt clarius statuæ, quas alibi proponimus. Denique *conveniunt dulcibus illa jocis* & ludis meretriciis, quod nemo negat & nos alibi probamus. Si recte sentio horum organorum motrices Ναύλας Græcia nominavit. Videtur ex Philemone probare Julius Pollux Onomast. IV. 9. Ἀλλὰ μὲν καὶ ναύλας μνημονεύει Φιλήμων.

> Ἔδει παρεῖναι, Παρμένων, αὐλητρίδ᾽ ἢ
> Ναύλαν τιν᾽ ——

Cæterum & Naulæ meminit Philemon:

> *Adesse hic, Parmeno, oportebat tibicinam aut*
> *Naulam quandam.* ——

CAPUT XX.

Καλύβη *an cymbalum?* Negatur contra Scaligerum, laudatur Salmasius. *Calybæ pergulæ sunt, quales in meritoriis tabernis struebantur: ædiculæ item in interiore templorum parte, in quibus Deorum erant simulacra & pulvinaria*. Καλυβίτης, θαλαμήπολος. *Tandem & tuguria* καλύβαι *sunt.*

Καλύβας cymbala esse putavit vir omni laude major, & cui parem vix unum aut alterum, majorem neminem videre nostra sæcula, Josephus Scaliger, ad locum illum Copæ seu Virgilianæ seu cujusvis alium:

> *Sunt copia & calybæ, cyathi, rosa, tibia, chordæ,*
> *Et trichila umbrosis frigida arundinibus.*

„ Καλύβη, inquit, est sonus sive crepitus „ crumatum. In lib. 3. Antholog. cap. „ εἰς γυναῖκας: ἡ καλύβη καὶ δῶπος ἐνέπρε- „ πεν. Καλύβη, τὰ κρέματα vel κρόσματα. Et in sequenti epigrammate:

> „ Ἡ κροτάλοις ὀρχηστὶς ἀρίστιον, ἡ παρὰ πλάκαις
> „ Καὶ καλύβῃ πλοκάμους εἴδεαι ἐπισαμένη.

„ Hoc nomen penitus in Gallia retine- „ tur. Nam *Calybarium* in omni Galli- „ co idiomate est crepitus æris aut va- „ sorum æreorum rudi ænea aut radio „ percussorum.“ Hæc Scaliger. Possem jam securus supersedere meo in refutando labori, quem Vir Incomparabilis & de tanto grege fere solus cum Magno Scaligero committendus, docte Jupiter! & sufficienter refutavit. Faciam tamen hac vice ejus argumenta mea, tum quia Commentaria ejus in Historias Augustas non nisi in doctorum manibus versantur, tum ne videar interrupisse aliquatenus seriem operis hujus, quo minus perfectum sit, & videbo præterea, si quid in hac causa notatum mihi est. Habes verba Viri Illustris: „ Male vir summus, ita „ ut

„ ut pejus non potuerit, *calybam* hoc est „ καλύβην in eodem Copæ carmine exponendum censet de sono vel crepitu „ æreorum vasorum baculo ferreo pulsatorum, quod vulgo in Gallia *caribarium* appellamus. Ipse antem *calybarium* putat appellatum a *calyba*, quæ „ vox sonum & tinnitum æris percussi „ significat. Sed quis autor unquam vel „ Græcus vel Latinus, hanc significationem voci καλύβη attribuit? Quis *calybam* in eo sensu ac notione usurpavit? „ Sane aliter accipi debet in hoc ipso „ poemate de Copa. Sic enim versus ille scribitur in antiquis membranis:

„ *Sunt topia & calybæ, cyathi, rosa, tibia, chordæ,*
„ *Et trichila umbrosis frigida arundinibus.*

In editis namque, inter quos & meus codex Basileæ 1586. impressus, ita legebatur: *Sunt cuppæ, calices, cyathi, rosa, tibia, chordæ, Triclina umbriferis frigida arundinibus.* „ Sed pergit: Copa ut transeuntes alliciat ad divertendum in suam „ tabernam, omnia tabernæ bona & delicias enumerat. Sunt heic, inquit, in „ mea taberna topia, calybæ, cyathi, „ rosæ, tibiæ, barbiti, citharæque & trichilæ sive porticus virides & alia multa, quæ ibidem memorantur, bibentibus accommoda, & iis, qui genio volunt indulgere. Ibi calybæ nihil aliud „ sunt, quam quod semper omnis Græcia nomine καλυβῶν intellexit, pergulæ nempe & attegiæ, quales in meritoriis tabernis vulgo fieri solebant, „ in quibus ganeones potarent. Hujusmodi καλυβῶν, quæ in diversoriis ad „ hunc usum struebantur, meminit Harmenopulus lib. II. Tit. IV. Περὶ καπηλείας· μὴ ἐξεῖναι δὲ τῷ τὸν οἶκον ποιοῦντι „ ἐν νέῳ καλύβην ποιεῖν ἢ ςιβάδας, ἢ ψιάθια πρὸς τὸ τοῖς πίνειν ἐθέλουσι διδόναι ἐν „ τῇ Ῥώμῃ ἢ τῇ ἀγορᾷ, ἀλλὰ μόνον ἔσω ἐν „ τῷ οἴκῳ τὴν τοῦ καπηλείου χρῆσιν. At in „ Græco epigrammate aut vox καλύβη „ mutanda est aut aliter exponenda, sic „ autem legendum videtur:

„ Ἡ Κυβέλη καὶ δῆπος ἐνέπρεπεν, ἡ φιλοπαίγμων
„ Στωμυλίη, μήτηρ ἣ ἐφίλησε θεῶν.

„ Sic enim & in sequente Epigrammate:

„ Ἡ κροτάλοις ὀρχηςεὶς Ἀείσιον, ἡ περὶ πεύκαις
„ Καὶ Κυβέλῃ πλοκάμους ῥίπτειν ἐπιςαμένη.

„ Utrumque enim epigramma de mulieribus scriptum est Cybeles ministris, „ quæ in ejus honorem caput jactabant, „ & cum crotalis atque cymbalis saltabant. Quod si utrobique legimus καλύβη, ut in priore epigrammate scriptum exhibent etiam vetustissimæ membranæ, quas vidimus, καλύβη non erat „ sonitus crumatum, ut censebat vir summus, sed παςὰς, & θάλαμος matris „ Deum, circa quam saltabant hujuscemodi mulieres ministræ, & θαλαμηπόλοι Cybeles cum tympanis & crotalis, caputque jactabant bacchabundæ. Epigramma Græcum:

„ Ἀγρυλὶς ἡ φρυγὶη θαλαμηπόλος ἡ περὶ πεύκας
„ Πολλάκι τὰς ἱερὰς χευαμένη πλοκάμους.

„ Καλύβη igitur idem quod παςὰς & „ θάλαμος. Hesychius: Καλύβη, σκηνὴ, „ παςὰς· κάλυβος, παςός· Καλύβαι oeci „ erant in interiore ac secretiore sacratioreque templorum parte, in quibus „ Deorum pulvinaria & simulacra. Unusquisque Deorum suam καλύβαν habebat, & in ea suum pulvinar & simulacrum: θάλαμον etiam dicebant, unde θαλαμηπόλος Dei minister, qui „ & πρόπολος. Sic ergo accipienda καλύβη in Græco illo epigrammate, quod „ paulo ante adduximus de *calyba* & thalamo matris Deum. Ita etiam καλύβη „ accipi debet in hoc oraculo:

„ Εἴπατε τῷ βασιλῆϊ, χαμαὶ πέσε δαίδαλος αὐλά
„ Οὐκέτι φοῖβος ἔχει καλύβαν, οὐ μάντιδα δάφνην,
„ Οὐ παγὰν λαλέουσαν, ἀπέσβετο καὶ λάλον ὕδωρ.

„ Templum Apollinis Delphici cecidisse „ ac penitus eversum esse, nec Phœbum „ amplius suam καλύβην habere, hoc oraculo significabatur, quod aliquando Oribasio redditum est, quem Julianus miserat ad Apollinem Delphicum consulendum. Ὁ καλυβίτης, i. e. θαλαμηπόλος, non autem κρυματοποιός. Hinc Gallum matris Deum sacerdotem, calybitam vocat autor Copæ:

„ *Huc Calybita veni, vester jam sudat asellus,*
„ *Parce illi, vestrum delicium est asinus,*

Meus & alii codices hic *Alybita* legebant, vetustiores etiam *Alibide*, & inter-

terpretes explicabant: *Alybidum nomen aliquod Sileni proprium esse*. Weitzius ait, Turnebum jam ante errorem hunc refutasse. Sed labitur forte memoria, hunç enim hactenus in Adversariis ejus frustra quæsivi. Sed audiamus, qua ratione explicet Salmasius: „ *Calybita* est idem quod „ θαλαμηπόλος ὁ περὶ τὴν καλύβην τῆς Κυ„ βέλας ἀναστρεφόμενος, ὁ τῆς καλύβης ἐπιμε„ λόμενος, quasi dicas cubicularium ma„ tris Deum. Nam & pulvinaria & le„ ctos suos in illis thalamis structos & „ stratos habuisse veterum Numina & „ notissimum est, & alibi pluribus osten„ dam. *Calybitam* igitur malim in illo „ versu Galum matris Deum Cybeles „ aut Syriæ Deæ θαλαμηπόλον interpre„ tari, quam tabernarium, qui calybas „ meritoriarum tabernarum frequentet. „ Etsi sciam in tabernis & ganæis plu„ rimum olim versari solitos hujusmodi „ semiviros Cybeles Syriæ Deæ sacerdo„ tes atque administros. “ Καλύβας quoque Casas & Tuguria seu Mapalia pastorum designare ex Glossis viri Illustris Caroli Labbæi notavi: Καλύβη, *Casa*, *Tugurium*, *Pergula*. Aliæ: Καλύβαι, *Mappalia*, *Magalia*. Aliæ: Καλύβαι ἀφρῶν, *Magalia & Mapalia*. Aliæ: Καλύβιον, *Casula*, *Tugurium*. Hinc apud Achill. Tat. lib. IV. Εἰσὶ δὲ τῶν νήσων τινὲς καλύβας ἔχοντες: *Insularum quædam tuguria habent*. Qui idem lib. V. καλύβην pro cubiculo nautico sumit: Ἴδια δὲ ἐμοὶ καὶ τῇ Μελίτῃ καλύβη τις ἦν ἐπὶ τοῦ σκάφους περιπεφραγμένη. *Erat vero mihi & Melitæ singulare cubiculum in navicula adsignatum*.

CAPUT XXI.

Σεῖστρον *an cymbalum*? Hesychius rejicitur, Locus Esaiæ examinatur. Bochartus, Huetius refutantur. Ἄσκαρος *an crotalum*? Polluci contra Hesychium & Rhodiginum calculus additur. *An Pelyx & Spadix huc transcribi possint?* Negatur.

Sistro seu σείστρῳ inter cymbala locum dat Hesychius in Lexico: Σεῖστρα κόσκινα, ἢ κύμβαλα. Secuti sunt autoritatem viri antiqui, non pauci recentiorum, quorum principem puto Valerianum Hieroglyphicorum scriptorem. Inconsulte omnino, quod nemo diffitetur, qui formam legit sistri graphice ab antiquissimis scriptoribus depictam. Cui scilicet non dictus Hylas præclara sistrorum apud Apulejum & Plutarchum libro de Iside & Osiride descriptio? His addi possunt Virgilii enarratores ad 8. Æn. & Statii in Sylvis de Hercule furent. Dicam breviter. *Sistrum erat crepitaculum oblongum ex curvatis laminis in modum balthei constans, per quas transibant duæ tresve virgulæ ferreæ, quæ cum moveretur sistrum, sonorum edebant strepitum*. Qui dubitat de veritate, adeat nummos & veteres picturas nullibi non obvias apud Casalium, Pignorium, Tristanum, Choulium, Cuperum & infinitos alios. Unum addo ex solo Pignorio frequentissimum exemplar, quo cum reliqua fere omnia conveniunt. Putant tamen descendi posse cum magno Bocharto, non pauci sistra inter cymbala, & fundaminis loco adducunt locum Jesaiæ Prophetiæ capite XVIII. vers. I. הוי ארץ צלצל כנפים אשר מעבר לנהרי כוש: Latine: *Væ terræ umbrosæ oris, quæ secundum flumina Æthiopiæ*. Ita optimi interpretes, sed non ex sententia laudati Bocharti. Illi enim צלצל כנפים *sunt cymbala orarum*. Frustra ut opinor, cumprimis quia eadem per sistra explicare contendit, quod nollem excidisset viro incomparabili & Theologo vere literato. Nec enim potuit ignorare sistra aliter longe a cymbalis differre quam solo margine, quem ferrea lamina constituebat. Deme hunc marginem, ecquid remanebit nisi virgulæ duæ tresve oblongæ, ut paulo ante satis explanavi. Sed videamus etiam in cæteris ita explicandi difficultatem.



Non jam moror interpretum dissensiones, quæ ipsæ sunt diversissimæ. Istud tantum dico, non Ægyptum, sed Æthiopiam hic innui, in qua cymbala pulsata esse nemo unquam autorum dixit. *Secundum flumina Æthiopiæ*, vertit cum Junio Tremellius. Et capite sequenti proxime Spiritus Sanctus væ dicit terris Ægypti, non hoc. Un-

Unde illius quoque inscriptio est τοῖς ὁ: Ὅρασις Αἰγύπτου. Iidem tamen soli sunt, qui videntur aliquid pro Ægypto in hoc versu intelligenda attulisse. Vertunt enim ita: Οὐαὶ γῆς πλοίων πτέρυγες, ἐπέκεινα ποταμῶν Αἰθιοπίας. Nam istud ἐπέκεινα per *cis* redditur, ut ausus est statuere vir cætera doctus, plane contra genium linguæ Græcæ. Ἐπέκεινα enim omnium autorum consensu *ultra*, nequaquam vero *cis* reddendum est. Sic invenies esse, si conferes loca Herodianus lib. 2. Οἱ τε ἐπέκεινα Τίγριδος καὶ Εὐφράτου σατράπαι. *Et Satrapæ trans Tigridem atque Euphratem*. Arrianus lib. 6. Κατὰ τὰ ἐπέκεινα τοῦ κόλπου ἐς τοὺς Σκύθας. *Trans illum sinum apud Scythas*. Isocrates: Ἐν τοῖς ἐπέκεινα χρόνοις. *In superioribus temporibus*. Sed etiamsi id esset, quis tamen cum Hebraico textu id convenire contenderet, quod cum res ipsa negat tum τοῖς ἑβδομήκοντα nihil novi est? Liberalis tamen sum, concedo Bocharto hæc omnia, unum tamen mihi posco, nempe ut convincat me de ipsa rei veritate, & doceat, qua ratione *sistra* sint *cymbala orarum* sive cymbala cum oris. Sed satis in illo campo desudavimus. Alia ratione tentat Magnus Huetius hunc locum cymbalis vindicare, atque in hanc rem ita disserit: „ Isis Mariæ perinde ut Sephoræ effigies & Isiaci sistra gerunt, atque hujus instrumenti nota etiam Ægyptus ipsa designatur. Quamobrem Isaias eam appellat: *Terram cymbali alarum*. Cymbalum alarum Hebraice צלצל כנפים significat cymbalum alatum, ut avis alæ, avem alatam; arbor fructus, arborem fructiferam; corpus mortis hujus, corpus hoc mortale; urbs muri, urbem muro cinctam; vas electionis, vas electum; caro peccati, carnem peccato obnoxiam; odor suavitatis, odorem suavem; Spiritus promissionis, Spiritum promissum; verbum veritatis, verbum verum, & apud Plautum Sarapis sementium, Sarapidem sementinum, & scelus pueri puerum scelestum, & deliciæ pueri, suavissimum puerum, & cibus perennitatis cibum perennem; forma amænitatis, formam amænam, apud Manilium & Martialem pectus amicitiæ, pectus amicum, &c. Cymbalum autem alatum est sistrum, cujus appellationis causam scire licet ex nummis & marmoribus, quæ sistri formam exhibent. Sistrum formæ esse in lateribus rotundæ in summitatibus acutæ. Ex utroque latere eminent crepitaculorum quorundam capita, tanquam alæ. Manubrium caudæ; summitas opposita rostri figuram „ gerit: totumque sistrum avis speciem „ quandam refert. Inde Minutius Felix „ appellat: *Ad hirundinem sistrum*, h. e. „ sistrum hirundinum seu hirundinis forma. Pari locutione dixit: *Ad vindemiam ferias*, h. e. ferias vindemiales. “ Hæc ille: quæ quamvis videantur admodum probabilia, calculum tamen iis addere nondum a me impetrare possum, quod sistra & cymbala instrumenta sint & forma & sono & utendi ritu diversissima. Formam ex adjecta imaguncula judicare licuerit, quæ in nummis, lapidibus, &c. sæpissime obviam fit. Sonus inamœnus, stridens magis quam tinniens. Utendi ritus præcipue in sacris Ægyptiorum: in alias regiones sero venerunt. Sed de his ab aliis alio loco dicitur. Aliud certamen subeundum. Istud mihi movet vir ad sui ævi modulum præclare doctus Ludovicus Cælius Rhodiginus, novum aliquod cymbalorum genus, ἀσκάρους suggerens. Non sum avarus, & quæ ad me non pertinent, nunquam mihi vindicabo, quod commune hominum vitium esse solet. Ille vero ne sine ductore peccasse & errasse existimetur, voluit longe ante eum jam persuadere Hesychius, cui: Ἄσκαρος γένος ὑποδημάτων ἢ σανδαλίων· οἱ δὲ κρόταλα. Bene. An quis præterea? Lepidus ejus descriptos Phavorinus neutiquam id omisit, sed corrupte apud eum pro ἄσκαρος legitur ἄσαροι. Error profectus est ex soni similitudine, quæ erat inter crotala & ascara. Ascaron autem ipsum citharæ quoddam genus fuit. Musonius Philosophus de luxu Græcorum: *Psithyra Libycum est inventum, maximeque Troglodytarum, cujus facies triangularis visebatur. Hanc nonnulli nihil ab Ascaro differre existimant. Hoc autem erat quadranguli & cubitali forma distentas habens chordas, quæ circumvolutæ sonum edebant crotali similem*. Quam rem hausit ex Julio Polluce Onomast. IV. 9. Ἔνιοι δὲ τὴν ψιθύραν τὴν αὐτὴν εἶναι τῷ ἀσκάρῳ ὀνομαζομένῳ νομίζουσι· τὸ δὲ ἦν πλινθίον πηχυαῖον, ἄδον διελκυσμένα πινία ἃ περιστρεφόμενα ἦχον ἐποίει κροτάλῳ παραπλήσιον. *Nonnulli vero psithyram idem, quod ascarum esse autumant. Hoc autem erat quadrangulus cubitalis, quo pertractis chordis cantatur, quæ circumvolute sonitum reddebant crepitaculo similem*.

Pelycem & Spadicem ne quis inter cymbala referat moneo. Musonius Philosophus: *Pelyx quoque non solum galeæ est conus, sed & Musicum instrumentum*. Similitudo nihil facit. Et quanquam Lexicographi communiter ad ὄργανα κρυματικὰ referant, sciendum est, sub eorum nomine longe frequentius instrumenta plectro

ctro quam flictu mota intelligi. En Spadicem apud eundem Musonium inter mera citharæ genera: *Scindaphos quoque inter Musicorum organa numeratur, nec non & Pariambos, Clemsiambos, Lyrophœnicion, Spadix, Phorminges, Trigona, Chelys, Cithara.* De utriusque clarus testis Pollux Onomastici loco citato, quem evolves. Putabam me novam cymbali speciem detecturum, cum legerem, quæ habebat Vir tenebricosis, in quibus nascebatur, temporibus desideratissimus Des. Erasmus in adagium: *Glauci ars*. Illic enim ita commentatur: *Hujus parœmiæ duplex est usus. Convenit enim vel in opus celeriter absolutum. Quidam ortum existimant a Glauco quodam Samio, qui primus æris ferruminutionem invenerit. Alii a Libyco quodam, qui quatuor cymbala quædam fabricatus dicitur ceriis proportionibus ita inter se respondentia, ut primi spissitudo opitriti rationem haberet ad secundum, ad tertium hemiolii, ad quartum dupli. Ea pulsata Musicam quandam harmoniam reddebant. Autor Zenodotus.* Verebar jam, fateor, ne locus esset inextricabilis; ne rationes meas omnes confunderet, ita obscurus mihi videbatur. At vero cum explicato, ut erat in Græco textu, loco, pro cymbalis δίσκους invenirem, amplius nihil morandum duxi: quamvis mirabar, unde animum induxerit Erasmus, ut δίσκους *cymbala* verteret.

CAPUT XXII.

Scabilla *an cymbala? Improprie*. Explicatus Augustinus. Κρόταλον *vox latioris sensus. Tympana an cymbala?* Ridentur Pomponius Sabinus. Anton. Augustinus & alii, qui asserere id ausi sunt.

NEc Græci tantum mendaciis suis cymbalorum auxere numerum, sed Romani quoque nimium hic liberales fuerunt. Scabellis cymbala aut si mavis scabella cymbalis conjungit Augustinus lib. IV. de Musica: *Quæro ex te, utrum possint copulati sibi pedes, quos copulari oportet, perpetuum quendam numerum creare, ubi nullus finis appareat: veluti cum symphoniaci scabella & cymbala pedibus feriant, certis quidem numeris & his qui sibi cum aurium voluptate junguntur, sed tamen tenore perpetuo.* Translate & improprie ita dici puto. Considera formam scabillorum & res clara erit. Scabilla erant soleæ lignæ & ferreæ ex parte anteriore ita fissæ, ut motu pedum concuterentur, qualia videri possunt in statua Rubenii, quam infra damus. Organum tibicinibus itemque symphoniacis in scena frequens, quod Græci κρουπέζια appellabant. Sed nolo ego hic plura cumulare, cum accurato commentario hæc instrumenta suo loco illustraverit magnus Salmasius. Istud tantum addo non dissentire ab illo Augistini diversas glossas, quas eodem loco in medium profert laudatus Salmasius: Ποδοψόφιον *crepitaculum*, & excerpta ex antiquis glossis: *crotalum* ποδῶν ψόφος. Eodem transducit notatum jam Hesychii locum: Ἄσκαρος, γένος ὑποδημάτων ἢ σανδαλίων· οἱ δὲ τὰ κρόταλα. Elegans de strepitu calceorum observatio est, quam acceptam referimus Viro Incomparabili J. Sauberto. Judæi, quo facilius puellas domi retinerent, injiciebant utrique pedi non procul a calceo compedes, sed annulos & armillas connexas catenulis exiguo intervallo, quæ inter eundum collisæ gratum formabant sonum. Mentio fit earum Jes. III. 16. & 18. Ubi hunc morem abominatur Deus & minatur se aboliturum, quoniam ex auro argentove ingenti luxu conflari solebant, quod ideo fieri potuit, ut puellæ eo melius admoveri sibi has catenulas paterentur, quas ad luxum & ornatum pertinere persuadebantur. Cæterum re vera ea fini dabantur, ne vinculis his impeditæ discurrerent longius, sed ut catenularum perpetuo tinnitu audiretur semper, quo tenderent, ipsæque adeo exire ædibus non possent, quin paterfamilias aut domestici rescirscerent. Abarbanel. וברגליהן תעכסנה שהיו מביאות ברגליהן עכסים כדי שבתנועתן יהיו נש מעות או שהיו נושאות חכשיטין ברגליהן ובתנועתן יניעו רגל ברגלו וישמע קול נינות התכשיטין ההן: *Et in pedibus suis tinniebant, quoniam induerunt pedibus suis compedes, ut, cum moverentur, audirentur. Aut quoniam gestarunt in pedibus suis ornamenta: ut, cum moverentur & pes pedem attingeret, exaudiretur sonus pulsationum ornamentorum istorum.* Comment. in l. c. Jes. fol. 10. col. 3. D. Kimchi in libro Schoraschim fol. 43. col. 370. וברגליהן תעכסנה תקשקשנה בעכסים שברגליהם והוא חלי שמקשקש שנושאות הנשים ברגליהם: *Et in pedibus suis tinniebant, sonum alicujus campanæ edebant per compedes pedibus suis injectas: Hoc enim fuit monile instar tintinnabuli resonans: quod gestarunt mulieres in pedibus suis.* Moses Maimonides aliam causam injectarum istiusmodi compedum superaddit: כבלים עכסים בעורת האעדה והיו מטילין ביניהם שלשלאות והיו מתקשטין באלו הכבלים הבתולות כדי שלא יפסיעו פסיעה נסיה ויגיע היזק בבתוליהן: *Kefalim idem sunt, quod Achasim forma alicujus armillæ. Inter illa ge-*

sta-

ſtabant catenulas. Iis autem compedibus ornabant ſe virgines, eo ne graderentur paſſus majores & obveniret detrimentum virginitatis ipſarum. Comm. ad Maſſ. Schabbas cap. 6. Idem in Jad. Hachaſaka Hilcos Schabbas c. 19. ולא בכבלים שיועאין בהן הבנות ברגליהן כדי שלא יפסיעו פסיעה גסה שלא יפסידו בתוליהן: *Nec in compedibus in quibus egrediuntur filiæ, geſtantes eas in pedibus, ne gradiantur paſſus magnos & noceant virginitati ſuæ*. Catenulas illas aureas fuiſſe tradunt Gemariſtæ ad cit. Miſchnam. Vid. Thoſaphos ibid.

Quis crederet eo ignorantiæ dicam an negligentiæ progreſſos eſſe quoſdam authores cætera non malos, ut cum cymbalis tympana confuderint? Pomponius Sabinus vetus Virgilii Gloſſator: *Cymbala, Tympana, quæ adhibebantur in ſacris Matris Deum*, interpretatus eſt. Quæ, malum, iſthæc incogitantia? Quis ſanus Scriptor hoc tradidit. Quis homo vel mediocriter doctus hoc concedet? Obloquuntur graviſſimæ vivorum doctiſſimorum authoritates. Reclamant lapides & marmora. Contraria omnia perſuadent gemmæ, nummique. Adeo prorſus mirum, eſſe in hac arena, quos fama eruditionis in cœlo doctorum illuſtria ſidera fecit. Non traham longam nominum catervam, ſed, quod contra invidiam ſecurius duco, unum hic do hominem peregrinum, aſt haud mediocriter doctum, Hiſpanum, Antonium Auguſtinum. Ille, ut ſunt dialogi illius numiſmatici erudita elegantia ubique refertiſſimi, in eo tamen graviter lapſus eſt, quod in illam ipſam noſtram cenſuram incurrat. Citat enim nummum quendam Severi Aug. & Antonini Caracallæ cum crotalo, in quo ego nihil video, quod aliquam cum eo ſimilitudinem habeat, ſed potius matrem Deum Cybelen cum leone ſuo, dextra vero tympanum tenentem, ut frequentiſſime nummis veterum depicta conſpicitur.

CAPUT XXIII.

Chrottæ an crotala? Poſſent videri, ſed melius, ſi credamus teſtudinis quoddam genus eſſe. Crotte. *Nacariæ an huc referendæ?* Refutantur Academici Cruſcani. *Campanæ ſunt medii ævi, malleo moveri ſolitæ.*

CHrottarum mentio eſt apud Venant. Honor. VII. 8.

> *Romanuſque lyra plaudat tibi, barbarus harpa,*
> *Græcus Achilliaca, Chrotta Britanna canat.*

Chriſtophorus Brouwerus aliquid affinitatis *chrottam* in nomine cum *crotalo* hadere putat, ſed potuiſſet præterea aſſerre in ipſo Beda Britannico ſcriptore ſatis vetuſto cymbalorum mentionem fieri, quod me monuit Vir omni laude major, patronus meus longe optimus, in quo priſci veſtigia recti & mores videas ductos meliore metallo Gerhardus Mejerus. Exiſtimem tamen magis cum eodem Browero teſtudinem ab eo ſignificari, quæ nomen ab eo animante gerit, cujus ſignum imitatur. Et manet in Francico juxta Germanicoque ſermone, ut teſtudines *crotten* appellitent. Vide plura pro ſtabilienda hac ſententia loco citato.

Nacarias, *naccheras*, *naclaria*, *nacaras* ultimo loco addo; quæ inſtrumenta cum tympanis & cimbalis confundunt Academici Cruſcani: *Nacchera, ſtrumento ſimile al tamburo, che ſi ſuona a cavallo, tympanum, Seneſe dicono anco nacchera ad un certo cerchio o triangolo di ferro, che ſi percuote con una verghetta di ferro, Latine crotalum*. Duplici vero nomine peccant, tum quod cymbala ſeu crotala & tympana eodem loco habeant, quod jam ſupra exploſum eſt, tum quod cum utriſque noſtras nacarias confundant, quod jam tribus verbis rejicimus. Rectius Dominicus Macrus Melitenſis, doctus quidam Italus, Joh. Meurſius, Junius atque alii tympana ſimpliciter eſſe voluere. Mea ſententia genus campanulæ eſt medii ævi, quales habebant ferreas vel ligneas & baculo moveri ſolitas. Scriptor certe infimi ævi in Cod. MS. Regio, quem citat du Freſne: *Quidam ſambuco jocabant, gravatos dulciter recreantes, quidam naclaria baculabant, magnum ſonum edentes*. *Baculare* autem iis ſcriptoribus eſt *baculo cædere*, quod abunde in hoc verbo probat laudatus author. Frequenter tamen & *anacaræ* dicebantur. Sic in Vita S. Ludovici: *Tympanis anacaris & aliis ſimilibus inſtrumentis horribiliter reſonabant*. Et Curopalates refert, quod *ante prandium per civitatem progrediebatur Græcus Imperator cum tubis & anacaris, ut populus ad recurſum moneretur: ſed hæc ſigna in poſtmeridiano egreſſu non dabantur, ne quis ebrius & incompoſitus & temere ad Imperatorem accederet*. Hinc ἀναχαριςαὶ ipſi tympaniſtæ dicebantur. Codinus de Offic. Aulæ Conſtantinop. ἑτοιμασθέντος ὖν ϗ καβαλλικεύοντος τȣ̃ βασιλέως, οἱ ἀναχαριςαὶ κρȣ́ȣσι τὰ ἀνάκαρα. Apud Nicetam in Manuele Comneno lib. V. & I-

ſaa-

ſaacio Angelo lib. I. invenies ἀνακαράκαι pro anacararum pulſationibus. Adhæc Turcis familiares nacaræ, unde Franci hauſere, ut authores frequenter teſtantur. Quam vero campanarum illud genus infimis Græcis atque Saracenis familiare, notum etiam illis, qui nondum ære lavantur.

FRIDERICI ADOLPHI LAMPE DISSERTATIO DE CYMBALIS VETERUM.

LIBER SECUNDUS

Materiam, Formam atque Hiſtoriam eorum ediſſerens.

CAPUT PRIMUM.

Forma cymbalorum ſemirotunda. Aſſimilatur acetabulis, cotyledonis foliis, coxendicibus, labris. Cava eadem erant ſphærarum inſtar.

EXtricatis ita variis cymbalorum ſpeciebus ipſa nobis cymbala propius inſpicienda ſunt. Forma eorum nemini, cui literæ unquam cordi fuerunt, ignota eſſe poteſt. Quantum enim tum ex deſcriptione bonorum authorum, tum monumentorum fide colligere atque aſſequi licet, ſemirotunda ſphærarum inſtar erant, ita ut, cum bina eſſent, conjuncta rotundum quid prorſus formarent. Inde intelligendum iſtud Propertii lib. 4. cap. 7.

> *Qua numeroſa fides, quaque æra rotunda Cybelles*
> *Mitratiſque ſonant Lydia plectra choris.*

Et Rubenio recte *non aliud ſunt cymbala antiquorum, quam ſemirotundi quidam pelves, quos concutiebant*. Poſſunt heic conferri marmora & reliqua antiqui ævi cimelia, quæ paſſim citamus: ex quibus Pignorius, Tillius atque alii ſua excerpſerunt. Quæ ſane forma fecit, ut plurimi authores inde occaſionem ſumerent, cum folii rotundis, quales cotyledonis & coxendicis, itemque labris atque acetabulis comparandi cymbala. Idque eo magis, quia hæ res non tantum rotundæ, ſed etiam ad inſtar cymbalorum concavæ ſunt. Hanc enim formam non tantum veteres picturæ atque ſculpturæ, ſed ſemper authores antiqui docent. Catullus de Berecynt. & Aty v. 29.

> *Leve tympanum remugit, cava cymbala concrepant.*

Lucretius lib. II.

> *Tympana tenta tonant palmis & cymbala circum*
> *Concava, rauciſonoque minantur cornua cantu,*
> *Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia mentes.*

Ovidius lib. V. Metamorph.

> *Concavaque æra ſonant, longoque foramine buxus.*

Silius Italicus lib. XVII.

> *Circum arguta cavis tinnitibus æra, ſimulque*
> *Certabant rauco reſonantia tympana pulſu.*

Rationem hujus formæ ex Salluſtio Philoſopho, quem Allatius ediderat, petendam Pignorius docet, ſed quia liber eſt rarus quique in meas manus atque oculus nondum incidit, aliorum induſtriæ illum inquirendum relinquimus. Interea ſpeciem quandam rationis ex ſententia antiquorum videbimus lib. III. cap. 4. ad cujus capitis finem Lectorem remittimus.

mus. Atque illa quidem ut eſt ex mythologia veterum petita, ita phyſicam docet Plutarchus Sympoſ. lib. 8. quæſt. 3. Ὁρᾷς γὰρ ὅτι καὶ τῶν ἀγγείων τὰ κενὰ πληττόμενα, μᾶλλον ὑπακούει πληγαῖς, καὶ τὸν ἦχον ἀποτείνει μακρὰν, πολλάκις δὲ καὶ κύκλῳ περιφόμενον διαδίδωσι πολύ· τὸ δὲ ἀγγεῖον ἐμπλησθὲν, ἢ στερεοῦ σώματος, ἢ τινος ὑγροῦ παντάπασι γίνεται κωφὸν καὶ ἄναυδον, ὁδὸν οὐκ ἐχούσης οὐδὲ χώραν ᾗ δίεισι τῆς φωνῆς. *Vides enim vaſa quoque inania, ſi pulſentur, facilius ſonitum reddere, ac longe reſonare, ſæpe etiam in orbem ſonitum didere magnum. Vas autem, quod impletum eſt ſive ſolydo, ſive humido corpore, mutum omnino eſt, voce ſpatium non habente & viam, qua exeat.*

CAPUT II.

Cymbala ſimilia acetabulis: cotyledoni. Cotyledon herba folium habens concavum, diverſa ab umbilico Veneris. Umbilicus orbis, libri, ſcuti, pomi. Fere eadem cum coxendice. Polypi acetabula itidem cotyledones. Πλόδαμοι. *Mediæ eccleſiæ Patres labiis cymbala compararunt.*

His ita intellectis facilius explicabuntur comparationes, quas inter cymbala & res non diſſimilis formæ authores inſtituerunt. Iſidorus Orig. l. 3. c. 21. cum acetabulis comparavit cymbala, de qua re videantur, quæ libro primo ad declaranda illa attulimus. Dioſcorides cotyledonibus ſimiles fuiſſe innuit, indeque ipſos cotyledones κυμβάλια appellitavit. Ita enim ait libro IV. Κοτυληδὼν οἱ δὲ σκυτάλιον, ἄλλοι δὲ κυμβάλιον, φύλλον ἔχει ὥσπερ ὀξύβαφον περιφερὲς, λεληθότως κοῖλον. *Cotyledonem quidam ſcytalium, alii vero & cymbalium appellitant, & habet hæc herba folium ad inſtar oxybaphi rotundum & latenter cavum.* Pro σκυτάλιον cum illuſtri Salmaſio σκυτάριον ſcribendum exiſtimo, i. e. parvum ſcutum, cujus formam optime etiam reddit folium cotyledonis. Clarius Scribonius Largus Comp. LV. *Item mentaſtrum, vel radicem* κοτυληδόνος, *quæ herba folia ſimilia cymbalis habet.* Ut vero ad oculum pateſcat ſimilitudo inter iſtius generis cotyledones & cymbala, adjunximus herbam, cujus folia circa radicem omnino cymbalis ſimillima ſunt, quam cotyledonem alii, alii cymbalium, itemque umbilicum veneris nuncupant, naſcentem in univerſa fere Hetruria, ſaxis & pervetuſtis murorum parietibus.



Latini enim hanc herbam umbilicum veneris vulgo vocaverunt, & exiſtimarunt vocatam eam ita hunc potiſſimum ob cauſam, quod circumacta in orbem folia concavitatem umbilici molli deſcenſu referant. Sed ex ſententia Claudii Salmaſii τοῦ πάνυ, quam meam quoque facio, falluntur. Umbilicum veteres de figura tantum exuberante & in rotundo eminente dixere, non de concava & ſubſidente. Sic umbilicus orbis. Priapejis:

Pallas Cecropias tuetur arces,
Delphos Pythius orbis umbilicum,
Creten Delia, Cynthioſque colles.

De quo Cœlius Rhodiginus prolixius videri poteſt. Umbilicus libri. Martialis lib. V. Epigr. ult.

Jam pervenimus uſque ad umbilicos

Idem alibi:

Nigris pagina crevit umbilicis.

Addatur Stat. Sylv. V. Horat. Epod. Epigr. de libris Heracliti. Umbilicus ſcuti. Quippe ὀμφαλοὺς ἀσπίδος interpretatur Euſtathius βέλλας τινὰς, *quæ ornatus gratia adderentur in meditullio.* Hinc apud Homerum ἀσπίδες ὀμφαλόεσσαι: *ſcuta umbilicata.* Umbilicus pomi eſt apud Palladium. Sed οὐδὲν πρὸς ἔπος ταῦτα. Si quis plura de umbilico veneris a cymbaliis, ſeu mavis cotyledonibus differente deſiderat, adeat Salmaſium, portentum iſtud eruditionis, loco laudato. Alias cotyledones ſignificant quoque Polypi acetabula, ſeu concavas partes in Polypi cirris, quas πλοκάμους etiam Græci dicunt. Scholiaſtes Oppiani: Κοτυληδόνες, πλόκαμοι, αἱ

περὶ

περὶ τοὺς πλοκάμους φολίδες. Et ipſe Oppianus. Halieut. 2.

Ὡς καὶ πουλύποδος κοτυλήδονες οὐ κατὰ κόσμον
Πλαζόμεναι κενεῇσι παλαισμοσύναις μογέουσιν.

Sicut & acetabula polypodum neutiquam ad ornatum
Facta, inanes luctas juvant.

Et paulo poſt:

Σὺν δὲ οἱ ἀκραίῃς κοτυληδόσι θερμὸν ἐρείδει
Αὐλὸν ἐπισφίγγον στόματος μέσον ——

Atque hi ſunt quos ex Rittershuſii ſententia *flagella* nominat Ovidius Met. IV.

Utve ſub æquoribus deprenſum polypus hoſtem
Continet ex omni demiſſis parte flagellis.

Muſchopulus: Κοτυληδόνες κυρίως τὰ τοῖς πλοκάμοις συγκείμενα κοιλώματα, δι' ὧν τῶν πετρῶν συλλαβάνονται. *Cotyledones proprie ſunt cavitates cirris vicinæ, quibus ad ſcopulos ſe adfigunt*. Scholiaſtes Luciani: Κοτυληδόνες αἱ τοῦ πολύποδος πλεκτάναι. *Cotyledones cirri polypi*. Athenæus Deipnoſoph. VII. 19. Ἱστορεῖ δ' Ἀριστοτέλης τὸν πολύποδα ἔχειν πόδας ὀκτὼ, &c. ἔχειν δὲ καὶ κοτυληδόνας δύο, αἷς τὴν τροφὴν προάγεσθαι. *Narrat vero Ariſtoteles polypum habere pedes octo, &c. habere vero etiam duos cotyledones ad capiendum cibum aptos*. Tandem patribus non tantum antiquioris eccleſiæ, ſed recentioribus etiam, placuit cymbala cum labiis comparare. Clemens Alexandr. Pædag. II. 4. Αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν κυμβάλοις ἀλαλαγμοῦ· κύμβαλον τοῦ στόματος τὴν γλῶτταν λέγει, ἣ τοῖς χειλέσι ἐπηχεῖ. *Laudate eum cymbalis reſonantibus. Cymbalum oris linguam indigitat, quæ colliſa cum labris ſonum edit.* Prudentius. Περὶ στεφάνων.

Si mandet idem faucium ſic fiſtulas
Spirare flatu concinentes conſono,
Ut verba in ipſis explicent meatibus,
Vel exitu oris cymbalis profarier
Nunc preſſe parte labra, nunc hiantia.

Auguſtinus Enarrat in Pſalm. 150. *Cymbala invicem ſe tangunt, ut bene ſonent: ideo a quibuſdam labiis noſtris comparata ſunt*. Iſidorus Peluſiota lib. I. Ep. 457. Αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν κυμβάλοις εὐήχοις, τοῖς χείλεσι, δι' ὧν τὰ ἐναρμόνια τῆς ψαλμῳδίας πλέκεται μέλη. *Laudate eum cymbalis bene ſonantibus, labris ſcilicet, quibus aptantur harmonici pſalmodiæ cantus*. In quo prorſus Clementem Alexand. atque Auguſtinum ſecutus eſt. Claudet hunc ordinem Venant. Fortun. de Vita S. Mart. l. IV.

Ipſe patris nomen geniale requirit alumnæ,
Mox reſoluta movet faucis lyra inutile plectrum,
Atque inſueta canit camerati concha palati,
Dente reliſa cavo producens verba fritillo,
Reſponditque patris nomen pia filia dulce.

Huc pertinet locus Alcuini Epiſt. I. *Memor eſto ſemper, quod guttur tuum tuba Dei debet eſſe & lingua tua omnibus præco ſalutis*. Salomon Epiſcopus, cujus poemata edidit Caniſius Antiquar. Lect. Tom. I.

Cymbala labrorum concede, ut recta loquantur.

CAPUT III.

Ediſſeruntur manubria cymbalorum diverſa, alia acuminata, cava alia, quædam in formam crucis.

INfra juſtos limites hoc caput cluditur. Manubria cymbalorum ex ſolis marmoribus lucem mutuantur, quam fruſtra ab authorum diligentia deſiderabis. Ea autem mihi occurrerunt hactenus triplicia. Primum genus eorum fuit, quæ in convexitate acuminabantur, atque ita tota manu comprehenſa concutiebantur. Genus hoc manubriorum ſatis incommodum viſum mihi eſt, quia nempe obfuiſſe cenſeo ſummæ in fligendis cymbalis celeritati atque agilitati. Commodiora illa, quæ anſata erant atque ita ſolo pollice contineri poterant. Unde etiam factum puto, ut frequentiſſima occurrant in monumentis venerandæ antiquitatis. Hæ autem anſæ ex qua materia fuerint, non ſatis liquet deſtituto apertis rei veſtigiis. Puto tamen verecunde, ex eadem confectas, qua cymbala ipſa. Tertium iterum genus minus commodum, quin imo minus uſitatum erat. Conſtabant nempe illic manubria ex forma quadam conſimili cruci. Nempe apud ipſos gentiles ſingulare hoc fuit, quod Gretſerus, Lipſius atque alii crucis commentatores omnino adnotandum putarunt, ut plurimis in rebus, præſertim ſacris, aliquid religioſum ſubeſſe cruci exiſtimarent, quam pro-

propterea ſat frequenter imagine expreſſerunt. Nolo heic prolixus eſſe in iis, quæ ab aliis obſervata ſcio. Cymbalorum certe, quod ſciam, cruce ornatorum nemo recordatur. Hæc vero exhibet Pignorius in initiis Matris Deum atque Attidis, quæ ex elegantiſſima ærea manu explanavit, idemque teſtatur, eadem figura etiam Romæ in veteri ara marmorea apud Cæſios delineari.



Vir ſummus monuit me, meminiſſe ſe, in Genoveſæ Cimeliarchio ſtatuam quandam ſimilia cymbala pulſantem exhiberi.

CAPUT IV.

Materia cymbalorum. Ut plurimum æs. Hujus rei cauſa triplex. Deaurabantur interdum. Inveniuntur etiam ex orichalco.

MAteriam cymbalorum æs fuiſſe adeo eſt notum, ut ulteriori explicatione ne indigeret quidem. Ex nulla re hoc clarius illuſtrabitur, quam ex eo, quod communi nomine cymbala ÆRA paſſim & frequentiſſime appellitentur. Ex ſexcentis pauca appono. Virg. Æn. 3.

Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra,
Idæumque nemus: hinc fida ſilentia ſacris.

Silius Italicus 17.

Circum arguta cavis tinnitibus æra, ſimulque
Certabant rauco reſonantia tympana pulſu.

Martialis Epigr. 202. L. XIV.

Æra Celenæos lugentia matris amores
Eſuriens Gallus vendere ſæpe ſolet.

Claudianus de R. P. v. 209.

Non buxus, non æra ſonant. ——

Ovid. Faſtor. 4.

—— *Me ſonus æris acuti Terret.*

Sufficiant hæc de tanta copia. Ipſos quoque Judæos aereis cymbalis uſos fuiſſe ſacræ nos paginæ docent. I. Chron. XV. 19. Ita οἱ ἑβδομήκοντα: Αἱμὰν, Ἀσὰφ, καὶ Αἰθὰν ἐν κυμβάλοις χαλκοῖς τοῦ ἀκουσθῆναι ποιῆσαι. Æs aliquando Corinthium, quod ex auro, argento atque ære miſcebatur, adhibitum, & hinc Seneca Medea:

Precioſa ſonent æra Corinthi.

Hujus inſtituti cauſam triplicem agnoſco. Primo procul dubio eſt, aeris præ omnibus reliquis metallis apud vetuſtiſſimas gentes frequentia. Non ſum neſcius, infra me monere ex conflictu ferri primam originem duci Muſicorum inſtrumentorum, adeoque & cymbalorum. Sed tollet hunc nodum ratio ſecunda, quam inde necto, quia elegantiſſimus illius conflicti atque pulſati eſt ſonitus, longeque raucum quid atque inamœnum ſonante ferro jucundior. Notatu dignus in hanc rem eſt locus Plutarchi Sympoſ. Lib. VIII. Χαλκῷ δὲ κινουμένῳ μὲν οὐδὲν μέτεστιν, ὁμαλῷ δὲ πνεύματι καὶ λείῳ κεκραμένος εὔπληκτός ἐστι καὶ ἠχώδης· εἰ δὲ δεῖ τῇ ὄψει τεκμαίρεσθαι, φαίνεται μᾶλλον ὁ σίδηρος ἔχων τι σαθρὸν καὶ πολύκενον, καὶ πενθρηνῶδες· ἔστι δὲ κακόφωνος σφόδρα, καὶ τῶν μεταλλικῶν κωφότατος. *Æs inane nihil in ſe habet: ſed æquabili lævique temperatum ſpiritu facile pulſatur ac reſonat. Quod ſi viſu ratiocinandum eſt, ferrum potius videtur aliquid habere fungoſum & inanitate multa patens, atque inſtar favorum capſulæ excavatum: & tamen admodum male ſonat, omniumque metallorum eſt mutiſſimum.* Auro antea prætulerat eadem quæſt. 3. lib. VIII. Αὐτῶν δὲ τῶν σωμάτων χρυσὸς μὲν καὶ λίθος ὑπὸ πληρότητος ἰσχνόφωνα καὶ δυσηχῆ καὶ ταχὺ κατασβέννυσι τοὺς φθόγγους ἐν αὐτοῖς· εὔφωνος δὲ καὶ λάλος ὁ χαλκός, ἢ πολύκενος καὶ ὄγκον ἐλαφρὸς καὶ λεπτὸς οὐ πολλοῖς συντεθλιμμένος ἐπαλλήλοις σώμασιν, ἀλλὰ φθόγγον ἔχων τὸ τῆς ἐπιεικοῦς καὶ ἀναφοῦς μεμιγμένον οὐσίας, ἢ ταῖς τε ἄλλαις κινήσεσιν εὐπορίαν δίχωσι, τήν τε φωνὴν εὐμενῶς ὑπολαμ-

βά-

βῶσα παραπέμπει. Μέχρις ἀναψάμενός τις ὥσπερ ἐν ὁδῷ καταλάβῃ καὶ τυφλώσῃ τὸ κενὸν· ἐνταῦθα δὲ ἔςη καὶ ἀπεπαύσατο τοῦ πρόσω χωρεῖν, διὰ τὴν ἀντίπραξιν. *De ipsis vero corporibus aurum & lapis ob densitatem exiles sonos obscurosque edunt, vocesque in iis celeriter exstinguuntur. Æs vocale est & sonorum, quia multum habet vacui & mole est levi atque tenui, non ex multis & continentibus compactum corporibus, sed abunde habens admixtum substantiæ cedentis & non cum alia consertæ. Quæ cum aliorum motuum copiam facit, tum vocem facile excipiens transmittit, donec aliquid veluti in via occurrens inani obstructo eam haberet: ubi jam subsistens desinat porro ire propter obthurationem.* Tertiam infra lib. III. c. undecimo prolixius diduco, quia nempe aeri medicatum quid atque divinum inesse ex fide antiquorum fuit. Cum autem cymbalorum in sacris gentilium maximus esset usus, plurima vero sacrorum instrumenta ærea essent, inde valde congruum videbatur receptæ superstitioni æs in formam cymbalorum cogere. Hæc tamen cymbala ad majorem luxum atque splendorem interdum deaurabantur. Athenæus Deipnos. XIV. c. *6.* quem locum etiam alias citavimus: Δηλοῦσθαι δ' ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ᾄσματι, ὃ ἐςὶν ἀρχή, Ἄρτεμι σοί με τι φρὴν ἐφ' ἵμερον ὕμνον ἵεναι τε ὅθεν ἀδὲ τις, ἀλλὰ χρυσοφαινὰ κρέμβαλα χαλκοπάραια χερσὶν *Significari vero in cantico Dianæ, cujus est initium: Diana unde tibi venit in mentem ad dulcem me somnum dimittere? deinde postea: Cantabat alius habens in manibus Crembala ænea deaurata.* Aliquando vero poliebantur tantum, ut splenderent. Hinc αἰθύουσα nominantur apud Nonnum Dionis. *l.* XLV.

> Κύμβαλα δ' αἰθύουσα, καὶ εὐπήληκα βοείην
> Κυδαίνω Διὸς υἷα, καὶ ὁ Πενθῆα γεραίρω·

> *Cymbala vero radiantia & ornatum galea bovina*
> *Deprædico Jovis filium: Pentheum vero non decoro.*

Et orichalco cymbala quoque esse confecta testatur proverbium illud: Ὀρειχάλκου λαλὰ κύμβαλα.

CAPUT V.

Motio cymbalorum. Conflictus, flictus. *Fligere idem quod concutere. Conflictus fiebat celeriter.* Duæ opiniones refutantur. *Mos in Persia.* Castalionis sententia rejicitur. *Cymbala bina.* Isidorus vindicatur.

PErgo. Qui Musicum quendam sonum atque concinnum cymbalis efficere volebant, ea, cum essent bina, in concavitate secum invicem confligebant. Lux hinc Statio Thebaid. VIII. *v.* 221.

> —— *Gemina æra sonant, Idæaque terga*
> *Et moderata sonum vario spiramine buxus.*

Gemina nempe, ut confligantur. Clarius hoc testantur Ovidius Fastor. IV.

> *Ibunt semimares & inania tympana tundent,*
> *Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.*

Itemque Ausonius Epist. XXV.

> *Cymbala dant flictu sonitum: dant pulpita saltu*
> *Icta pedum.* —

Clarissime Isidorus lib. 2. Orig. *Cymbala acetabula quædam sunt, quæ percussa invicem se tangunt & sonum faciunt.* Et Amularius Fortunatus III. c. 3. *Cymbala invicem tam tanguntur, ut sonent, ideo a quibusdam labiis nostris comparata sunt.* Addi potest Joh. de Janua descriptio, quam alias citamus: *Cimbala accitabula sunt quædam, quæ percussa se invicem tangunt & faciunt sonum.* Hinc δίκτυπος ἠχὼ cymbalorum apud Nonnum, i. e. duplex sonus, seu sonus qui ex concussis duobus cymbalis oritur. Ita ille *l.* 27.

> —— φιλοκροτάλων δὲ γυναικῶν
> Χερσὶν ἀμοιβαίῃσιν ἀράσσετο δίκτυπος ἠχώ

> —— *Mulierum vero crotala amantium*
> *Alternantibus manibus eliciebatur duplex sonus.*

Alternabant vero ita manus, ut cymbala, quæ jam inferiora a superioribus pulsabantur, verso mox ordine superiora confligerentur cum iuferioribus. Eadem est causa, cur in duali inveniamus cymba-

la apud Arrianum reb. Indicis: Κυμβάλοιν τῷ κυμβαλίζοντι πρὸς τοῖν σκελοῖν τοῖσιν ἔμπροσθεν προσηρτημένοιν. *Duobus cymbalis cymbalizanti ad anterius crus alligatis.* Et Nonnus lib. v.

Χειρὶ πολυκροτάλῳ διδυμάονα δοῦπον ἀράσσων

Manu strepera duplicem sonum edens.

Hæc autem concussio *flictus* ab Ausonio dicitur, quia fligere idem est quod concutere, quanquam id antiquioris notæ sit & recentioribus vix usurpetur. Lucretius lib. II.

— Nam cita superne
Obvia cum flixere, fit, ut diversa repente
Dissiliant. —

Livius Ægysto:

Ipse in terram saucius fligit cadens.

Accius ἐπὶ ναυσὶ μάχῃ.

Nec perdolescit fligi socios, morte campos contegi.

Idem in Ægysto:

Heu cujatis stipem funditus fligi solet.

Verbum quoque hoc in Arnobio restituit Meursius, cui hanc observationem acceptum referimus. Ille enim adversus Gent. *l.* IV. ita: *Et sub ipso furti atque operis nomine* (aut secundum illius sententiam, *nomine*) *sacrilegos pœnis convenientibus fligant.* Conflictus autem ille fiebat celeriter, unde Agathias loco alias citato habet ταχὰ κύμβαλα, *cymbala velocia*, & Nonnus τροχαλὰ κυμβάλων πατάγματα, *celeres cymbalorum quassationes*, Idemque lib. XLVIII.

Καὶ ταχὰ κύμβαλα δῶκε. —

Et dedit velocia cymbala

Puto jam unumquemque haud difficulter deprehendere, errare eos, qui scribunt, cymbala antiquorum haud absimilia fuisse cymbalo Italico aut Hispanico hodierno, *quod*, ex delineatione Cajetani, *instrumentum est, quo puellæ utuntur choreas ducentes, gestando sinistra manu cymbalum & dextra percutiendo illud: ejus sonus proprie est tinnitus multorum circulorum æreorum, qui in circumferentia lignea cymbali filis ferreis sustentantur. Simul enim tota illa circulorum multitudo tinnitus emittit, percussa pergamena cymbali planitie.* Falluntur & ei, qui putant cymbala sonum edidisse malleoso partem convexam pulsante & concavam ad ærem allidente: nec enim malleolo percutiebantur cymbala, sed inter se collidebantur, ut præter supra citata evidentissime ex Gregorio Nysseno conjicitur, qui c. 9. in Psalmos: Τοῦτο γάρ ἡ τοῦ κυμβάλου πρὸς κύμβαλον ἐνδείκνυται σύνοδος, Æs Dodonæum, si fides autoribus, tali modo concutiebatur, itemque campanæ medii ævi, quas σήμανδρα, *Symandros*, *Agiosidyros*, &c. nominabant, quod alias jam monuimus, nequaquam vero cymbala. Inclinare autem ad hanc opinionem videtur Vir Illustris Josephus Castalio, quando hæc refert ex ore Philippi Pigafettæ Vicentini, quem eo nomine laudat, quod perlustrato fere toto terrarum orbe in ambiguo reliquerit, plusne temporis in peregrinationibus crebris, an in libris Latinis Græcisque legendis scribendisque consumserit. *Idem*, ait, *quoque mihi dixit, cymbalum in Persia cantenulis ex bacillo pendentibus solere pulsari, moremque esse ibidem, equos non calcaribus fodi, sed catenularum sonitu incitari atque impelli. In dextera igitur Idææ* (Cibeles cujus marmor citato capite explicat) *creditur esse tale: quid: nam duæ quasi catenulæ pendere videntur ex fasciculo ad cymbalum admoto, si ad baculi similitudinem accederet. Inclinat animus, ut credam esse spicarum fasciculum, cujusmodi vidi esse in manu Cybeles*, &c. Vellem addidisset Vir Maximus marmoris, quod explicat, delineationem, quo clarius, hallucinatum eum esse, probare ego possem. Nunc tantum simpliciter affimo: eam, quam describit Castalio, cymbali cujuscunque formam esse ulla ratione non posse. Eum tamen, hanc non communium, sed certæ cujusdam cymbalorum speciei esse formam, credidisse, vel inde adducor, ut sentiam, quia mox alio errore fallitur ad tradendum de cymbalis binis alterum tantum vere cymbalum fuisse, alterum instrumentum aliquanto diversum, quod acetabulum nominatum putat. En verba: *Acitabulum autem quo cymbalum pulsabatur, erat fere alterum cymbalum, sive lanx concava ex aere, utrumque a concavitate sic dictum.* Et paucis intermissis: *Quod autem duo hæc ex ære concava instrumenta concuterentur, Isidori verba illa ostendunt: Cymbala & acitabula quædam sunt, quæ percussa invicem se tangunt & sonum faciunt.* Hæc Castalio. Quis unquam

quam autor hæc tradidit? Quod veteris ævi monumentum testatum reliquit? Nec repugnat Isidori autoritas. Dele prius *&*: sensus integer erit. Quin imo serva, nec tamen probabis mihi magis hanc descriptionem quadrare ad ambo simul, quam ad singula. Prius tamen volunt summi Critici & præferunt editiones accuratiores.

CAPUT VI.

Reliqua vocabula ad cymbalorum conflictionem pertinentia explicantur. Cymbalissare. Crepare. Κροτεῖν. Κρούειν. *Præcipuæ hujus vocis signationes breviter perstringuntur.* Κρούγειν. Βαλλίζειν. *Ballare. Bal. Pulsare. Quatere.* Ἐπηχεῖν. Τινάσσειν. Βρεμεῖν.

Recensenda mihi in præsentia cætera vocabula, quæ de hoc instrumento in usu sunt, Proximum & quod ipsis cymbalis originem suam debet, est cymbalissare, quod invenitur apud Cassium Heminam lib. 3. *Mulier cantabat tibiis Phrygiis & altera cymbalissabat.* Expressum id est ex Græco κυμβαλίζειν, quod extat in Luciano, Arriano & aliis, unde ἀνακυμβαλιάζειν, sed sensu aliquantum diverso apud Homerum Iliad. π'.

> — ὑπὸ δ' ἄξοσι φῶτες ἔπιπτον
> Πρηνέες ἐξ ὀχέων· δίφροι δ' ἀνεκυμβαλίαζον.

> — *Sub axibus vero viri cadebant*
> *Proni e curribus: currus autem subvertebantur.*

Eadem crepabant atque concrepabant, qui confligebant. Catullus Epigr. LXIII.

> *Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.*

Propert. lib. III. & 17.

> *Hic ubi mortale dextra cum quæreret urbes*
> *Cymbala Thebano concrepuere Deo.*

Rectius pro *cum quæreret*, legendum esse puto: *conquireret*. Sic enim sublata erit ταυτολογία τοῦ *cum* & *ubi*. Martial. lib. XI. Epigr. 17.

> *Et Tartessiaca concrepat æra manu.*

Stat Theb. lib. 5.

> *Tergaque & æra Dei motas crepuere per auras.*

Catachrestice Venantius Honorius *Concrepari hymnos canendo* dicit. Ita enim lib. I. Eleg. 18.

> *Hymnum canendo concrepet*
> *Quicquid Deo non invidet,*
> *Laus ejus est, qui præsulem*
> *De mortis ore retrahit.*

Nempe idem alio loco, ut supra monuimus, cymbala labiis comparaverat, unde apte heic ad os transfert, quod alias cymbalorum est. Imitati autem Latini sunt Græcos, qui eodem sensu κροτεῖν, quod redditur *crepare*, in usu habent. Duo sufficiant ex multis. Primum Luciani, qui Pseudom: Εἰ φανείη τις αὐλητὴν, ἢ τυμπανιστὴν, ἢ κυμβάλοις κροτοῦντα. *Si conspexerit aliquis tibicinem, aut tympanistam, aut quendam cymbalis crepantem.* Alterum Oppiani Cyneg. IV.

> — Καὶ κύμβαλα χέρσὶ κρόταινον.

> — *Et cymbala manibus concrepuere.*

Nam cum κροτεῖν proprium sit crotalorum, quod posthabita autorum fide, quæ tamen multiplex heic est, vel sola etymologiæ ratio docet, minus incommode ad ipsa cymbala transfertur, cum crotala sint cymbalorum species, quod libro primo evicimus. Κρούειν cum vox sit πολύσημος, quod vel derivatum ejus κροῦμα docere potuit, de cymbalis tamen speciatim bis adhibuit Clemens Alexandrinus. Primo libro II. 4. Κύμβαλον τοῦ στόματος τὴν γλῶτταν λέγει, ἣ τοῖς κρουομένοις ἐπιχεῖ χείλεσι. *Cymbalum oris linguam appellat, quæ pulsatis labris resonat.* Deinde Stromatum VI. Κυμβάλων εὐρύθμως κρουομένων ἦχον ἐξακούεσθαι. Ita & Arrianus rebus Indicis: Κυμβάλοισιν ἐν κύκλῳ κρούοντές τε καὶ ἐπᾴδοντες. *Cymbala gyratim verberantes & succinentes.* Communiter respondet voci Latinæ *pulsare*. Lexicon Græco-Latinum: Κρούω, *Ferio*, *Percutio*, *Pulso*. Deinde frequentissime usurpatur de tactu chordarum lyræ sive citharæ. Guadentius Philosophus Harmon. Introd. Σύμφωνοι δὲ ὧν ἅμα κρουομένων, ἢ αὐλουμένων ἀεὶ τὸ μέλος τοῦ βαρυτέρου πρὸς τὸ ὀξὺ, καὶ ὀξυτέρου πρὸς τὸ βαρὺ τὸ αὐτὸ ἦ Nicomachus Harmon. Manud. lib. I. Ἐπὶ τῶν ὀργάνων ἐντατῶν τε καὶ ἐμπνευστῶν καὶ κρουστῶν ποιούμεθα τὸν λόγον, κατὰ μίμησιν τῆς ἡμετέρας συντελεσθέντων. Plutarch. de discr. adul. & am. Κἂν διαπειρώμενος κρούσῃς σαθρὸν ἔκ τινος προφάσεως ὑπηχεῖ καὶ ἀγενές. Lucian. Necyomantia: Ταχὺ δέ μου κρούσαντος τὴν λύραν, παραχρῆμα ἐκοιμήθη ὑπὸ τοῦ μέλους. *Me vero celeriter pulsante lyram, illico obdormivit*

vit sub cantico. Nec aliter accipio istud in Abdicato: Τὴν δὲ μὲν τὴν ἁρμονίαν κρῦε, τὴν δὲ μή. *Hanc vero harmoniam pulsa, banc vero non*. Oceanum exhaurire tentarem, si, quæ occurrunt, omnia cumulare vellem. Strictim ergo atque breviter absolvam reliqua. *Pulsare januam* sive κρούειν τὴν θύραν invenio apud Phrynichum: Κροῦσαι τὴν θύραν. Ἴσως μὲν τοῦ παραβεβιάσθαι ἡ χρῆσις· ἄμεινον δὲ τὸ κόπτειν τὴν θύραν. Κροῦσαι τὴν θύραν *idem est ac pulsare januam: æqualiter enim huc usus transtuit, quanquam melius dicatur* κόπτειν *seu ferire januam*. Clavorum conflictus notari potest in proverbio apud Lucianum Philopseude: Καὶ ἥλῳ φασὶν ἐκκρούεις τὸν ἧλον. *Et clavo, quod ajunt, clavum trudis*. Apud Arrianum est κρούειν τοῖς ποσὶ τὴν γῆν sive *pedibus terram pulsare*. In Polybio lib. XVI. Πρύμναν κρούειν, *puppim pellere* est paulatim retrocedere puppim pellendo sive remis premendo, non autem proram ipsam antevertendo, ut explicant Lexicographi. Julius Pollux Onomast. lib. I. c. 9. Τὸ δὲ εἰς φυγὴν, πρύμναν κρούσασθαι. *De fuga autem dicimus, puppim ferire*. Eandem phrasin sed passive habet Thucid. lib. I. Euripidi κρούειν χεῖρας quo est *collisis manibus strepitum facere, plaudere*, dictum est. Metaphoricus alius verbi usus est notatus Suidæ Lexico: Κρουσιδημῶν· κατακρούων τῇ βοῇ· ἢ τὸν δῆμον ἀπατῶν καὶ παρακρουόμενος τῇ βοῇ· ἔστι δὲ παρακρουσόμενον, ὃ λέγεται ἐπὶ τῶν τοῖς μέτροις παραλογιζομένων· *Crusidemon idem est quod clamore quasi pulsans seu populum vociferatione fallens. Est enim eorum, qui mensuram pulsantes aliquem fallunt*. Recte Portus bina hic lectionis sphalmata notavit & pro βοῇ substituit αὐλῇ ex Scholiaste Aristophanis, qui vocem ei adhibitam in Equitibus ita interpretatus est. Deinde legendum existumat ἔστι γὰρ παρακρουσομένων μέτρον, &c. aut παρακρουομένων per præsens, quod ex sequenti παραλογιζομένων recte colligit. Κρούειν quoque textorum erat. Hinc vestes *crustæ* dicebantur, quæ bene percussæ erant. Codex Theodos. lib. XI. de Scenicis: *His quoque vestibus noverint abstinendum, quas Græco nomine Latini crustas votant, in quibus alio admixtus colori puri rubor muricis inardescit*. Hæc κρουστὰ & κεκρουσμένα ἱμάτια Juvenalis nominat vestes:

Bene percussas textoris pectine Galli.

Hesychius: Σπαθατὸν τὸ ὀρθὸν ὕφος σπάθῃ κεκρουσμένον, οὐ κτενί. Idem: Σπάθημα, πύκνωμα ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς σπάθαις κατακρουόντων τὰ ὕφη. Ad sequius ævum descendo. Ibi, ut κροῦμα sonus campanarum apud Græcos erat, sic κρούειν, quod a quibusdam corruptioribus κρούγειν profertur, pulsare istas sæpissime significat. Theodorus Petreorum episcopus in vita S. Theodori Archimandritæ: Μοναχοί τινες ἐκ τοῦ οἴκου θεασάμενοι μοναστηρίου, οἱ τινες τοῦ Σευήρου ματαιόφρονος ἐνόσουν αἵρεσιν, πρὸς κίνημα καὶ ἔριν τῶν μακαρίων ἐκείνων ἀνδρῶν ἀναιδῶς τῷ ξύλῳ ἔκρουον. Et infra: Οὔπω γὰρ ἦν δευτέρα τῆς ἡμέρας ὥρα, τοῦ οἰκείου προκύψας θαλάμου κρούειν τὸ ξύλον ἐκέλευσε τῷ τὴν πνευματικὴν ταύτην ἐπιτετραμμένῳ λειτουργίαν. Nicephorus Blemmydes in vita S. Pauli Latrensis: Προστάττει δὲ πρὸ τῆς ὥρας τὸ τῶν μοναχῶν ἀθροιστήριον κρουσθῆναι ξύλον, καὶ τὴν ἱερὰν γενέσθαι μυσταγωγίαν. Euchologium: Ὑπέρχεται ὁ κανδηλάπτης, καὶ κρούει τοὺς βαρέας ἐπὶ τὸν σιδηροῦν, ποιῶν στάσεις τρεῖς καὶ οὕτω συνάγονται πάντες οἱ ἀδελφοί. Aliud Euchologium: Εἶτα κρούσαντες τὸ σιδηροῦν· Typicum: Εἰς δὲ τὸν ὄρθρον κρούει ὁ κανδηλάπτης τοὺς βαρέας πρῶτον σχολαιότερον ἄχρι τῶν ν. Item: Καὶ ἑτοιμάσας τὸ θυμιατὸν ἐξέρχεται, καὶ κρούει τὸ σιδηροῦν. Notavit hoc jam ante sæpius laudatus Car. du Fresne, ex quo hæc excerpsi. Sed e diverticulo in viam aliquando redeundum est.

Scriptores Græci mediæ atque inferioris memoriæ cymbala movere βαλλίζειν appellant. Suidas: βαλλίζειν, τὰ κύμβαλα κτυπεῖν, καὶ πρὸς τὸν ἐκείνων ἦχον ὀρχεῖσθαι. Glossarium MSS. a Fresnio citatum: βαλλίζειν ἀντὶ τοῦ κύμβαλα κτυπεῖν. Ita intelligendum hoc verbum apud Theophanem anno I. Valentis de Massalianis Hæret, οὗτοι ψάλλοντες βαλλίζουσιν (interpretor *cum cymbalis saltant*: Quandoque enim βαλλίζειν simpliciter dictum pro saltando, unde in Glossis Græco-Latinis, quas Vossius in Etymologico citat, legitur: βαλλίζω, *salto*) τὰ παρὰ τοῦ Δαβὶδ παχέως ἐκλαμβάνοντες καὶ ἀνοήτως. Concil. Laodicen. Can. 53. Οὐ δεῖ Χριστιανοὺς εἰς γάμους ἀπερχομένους βαλλίζειν ἢ ὀρχεῖσθαι. Vita S. Simeonis: *Ne choreas cum cymbalis ducant aut saltent in nuptiis* Athenæus extremo L. VIII. Deipnosoph: Καὶ τινος εἰπόντος ὅτι βαλλίζουσιν οἱ κατὰ τὴν πόλιν ἅπαντες τῇ Θεῷ, ὦ λῷστε, ὁ Οὐλπιανὸς ἔφη, καὶ τις Ἑλλήνων τοῦτο βαλλισμὸν ἐκάλεσεν. *Et cum quidam diceret, quod omnes circa urbem Deæ ballizent, inquit Ulpianus, ridens, o Optime, ecquis vero Græcorum istud ballismum nuncupavit*? Benedictus Levita lib. VI. c. 193. *Illas vero ballationes & saltationes, canticaque turpia & luxuriosa & illa lusa diabolica non faciat*. Quæ verba coincidunt cum iis, quæ reperiuntur in Capitulis Karoli M. lib. VI. c. 19. Vopiscus in Aureliano: *Adeo ut etiam ballistea pueri & saltatiunculas in Aure-*

Aurelianum tales componerent. Romana Synodus sub Lothario c. 31. *Ne balando & turpia verba decantando choros teneant & ducant*. Revertor in Latium antiquum. Frequenter ibi cymbala Pulsari dicebantur. Gallus Eleg. IV.

Cymbala multiplices edere pulsa sonos.

Ovidius Fastor. IV.

Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant.

Lucret. lib. II.

—— In numerum pulsarunt aeribus aera.

Tibullus lib. I.

Illa tua toties aera repulsa manu.

Ovid. Metamorph. III.

—— Ærane tantum
Ære repulsa valent? ——

Statius Achill. II.

—— quater aera Rheae, quater Evia pulsan
Terga manu ——

QUATI & QUASSARI. Virgil. Georg. lib. IV.

—— Matris quate cymbala circum.

Claudian. VI. conf. Honor.

—— Cybeleia quassans
Hyblaeus procul aera senex ——

TUNDI. Propert. lib. III.

Tundet ad Idaeos cymbala rauca sonos.

Apud Graecos cymbalistae dicebantur ΚΤΥΠΕΙΝ & ΕΠΙΚΤΥΠΕΙΝ. Prius ex diversis autorum testimoniis, quae passim citamus & heic repetere prolixum foret, satis notum atque manifestum erit. Posterius invenio apud Clementem Alexandr. ad Gent. Τύμπανόν τε ἐπικτυπεῦντα καὶ κύμβαλον. *Qui confligit cymbala & tympana*. Sic Lucianus Deor. Dial. Ἐπιβομβεῖ τῷ τυμπάνῳ καὶ ἐπικτυπεῖ τῷ κυμβάλῳ. *Sonat tympano & crepat cymbalo*. Συγκτυπεῖν est apud Nonnum Dionys. α΄.

Καὶ τροχαλοῖς κροτέοντα πατάγμασι σύνθρονον ἠχὼ
Κύμβαλα βομβήεντα συνέκτυπε δίζυγι χαλκῷ
Συμφερτοῖς δονάκεσσιν ——

Et citatis quassationibus aequalem eliciens sonum
Conflixit strepetantia cymbala duplici aere
Consertis donacibus ——

ΤΙΝΑΣΣΕΙΝ. Agathias in Baccham:

—— Τάχα κύμβαλα χερσὶ τινάξαι.

Nonnus Dionys. μ΄.

Μὴ Φρύγα Κῶμον ἴδω, μὴ κύμβαλα χερσὶ τινάξω.

Non video comum Phrygium nec cymbala manibus movebo

ΒΡΕΜΕΙΝ. Diogenes Tragicus:

—— χαλκοκτύπων
Βόμβοις βρεμούσας ἀντὶ χερσὶ κυμβάλων.

CAPUT VII.

De sono cymbalorum. Communiter tinnitus dictus. Variae hujus vocis signationes adducuntur. Sonare. Grutillare. Ἀλαλάζειν. Ἠχεῖν. *Tinnitus ille varios sonos exprimebat, qui recitantur ex Etymologico. De cymbalo Peirescii. Cymbalis concini solitum.*

Cymbala ita conflicta singularem sonum eumque acutum atque argutum edebant. Ovid. IV. Fast.

—— Me sonus aeris acuti
Terret & horrendo lotos adunca sono.

Simpliciter ille sonus TINNITUS & cymbala TINNIRE dicebantur. Ovid. XIV. Metamorph.

—— Tinnitibus aera pulsi
Æris & inflati complevit murmure Buxi.

Arnobius loco, quem alias plenius citamus: *Etiamne aeris tinnitibus, quassationibus cymbalorum? Etiamne tympanis &c.* Seneca Natur. Quaest. II. cap. 29. *Vides enim, quanto vocaliora sint vacua, quam plena: quanto intenta, quam remissa. Ita tympana & cymbala sonant: quia illa repugnantem ex ulteriore parte spiritum pulsant, haec ad ipsum aerem acta, nisi concavo non tinniunt.* Martianus Capella lib. II. *Sed ecce magno tympani crepitu, crotalorumque tinnitu universa resultant*. Silius Italicus lib. XVII.

Circum arguta cavis tinnitibus aera ——

Ca-

Catullus Argonaut.

Plangebant aliæ proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.

In genere tinnitum omne fere æs vel ferrum & inſtrumenta ex his metallis confecta edere exiſtimabantur. Gloſſæ Græco-Lat. Ἦχος ἐπὶ χαλκῦ ϗ σιδήρυ, *tinnulus*, *tinnitus*. Lexicon Lat.-Græcum *Tinnitus* vetus: ἦχος χαλκώματος, βόμβος. Τρύφων. Gloſſæ aliæ: *Tinnitus*, βόμβος. Ammianus de Ariſtotele: *Ille namque ænea concha ſuppoſita bracchio extra cubile protenſo pilam tenebat argenteam, ut cum nervorum rigorem ſopor laxaſſet infuſus, geſtaminis lapſi tinnitus abrumperet ſomnium.* Hinc omnibus æneis inſtrumentis communis tinnitus. Siſtris. Apulej Metamorph. XI. *Hi capillum deraſi funditus vertice pænitentes: magnæ religionis terrena ſidera æreis & argenteis, imo vero aureis etiam ſiſtris argutum tinnitum conſtrepentes*, Ovidius de Ponto I. Eleg. I.

Jactantem Pharia tinnula ſiſtra manu.

Dodonæo lebeti. Auſon. Epiſt. XXV.

Nec Dodonæi ceſſat tinnitus aheni,
In numerum quotiens radiis ferientibus ictæ
Reſpondent dociles moderato verbere pelves.

Lituis. Silius Ital. VIII.

Is trepido lituum tinnitu ſtare neganti
Imperitans violenter equo ——

Galeis gladio verberatis ſive alio quocunque modo inter ſe concuſſis. Prudent. Pſychomach.

Ærea ſed cocto caſſis formata metallo
Tinnitum percuſſa refert ——

Guntherus Ligurini lib. IV.

Nam jam miſſilibus telis ferroque volanti,
Sed gladiis pugnare libet: tinnire ſonoros
Ictus audires galeas ——

Idem lib. VII.

—— *Tinnire cavas mucronis ab ictu*
Audires galeas ——

Gladiis. Ovid. Metamorph. V.

Quem ratus Aſtyages etiamnum vivere, longo
Enſe ferit: ſonuit tinnitibus enſis acutis.

Tintinnabulis. Venant. Honor. lib. II.

Te veniente ſacer cauſas patefecit opertas,
Tinnitum incipiens jam quaſi furta loqui.

Nempe tintinnabulis adeo proprius hic ſonus fuit, ut vel inde nomen traxerint. Catenis. Idem paulo poſt:

Cum ſolidarentur, non ſic ſtrepuere catenæ,
Ceu tinniverunt, cum crepuere feræ.

Minus tamen proprie hic *tinnitus* refertur ad tibias. Apul. Floridor. lib. I. *Primus duas tibias uno ſpiritu animavit, primus lævis & dextris foraminibus acuto tinnitu & gravi bombo concentum muſicum miſcuit.* Idem Metamorph. X. *Pone tergum tibicen hormum canebat bellicoſum, & permiſcens bombis gravibus tinnitus acutos in modum tubæ ſaltationis agilis vigorem ſuſcitabat.* Ad Tympana. Ughutio: *Tympanum quoddam inſtrumentum muſicum vel pellis, vel corium, vel ligno ex una parte contentum, vel cotextum; & dicitur ſic quod tinniat, vel dicitur ſic a tinton, quod eſt medium, quia eſt medium.* Etymon enim hoc ridiculum & nauci prorſus eſt. Ad vocem denique humanam. Svetonius in Nerone cap. 20. *Si paululum ſubbibiſſet, aliquid ſufferti tinniturum ſe Græco ſermone promiſit.* Catull. Epithal. Juliæ & Mallii:

Excituſque hilari die
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus, manu
Piceam quate tædam.

Plautus Caſina Act. II. Scen. 3.

Ohe: jam uxor ſatis es: comprime te, jam nimium tinnis.

Idem Pſeud. Act. III. Sc. 2.

Moleſtus ne ſis: nimium jam tinnis.

Idem Pænulo:

Canora ſic voce ſua tinnire temperent.

Tin-

Tinnitus vero aurium & mantia inde instituta itidem veteres haud latuit. Legimus hujus rei indicium apud Metellum Quirinal. Eclog. IX.

> *Nescio, quid causæ? resonat tinnitus ab aure*
> *De fama tristi nunquam requiescere nostri.*

Quod addi potest ad ea, quæ congessit Bulengerus de Ominib. cap. 2.

Sed redeo ex ambagibus. Cymbala etiam simpliciter tantum SONARE dicebantur. Catull. de Berec. & Aty: *Ubi cymbalum sonat vox:* de quo loco deinde. Terentius Varro: *Sonitum æris intonamus*. Claudian. R. P. lib. I.

> *Non buxus, non æra sonant* ——

Ovid. IV. Metamorph.

> —— *Tinnulaque æra sonant* – –

Idem Art. Aman. lib. I.

> —— *Sonuerunt cymbala toto*
> *Littore* ——

Stat. Thebaid. VIII.

> —— *Gemina æra sonant Idæaque terga.*

Ammianus Marcellinus XVIII. *Fumo pelluntur & tubulento sonitu cymbalorum*. Potuisset etiam ad cymbala vel aptius crotala verbum GRUTILLARE referri, quod lego ciconiæ tributum apud Cæsarium Miracul. x. cap. 58. *Ciconiæ eum crebrius grutillando circumvolvantes omnes in admirationem verterunt*. Nempe, quod vult illustris Vossius, *dicitur de ciconiis rostro crepitantibus: Ex voce crotalus, quasi crotillare*. Græci ἀλαλάζειν cymbala dicuntur, cum rei testis illustrissimus Paulus esse potest, qui πρὸς Κορ. Α'. κεφ. ιγ': Ἐὰν ταῖς γλώσσαις τῶν ἀνθρώπων λαλῶ καὶ τῶν ἀγγέλων, ἀγάπην δὲ μὴ ἔχω, γέγονα χαλκὸς ἠχῶν, ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον. *Si linguis angelorum loquor & hominum, amorem vero non habeo, æs sonans & cymbalum tinniens sum*. Post eum Isidorus Pelusiota lib. I. Epist. 108. Λόγου δὲ τοῦ ζῶντός σοι δεῖ, οὐ ὁ χηρεύων κύμβαλον ἀλαλάζον ἐστίν. Quanquam apud profanos autores rara aut nulla in illo sensu adhibitæ hujus vocis reperias vestigia, simili tamen & propinquo interdum adhibentur. Sic apud Nonnum & Euripidem tympanis ἀλαλαγμὸν adscriptum deprehendas. Hic in Cyclope vers. 65.

> Οὐ τυμπάνων ἀλαλαγμοὶ
> Κρήναισι παρ' ὑδροχύτοις.

> *Non tympanorum strepitus*
> *Ad fontes aquifluos.*

Quanquam apud eundem pro læto virorum clamore invenias. Supplic. v. 719.

> Ἐγὼ δ' ἀνηλάλαξα κἀνορχησάμην.

> *Ego autem exclamavi & saltavi.*

Scriptus sane Corybantum, ministrorum Bacchi & similium, quibus in usu cymbala, frequentissime ἀλαλαγμὸς est apud Nonnum in Dionysiacis. Sic lib. α'.

> Μυστιπόλων ἀλαλαγμὸν ἐμιμήσαντο καβείρων.

> *Imitabantur strepitum sacerdotum cabirorum.*

Ibidem θ'.

> Φρικαλέοι δ' ἀλάλαζον ——

> *Horrendum vero strepitum edebant* ——

Ibidem ιβ'.

> Βακχείοις ἀλάλαζον ὁμογλώσσου μέλος ἠχοῦς.

> *Bacchantibus clamarunt melos æqualis soni.*

Idem ιδ'. Σατύρων ἀλάλαγμα & Βάκχη δ' ἀμφαλάλαζε. Ibidem ιη'. Ἀμφίπολοι δ' ἀλάλαζον, *Ministri vero strepebant*. Ibidem κ'. Σειληνοὶ δ' ἀλάλαζον. *Sileni vero strepebant*. & ἀλάλαγμα χορείης, *strepitus chori Bacchici*. Ibidem κα'.

> Ἀμφιπαγὴς ἀλάλαζεν, ἀπειλείων Διονύσῳ.

> *Undequaque firmus clamavit, jactans se Baccho.*

Plurima alia, quæ apud eundem Nonnum reperiuntur loca, lubens prætereo. Satis enim ex his, quod docere volui, constat. Aliquando tamen & strepitum bellicum notat. Nonnus ιε'.

> Καὶ πτολέμων ἀλάλαγμα λιπὼν καὶ θούριον ἠχώ.

> *Et bellorum relinquens strepitum & Martium sonum.*

Et ιζ'. Ἰνδὸς Ἄρης ἀλάλαζε, *Mars Indus strepuit*. Et κγ' ὑγρὸς Ἄρης ἀλάλαζεν, *Mars humidus strepuit*.

Malo tamen Apostolum respexisse significationem priorem, quam cum quibusdam Theologis usum vocis in re militari, inter quo Vir Clarissimus: *Hæc*, ait, *ad dicta Pauli illustranda valde accommoda sunt*, *qui sermonem charitate orbum cum inconditis illis barbarorum ante prælia clamoribus componit*. De cymbalis ἀλαλάζοντι sermo est Apostolo, quæ apud Gentes inter quas vivebat Apostolus & ad quas scribebat, in bello nunquam in usu fuere. Quin, quod magis est, nullos unquam populos usos vere cymbalis negari tuto posset. Quæ vero occurrunt loca de expeditione Bacchi in Indos, &c. ex fabulis veterum depromta eadem, qua citantur, opera rejiciuntur. Et quod infra trado de Arabibus ex Clemente Alexandrino, ne mihi ipsi contradicere videar, illius rei fidem penes autorem omni alio teste destitutum depono. Vix vero credibile, si vel id maxume largiamur, proverbiali hac locutione intendisse Apostolum ritum dubium atque obscurum præ alio, qui tum in omnibus gentibus prævalebat, qualis erat in Corybanticis matris Deum sacris. Et quid impedit, quo minus, cum de amore loquatur Apostolus, ad Gallos cumprimis collimet, qui in memoriam amorum Attidis, ex amore erga Deam Berecynthiam inter inconditos cymbalorum ærisque & tibiarum strepitus furebant, testis se laniabant, virilia exsecabant.

Plane contrarium & tristem virorum ejulatum oppositum mulierum ὀλολυγμῷ hoc vocabulo exprimit Achilles Tatius Erot. III. Ἐῤῥάχθη τὸ κῦμα, ἐπάφλαζε τὸ πνεῦμα, ὀλολυγμὸς γυναικῶν, ἀλαλαγμὸς ἀνδρῶν. Hoc sensu sæpissime apud LXX. Interpretes, itemque Xenophontem & Euripidem venit hæc vox teste & autore Viro incomparabili & jam supra a nobis laudato Ez. Spanhemio in Obs. ad Juliani Orationem primam p. 233. 234. Atque ut istud ἀλαλάζειν convenire mihi videtur cum Latinorum *tinnire*, sic eorum *sonare* τῷ ἠχεῖν apte respondet. Atque hoc quidem satis frequenter de cymbalis usurpatur. Ex multis pauca addo. Clemens Alex. ad Gentes: Τύμπανόν τε ἐπικτυποῦντα. Athenæus Deipnos. VIII. cap. 16. Ἐγένετο κατὰ πᾶσαν πόλιν αὐλῶν βόμβος καὶ κυμβάλων ἦχος. Clemens Pædagog. II. cap. 4. Κυμβάλοις καὶ τυμπάνοις ἐξηχημένοι. Strom. VI. Κυμβάλων εὐρύθμως κρουομένων ἦχον ἐξακούεσθαι. Aristot. Mirabil. Ἐξακούεσθαι γὰρ τυμπάνων καὶ κυμβάλων ἦχον, γέλωτά τε μετὰ θορύβου καὶ κροτάλων ἐναργῶς.

Sufficiunt hæc. Tinnitus autem seu sonitus ille & elegans erat & varios modos seu nomos exprimebat. Vel solus id Gallus probabit Eleg. IV.

> *Cymbala multiplices edere pulsa sonos*.

Hos autem multiplices cymbalorum sonos ab interitu aliquantum vindicavit scriptor Etymologici, qui ita ait: Κύμβαλον παρὰ τὸ κύπελον, κύπαλον καὶ κύμβαλον· ἢ παρὰ τὸ πεποιημένην φωνὴν ἔχειν· κύμβαλον γὰρ ἐκ πεποιημένης φωνῆς εἴληπται· αἱ δὲ πεποιημέναι φωναὶ αὗται· κυμ, καρ, κεν, ρε, κρι, κε, τρι, χθα. Singularem soni præstantiam habuit cymbalum illud, quod cimeliarchium Viri immanis eruditionis & ad singulare Reipublicæ literariæ emolumentum nati, Nicolai de Peiresk, ornavit. Colligi id potest, ex descriptione, quam exhibuit Petrus Borellus in auctario ad Gassendi vitam Peireskii, quæ p. 285. his verbis absolvitur: *Non prætereundum a me visum cymbalum æneum miræ elegantiæ ex eodem Musæo prodiens: forma erat globosa instar mali aurantii, intus cava & duabus portionibus, quasi cupulis distincta, e quarum imo alia cupula emergebat priori non in oris, sed in puncto contactus solummodo adhærens, quæ primulis parallelis a vertice deorsum deductis, quasi totidem foraminibus pervia, si vel leviori manu concuteretur, Harmonicum sonum ad horæ sesquiquadrantem continuatum, & ex ære repercusso Echum multiplicem emitteret*. Cymbala movi: tinnitum dedi: modos musicos servavi: nihil restat, nisi ut succinatur. Istud enim a priscis factum esse autores testantur. Præcipue Dionys. Halicarnass. περὶ Δημοσθ. δεινότητος. Καὶ διαῤῥεῖ διὰ τῆς ἀκοῆς ἡδέως πως καὶ ἀπαθῶς, οὐδὲν ἧττον, ἢ τὰ δι᾽ ᾠδῆς καὶ ὀργάνων μουσωθέντα κρούματα καὶ μέλη. Quanquam heic satis apte lyræ citharæve pulsus subintelligi potest. Clarius Plinius lib. II. cap. 14. *Plausus tantum ac potius sola cymbala & tympana istis canticis desunt*.

CAPUT VIII.

Cymbalorum antiquitas vetustissima. Quo quid obscurius apud vetustos authores, eo antiquius. Idæi Dactyli invenerunt Cymbala ferreis vel æreis Musicorum instrumentis omnibus antiquiora sunt. Musica & æs ab Idæis Dactylis inventa. Horum nomina & ætas. Rejiciuntur nimis provehentes & nimis abbreviantes ætatem eorum.

AD historiam cymbalorum venio, rem, si quæ alia, intricatissimam. Si extremam cymbalorum ætatem a me quis requiret, lubens affirmo me nescire. At vero ingens mihi ad vetustatem summam probandam est argumentum authorum profundum silentium. Nempe memoriam scriptorum plerumque anticipant, quæ memorata ab iis non sunt. An ante diluvium fuerint cymbala, istud ego juxta cum ignarissimis scio. Quando post diluvium cœperint, ne id quidem. Fas tamen mihi in tantis tenebris indagare aliquantillam conjecturis lucem. Cur antiquitate prævalere cymbala inter multa alia instrumenta existumem, tria sunt, quæ me movent. Primum ita puto. Cæterorum instrumentorum Musicorum passim inventores memorantur: ubi de cymbalis quæres, βολβὸς ζητεῖς. Ita tibiarum authorem alii Apollinem, Marsyam alii, quidam Hyagrum quendam aut Olympum Phrygem faciunt. Lyram jam Mercurius, jam Phœbus invenit; cymbalum quis? nescitur. Scilicet omnem antiquitatem scriptis asservatam longe antevertit. Deinde a conflictu & tinnitu aeris omnem a principio musicam profectam esse affirmat Solinus Polyhist. cap. XI. *Studium musicum inde cœptum, cum Idæi Dactyli modulos Crepitu & Tinnitu Æris deprehensos in versificum ordinem transtulissent.* Nec deest huic traditioni ratio: saltem apud animum suum quis consideret, non potuisse faciliorem Musicorum modorum inventioni occasionem nasci, quam agnito, qui metallis concussis inest, sono. Jam vero, si ex collisione æris sive ferri (nam utrumque potuit fieri, quia utriusque Idæi Dactyli authores fuere, ut mox probo) antiquitas primo adducta est ad Musicam instrumentalem excolendam, non potuit hominum solertum ingenio quicquam prius occurrere, quam cymbala: horum quippe motus proxime accedit ad rudem illam & simplicem æris ferrive collisionem. Istud fere affirmarem omnibus instrumentis Musicis, quæ ferro vel ære constant, vetustiora esse cymbala. Tertio loco conjecturas meas roborabit aliquanto præcisior inquisitio in tempus ipsum. Liceat mihi istud protendere in ætatem Idæorum Dactylorum. Hoc ut credam, hæc me movent. Primo Isidorus ex priscis procul dubio commentatoribus affirmat Orig. lib. XIV. cap. 6. *Studium Musicum ab Idæis Dactylis cœptum.* Deinde & Solini superior traditio huc facit, qui dicit *Idæos Dactylos Tinnitum & Crepitum Æris primos deprehendisse.* Ubi imprimis notandum, quod *tinnitus* & *crepitus* a Solino positum sit, quia nempe propria hæc cymbalis & ad eorum sonum exprimendum apta vocabula. Accedit quod non tantum tinnitum atque crepitum æris & ferri, sed ipsum etiam æs & ferrum Idæi Dactyli detexerint. Teste enim Diodoro Siculo lib. v. *Idæi Dactyli in Creta ignis usum ærisque ac ferri invenerunt in Berecyntho Antisaptæreorum regione* καὶ τὴν ἐργασίαν, δι' ἧς κατασκευάζεται, (notandum) *ejusque conflandi rationem.* Addo Clementem Alexandr. Strom. I. Κέλμις τε αὖ καὶ Δαμναμενεὺς οἱ τῶν Ἰδαίων Δάκτυλοι πρῶτοι σίδηρον εὗρον ἐν Κύπρῳ· ὁ δὲ ἄλλος Ἰδαῖος εὗρε χαλκοῦ βράσιν. *Celmis sane & Damaneus Idæorum Dactylorum primi invenerunt ferrum in Cypro, alter vero mixturam æris.* Alius ille qui æris fabricam invenit, fallor, an ille Acmon dictus est? Hunc enim istis duobus addit Schol. Apollonii ex Phoronidis auctore:

> Κέλμις, Δαμναμενεύς τε μέγας καὶ ὑπέρβιος Ἄκμων.
>
> *Celmis & magnus Damaneus & annosus Acmon.*

Quanquam in horum nominibus valde varient authores: Strabo enim lib. x. quatuor numerat, quos nominat: *Salaminum, Damnameneum* (corrupte enim legitur Δαμνανέα, ut & superius apud Clementem ex sententia Marshami) *Herculem, Acmonem.* Apud Pausaniam quinque sunt: *Hercules, Pæoneus, Epimedes, Jasius & Idas.* Eodem teste lib. v. *Alii centum numerant, alii decem* τοῖς ἐν ταῖς χερσὶ δακτύλοις ἰσαρίθμους. Sed redeamus ad propositum. Clemens quoque Alexandrinus pro nobis facit, quando inter multa alia horum inventa etiam Musicam collocat. En locum ejus lib. cit. Τινὲς δὲ μυθικώτερον τῶν Ἰδαίων καλουμένων Δακτύλων σοφούς τινας πρώτους γενέσθαι λέγουσιν, ὧν οὗ ἥτε τῶν Ἐφεσίων λεγομένων γραμμάτων, καὶ ἡ τῶν κατὰ μουσικὴν εὕρεσις ῥυθμῶν ἀναφέρεται δι' ἣν αἰτίαν οἱ παρὰ τοῖς μουσικοῖς δάκτυλοι τὴν προσηγορίαν εἰλήφασι. *Magis*

vero fabulose quidam existimant Idæos, quos Dactylos nominant, primos fuisse sapientes, quibus & literarum quas Epesias nominant, & Musicorum rhythmorum inventio accepta refertur, ob quam causam dactyli apud Musicos appellari solent. Ac jam quidem aliquibus conjecturis me firmasse puto, potuisse cymbala ab Idæis Dactylis inventa esse. Horum jam antiquitas cymbalorum vetustatem probat, quæ nec nimium producenda nec nimium mutilanda. Inter illos sæpius citatus ille Clemens est, qui tradit esse ἀπὸ τȣ̃ κατακλυσμȣ̃ ἐπὶ τὸν Ἴδης ἐμπρησμὸν ϗ τὴν ἕυρεσιν τȣ̃ σιδήρȣ καὶ Ἰδαίȣς Δακτύλȣς ἔτη ἑβδομήκοντα τρία: ὥς φησιν Θράσυλλος. Ingentes hoc habet difficultates, ita ut nesciam, qui vero alias satis erudito in mentem hæc venire potuerint. Qui Idæos Dactylos æquales faciunt Josuæ, magno pugnant argumentorum colore. Idæos Dactylos cum Minoe e Phrygia concessisse in Cretam ex Epochis marmoreis Arundellianis, atque aliis auctoritatibus monent. Minos vero, inquiunt, Josuæ æqualis fuit. Idem Baccho atque Herculi coætaneus dicitur, sub quibus latuere Josuæ facta. His ego oppono: Primo Idæos Dactylos cum Minoe in Cretam non potuisse proficisci, quia Minos tum indigena erat, tum ab aliis non e Phrygia in Cretam, sed contra e Creta in Asiam narratur profectus. Sed & Idæos Dactylos non Minoem, at Jovis, quem Minois patrem tradunt, matrem Idæam comitatos fuisse credo. Deinde si Minos Baccho coævus fuit, non potuit gaudere satellitio Idæorum Dactylorum: hi enim utrisque anteriores. Jam vero, quo illustriorem cymbalis antiquitatem vindicem, hæc singula contra adversarios sequenti capite probanda mihi video.

CAPUT IX.

Idæi Dactyli Josuæ ætate vetustiores. Minos non profectus e Phrygia, sed e Creta in Asiam. Lux Stephano, Tacito, Homero, Josuæ XI. 22. Huetius sæpius, semel Nat. Comes notatur. *Minos profugus. Gazam non ædificavit. Jupiter Cretensis primus in Asia non cultus. Mannas. Cretagenes.*

MAre hic ineo tam confusum & tam intricatum, ut sæpe mecum verear, ne lector tot apinis atque tricis implicatus nauseam gignat, cujus tamen judicium & patientiam heic inprimis exoramus. Ut communem Chronologorum sententiam de Idæis Dactylis ad Josuæ ætatem deducendis vacillare faciam (quod ita ad cymbala mea pertinet, ut annis Idæorum Dactylorum constitutis de vetustate cymbalorum quoque certum aliquid me tradere posse putem) hæc mihi latius firmanda erunt:

1. *Minos erat indigena.*
2. *Non e Phrygia in Cretam, sed e Creta in Asiam profectus esse videtur.*

Ergo Idæi Dactyli non potuere esse ejus comites.

3. *Idæi Dactyli comitati sunt Idæam matrem Jovis secundi in Cretam.*
4. *Jupiter secundus videtur esse frater Minois.*

Ergo Idæi Dactyli antiquiores Minoe.

5. *Idæi Dactyli Baccho antiquiores sunt.*

Ergo etiam Minoe & Josua.

I. Minoem fuisse indigenam probatissimæ authoritates docent. Adstipulari huic opinioni videtur Homerus Iliad. 13. versic. 450.

(Ζεὺς) πρω̃τος Μίνωα τέκε Κρήτῃ ἐπίȣρον.

Jupiter primus in Creta genuit regem Minoem.

Jovem autem Cretensium regem Minois patrem fuisse corollario quarto doceo. Atque hujus ego authoritatem Epochis illis Marmoreis antiquiorem duco, quanquam illæ ita: Ἀφ' ȣ̃ Μίνως πρ . . . . βα . . . . λωνίαν (supplevit Marshamus: πρω̃τος βασιλεὺς Ἀπολλωνίαν) ᾤκισε ϗ σίδηρος ἠυρέθη ἐν τῇ Ἴβῃ, ευρόντων τω̃ν Ἰδαίων Δακτύλων Κέλμιος ϗ . . . . λεύοντος (lege βασιλεύοντος sive ἀρχεύοντος) Ἀθηνω̃ν Πανδίονος.

II. Quod quis objiciat Platonem in Gorgia dicentem: Ἐγὼ μὲν ȣ̃ν ταυ̃τα ἐγνωκὼς πρότερος ἢ ὑμει̃ς, ἐποιησάμην δικαςὰς ὑιει̃ς, δύω μὲν ἐκ ἀη̃ς Ἀσίας, Μίνω τε ϗ Ῥαδάμανθυν, ἕνα δὲ ἐκ τη̃ς Ἐυρόπης, Ἀιακόν. Istud nempe de uxoribus Jovis isto cognomine insignitis accipiendum est. Quod si id nolles, ne ita quidem hæreremus, quia Minos non exiguum temporis in Asia hæsit; quin imo urbem ex suo nomine Minua, quam deinde Gazam appellarunt, exstruxit. Audi hæc omnia clare atque perspicue docentem Stephanum in Gaza: Γάζα πόλις Φοινίκης πρὸ τη̃ς Ἀιγύπτȣ

πτȣ̀ ἐκλήθη δὲ καὶ Μίνωα, ὅτι Μίνως σὺν τοῖς ἀδελφοῖς Αἰακῷ καὶ Ῥαδαμάνθει ἰὼν, ἐξ αὐτȣ̃ ταύτην ἐκάλεσεν. Ἔνθεν καὶ τὸ τȣ̃ Κρηθαίȣ Διὸς παρ᾽ αὐτοῖς ἦναι, ὃ καὶ καθ᾽ ἡμᾶς. Ἐκάλȣν Μαρναν, ἑρμηνευόμενον Κρηταγενῆ. Addo versionem, quia singulari paraphrasi locus hic indiget: *Gaza urbs Phœniciæ apud Ægyptum, quæ & Minoa vocata est, quia minos cum Æaco & Rhadamantho fratribus eo profectus illam de suo nomine vocavit. Hinc & apud eos est idem Jovis Cretensis cultus, qui & apud nos: illi Marnan vocant, Cretagen Græci.* Nota jam:

Minoa Vocata. Hieronymus non ipsam Gazam, sed oppidum non procul ab ea ita appellari scribit: *Medemana in tribu Juda, cujus meminit Esaias, & nunc est Minois oppidum juxta civitatem Gazam.*

Eo Profectus. Certe valde hoc verisimile est, cum variæ hujus itineris potuerint esse causæ, e quibus speciosissimas has duas esse existumo. Primo certum existimo Idæam matrem, Phrygiam illam, uxorem fuisse Jovis primi & Cretensis, & ante eam Europam Agenoris filiam. Jam vero continuandæ cum Asiaticis regnis sibi affinitate conjunctis necessitudinis gratia, legationis loco hos suos sive filios sive famulos (nam utrumque memoria proditum est) mittere in Asiam potuit. Deinde cur potissimum in Phœnicia sibi commorandum Minos duxerit, nemini ignotum esse potest, non dico qui Europam Phœnicem Minoi matrem fuisse fatetur, sed qui ad Hebræorum & Ægyptiorum sapientiam hauriendam omnes reliquarum gentium sapientes ab omni ætate confluxisse novit. Ideo mihi in confinio Ægypti atque Phœniciæ sedem fixisse Minos creditur, tum, quia in Cananitide ardua flagrabant bella, tum ut utrorumque placita inter se comparans perfectiorem inde philosophiam sibi atque suis (quos ad cultiora ingenia bonis institutis revocare forsan jam tum meditabatur) comparare posset. Ita intelligo locum Taciti Hist. v. cap. 2. *Judæos Creta profugos novissima Libiæ insedisse* (tota enim Africa olim Lybia audiebat, & Gaza ubi consedisse Minoem credo, atque in confini pago aliquo cum frequenter diverteretur, eum inde nomen traxisse) *argumentum e nomine peti; inclytum in Creta Idam montem, accolas Idæos, aucto in barbarum cognomento, Judæos vocitari*. Nec enim cum Clarissimo Huetio hic facio, qui Minois, Idæorumque nomen omnino sustollit. Tantum similitudinem nominis fefellisse Tacitum puto, qui Judæos ex Creta profectos affirmat, cum Idæos deberet. Nec inde statim liquet Idæos Cretenses cum Judæis exoticos scriptores confudisse. Quod vero Tacitus *profugos* eos dicat, in eo facile assentior & priorem de legationibus susceptis conjecturam lubens damno. Attendat modo Lector, atque omnia expedita inveniet, magisque jam historiam, quam fabulas olentia. Idæa conjux fuit Jovis primi, & ut puto secunda, postquam Minos, Rhadamanthus & Æacus ex Europa atque Asia jam suscepti antea erant. Illa cum Jovem secundum enixa esset, videtur difficilis novercæ in priores illos vices egisse, ambitione ducta pro proprio filio regnum acquirendi. Pater ut paci domesticæ consuleret, filios primi conjugii exulatum misit, qui hoc cumprimis loco consederunt, tum quia aversabantur Phrygas novercæ cognatos, tum sapientiæ, ut dixi, amore. Post mortem vero patris rediere in Cretam, matremque cum filio inde ejecere, relictis, qui in Phœnicia jam assueverant, popularibus. Nec adeo difficilis sum, ut omnem fidem Diodoro Siculo negem, historico probato & magnæ authoritatis, expeditionis socios Mosi adjungenti. Istud adhuc addo, putare me Minoem, cum jussu patris in exilium cum fratribus se conferret, novennalem fuisse. Haurio hoc ex traditione Homeri, quo testante novem annos cum Jove egit Minos. Ita ille Odyss. τ'.

> Τοῖσι δ᾽ ἐνὶ Κνωσὸς μεγάλη πόλις, ἔνθα τε Μίνως
> Ἐννέωρος βασίλευε Διὸς μεγάλȣ ὀαριστής.

Præter necessitatem vertit Huetius:

> *Apud eos erat Cnossus magna urbs, ubi Minos*
> *Regnabat, qui nono quolibet anno cum Jove magno confabulabatur.*

Quam enim ille ex Platone affert sententiam, eam iterum pro lubitu suo vertit. Recte tamen monet ἐννέωρος conjungendum esse cum ὀαριστής, quod non observavit Natalis Comes ita reddens:

> *Has inter Gnossus præclara urbs, ipseque Minos*
> *Discipulus Jovis: hic nonum regnavit in annum.*

Liceat mihi nunc ita vertere:

Illis

Illis vero Cnossus erat magna urbs, & in ea Minos
Regnabat auditor Jovis per novem annos.

Quæ enim pertinent ad antrum Jovis, in quo cum eo congressus est Minos, ea huc non faciunt & aliter explicari debent. Ad rem præsentem venio. Quia ergo per novennium illud Jovis patris institutione usus est, post absolutum idem exulasse firmiter mihi persuadeo.

De suo nomine vocavit. Potest hoc factum esse: de exstructione enim ejus per Minoem facta valde dubito. Nec frustra. Temporibus enim Josuæ Gaza jam stetit & hoc nomen habuit. Testatur hoc cap. v. vers. 22. Ο'υ κατελείφθη τῶν Ε'νακιμ ἀπὸ τῶν ὑιῶν Ι'σραὴλ, ἀλλά πλὴν ἐν Γάζῃ καὶ ἐν Γὲθ, καὶ ἐν Α'σελδῶ κατελείφθη. Duo ex hoc loco noto: primo, quod dixi, Gazam jam temporibus Josuæ fuisse, illum enim sui libri authorem esse satis evidenter magnus Huetius demonstravit. Deinde, quod Gazæ cumprimis pepercerit Josua, fallor, an ob fœdus, quod cum Cretensibus icit Josua, cum eo bellantibus & Gazam incolentibus?

Jovis Cretensis Cultus. De secundo concedo, de primo non item. Nec enim Minos attulit cultum Jovis in Asiam, sed ipsa Idæa mater. Rem ita contigisse censeo. Jove primo mortuo, rediit Minos ab exilio, & matrem Idæam ejecit cum recenter nato Jove secundo, cui quidem insidias struxit, sed cum dolo Idæorum Dactylorum tegeretur, salvus evasit. Hic a Corybantibus in Phrygia exceptus & cum matre sua instar Dei cultus est. Probabo hoc suo loco.

Marnan vocant. Recte: nam Marnas κύριος ἀνθρώπων. An vero hoc facit aliquid ad persuadendum ex Creta hujus Jovis cultum manasse; nequaquam. Vel etymon specta, Syrorum est, ut eleganter docuit Bochartus: nam Huetii nimis longe est petitum.

Cretagenen Græci. Hoc nullo pacto in Jovem primum quadrat, aliquo in secundum. Jupiter primus, quem cæteri Asterium nominant, filius Tectami fuit, *qui cum Doribus & Pelasgis* (tradit Diodorus) *in Cretam trajiciens, ibi regnavit*. Non poterat Cres dici, qui ex aliena provincia venerat & diripuerat Cretam, multo minus Κρηταγενής. At filium ejus recte ita vocarunt, ille enim & in Creta natus & patre Cretensium rege: quanquam de Creta nihil habebat, nisi quod in ea natus esset.

Satis jam constare puto & Minoem indigenam fuisse, id est, in Creta natum, & e Creta in Asiam, non e Phrygia in Cretam profectum esse. Ergo Idæi Dactyli non potuere esse ejus e Phrygia comites.

C A P U T X.

Pergo probare Idæos Dactylos fuisse Josua vetustiores & Minoe ejus compari. Comites fuere Idææ, & Phryges, non Cretenses. Strabo exploditur. *Lapis Idæus Dactylus. An Curetes Idæorum Dactylorum filii*. Diodorus explicatus. *Minos Jovis primi filius, secundi frater*.

DUobus aliis argumentis docere pergo Minoem atque Josuam Idæis Dactylis cymbalorumque inventione posteriores fuisse. Idæi Dactyli comitati sunt Idæam Phrygiam uxorem Jovis primi, matrem secundi, novercam Minois in Cretam. Non ego hæc affirmo, quasi revera ita gesta sint: nimium enim tribuerem mihi, si id facerem, sed tamen conjectare mihi certis rerum argumentis destituto, lucem tamen aliquam in tantis tenebris captanti licebit. Primo ego affirmo historiam illam fabulis tot coopertam, de Jove ejus matre & patre Saturno, melius extricari non posse. Jupiter natus est in Creta: hoc vero non potuit, nisi & mater ejus, quam Phrygiam illam Berecynthiam ingenti consensu authores tradunt, ibidem fuerit. Natus est ex rege Cretæ, quem Asterium alii, alii Jovem Cretensem vocant. Illum vero cum Saturno confundere facile potuere fabularum prisci aucupes. Nam & sacrificia humana ei immolata & alii ritus observati, qui Saturni sacra arguerent. Idæam deinde Phrygiam in Cretam profectionem suscepisse authores testantur. Vel solus Strabo sufficit, qui itineris hujus aperte mentionem facit: Ο'ι δὲ (subintellige λέγεσι) Τελχίνων ἐν Ρ'όδῳ ἐννέα ὄντων, τὰς Ρ'έᾳ συνακολυθήσαντας ἐς Κρήτην, καὶ τὸν Δία κυροτρογήσαντας Κυρῆτας ὀνομασθῆναι. Itineris autem hujus causam nuptias cum Jove Cretensi fuisse conjicio, quia matrimonium hoc similiter memoratur. Stephanus: Ο'ι μὲν φασιν, ἀπὸ τῦ Κόρης Κορήτην, καὶ Κρήτην κατὰ συγκοπήν· οἱ δὲ ἀπὸ Κρητὸς. τῦ Γιὸς καὶ Ι'δαίας νύμφης παιδός· οἱ δὲ ἀπὸ Κρήτης, &c. conjugium Jovis cum Idæa nympha, en prognatum ex hoc matrimonio Creten. At vero concesso, Idæam cum Jove Cretensi nuptias junxisse, nondum liquet Idæos Dactylos comites ei adfuisse. Heic ego ita argumentor: Cum authorum fides Idæos Da-

ctylos

ctylos jam in Phrygia, jam in Creta statuat, necessarium est, illos utroque in loco fuisse. Deinde Idæi Dactyli, qui cum Corybantibus autem iidem, aut certe vel patres vel antecessores fuere, recte satellites primorum Regum atque Reginarum Phrygiæ habentur. De Corybantibus unanimis consensus authorum; quam vero hi cum Idæis Dactylis iidem, ex sequentibus perspicue elucescet. Solus jam sufficiet Diomedes Grammaticus l. 3. *Dactylus a tractu digitorum dictus; vel ab Idæis Dactylis, quos Curetas sive Corybantes Poetæ appellabant*. At vero Strabo hic remoratur lib. x. inquien: Ὑπονοοῦσι δὲ, τῶν Ἰδαίων Δακτύλων ἐκγόνους εἶναι τοὺς τε Κουρῆτας καὶ τοὺς Κορύβαντας· τοὺς γοῦν πρώτους γεννηθέντας ἐν Κρήτῃ ἑκατὸν ἄνδρας, Ἰδαίους Δακτύλους κληθῆναι· τούτων δ᾽ ἀπογόνους, φασί, Κουρῆτας ἐννέα γενέσθαι· τούτων δ᾽ ἕκαστον δέκα παῖδας τεκνῶσαι, τοὺς Ἰδαίους καλουμένους Δακτύλους. At vero quam intricata hæc omnia. Dactyli Idæi in Creta nati. Hi Curetas & Corybantas genuere, ii iterum Dactylos Idæos. Profecto Strabonis apud me exigua fides in his rebus: adeo suspecta & contradictoria omnia. Quid falsius quam Curetas & Corybantes eosdem fuisse, quod ex sequentibus facillime patebit? Deinde quis dixit Straboni Idæos Dactylos in Creta natos, quos potiori jure in Phrygia colloco, quod & ipsum nomen docet, quod ego procul dubio ab Idaæ Phrygia derivo. (Moneo in parenthesi, unde Dactyli dicti sint, non adeo convenire? Quidam enim dixere quinque fuisse numero & totidem habuisse sorores, alii dactyli pedis inventionem iis adscribunt. Mihi sane non displicent, qui putant a robore trahendum nomen, quod emblematice per digitos repræsentatur.) erant quippe quasi robur Phrygiæ matris, quæ & Idæa dicitur & unde mons Ida tam Phrygiæ quam Cretæ dicitur. Juxta montem Cretæ Idam autem lapides inveniebantur *coloris ferrei & humano pollici similes* testibus Solino cap. 2. & Plinio XXXVII. 10. *Idæus Dactylus dicitur*. Isid. Orig. l. XIV. cap. 5. Causa facile divinatur: Ἦν τὸ σχῆμα δακτύλῳ ἀνδρὸς ἐμφερὴς τῷ ἀντίχειρι, Psellus inquit l. de Lap. Doceo hoc ἐν παρόδῳ, ne quis hæc inter se confundat aut Idæos Dactylos ab istis lapidibus, contrave dictos putet. Ad Strabonem jam redeo. Quia ferire nos pergit, videbimus, quid oggeramus. Ita ille: Ἐν δὲ τοῖς Κρητικοῖς λόγοις, οἱ Κουρῆτες Διὸς τροφεῖς λέγονται, καὶ φύλακες εἰς Κρήτην ἐκ Φρυγίας μεταπεμφθέντες ὑπὸ τῆς Ῥέας. *In Creticis vero sermonibus Curetes altores Jovis dicuntur & custodes ex Phrygia in Cretam a Rhea missi*. Quam vero contradictoria item omnia? Affirmaverat priore loco Dactylos Idæos Cretenses esse, horum filios fecerat Curetes, eosdem jam Phryges constituit. Curetes antiquissimi sunt Cretæ indigenæ & Cretæ nomen dedere, ut infra probo: falso ergo Phrygiæ comites addiderunt. Potuissent in legatione a Jove Cretensi ad Idæam sponsam missi esse & stipasse eam, sed non convenit vox μεταπεμφθέντες. Non sum nescius Curetas a quibusdam Idæorum Dactylorum filios censeri, inter quos Diodorus lib. III. Μετὰ δὲ τοὺς Ἰδαίους Δακτύλους ἱστοροῦσι γενέσθαι Κουρῆτας ἐννέα· τούτους δ᾽ οἱ μὲν μυθολογοῦσι γεγονέναι γηγενεῖς, οἱ δ᾽ ἀπογόνους τῶν Ἰδαίων Δακτύλων. *Ab Idæis vero Dactylis commemorant genitos Curetas novem: illos vero quidam terrigenas & terra genitos fabulantur, quidam vero posteros Idæorum Dactylorum*, At vero ille locus tantum abest, ut evertat meam thesin, ut potius præclare muniat atque ornet. Concesso, quod tamen mox aliter evincam, Diodorum ita sensisse, an hoc mirum in tantis tenebris, cumprimis ubi cura educationis Idæos Dactylos Curetum parentes potuit facere. Pensentur enim circumstantiæ. Cres Curetum seu pater seu frater Jovis Cretensis ex Idæa filius erat. Hujus institutionem nemini securius demandabat Idæa, quam Idæis suis Dactylis viris prudentibus, rerumque inventione & notitia præclaris. Sed ne hoc quidem vult Diodorus: potius recenset diversas de ortu Curetum sententias, quos alii indigenas (γηγενεῖς) alii filios Idæorum Dactylorum faciebant. Distinguit ita Vir Doctissimus, quia sciebat, non posse simul indigenas & simul Idæorum Dactylorum filios esse, qui nuper cum Rhea e Phrygia venientes in his regionibus consederant.

IV. Jupiter secundus videtur esse frater Minois. Qui antecedentia adhibito in rationem judicio & attentione perlegit, facillime deprehendet, apte omnia inter se cohærere hac thesi constituta. Minos Jovis filius fuit Cretensis nempe, quod vel ex sepulchro ejus constat, de quo ita Scholiastes Callimachi: Ἐν Κρήτῃ ἐπὶ τῷ τάφῳ τοῦ Μίνωος ἐπεγέγραπτο, ΜΙΝΩΟΣ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΑΦΟΣ. Τῷ χρόνῳ δὲ τὸ ΤΟΥ ΜΙΝΩΟΣ ἀπηλείφθη, ὥστε περιλειφθῆναι ΔΙΟΣ ΤΑΦΟΣ. Ἐκ τούτου οὖν ἔχειν λέγουσι Κρῆτες τὸν τάφον τοῦ Διός. Non vero ex Idæa, sed ex Europa, in quo consentiunt fabularum illi fabricatores, Phœnicis Agenoris filia. Huic mortuæ superinducta est Phrygia Idæa Jovis secundi, cujus cultus in Phrygia tanta frequentia deinde est observatus.

tus. Ab illius rixis Minos exul, ut ante diximus, in Phæniciam ivit. Possem heic continuare fabularum seriem, aliasque adnectere & eadem ratione sibi invicem conciliare, si id agerem. Sed satis pro thesi mea roboranda hoc fuit:

Idæi Dactyli satellites & optimates fuere Idææ, quæ peperit Jovem fratrem Minois. Ergo ætate aliqua vetustiores sunt Minoe, qui novennalis in exilium concessit.

CAPUT XI.

Idæi Dactyli Baccho sunt antiquiores. Bacchus idem cum Jove Phrygio. Amborum historia cum Mosis rebus gestis confusa.

ULtimum argumentum examino. An Idæi Dactyli Baccho antiquiores sunt? Videtur; atque de Baccho videamus. Conjecturæ basis in eo consistit, ut probemus Jovem & Bacchum eundem fuisse, Jovem nempe Phrygium. Strictim hoc loco istud faciendum, quia commode & necessario retractabitur hæc materia libro tertio. Idem utrique cultus, eadem sacra. Cymbala, tympana utrique, nisi quod obscurior ejus mentio in sacris Jovis, cujus scilicet Numen pro reverentia matris ibi non potuit ita sanctum haberi, ubi cum matre, quam ubi solum adorabatur. Furibundi homines & heic & illic. Sabazius uterque erat. Corybantes & hujus & illius ministri. De Jove clarum: de Baccho testis Nonnus, quem vide sis Dionys. lib. IX. vers. 161. Hinc Bacchum Rheæ cultum per orbem circumtulisse testatur Tzetzes, utpote qui idem erat cum Jove filio Rheæ. En verba ejus in Lycophronem p. m. 51. Διόνυσος ὁ καὶ Διός καὶ Σεμέλης παῖς ἐν Φρυγίᾳ ὑπὸ τῆς Ῥέας τυχὼν καθαρμῶ, καὶ λαβὼν πᾶσαν παρὰ τῆς θεᾶς τὴν διασκευὴν ἀνὰ πᾶσαν ἐγέρετο τὴν γῆν. *Dionysius filius Jovis ex Semele in Phrygia Rheæ initiatus omnem hujus Deæ apparatum per omnem terram circumtulit.* Hinc eodem affirmante alio loco p. m. 154. Κατά τινας ὁ Ζεὺς ἐν Θήβαις ἐτέχθη· καὶ τὰς μακάρων νήσους ἐν Θήβαις φασὶν εἶναι· καὶ τὴν μὲν Διὸς γέννησιν, οἱ μὴ εἰδότες τίς ἐστιν ὁ Ζεὺς, οἱ μὲν ἐν Κρήτῃ, οἱ δὲ ἐν Ἀρκαδίᾳ, ὁ δὲ Λυκόφρων ἐν Θήβαις τῆς Βοιωτίας φησίν. *Secundum quosdam Jupiter Thebis natus est, ubi & beatorum insulas collocant. Atque eorum quidem, qui, quid per Jovem intelligendum sit, haud sciunt, alii ejus generationem in Creta, alii in Arcadia, noster vero Lycophron Thebis accidisse ait.*

Adscribenda hic existumo quædam Euripidis loca, ex quibus multa in hanc rem notari possunt, quoque simili de caussa Magnus Antiquarius Laur. Begerus adduxit in fine differt. elegantissimæ de nummis Cret. Serp. Do illa brevitatis caussa Latine:

O beatus quicunque felix sacra Deum
Cognita habens religiose vivit,
Matrisque magnæ
Orgia Cybeles celebrans,
Thyrsumque sursum quatiens,
Edera redimitusque
Bacchum colit.
Ite Bacchæ,
Bromium Dei natum, Deum
Bacchum deducentes
Phrygiis de montibus
In Græciæ compita lata.

Alter ita se habet, cujus partem cito lib. II. cap. 12.

O Contubernium Curetum,
Divinique Cretes,
Jovis Genitores, tibiis
Tribusque galeis instructi in antris,
Globum hunc contentum pellibus
Mihi Corybantes invenerunt.
Bacchicumque intento
Temperantes Phrygiarum
Tibiarum flamine, Matris Rheæ in
Manum posuere pulchre strepens evasma Baccharum.
Juxta autem furentes Satyri
Matri famulabantur Rheæ:
Et choreas
Instituerunt trietericas,
Quibus gaudet Bacchus.

Tertius est apud Chorum in Palamede:

Cum Baccho commessans,
Qui apud Idam oblectatur cum matre cara
Tympanorum iacchis.

Thebis autem generatum esse Bacchum ex plurimorum traditione est. Jam vero animo advorte Bacchi cum Mose convenientiam, eruditissimis viris fere ad nauseam memoratam. Non possum tamen, quin illustrissima hujus rei documenta in brevi quasi tabella comprehendam. In arcam uterque æream conclusus & in profluentem abjectus, quod cum observas, recurrere te volo ad latitantem Jovem secundum præ insidiis patris Saturni sive Jovis primi, qui Minoi ereptum iri regnum verebatur. Huic Mosi nomen, illi Misi. Cornua tribuuntur utrique, quin & Jovi Ammoni, cum Jovum multitudines alterius cum alterius

cultu

cultu confunderent. Leges tulit uterque duplici tabulæ inſcriptas. Serpens in Orgiis Bacchi & Jovis Sabaziorum, quia ſerpentem æneum erexit in deſerto Moſes. Bacchus γιγαντολέτης & Jupiter devicit Titanas & Moſes filios Enacim. Bacchus vindicavit patriam in libertatem atque ἐλεύθερος inde cognominatus eſt. Idem cognomen Jovi, quia Moſes populares ſuos Ægyptiaca ſervitute exemit, Bacchus Cretica. Comatus & criſpatus inducitur Bacchus, ob Adonidem & Atidem, ſub quibus latuit Jupiter, ſimulque propter radios quibus Moſis vertex cingebatur. Τελετάρχης dicitur Bacchus, id eſt, rituum ſacrorum author, quia antiquiſſimus Deorum cultus, quatenus in librorum memoria aſſervatus eſt a Corybantibus Idææ matris atque Jovis cultoribus cepit originem & quia Iſraeliticæ religionis politiæque ad voluntatem Dei inſtructæ primus inſtitutor Moſes fuit. Bacchi demeſſa fuiſſe pudenda, in ciſtam condita, atque a Cabiris in Thuſciam delata, cur fingerent veteres, cauſæ fuit tum Attidis, ſub quo Jupiter latebat, exciſio, tum iſtud, quod legitur in Exodo: *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram & circumcidit præputium filii ſui, tetigitque pedes ejus & ait: Sponſus ſanguinum tu mihi es. Et dimiſit eum, poſtquam dixerat, Sponſus ſanguinum ob circumciſſionem.* Jupiter & Bacchus ambo inſtrumentis Muſicis cymbalorumque & tympanorum ſtrepitibus culti ſunt ob hymnos a Moſe & Mirjam recitatos. Plutachus Sabbathum meram eſſe βακχέιαν ſive Bacchi feſtivitatem tradit, quia Bacchus & Jupiter cognomine Σαβαζίς inſigniti erant. Baccho atque Jovi vaticinia & oracula tribuuntur, quia munus vaticinandi Moſi Deus conceſſerat. Juvenes & ſenes, barbati & imberbes utrique depinguntur, ob viridem Moſis ſenectutem. Ignotum Bacchi atque Jovis ſepulchrum, quia nec Moſis cadaver unquam inventum eſt. Nolo ego plura, quia quæ dicta ſunt, ſufficiunt ad probandum, Idæos Dactylos Baccho, & propterea Moſis quoque temporibus antiquiores fuiſſe.

CAPUT XII.

Taciti locus reperitur & exponitur. *Corybantes tympanorum inventores. Mirjam uſa tympanis. Ante exodum Iſraelitarum in uſu fuere cymbala.*

CUmulabo jam cætera argumenta, queis conſtare puto ultra ætatem Joſuæ cymbala provehenda eſſe. Atque heic primo repeto ſuperius citatum Taciti locum Hiſtor. v. cap. 2. *Judæos Creta profugos noviſſima Libyæ inſediſſe, argumentum e nomine peti; inclytum in Creta Idam montem, accolas Idæos, aucto in barbarum cognomento, Judæos vocitari.* Pro *Judæos Idæos* heic intelligendos jam ſupra monui: Profectionem hanc temporibus Joſuæ ſub Minoe factam ibidem monſtravi. Notabis vero, quod jam tum Cretenſes Idæi ſint dicti, quæ res probat Idæam cum Dactylis jam in Creta ita conſueviſſe, ut locus & incolæ inde nomen traxerint. Cum vero præterea expoſitum ſit Idæos hos Dactylos cymbalorum eſſe inventores, neceſſario ſequitur ante tempora hujus exilii, atque ita ſimul ante expugnationem terræ Canaan, cymbala eſſe inventa. Unum adhuc argumentum addo, in quo ſubſiſtam. Tympanorum Corybantas authores faciunt. Ne prolixus ſim, unum tantum Euripidem produco in Bacchis:

Ω̃ θαλάμευμα Κυρήτων
Ζάθεοί τε Κρῆτες
Διογενέτορες ἔναυλοι,
Τρικόρυθές τ' ἐν ἄντροις,
Βυρσότονον κύκλωμα τόδε
Μοὶ Κορύβαντες εὗρον

O contubernium Curetum
Et divini Cretenſes
Jove geniti incolæ,
Triplicemque galeam geſtantes in antris,
Hunc (tympani) rotundum orbem, intentum corio
Invenerunt mihi Corybantes.

Tympanorum autem jam mentio fit in exitu Iſraelitarum ex Ægypto. Ἔξοδυ Κεφ. ιέ. Λαβȣ̃σα δὲ Μαριαμ ἡ προφῆτις ἡ ἀδελφὴ Ἀαρὼν τὸ τύμπανον ἐν τῇ χειρὶ αὐτῆς, καὶ ἐξήλθοσαν πᾶσαι αἱ γυναῖκες ὀπίσω αὐτῆς μετὰ τυμπάνων καὶ χορῶν. Jam vero Corybantes Idæorum Dactylorum fere ſunt coætanei, Strabo facit poſteros. Ergo jam cum cymbala inventa fuere.

CAPUT XIII.

Cymbala adbibuere Corybantes, Curetes, Cabiri, Telchines, Samothraces. Interpres Strabonis correctus. *Præcipue Corybantibus cymbalorum motio adſcribitur, pro qua tamen alii Pyrricham ſaltationem ſubſtituunt.*

EXplicito antiquiſſimo cymbalorum ritu merito attingo eum, qui antiquiſſi-

quissimo proximus fuit. Ille vero erat Corybantum, Cabirorum atque Telchinum. Strabo audiendus libro x. Οἱ παραδιδόντες τὰ Κρητικὰ καὶ τὰ Φρύγια ἱερουργίαις τισὶν ἐμπεπλεγμένοι, ταῖς μὲν μυστικαῖς, ταῖς δ' ἄλλως περί τε τὴν τοῦ Διὸς παιδοτροφίαν τὴν ἐν τῇ Κρήτῃ καὶ τοὺς τῆς μητρὸς τῶν θεῶν ὀργιασμοὺς ἐν τῇ Φρυγίᾳ καὶ τοῖς περὶ τὴν Ἴδην τὴν Τρωικὴν τόποις. Τοσαύτη δ' ἐστὶν ἐν τοῖς λόγοις τούτοις ποικιλία τῶν μὲν τοὺς αὐτοὺς τοῖς Κουρῆσι τοὺς Κορύβαντας καὶ Καβείρους καὶ Ἰδαίους Δακτύλους καὶ Τελχῖνας ἀποφαινόντων· τῶν δὲ, συγγενεῖς ἀλλήλων καὶ μικράς τινας αὐτῶν πρὸς ἀλλήλους διαφορὰς διαστελλόντων· ὡς δὲ τύπῳ εἰπεῖν, καὶ κατὰ τὸ πλέον, ἅπαντας ἐνθουσιαστικούς τινας, καὶ βακχικοὺς καὶ ἐνοπλίῳ κινήσει, μετὰ θορύβου καὶ ψόφου κυμβάλων καὶ τυμπάνων καὶ ὅπλων, ἔτι δ' αὐλοῦ καὶ βοῆς ἐκπλήττειν τοὺς κατὰ τὰς ἱερουργίας ἐν σχήματι διακόνων τε καὶ τὰ ἱερὰ τρόπον τινὰ κοινοποιεῖσθαι· ταῦτα τε καὶ τῶν Σαμοθρακῶν καὶ τὰ ἐν Λήμνῳ καὶ ἄλλα πλείω διὰ τὸ τοὺς προπόλους λέγεσθαι τοὺς αὐτούς. *Qui Cretenses res tradunt, Phrygiasque, ii quibusdam sacris ministeriis implicant Curetes cum arcanis, tum alias Jovis in Creta educatione puerili & Matris Deum sacrificiis in Phrygia ac locis circa Idam Trojæ montem. Ingens est diversitas istarum narrationum: alii eosdem cum Curetibus ponunt Corybantas, Cabiros, Idæos Dactylos, Telchines: alii cognatos inter se & exilibus distinctos differentiis. Ut in summa dicam: ab omnibus furore quodam divino correpti & bacchantes describuntur, qui armata saltatione cum tumultu & strepitu, tintinabulis* (κυμβάλων) *tympanis, armis, tibia & clamore in sacrificiis perterreant homines sub administrorum specie. Atque hæc sacra quodammodo communia pleraque habere censentur cum Samothraciis, Lemniis aliisque compluribus; ideo quod iidem omnium famuli perhibentur.* Addidi versionem, ut patesceret interpretis error, qui κύμβαλα tintinnabula reddidit. Pessime. Samothracum & Curetum meminit Stat. 2. Achill.

> *Jamque movent gressus: thyasis Ismenia buxus*
> *Signa dedit, quater æra Rheæ, quater Evia pulsant*
> *Terga manu, variosque quater legere recursus.*
> *Tunc thyrsos pariterque levant, pariterque reponunt,*
> *Multiplicantque gradum, modo quo Curetes in actu,*
> *Quoque pii Samothraces erant —*

Præcipue tamen Corybantas hoc opus habuit, cymbalorum, inquam, conflictus, quod paucis testimoniis evincam & cætera in Libri tertii locum, qui de cymbalis in cultu Cybeles agit, differam. D. Clemens recognit. ad Jacob. fratrem Domini I. 10. interprete Rufino: *Saturnus in conjugium acceperat Rheam, & cum responso quodam commonitus esset, quod qui ex ipso nasceretur fortior ipso futurus esset, regnoque eum depelleret, omnes, qui ei nascerentur, filios devorare instituit. Huic ergo primus nascitur filius, quem Aiden appellarunt, qui apud nos Orcus nominatur, quem pro causis, quibus supra diximus, adsumtum devorat pater. Post hunc secundum genuit, quem Neptunum dicunt, quemque simili modo devoravit. Novissimum genuit eum, quem Jovem appellant, sed hunc mater miserans Rhea, per artem devoratori subtrahit patri, & primo quidem ne vagitus pueri innotesceret, Corybantas quosdam fecit cymbala percutere, ut obstrepente sonitu vagitus non audiretur infantis.* Lucian. Deor. Dial. Οἱ κορύβαντες δὲ ὁ μὲν αὐτῶν τέμνεται ξίφει τὸν πῆχυν· ὁ δὲ ἐπιβομβεῖ τῷ τυμπάνῳ ἢ ἐπικτυπεῖ τῷ κυμβάλῳ, καὶ ὅλως θόρυβος καὶ μανία, τὰ ἐν τῇ Ἴδῃ ἅπαντα ἐστι. *Corybantum vero alter secat gladio femur, alter vero strepit tympano aut crepat cymbalo, & prorsus præter tumultum & furorem in Ida nihil est.* Tertull. Apolog. cap. XXV. *Sed non statim & Jupiter Cretam suam Romanis fascibus concuti sineret, oblitus antrum illud Idæum & æra Corybantia & jucundissimum illum nutricis suæ odorem.* Quanquam non negem sub ære Corybantio heic quoque posse intelligi conflictum clypeorum & armorum in Pyrricha saltatione adhiberi solitum. Hos enim clypeos multi pro cymbalis substituunt. Adiri possunt Diod. Sic. l. v. Dion. Halicarn. VII. Plin. VII. cap. 56. Nonnus Dionis. lib. IX. Schol. Aristoph. atque alii. Solum heic addo Ovidium, qui eo progreditur, ut cymbala sequiori ævo pro galeis & clypeis eorumque conflictu substituta censere videatur, cui tamen heic parva fides. En verba IV. Fastor:

> *Pars clypeos sudibus, galeas pars tundit inanes:*
> *Hoc Curetes, habet, hoc Corybantes opus.*
> *Res latuit patrem: priscique imitamina facti*
> *Æra Deæ comites raucaque terga movent.*
> *Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant:*
> *Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.*

CAPUT XIV.

Corybantes Phryges sunt. In Phrygia eorum cultus. Anactotelestæ. Curetes Cretenses a Pelasgis & Chalcide orti. Ἐποχρῆτες. Vossius notatur. *Creta a Curetibus dicta. Curetes abiere in Phrygiam. Telchines Rhodii sunt: inde comitantur Idæam in Cretam: redeunt Cyprum.*

Corybantes, Curetes, Telchines, Samothraces, Curetes cymbalorum motores superiore capite constitui. Horum tractationem antequam dimittam, breviter exponendum censeo discrimen inter illos, quos tanto impetu optimi etiam autores confuderunt, quia hoc quoque faciet ad accuratiorem notitiam historiæ cymbalicæ. Primo Corybantes atque Curetes a se invicem dividam, tum quia hos facillime antiqui scriptores confudere, tum quia magna inter eosdem conjunctio est, quæ confundere lectorem minus sedulum haud difficulter potest. Clarissime discrimen Lucianus adnotavit, qui περὶ ὀρχήσεως ita: Πρῶτον δέ φασι Ῥέαν ἡσθεῖσαν τῇ τέχνῃ ἐν Φρυγίᾳ μὲν τοὺς Κορύβαντας, ἐν Κρήτῃ δὲ τοὺς Κουρῆτας ὀρχεῖσθαι κελεῦσαι. *Primum autem dicunt Rheam hac arte delectatam, in Phrygia quidem Corybantas, in Creta vero Curetas saltare jussisse.* En Corybantas Phryges, en Curetas Cretes. Discrimen hoc excellentius erit, ubi aliis quoque argumentis patriam suam reddidero. Et primo quidem de Corybantibus consentiunt mecum lumina eruditionis in nostris seculis, Vossius, Bochartus, Spencerus. Grævius, quibus omnibus fuere viri fortes & satellites primorum Regum Phrygiæ. Scholiastes Luciani: Οἱ γὰρ Κορύβαντες δαίμονές εἰσι περὶ τὴν Ῥέαν. Et ut Tzetzes ad Lycophronem exprimit: Οἱ κορύβαντες, οἵτινές εἰσι δαίμονες, περὶ τὴν Ῥέαν ἱδρύσαντο. *Corybantes dæmones, qui Rhæ ministri sunt.* Quin etiam mox distinguit a Curetibus & diversos utrisque parentes designat: Οἱ μὲν κούρητες, Δαναΐδο: νύμφης Κρήσσης καὶ Ἀπόλλωνος παῖδες, οἱ δὲ κορύβαντες Θαλείας καὶ Ἀπόλλωνος. *Curetes filii sunt Danaidis nymphæ Cretensis & Apollinis, sed Corybantes Thaliæ & Apollinis.* Quanquam vero in adsignandis parentibus nos non habeat consentientes, habet tamen, quod Curetas & Cretenses origine & distinctos a Corybantibus agnoscit. Sed ad rem. Rhea erat Idæa illa regina Phrygiæ, antea Cretæ: intelligendum enim est factum esse post reditum Rhæ in Phrygiam. Quod vero Nonnus scribat Corybantes in Creta fuisse Dionys. l. VIII.

> Ἀλλ' ὅτε Δικταίης Κορυβαντίδος ὑψόθι πέτρης
> Γείτονος Ἀμνισοῖο λεχώϊον ἔδρακεν ὕδορ.

Et cum eo consentiat Euseb. Chron. Οἱ Κούρητες καὶ Κορύβαντες Κνωσσὸν ᾤκισαν, ut alios taceam, id de Idæis Dactylis interpretari possumus, quos itidem Phrygas & non longe diversos a Corybantibus fuisse jam sæpe monuimus. Accedit Corybantas insignibus honoribus & divinis affectos fuisse in Phrygia, neutiquam vero in Creta. Clemens Alex. ad Gentes: Ταῦτα οἱ Φρύγες τελίσκουσιν Ἄττιδι καὶ Κυβέλῃ καὶ Κορύβασιν. Ubi in transitu moneo inter nuptiales a Posidippo numerari Deos Apud Athen. Deipnos. IX. 5.

> Διακονοῦμεν νῦν γάμους, τὸ θῦμα βοῦς.
> Ὁ διδοὺς ἐπιφανής· ἐπιφανὴς ὁ λαμβάνων.
> Τούτων γυναῖκες ἱέρειαι· τῇ θεᾷ
> Κορύβαντες. —

> *In nuptiarum epulis nunc ministramus: sacrum qui facit*
> *Et boves suppeditat, illustris ac splendidus est,*
> *Clarus & qui convivio accipitur.*
> *Horum uxores deæ sacerdotes,*
> *Corybantes Dii, &c.* —

Et sacerdotes eorum dici Anactotelestas, qui solebant apium cum totis radicibus in mensa apponere, quia putabant ex Corybantico sanguine enatum apium. Iterum audi Clem. Alex. adv. Gent. Οἱ δὲ ἱερεῖς οἱ τῶνδε, οὓς ἀνακτοτελέστας, οἷς μέλον καλεῖν, καλοῦσι, προσεπιτερατεύονται τῇ συμφορᾷ ὀλόριζον ἀπαγορεύοντες σέλινον ἐπὶ τραπέζης τιθέναι· οἴονται γὰρ δή, ἐκ τοῦ αἵματος τοῦ κορυβαντικοῦ τὸ σέλινον ἐκπεφυκέναι. *Horum autem sacerdotes, quos Anactotelestas vocant ii, quibus vocare curæ est, ad calamitatem quædam monstra afferunt, prohibentes, apium cum totis radicibus in mensa apponere: putant enim ex Corybantico, qui effluxit sanguine, enatum esse apium.* Ad verbum Eusebius Præp. Evang. II. cap. 3. Ad Curetas transeo Cretæ vindicandos. Ac illustris quidem Vossius, ut conciliaret tot dissona autorum testimonia, tria genera Curetum formavit: *Curetes*, inquit, *unde dicti sint, non convenit. Cujus causa est, quod triplices sint Curetes; Ætolici, Phrygii, Cretici. Ætolici inhabitarunt, &c. quæ huc non pertinent.* Sed pace Viri Incomparabilis tres hæ species adcuratius a me consideratæ non

non amplius tres, sed una tantum species est. Prima Curetum origo a Pelasgis est, docuit id supra Diodorus. Pelasgi autem Chalcidi Euboeæ propinqui, quin imo cognati variis ultro citroque deductis coloniis. Chalcidi inquam: hæc enim cum Ætolorum sit opus, huc primum genus Curetum adscribunt, quod ipse quoque Vossius fatetur. Tectamus ergo Jovis primi pater, avus Curetum, cum Cretensibus coaluit, servato tamen aliquo discrimine. Nempe cum deinde a Curetibus insula Creta & incolæ Cretenses dicerentur, antiquissimæ Cretæ habitatores nomen Eteocretum servarunt. Diodorus Siculus lib. v. Οἱ *μὲν γὰρ τὴν Κρήτην κατοικοῦντές φασιν ἀρχαιοτάτους παρ' αὐτοῖς γενέσθαι τοὺς ὀνομαζομένους Ἐτεοκρῆτας αὐτόχθονας*. Marcianus de Creta:

> Ἀρχαιοτάτους ἔχει δὲ τοὺς οἰκήτορας,
> Τοὺς δὴ παρ' αὐτοῖς Ἐτεοκρῆτας λεγομένους.

Eustathius ad Il. β' Ἐτεόκρητες οἱ ἀληθῶς ἢ ἀληθεῖς Κρῆτες, ἰθαγενεῖς, γνήσιοι τῆς χώρας· λεχθέντες, Ἐτεόκρητες, ὡς πρὸς τοὺς ἐπήλυδας. Habitabant hi insulæ partem australem & Præson urbem. Strabo: Τὸ δὲ νότιον (Στάφυλος κατέχειν φησὶν) Ἐτεοκρῆτας· ὧν εἶναι πολίχνιον Πραῖσον, ὅπου τὸ τοῦ Δικταίου Διὸς ἱερόν. Sed redeo ad Curetas, quos cum Ætolos feci, facilius Cretenses constituo. Universa enim insula ab his & horum fratre maxsumo Creta dicta est. Stephanus: Οἱ μὲν φασιν, ἀπὸ τοῦ Κόρης Κορήτην: ταὶ Κρήτην κατὰ συγκοπήν· οἱ δὲ ἀπὸ Κρητὸς τοῦ Διὸς καὶ Ἰδαίας νύμφης παιδός. Isidor. Orig. XIV. cap. 6. *Creta dicta a Crete quodam indigena, quem ajunt unum Curetarum fuisse, a quibus Jupiter ibi absconditus est & enutritus*: quod intelliges de Jove secundo. Eusebius Pamphilus in Chronico: Κατὰ τούτους τοὺς χρόνους ἐβασίλευσε Κρὴς τις αὐτόχθων, ὃν ἕνα λέγουσι τῶν Κουρήτων, παρ' οἷς Ζεὺς κρυφθεὶς ἀνετράφη, καὶ Κρήτης ἐτυράννησεν· ἐξ αὐτοῦ τοῦ Κρητὸς ἡ νῆσος ὀνομάσθη Κρήτη. Marcianus in Periegesi:

> Αὐτῶν ἔφορος εἴρηκεν εἶναι φησί τε
> Ἐπώνυμον τὴν νῆσον ἀπὸ Κρητός τινος
> Τοῦ δὲ γενομένου βασιλέως αὐτόχθονος.

Cedrenus: Ἡ δὲ Κρήτη ἀπὸ Κρητός τινος ἄρξοντος ἐκεῖσε ὠνόμασται. Honorius de Imag. Mundi lib. I. cap. 28. *Creta a Crete rege dicitur, Hecatompolis a centum urbibus dicta*. Florentius Wigorn. Chron. cap. XVII. *Apud Cretam regnavit primo Cres indigena, unde Creta nuncupata: quemque ajunt unum Curetarum fuisse, a quibus Jupiter est absconditus & enutritus*. Mart. Capell. de N. Ph. VI. *Cretæ numen suum concessit Curetum res Cretes, a quo Creta primo, mox Curetis nuncupata*. Quanquam ego haud existumem Creten fuisse nomen uni & natu maximo fratri proprium. Dictus & ille Cures, ut cæteri, sed a sequente ævo vox corrupta est. Fatebitur id mecum, qui pensaverit Cretæ vetustum nomen Cretin fuisse, adeoque eam a quodam Curete, non Crete nomen traxisse. Rem declaravit Plinius Hist. Nat. IV. cap. 12. *Malleotes Crates primum Æriam dictam tradit & deinde Curetin*. Cum Plinio facit ejus contractor Solinus Polyh. c. 17. *Crates Æriam prius dictam tradit, mox Curetim*. Cum quo conferri potest proxime citatus Capellæ locus, quum non mediocriter in hac causa hallucinatus ibi sit. Adhæc Curetas Jovis Cretensis filios fuisse, non Stephanus tantum, sed & Diodorus Siculus clare testatur l. III. Τὸν δὲ προγενέστερον (Δία) δυναστεύοντα τῆς προειρημένης νήσου (Κρήτης) δέκα παῖδας γεννῆσαι τοὺς ὀνομασθέντας Κούρητας. Ridicule hos Nembroti filios facit Gotfridus Viterbiensis Chron. Parte III.

> *Obtinuit natos Nembrot patria variatos:*
> *Cres puer ex fratrum numero primus reputatur,*
> *Cujus & in primis insula Creta fuit.*
> *Cres rex primus erat, cujus fuit insula Cretæ.*

Nisi forte ea re in errorem inductus est, quod sub persona Nimrodi Saturnum latere multi credidere, qui fuit Jupiter Cretensis. Dedi Curetas Ætolos & Cretenses, addo Phrygas. Satis esset, si dicerem cum Idæis Dactylis confusos, quos e Phrygia profectos supra probavi. Sed præterea existumo hos equidem post interfectum Jovem Cretensem patrem suum regnum tenuisse, sed deinde a Minœ fratre expulsos una cum matre in Phrygiam concessisse. Ab hac fuga factum, ut nulli Rheæ honores in Creta exhiberentur. Scepsius apud Strabonem lib. X. Φησὶ δὲ πάλιν ὁ Σκήψιος, ἐν τῇ Κρήτῃ τὰς τῆς Ῥέας τιμὰς μὴ νομίζεσθαι, μηδὲ ἐπιχωριάζειν. Multos tamen adhuc reliquisse videntur suæ causæ faventiores, qui exspectata occasione diversis temporibus Curetas in Phrygiam secuti sunt. Huc refero varias in Phrygiam ex Creta ductas colonias, inter quas illustriores sunt una Dardani & altera Teucri. Utramque memorat Messala Corvinus lib. de Aug. Prog. *Dardanum, Jove & Electra progenitum*,

nitum, Deorum monitu ab Italia, &, ut aliis placet, e Creta insula, patrios deserentem lares, multitudine gentium ad hanc Phrygiam devenisse ferunt, urbem condidisse, &c. Notabile est autem, quod Clemens Alexandrinus referat hunc Dardanum mysteria matris Deum vulgasse. Hæc prima: sequitur immediate altera: *Hoc regnante de Creta cum manu electissimorum juvenum forte novi regni fama concitum Teucrum ad Phrygiam patriis sedibus expulsum dicitur convenisse, &c.* Hujus quoque coloniæ mentionem facit Virgil. Æn. III.

> *Creta Jovis magni medio jacet insula ponto,*
> *Mons Idæus ubi & gentis cunabula nostræ:*
> *Centum urbes habitant magnas, uberrima regna,*
> *Maximus unde pater, si rite audita recordor,*
> *Teucrus Rhetæas primum est advectus ad oras*
> *Optavitque locum regno —*

Conferantur cum his quæ habent Is. Tzetzes in Lycoph. I. Cassandr. Scholiast. Homeri ad Iliad. α Strabo l. XIII. Servius ad Virgil. l. c. Eustath. ad Iliad. α. Ælian. Histor. Animal. XII. 5.

Curetum & Corybantum discrimen, ut puto, jam patet. Ab utrisque iterum diversi Telchines. Horum originem nec in Phrygia nec in Creta quæres. Rhodii fuere & antiquissimi insulæ Rhodi incolæ. Diodorus Siculus lib. V. Τὴν δὲ νῆσον, τὴν ὀνομαζομένην Ῥόδον πρῶτοι κατῴκησαν οἱ προσαγορευόμενοι Τελχῖνες. Huc concesserant ex Pelopponneso, ex quo ejecti erant. Euseb. Can. Chron. Τελχῖνες ἐκπέσοντες Πελοποννήσου Ῥόδον ᾤκησαν νῆσον, τὴν καλουμένην Ὀφιοῦσαν. Hieronymus: *Telchines victi Rhodum condiderunt, quæ prius Ophiusa vocabatur,* quæ Marianus Scotus Chron. lib. I. exscripsit totidem verbis. Orosius lib. I. cap. 7. *Telchines Rhodum insulam, quæ Ophiusa antea vocabatur, quasi tuta possessione ceperunt.* Atque ab his Telchinibus insulæ nomen aliquando Telchinis Strabo lib. XIV. Ἐκαλεῖτο δὲ ἡ Ῥόδος πρότερον Ὀφιοῦσα, καὶ Σταδία, εἶτα Τελχινὶς ἀπὸ τῶν οἰκησάντων Τελχίνων τὴν νῆσον. Eustathius ad Iliad. ί: Ἱστορεῖται δὲ καὶ ἡ Ῥόδος ἀπ' αὐτῶν Τελχινία καλεῖσθαι. Clarum mihi, Lector, discrimen inter Telchinas atque Corybantas fateris, sed nescis, unde confusi sint invicem a Strabone. Ipse vix scio, nisi ex ipso Strabone, qui narrat Rheam in Cretam cum Idæis Dactylis secutos esse, & Curetas appellatos. En verba: Οἱ δὲ (λέγουσι) Τελχίνων ἐν Ῥόδῳ ἐννέα ὄντων, τοὺς Ῥέᾳ συνακολουθήσαντας εἰς Κρήτην, καὶ τὸν Δία κουροτροφήσαντας Κουρῆτας ὀνομασθῆναι. Quod si verum est, non amplius miror, Telchines & Curetes in unum nomen coaluisse. Fallor? an hinc Nicolaus Damascenus ausus est tradere, originem eos ex Creta ducere? Ita enim fragmentum ejus apud Stobæum, Serm. XXXVIII. Τελχῖνες ἄνθρωποι ὀνομαζόμενοι τὸ ἀνέκαθεν Κρῆτες. E Creta abiisse vult idem: Οἰκήσαντες δὲ καὶ ἐν Κύπρῳ, &c. Et aperte Strabo lib. XIV. Ἐλθεῖν δὲ (τοὺς Τελχῖνας) ἐκ Κρήτης εἰς Κύπρον.

CAPUT XV.

Cabiri cum Corybantibus falso commixti. Antrum Zerynthium. Samothraces erant filii Sydyx: origine Phœnices. Causæ confusionis. Etymon: Cabir. *Dii magni.* Διόσκουροι. *Dii Samothraces non Dactyli Idæi. Digiti Samothracii: iidem cum Cabiris.* Cicero corrigitur, notatur, explicatur.

CAbiros cum Curetibus, Idæis Dactylis, Telchinibus, Corybantibus confundit Strabo: cum Corybantibus multi alii. Faciunt hoc omnes, qui Corybantibus antrum Zerynthium aut Samothracen insulam adscribunt. Nonnus Dionysiac. lib. XIII. vers. 400. in Samothraciæ descriptione:

> Καὶ ζαθέην Ζήρυνθον ἀκοιμήτων Κορυβάντων,
> Κτίσμα φατιζομένης Περσηΐδος ——

Ubi suboluit error Nonni interpreti, unde Κορυβάντων *Cavirorum* vertit:

> *Quamque tenent vigiles Zerinthus sacra Cabiri,*
> *Grande celebris opus Perseidis.* —

Suidas in Ἀλλ' εἴπῃς de Samothracia: Ἦν δὲ ἐκεῖσε καὶ τὰ τῶν Κορυβάντων μυστήρια καὶ τὰ τῆς Ἑκάτης, καὶ τὸ Ζήρυντον ἄντρον, ἢ κύνας ἔθυον. *Illic enim erant Corybantum & Hecates mysteria: & Zerinthum antrum, ubi canes immolabant.* Quæ eadem repetita occurrunt ad verbum in voce Σαμοθρᾴκη. Aristophanis Scholiastes in pace: Οἱ ἐν κινδύνοις γενόμενοι ἐπεκαλοῦντο τούτους τοὺς δαίμονας τοὺς ἐν Σαμοθρᾴκῃ, τούς τε Κορύβαντας καὶ τὴν Ἑκάτην· ἐξ ἧς καὶ διαβόητον ἦν τὸ Ζήρυνθον, ἔνθα ταύτῃ ὠργίαζον καὶ ἐλευθέρουντο. *Qui vero versantur in periculis, invocabant illos Dæmonas in Samothracia, Corybantes & Hecaten. Unde &*

cele-

celebratum est Zerinthum, in quo isti initiabantur & liberabantur. V. & Tzetzem ad Lycophronem loco non uno. Utraque enim & Zerinthus & Samothrace fuere Cabirorum sedes, non Corybantum. Res hæc per se est nota, & videri possunt prolixe Diodorus & Apollonii Scholiastes in primum Argonauticων & Plutarchus in Alexandro & Suidas in Σαμοθράκη. Confudit eosdem Clemens Alexandrinus adv. Gentes, inquiens: Καβείρους δὲ τοὺς Κορύβαντας καλοῦντες, καὶ τελετὴν καβειρικὴν καταγγέλλουσιν· αὐτὼ γὰρ δὴ τούτω τὼ ἀδελφοκτόνω τὴν κίστην ἀνελομένω, ἐν ᾗ τὸ τοῦ Διονύσου αἰδοῖον ἀπέκειτο, & quæ sequuntur. At vero diversos longe Cabiros fuisse, & autores in confundendis iis minus accurate animum adhibuisse, diversas sedes, diversa ætas, diversa origo docent. De sede nemo dubitabit, cui ex superioribus nostris persuasum erit, Corybantas in Phrygia fuisse. Ætatem longe vetustiorem esse illi Corybantum, vel id probat, quod Mercurius non tantum inter eos referatur, sed eorum etiam administer (*Camillus*) censeatur. Deinde filii fuere Sydyc, qui Jupiter explicatur, & longe Jove Cretensi antiquior fuisse videtur. Ita enim Sanchoniathon apud Eusebium Prep. Evang. lib. I. Οἱ ἑπτὰ Συδὲκ παῖδες Κάβειροι. *Cabiri septem filii Sydec*. Quæ sane res optumos Chronologos commovit, in seculum a Diluvio proximum collocandi eos. Vel Marshamum adi, qui præclare de his omnibus. Originem felicissime detexit Vir incomparabilis Sam. Bochartus. *Nempe*, ut verbulo hoc moneam *mysteria Cabirorum non ex Phrygia profecta, nec a Cabiris Phrygiæ montibus* (liceat mihi hic uti dictione Huetii, valde in rem præsentem accommodata) *quod tradit Apollonii Scholiastes, vel potius Scholiastæ (erudita hæc enim & optima Scholia Lucilli, Tarrhæi, Sophoclei & Theonis, doctissimorum Grammaticorum esse docet Scholiastes Aristophanis:) sed e Phœnicia. Beryti enim cultos fuisse discimus ex Sanchoniathone & Damascio*. Adeo toto, quod ajunt, cœlo distant Cabiri & Corybantes. Confusionis tamen hujus variæ excusationes necti possunt. Primo confinia locorum, qualia σφάλματα mille & mille occurrunt scripta antiquorum volventi. Deinde falsa etymologiæ deductio, quia credebatur dictos Cabiros a Cabiro Berecyntiæ monte in Phrygia, cum tamen virorum maximorum diligentia observatum non nunc primo sit, deducendum nomen Cabirorum ex Hebræorum כבר, quod apud Judæos atque Arabas significat *magnus fuit, potens fuit*. Fallor? an hoc jam Varroni suboluit, cui de R.R. lib. IV. *In Augurum libris Divi potes sunt, in Samothrace* θεοὶ δυνατοί. Tertio intercessit Phrygibus cum sacris Samothracum aliqua communio, quod tum ipsi ritus & orgiorum eadem celebritas probant, tum Æneæ religio, qui hos in Italiam secum duxit. Æneas enim Phryx fuit & intelligunt de his Diis versus Maronianos III. Æn. IV.

> —— *Feror exul in altum*
> *Cum sociis, natoque penatibus & magnis Dis.*

Hos enim & Dardanus e Samothracia raptos in Phrygiam attulisse fertur, & præter Varronem patrocinatur huic opinioni marmor apud Gruterum, in quo ΘΕΟΙ ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙ ΚΑΒΕΙΡΟΙ: & aliud apud eundem: CASTORI VT POLUCI DIIS MAGNIS. Tandem ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙ proprium Cabirorum nomen, tam ad Corybantes quam ad Cabiros spectare videbatur. Κοῦροι enim Jovis, id est, *pueri* seu *famuli*, quali signatione hæc vox frequenter apud probatos authores occurrit: κατ' ἐξοχὴν Corybantes quoque appellari poterant.

Agmen jam claudunt Dii Samothraces, quorum orgia suggessit Ætion. Clem. Alex. ad Gent. Ὄλλοιτο οὖν ὁ τῆς δὲ ἄρξας ἀπάτης ἀνθρώποις· εἴτε ὁ Δάρδανος ὁ μητρὸς πρὸς Θεῶν καταδείξας τὰ μυστήρια· εἴτε Ἠετίων ὁ τὰ Σαμοθρακῶν ὄργια καὶ τελετὰς ὑποστησάμενος. *At male pereat, quisque tantæ vecordiæ hominum generi autor fuit, seu Dardanus, qui Matris Deum mysteria docuit, seu Eetion qui Samothracum orgia cum eorum initiis protulit*. Eadem ex Clemente τῷ θαυμασίῳ, ut ille quidem nominat, repetiit Euseb. Præparat. Evang. lib. II. cap. 3. Arnobius hos Digitos Samathracios vocat & cum Idæis Dactylis confundit. Ita enim lib. III. ubi de Laribus agit: *In diversis Nigidius scriptis modo lectorum, domuumque custodes, modo Curetas illos, qui occultasse perhibentur Jovis æribus aliquando vagitum, modo digitos Samothracios, quos quinque indicant Græci Idæos Dactylos nuncupari*. Ita enim scriptum exhibere optimum exemplar Regiæ bibliothecæ, ubi vulgaribus editionibus legitur *Indigetes Samothracios*, testis omni fide major Celeberrimus Salmasius: idemque miratur, ex tot commentatoribus, qui libro illo usi sunt, manibusque & oculis diu tractaverunt, neminem unum id animadvertisse. Ego vero illi correctioni utrumque pollicem addo, & aut Dactylos Idæos ad horum, aut hos ad illorum exemplar ita dictos auguror. Nempe ut ii Phrygiæ montisque Idææ robur ac decus, sic hi Samothraciæ, quod per di-

digitos adumbrari jam ſupra monui. Idem Arnobius eodem libro teſtatur, quoſdam antiquorum hos Samothraces cum Curetibus confudiſſe: *Aut ſi*, ait, *Curetas pro Laribus invocare, quos digitos Samothracios pars veſtrorum aſſeverat autorum*. At vero qui vel nomen audiunt, facile divinant, Samothracas hos & a cæteris longe diverſos fuiſſe, & cum Cabiris plane eoſdem. Hoc vero inter alia perſpicue quoque probat apud Reineſium inſcriptio Beneventana, hujus argumenti:

PATRI AMMONI ET HERCULI
FRATRI ET MINERVÆ PALLA.
DIÆ ET JOVI OLYMPIO ET
SAMOTHRACIB CABIRIS
ET INDICO SOLI ATQ. APOLLINI DELPHICO.

Corrigendus hac occaſione Cicero, tum ex ſententia Salmaſii, tum quia ejus quoque duplex error notatu dignus eſt. Ita autem ille de Nat. Deor. lib. III. *Ex eo igitur* (de Jove locutus eſt) *& Lyſito eſt is Hercules, quem concertaviſſe cum Apolline de tripode accepimus: alter traditur Nilo natus, Ægyptius, quem ajunt Phrygias literas conſcripſiſſe. Tertius eſt ex Idæis indigenis, cui inferias afferunt*. Pro *Idæis indigenis* ſubſtituo *Idæis digitis*, quanquam aliæ quoque editiones *Idæis Dactylis* legant. Quicquid ſit, duplici nomine erravit Cicero. Primo dum confundit *digitso Idæos* cum *digitis Samothraciis*. Nam inter eos nullus Hercules. Deinde, quod tertium hunc Herculem faciat, qui, ſi calculum adcurate collocabis, ſecundus erit, non tertius. Quod vero dicit ei inferias allatas, id tibi intelligendum eſt de oreiis in antro Zerynthio non Herculi adeo, quam quidem Proſerpinæ (quæ itidem inter Cabiros ſive Deos Samothracios erat) perſolutis atque frequentatis.

CAPUT XVI.

Galli Corybantum ſucceſſores. Gallorum etymon. Archigalli. Gallæ. Gallorum cymbala. Galli vere ſe exſecabant ad Phrygios modos, inter quos cymbala. Nempe hi modi furorem inducebant, qui frequens eis erat. Stipes Gallis cum cymbalis petita.

CORybantum in Phrygia officium ſequentibus temporibus occuparunt Galli. Etymon hujus vocis ridicule deſcribunt, qui dicunt ad ſacerdotium hoc Idææ matris aſſumtos eſſe natione Gallos. Defenditur tamen quod mireris ab Hieronymo in Oſeæ cap. IV. & Forcatulo lib. V. de Gallorum imperio & philoſophia, meritoque impugnatur a Laur. Valla & G. J. Voſſio viris ſummis. Longe veroſimilius decertant, qui Gallorum nomen deducunt ſive a flumine Phrygiæ ex mente Feſti & Ovidii, ſive a viro, cui nomen Gallo eſt, & qui aut primus aut primarius forte Cybeles ſacerdos fuerat. Veſtigia hujus etymi deprehenduntur apud Stephanum, qui refert: Τὸν Γάλλον, καὶ τὸν Ἄττιν ἀποκόψαι τὰ αἰδοῖα, καὶ τὸν μὲν Γάλλον ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν Τυείαν ποταμὸν, καὶ οἰκῆσαι, καὶ τὸν ποταμὸν Γάλλον καλεῖσθαι· ἀπὸ ἐκείνου γὰρ τοὺς τεμνομένους τὰ αἰδοῖα Γάλλους καλοῦσι. Illis autem Gallis Berecynthiæ Cybeles, ſeu mavis Idææ matris ſacerdotibus, cum varii ritus miri atque peregrini, tum cymbala quoque uſitata erant, derivato a Corybantibus, quorum vices explebant, exemplo. Hi in duos diviſi ordines erant: alii enim aliis præfecti erant & alii ab aliis regebantur. Hos Gallos, illos Archigallos appellitabant. De Archigallis notabis locum Tertulliani Apologetico cap. XXV. *Itaque majeſtatis ſuæ in urbem collatæ grande documentum noſtra etiam ætate propoſuit, cum M. Aurelio apud Syrmium Reipublicæ exemto die XVI. Calendarum Aprilium Archigallus ille ſanctiſſimus die IX. Calendarum earundem, quo ſanguine impurum lacertos quoque caſtrando libabat pro ſalute Imperatoris Marci jam intercepti ſolita atque imperia mandavit*. Veteres quoque inſcriptiones apud Gruterum frequenter: JULIANI ARCHIGALLI. & alia: C. CAMERIUS CRESCENS ARCHIGALLUS MATRIS DEUM MAGNÆ IDÆÆ ET ATTIS POPULI ROMANI VIVUS SIBI FECIT. Tertullianus de reſurrect. Carnis cap. 16. *Et tamen calicem non dico venerarium, in quo mors aliqua ructarit, ſed fictricis & archigalli vel gladiatoris vel carnificis ſpiritu infectum*. Adde ſis Julium Firmicum Matheſ. lib. 3. Gallos per contemtum ob exſecta virilia quoque Gallas nominabant, cujus rei teſtis tibi poterit eſſe Triumviratus amorum Antiſtes Catullus Epigr. 63.

Agite ita ad alta Gallæ, Cybeles nemore ſimul,
Simul ite Dindymenæ dominæ vaga pecora,
Aliena quæ petentes velut exules loca
Rapidum ſalum tuliſtis truculentaque pelagi
Et corpus eviraſtis veneris nimio odio.

Et paulo poſt:

Rapidæ ducem ſequuntur Gallæ pede propero.

Utriſ-

Utrisque vero conflicta cymbala. De Achigallis intelligendus est Juvenalis Satir. IX.

—— Meliusne hic rusticus infans
Cum matre & caculis & conclusore catello
Cymbala pulsantis legatum fiet amici.

Diserte enim Scholiastes ad locum citatum: Cymbala pulsantis, *Archigalli cymbala percutientis*. De minoribus vero Gallis Epigramma Græcum Antologiæ libro II.

Γάλλον Ἀεισαγόρης ὠρχήσατο· τὼ δὲ φιλόπλυς
Τιμενίδας ὁ καμὼν πόλλα διῆλθον ἐγώ.
Χῶ μὲν πμηψὲς ἀπεπέμπετο· τὴν δὲ τάλαιναν
Τρηνθὼ κροτάλων εἰς ψόφος ἐξέβαλεν.

Eodem trahendus Plinii locus Epist. XIV. lib. 2. *Pudet referre quæ, quam fracta pronunciatione dicantur, quibus, quam teneris clamoribus excipiantur. Plausus tantum ac potius cymbala & tympana illis canticis desunt*. Similiter Terentius Varro:

Tibi tympana haut inani sonitu, Dea tonimus,
Sonitum æris intonamus tibi nos semiviri,
Terentem comam volantem Galli tibi jacimus.

Gallos in honorem evirati Attidis se exsecuisse nec iis ignotum, qui nondum ære lavantur. Nec quis putet hæc metaphorice intelligenda esse de cohibito tantum appetitu venereo & æterno Cybeles cultui devota castitate. Si tot & tanti ethnicorum authorum cumuli nondum te movent, at audi saltem autorem Christianum Prudentium:

Ast hic metenda dedicat genitalia
Numen reciso mitigans ab inguine:
Offert pudendum semivir donum Deæ:
Illam revulsa masculini seminis
Vena effluenti pascit auctam sanguine.

Adde Augustinum de Civit. Dei lib. VII. cap. 26. idem rotunde confitentem. Nazianz. adv. Julianum atque alios. Hæ autem exsectiones ad Phrygios modos fiebant. Autores hujus rei Martial. Epigr. lib. XI.

Alba minus sævis lacerantur bracchia cultris,
Cum furit ad Phrygios enthea turba modos.

Ovidius in Ibin:

Attonitusque seces, ut quos Cybeleia mater
Incitat ad Phrygios, vilia membra, modos.

Tibullus lib. I. Eleg. 4.

Et ter centenas erroribus expleat urbes,
Et secet ad Phrygios vilia membra modos.

Propertius lib. II. Eleg. 21.

Cur aliquis sacris laniat sua bracchia cultris
Et Phrygis insanos cæditur ad numeros.

Modi quidem hi Phrygii maximam partem tibiis canti sunt, sed tamen aliquando cymbalorum sonitum accessisse docet idem Propertius lib. III. Eleg. 16.

Vertice turrigero justa & Dea magna Cybelle
Tundet ad Idæos cymbala rauca modos.

Unde forsan non inepte auguror cymbala quoque pulsata esse in exsectionibus Gallorum. Hos vero modos addebant, quia eorum sono in furorem agi & dolorum oblivisci Gallos existimabant. Lucretius lib. II.

Et Phygio stimulat numero cava tibia mentes.

Furores autem tales enthusiastici in mutilatione Gallorum, non tantum necessarii, sed etiam alias in cultu matris Deum frequentes erant. Hinc ita furentes *gallare* dicebantur. Plinius: *Halicacabi radicem bibunt, qui vaticinari, gallantesque furere ad confirmandas suspiciones aspici se volunt*. Varro apud Nonium: *Quum illo venio, video gallorum frequentiam in templo, qui dum esset cœnæ hora, jamque adlatam apponeret ædilis signo esui, Deam gallantes vario detinebant studio*. Idem Varo Eumenidibus:

Nam quæ venustas hic adest gallantibus?
Quæ casta vestis. ——

Non

Non *gallatibus*, ut est in Aldina editione. Nonius: *Gallari, ut bacchari*. Unum adhuc ritum de Gallis noto in rem præsentem facientem. Stipem publice a populo exigebant Galli. Augustinus de Civit. Dei lib. VII. cap. 26. *De mollibus eidem Matri magnæ, contra omnem virorum mulierumque verecundiam consecratis, qui usque in hesternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incessu fœmineo, per plateas vicosque Carthaginis etiam a populis, unde turpiter viverent, exigebant*. Cicero de Legib. II. *Stipem sustulimus nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idææ matris excipimus. Implet enim superstitione animos & exhaurit domos*. Hi vero mendicantes cymbala pulsabant, de quo ritu infra prolixius ago, ubi stipem petentium cymbala libro tertio explico.

CAPUT XVII.

E Phrygia in Phœniciam transiere cymbala, quorum antiquissimus inter Cabiros usus. Cymbala apud Judæos an a Phœnicibus. De sacerdotibus cymbalistis, filiis Asaph. Præfecti cymbalorum. Sonus cymbalorum Hierosolymitanorum auditus Hierochunti. Bœoti a Phœnicibus cymbala accepere. Bacchus & Attis seu Adonis iidem. Indorum cymbala.

POstquam ultimæ antiquitatis Labyrintho, nescio an satis feliciter extricatus sum, expeditius nunc iter ago. Cœpi a Creta, in Phrygiam navigavi, Samothracen vidi, redii in Asiam. Transfero jam pedem in Phœniciam, in qua cymbala fuisse Dio Chrysostomus Tharsico I. Ἡ τῶν Ἀραδίων νῦν κρατεῖ μυστικὴ κατὰ Φοινίκων χρήματα. Nec sine fundamento hoc traditum quis credet. Cabiros enim in Phœnicia frequentasse orgia sua evidentia autorum testimonia docent, quod inter nomina, quæ Bochartus universa elegantissime ex Phœnicum lingua deducit, Sanchoniathon affirmat apud Eusebium. Præp. lib. I. Καὶ ἐπὶ τούτοις ὁ Κρόνος Βύβλος μὲν τὴν πόλιν θεᾷ Βααλτίδι, τῇ καὶ Διώνῃ δίδωσι· Βηρυτὸν δὲ Ποσειδῶνι, καὶ Καβείροις. *Deinde Saturnus Babylum urbem Deæ Baltidi, quæ etiam Dione vocabatur, Neptuno autem & Cabiris Berytum dono dedit*. Ubi quod de Saturno affirmatur, verisimilius ad uxorem Saturni Rheam ex Creta profugam transferri posse videtur. Et Damascius apud Photium: Ὁ ἐν Βηρυτῷ Ἀσκλήπιος οὐκ ἔστιν Ἕλλην, οὐδὲ Αἰγύπτιος, ἀλλά τις ἐπιχώριος Φοίνιξ. Σαδύκῳ γὰρ ἐγένοντο παῖδες, οὓς Διοσκόρους ἑρμηνεύουσι καὶ Καβείρους. Ὄγδοος δὲ ἐγένετο ἐπὶ τούτοις ὁ Ἔσμουνος, ὃν Ἀσκλήπιον ἑρμηνεύουσιν. Berytus autem Phœniciæ urbs. Nam cum multa habuerint Corybantes cum Cabirorum sacris communia, facile quoque ab illis cymbalorum motum discere poterant. At vero major jam exsurgit labor, cum constet apud Judæos fuisse cymbala, unde ii acceperint, an a Phœnicibus, an vero ab Ægyptiis. Nam ab alterutris accepisse mihi fixum atque indubitatum est. Atque jam olim frigide satis objectum mihi est istud Deut. c. VII. quo omne commercium cum rebus gentilium acerrime prohibetur. Possem heic infinita alia inducere mandata quidem, sed non servata populo illi pertinaci. Possem inducere tot vasa templi, quorum necessitas ea jam ante tabernaculum & templum fuisse persuadet. Sed in solis instrumentis Musicis hæreo. Tibiarum jam ante diluvium cognitos est usus. Hæ indubie proxime post diluvium inter ethnicorum nationes continuatæ sunt. At vero eædem in sacris Judæorum adhibebantur. Tympana ex Ægypto secum tulit Mirjam, quæ tudit canens de pereunte in aquis Pharaone. Ab Ægyptiis accepisse dicerem cymbala, si minimum extaret monumentum, quod in Ægypto antiquitus cymbala fuisse testetur. Nec video historias populorum & gentium considerans nexum consuetudinis inter Phrygas & Ægyptios. Deinde etiam cogito, si fluxissent ex Ægypto cymbala, eorum manifestam mentionem in Exodo, ubi Mirjam τύμπανα κτυποῦν inducitur, exstituram. Perpetuo namque fere usu receptum sacris atque profanis autoribus est, cymbala cum tympanis conjungere. Verecunde ergo a Phœnicibus accepisse cymbalorum usum Judæos affirmo. Certe traditioni Rabbinorum, qui (ut est in Erachin Babylon.) testes *cum mortario æneo & fistula etiam cymbalum in templo secundo asservatum esse a Mosis usque temporibus*, quid tribuendum sit, satis limatiores vident, quia nugarum stupidæ hujus gentis, quibus scripta eorum, non dicam scatent, sed constant, nec modus est nec finis. Quid absurdius quam quod de hoc cymbalo atque aliis rebus legitur in Tamid. cap. 3. §. 8. *Ab Hierosolyma Hierichuntem usque fuisse audita: aperturam grandioris Januæ templi, sonitum Magrephæ, strepitum sphæræ ligneæ labri ænei, quam fecit filius Katini, vocem Gabinii præconis, sonum Tibiæ, flictum Cymbali, Cantum, Clangorem Tubæ, & , ut quidam volunt, vocem Pontificis Maximi die expiationis*. Ecquid his mendaciis monstrosius, quæ tamen & his similia infelicibus eorum fabricatoribus utramque pagi-

ginam faciunt? Debeo hæc loca Juveni ingentis ſpei, qui elegantem nuper *de ſuffitu Hebræorum* diſputationem publicavit. Sed pergo ad alia magis in rem præſentem factura. Cymbala apud Judæos fuiſſe nemo dubitat, cum tot loca Scripturæ id clare doceant. Nomina quibus apud Hebræos cymbala inſigniuntur, bina ſunt צלצלים. Sic 2. Sam. VI. 5. Pſal. CL. 5. & מצלתים in duali ad deſignandum binas laminas æreas, quæ confligebantur, ut monent Rabbini. Sic 1. Chron. XIII. 8. Nehem. XII. 27. &c. Cymbala hæc vertenda non Septuaginta tantum & Commentatorum pars plurima, ſed perpetuo etiam Rabbini conſentiunt, & quadrat apprime eorum deſcriptio. Barthenora ad Schekalim cap. V. Miſch. 1. צלצל כְלִי שִיר שֶיֵש לו קול גדול לשון תצילנה אזניו צימבל ו' בלע ז': i. *Tziltzil inſtrumentum Muſicum, quod habet grandem ſonum, ex phraſi* (1. Sam. III. 11.) *tinniant aures ejus. In alia lingua cymbalum dicitur*. Ita etiam vertit in Tamid. cap. 3. Miſch. 8. Et deſcribit Erachin cap. 2. Miſch. 5. ubi rationem reddit, cur מצלתים dicatur in duali: ואע ג' דמצלתים כתיב לשון רבים מפני מהן שתי חתיכו' רחבות של מתכת שמכין זו על זו ומיהו חדא עבידתא עבד שאין אחד מהם מופיל בלא חברו וחד גברא עביד בהו: i.e. *Et quamvis Mitziltaim ſcriptum ſit in duali, hoc inde contigit, quia erant duæ partes ex metallo fuſo, quæ invicem ſibi confligebantur, ſed unum tamen tantum opus ſit, quia una pars ſine altera nil juvat, & vir unus confligit eas*. Adde quæ habent Raſchi & Toſephos ad eandem Miſchnam, itemque Kimchius libro Schoraſchim & tractatus doctiſſimus שלטי הגבורים *cap.* VI. &c. ubi de inſtrumentis Muſicis Hebræorum multa frugi inveniuntur, quæ fors alio loco excerpam. Apud nos jam certis ſacerdotibus ex tribu Levi Muſica cymbalica demandata fuit. 1. Chron. XV. 16. Καὶ εἶπε Δαυὶδ τοῖς ἄρχουσι τῶν Λευιτῶν, Στήσατε τοὺς ἀδελφοὺς αὐτῶν τοὺς ψαλτῳδοὺς ἐν ὀργάνοις, νάβλις, κινύραις, καὶ κυμβάλοις τοῦ φωνῆσαι ὕψος ἐν φωνῇ εὐφροσύνης. Junius: *Edixit quoque David principibus Levitarum, ut inſtituerent agnatos ipſorum Muſicos cum inſtrumentis muſicis, nabliis, citbariſque ac cymbalis, reſonaturos extollendo vocem cum lætitia*. Hanc inſtitutione Regis prudentiſſimi atque ſanctiſſimi, Davidis, ita expleverunt, ut cum alii aliis, tum Æman, Aſſaph & Æthan pſalmodiæ cymbalicæ præponerentur. Ibid verſu 19. Καὶ οἱ ψαλτῳδοὶ Αἱμὰν, Ἀσὰφ καὶ Αἰθὰν ἐν κυμβάλοις χαλκοῖς τοῦ ἀκουσθῆναι ποιῆσαι. Junius: *At Muſici quidem iſti Heman Aſaph & Ethan cymbalis chalybeis reſonabant*. Idem munus ad filios eorum derivatum eſt & rite conſervatum temporibus Salomonis. Evidens teſtimonium 2. Chronic. V. verſ. 12. Καὶ οἱ Λευῖται οἱ ψαλτῳδοὶ πάντες τοῖς υἱοῖς Ἀσὰφ, τῷ Αἱμὰν, τῷ Ἰδιθὼν καὶ τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ, καὶ τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ τῶν ἐνδεδυμένων στολὰς βυσσίνας ἐν κυμβάλοις καὶ ἐν κινύραις, ἑστηκότες κατέναντι τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ μετ' αὐτῶν ἱερεῖς ἑκατὸν εἴκοσι σαλπίζοντες ταῖς σάλπιγξι. Junius: *Similiter Levitæ muſici omnes ex Aſapbo, ex Æmane, ex Jedutbune, tam filii eorum, quam cognati eorum, induti byſſo cum cymbalis & cum nabliis ac citbaris adſtabant ad orientem altari & cum illis ſacerdotes ad centum viginti, clangentes tubis*. Notare ex hoc loco ſimul ſedem potes, in qua collocabantur antiquitus apud Hebræos cymbaliſtæ, nempe ſecundum Interpretes ὁ. κατέναντι τοῦ θυσιαστηρίου, ſive *ſecundum orientem altari*. Locum hunc erudite & ſatis apte explicavit Vir eruditus & Theologus incomparabilis facileque ſummus Salomon van Till, cui plura addere eſſet lauream in Capitolium ferre &, quod inquit ille:

> —— *mel Ariſtæo, vel Baccho vina Falerno,*
> *Triptolemo fruges, poma dare Alcinoe.*

Iidem autem filii Aſaph recepere id jus cymbala pulſandi poſt captivitatem Babylonicam. Eſdra cap. 3. Καὶ ἔστησαν οἱ ἱερεῖς ἐστολισμένοι ἐν σάλπιγξι καὶ οἱ Λευῖται υἱοὶ Ἀσὰφ ἐν κυμβάλοις. Junius: *Conſtituerunt Sacerdotes indutos cum tubis, & Levitas, poſteros Aſapbi cum cymbalis ad laudandum Jebovam*. Cumque hi κυμβαλοκρουσταὶ Judæorum numero indies creſcerent, iis omnibus unus eſt præfectus præpoſitus, qui numerabatur inter quindecim illos præfectos, qui ſinguli ſub ſua directione excellens quoddam officium gubernabant, ut eſt in Schekalim c. 5. Miſchn. 1. *Ben Bavi flagellationi prærat, Ben Arſa Cymbalo, Hogrus Ben Levi cantoribus, Familia Garmo piſturæ panum propoſitionum, &c.*

Poſtquam in Phœnicia cymbala detexi, eccui mirum erit, qui in Græcia, Hiſpania, Italia eadem invenerit, quæ regiones nihil niſi tot Phœnicum coloniæ fuerunt, in quas cum populis mores quoque eorum influxere. Ut a Bœotis exordiar: nam horum cum Phœnicibus coalitio in tempora fere Corybantum incidit, Cadmus Tyro Phœniciæ profugus, Joſua in Canaanitide belligerante Thebas,

bas, quas condidit, cymbalicum Deorum cultum attulit. Fallor? an inde ab Hygino perhibetur cap. 274. *Cadmum Agenoris filium æs Thebis primum inventum condidisse.* Ille idem Bacchi cultum primus Græcos docuit, qui in Asia sub nomine Attidis vel Adonidis adorabatur. Bacchum enim eundem cum Attide fuisse præter supra citata probat Clem. Alexandr. Adv. Gent. Δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἀπεικότως τὸν Διόνυσόν τινες Ἄττιν προσαγορεύεσθαι θέλουσιν, αἰδοίων ἐστερημένον. Cui addes Plutarch. Συμπ. προβλ. δ'. Τὸν δὲ Ἄδωνιν, οὐχ ἕτερον, ἀλλὰ Διόνυσον εἶναι νομίζουσι· καὶ πολλὰ τῶν τελουμένων ἑκατέρῳ περὶ τὰς ἑορτὰς βεβαιοῖ τὸν λόγον. *Putant Adonidem & Bacchum eundem esse, & magna utrorumque festorum similitas id firmat.* Ad extremos Indos penetramus. His cymbala in usu fuisse ex Arriano constat. Ita ille rerum Indicarum lib. p. m. 173. Καὶ Θεοὺς σέβειν ὅτι ἐδίδαξε Διόνυσος ἄλλους τε καὶ μάλιστα ἑαυτὸν, κυμβαλίζοντας καὶ τυμπανίζοντας. καὶ ὄρχησιν δὲ ἐκδιδάξαι τὴν σατυρικὴν, τὸν κόρδακα παρ' Ἕλλησι καλούμενον· καὶ κομᾶν Ἰνδοὺς τῷ Θεῷ, μιτρηφορέειν τε ἀναδέξαι, καὶ μύρων ἀλοιφὰς ἐκδιδάξαι· ὥστε καὶ ἐς Ἀλέξανδρον ἔτι ὑπὸ κυμβάλων τε καὶ τυμπάνων ἐς τὰς μάχας Ἰνδοὺς καθίστασθαι. Vertit Vulcanius: *Cultum cum aliorum Deorum, tum sui ipsius Dionysus docuit, quem tympanorum & cymbalorum pulsu fieri jussit. Saltationem etiam Satyricam induxit, quam Græci cordaca vocant. Ad hæc comam Deo nutrire, mitram gerere, unguentisque uti ostendit, adeo ut ad Alexandriusque tempora cum cymbalis & tympanis prælia inierint.* Et Strabo Geogr. lib. XV. Τῶν ἄλλων ἄοινον λεγόντων τὴν Ἰνδικὴν, ὥς τε μὴ δ' αὐλὸν εἶναι κατὰ τὸν Ἀνάχαρσιν, μή τ' ἄλλο τῶν μουσικῶν ὀργάνων μηδὲν, πλὴν κυμβάλων καὶ τυμπάνων καὶ κροτάλων, ἃ τοὺς θαυματοποιοὺς κεκτῆσθαι. *Cum cæteri Indiam carere vino dicant, adeo ut nec ibi tibia sit, ut Anacharsis inquit, nec ullum aliud musicum instrumentum, præter cymbala & tympana & crotala, quibus uti præstigiatores solent.*

CAPUT XVIII.

Cymbala in cætera Græcia. Κυμβαλισταί. Κροταφισταί. Κρουματοποιοί. Athenæus vindicatus. *Argivorum cymbala. Atheniensium. Erato cymbalistria inter Musas: rebus meretriciis præposita. Aliis citharistria, &c. Meretrices cymbalistriæ, interdum tamen honestiores mulierculæ.*

QUanquam non inficiandum sit Thebis in Bacchico illo cultu frequentissima fuisse cymbala, non tamen eadem in cætera Græcia hospita atque peregrina erant. Atque illic eorum motores simpliciter κυμβαλισταὶ nuncupabantur. Lexicon Græco-Latinum: Κυμβαλιστής. *Cymbalista, qui cymbala pulsat.* Vox hæc deinde Latinitate donata est, & occurrit apud Apul. de Deo Socrat. *Numina barbara strepitu cymbalistarum & tympanistarum gaudent.* Atque talis cymbalistæ ex Protagoride Cyziceno mentionem facit Athenæus Deipnos. IV. 23. Παντὸς δὲ ὀργάνου κατάμιτον ἅπτει κροτάλων ὑποφαινοῦ (melius placet ex MSS. ἡδυφώρου τε, in qua emendatione mecum facit clarissimus Casaubonus) πανδόρου τοῦτε ἤδη μοναύλῳ τὰς ἡδίστας ἁρμονίας ἀναμινυρίζει. *Omnium vero instrumentorum fides pulsat, crotalaque, dulcisonumque pandurum, & jam monaulo suavissimos concentus summissa voce meditatur & cantillat.* Quanquam hic locus proprie referendus sit ad κροταλιστὰς, quorum itidem mentio apud antiquos. Glossæ Græco-Latinæ: Κροταφιστὴς, *perculsor*, ubi lubens corrigo: Κροταλιστὴς, *percussor*. Iidem aliquando appellitabantur κρουματοποιοὶ, ut est in illo Athenæi Deipnos. VIII. c. 4. Πόθεν δ' ὑμῖν, ὦ σοφώτατοι, ἐπῆλθε καὶ ὁ ὀψολόγος Δωρίων, ὡς καὶ συγγραφεύς τις γενόμενος, ὃν ἐγὼ κρουματοποιὸν οἶδα ὀνομαζόμενον καὶ φίλιχθυν, συγγραφέα δὲ οὔ. *Unde vero, o sapientissimi, venit vobis in mentem obsoniorum scriptor Dorion, quasi scripta quædam ille memoriæ tradiderit, quem scio nominatum fuisse* κρουματοποιὸν *&* φίλιχθυν, *minime vero scriptorem.* Male enim hic, ut recte Casaubonus notavit, ab aliquibus legitur χρωματοποιόν. Idem enim hic vocabulum κρουματοποιὸς combinatum significat, quod divisum apud Plutarchum lib. de Musica κρουμάτων ποιητὴς, & Dorion quoque, de quo apud Athenæum sermo, κρουματοποιὸς revera fuit, quod docent nos Machonis de Dorione verba: Ὁ κρουματοποιὸς Δωρίων ποτ' εἰς Μύλων ἐλθών. *Crumatum pulsator Dorion aliquando Mylonem* (urbem Ægypti teste Hermolao Byzantio) *veniens.* Præcipue a Thebanis Argivi aliquando mutuati sunt cum Bacchico cultu cymbala. De illis enim Nonnus Dionys. XLVII.

> Καὶ τελετὰς στήσαντο, θεοκλήτῳ δὲ πορείῃ
> Ῥόπτρα μὲν ἐπλατάγησεν, ἐπεκροτέοντο δὲ θύρσοι
> Καὶ δαΐδες σελάγιζον, ὁμηγερέες δὲ πολῖται
> Μυστιπόλῳ χρίοντο παρήϊα λευκάδι γύψῳ,
> Τύμπανα δ' ἐπλατάγησεν, ἀρασσομένοιο δὲ χαλκοῦ
> Δίκτυπος ἔβρεμε δοῦπος, &c. –

Vide locum ipsum in fine libri citati. In principio vero illius libri idem testatus fuerat de Atheniensibus vers. 3. ubi ita:

> — ἀκοιμήτε δὲ Λυαίε
> Ἐις χορὸν εὐώδινες ἐβακχεύθησαν Ἀθῆναι, &c.

> *— Bacchi vero irrequieti*
> *Choros frequentabant Athenæ populosæ*, &c.

Mentio sane in sequentibus διδύμων δονάκων vers. 23. i. e. *duplicium donacum* seu *crepitaculorum*. Nec dubito, quin apud Thracas cymbala fuerint in usu. Cotytia Thracum sunt sacra, de quibus Æschylus:

> Ὁ μὲν ἐν χερσὶ βόμβυκας ἔχων, &c.
> Ὁ δὲ χαλκοδέτοις κοτύλαις ὀτοβεῖ.

> *Hic manibus bombicas tenens:*
> *Ille vero æreis cotylis seu cymbalis tinnit.*

V. lib. III. cap. 9. Corybanticus etiam Rheæ cultus in Thracia fuit in Sao, quam Lycophron appellat κτίσμα κυρβάντων Σάον. Et Tzetzes ad hunc locum ita commentatur: Σάον· ὄνομα ὄρες Θρακικȣ̃, ȣ̃ μέμνηται Νίκανδρος, ἔτω πως λέγων ἐν Θηριακοῖς· ἢ Σάȣ ἢ Ἐμοσύχλȣ. Τὸ Σάον σπήλαιον Θρακικὸν, σπήλαιον τῆς Ῥέας ἢ τῆς Ἑκάτης, τῆς δεχομένης εἰς θυσίαν τὰς κύνας· οἱ κορύβαντες, οἵτινες εἰσὶ δαίμονες, περὶ τὴν Ῥέαν ἱδρύσαντο. *Saum, nomen montis Thracii, cujus meminit Nicander in Theriacis: quin & antrum Thracicum Rheæ aut Hecates, cui immolantur canes. Corybantes vero dæmones & ministri Rheæ.*

Musas cum cantus & musicæ harmoniæ Deas constituissent mendaces Græci, cymbala, tanquam instrumenta antiquissima & dignissima minime omittenda duxere, atque inde in sacro illo Musarum novenario Eratonem cymbalistriam somniarunt. Scholiastes Luciani ad Imagines: Καὶ γὰρ τὰς Μȣ́σας ἄλλην ἄλλης φασὶν ἔφορον τέχνης, λογικῆς, καὶ ἐπιστήμης. Κλειὼ μὲν ἱστορίας, ἧς καὶ εὑρετὴν εἶναι φασὶ, Θαλέιαν κωμῳδίας, Εὐτέρπην αὐλῶν, Μελπομένην τραγῳδίας, Τερψιχόρην ψαλτηρίȣ, Ἐρατὼ κυμβάλων, Πολυμνίαν ὀρχήσεως, Οὐρανίαν ἀστρολογίας, Καλλιόπην ποιήσεως. Et ratio subest, nisi fallor, quia hæc eadem amatoriis & meretriciis rebus præposita fuit. Athen. Deipnos. XIII. I. Ἡμεῖς ȣ̃ν τὸν περὶ ἐρωτικῶν λόγον ἐνταῦθα μέλλοντες κατατάττειν (ἐγένοντο γὰρ περὶ γαμετῶν καὶ ἑταιρῶν πολλάκις λόγοι ȣ̓κ εἰδόσιν ἐκτιθέμενοι τὴν ἱστορίαν,) τῶν Μȣσῶν τὴν Ἐρατὼ ἐπικαλεσάμενοι εἰς μνήμην ἡμῖν ἰέναι τὸν ἐρωτικὸν ἐκεῖνον κατάλογον, ἐντεῦθεν τὴν καταρχὴν ποιησόμεθα, Εἰδ᾽ ἄγε νῦν Ἐρατὼ, πάρ θ᾽ ἵστασο καὶ μοι ἔνισπε, τίνες λόγοι περὶ αὐτȣ̃ τȣ̃ ἔρωτος καὶ τῶν ἐρωτικῶν ἐλέχθησαν. *Nos igitur hoc loco apud ignaros fortassis de amatoriis sermonem ordine quodam incepturi (nam sæpius antea sermo de uxoribus & scortis est habitus, qui illorum historiam ignaris explicaret) Erato musam invocemus, ut memoria percurrere possimus Amatoriorum illam enumerationem, hinc exordientes: Age nunc Erato, adesdum mihi, & quæ sum dicturus, suggerito, nempe quid olim de amore & amatoriis sit disputatum.* Hinc eadem Erato Venere nata reperitur & Linocerius applicat ei, quod scribitur Hesiodo in Theogon.

> Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ᾽· αὐτὰρ ἔπειτα
> Γαῖ᾽ εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
> Ἀθανάτων, οἳ ἔχȣσι κάρη νιφόεντος ὀλύμπȣ,
> Τάρταρά τ᾽ ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης.
> Ἠδ᾽ ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι.

Alii Eratonem fuisse matrem Thamyræ asserunt, qui primus amatoria cecinit: omnes eo collimant, ut rerum amatoriarum præstitem faciant, quod vel ipsa nominis ratio declarat (ἔρως enim amor est) & consentit Ovidius:

> *Nunc Erato & tu nomen amoris habes.*

Non moror enim dissentientem Phurnutum, qui ἀπὸ τȣ̃ ἔρεσθαι καὶ ἀποκρίνεσθαι, ab *interrogando & respondendo deducit*, nec Fulgentium, qui dictam scribit quasi εὑρόντα ὅμοιον, quasi *simile invenientem*. Erato amoris præses est, & pulsavit cymbala, quia ita solebant in Græcia meretrices. Ruffinus in Epigrammate Anthol. VII.

> Οὐκ ἔτι παιδομανής, ὡς πρίν ποτε, νῦν δὲ καλȣ̃μαι
> Θηλυμανής· καὶ νῦν δίσκος ἐμοὶ κρόταλον.

Quanquam non sim nescius, aliarum quoque rerum præfecturam eidem Eratoni adscribi. Sic Ausonius pro cymbalis substituit Edyll. 20. plectra sive citharam:

> *Plectra gerens Erato, saltat pede, carmine, vultu.*

Cal-

Callimachus hymnorum ſtudium in Epigrammate:

> Ὕμνους ἀθανάτων Ἐρατὼ πολυτερπέας εὗρεν.

Qui idem in eodem epigrammate paulo ante Clionem cithariſtriam conſtituerat. Rerum naturalium apud Mart. Capellam magiſtra eſt de N. Phil. lib. II.

> *Merito tibi ſubditus orbis*
> *Rationibus ante repertus,*
> *Sacra fulgura cur rutileſcant?*
> *Fragor intonet unde reſultans?*
> *Quid agat per aperta madorem*
> *Modo nubibus imbrificatis?*
> *Quid euntibus agmine nimbis*
> *Revocet nitidiſſima verna,*
> *Rotet omnia circulis anni*
> *Properantia claudere ſecla?*
> *Quid habent rationis operta*
> *Canimus tibi cognita ſoli.*

Sed ſatis de Eratone. Cymbala ſed diverſo ſenſu a Muſis confligi vult Nonnus Dionyſ. α΄ non longe a principio:

> Ἄξατέ μοι νάρθηκα, τινάξατε κύμβαλα, Μοῦσαι.

> *Verſate mihi narthecem & confligite cymbala, o Muſæ.*

Non tamen putes adeo luxuriæ addicta fuiſſe noſtra cymbala, ut nunquam niſi a meretricibus uſurpentur. Nam honeſtiores quoque mulierculas cymbalis eſſe uſas liceat mihi augurari ex Plutarcho, qui id innuit Γαμικοῖς παραγγελμάτοις. Ἐπεὶ τοίνυν καὶ τῶν ἀνδρῶν οἱ μὲν ἐσθῆτας κοκκίνας καὶ πορφυρᾶς ὁρῶντες δυσανασχετοῦσιν, οἱ δὲ κυμβάλοις καὶ τυμπάνοις ἄχθονται, τί δεινὸν ἀπέχεσθαι τούτων τὰς γυναῖκας.

CAPUT XIX.

Magodi cymbaliſtæ. Genus Comicorum perſonatorum. An iidem cum Rhapſodis? Magorum hi vires decinebant.

MAgodorum rara mentio apud antiquos authores. Ita tamen exacte eorum meminit Athenæus Deipnoſophiſticῶn libro XIV. cap. 4. ut amplior deſcriptio deſiderari vix poſſit. Fuere hi genus Comicorum perſonatorum, qui habitu muliebri viri perſonam agebant. Ariſtoxenum hujus rei teſtem citat Athenæus: Ἀριστόξενος δέ φησι τὸν μὲν ἀνδρεῖα καὶ γυναικεῖα πρόσωπα ὑποκρινόμενον μαγῳδὸν καλεῖσθαι. *Ariſtoxenus Magodon exponit, qui habitu muliebri viri perſonam agit*. At vero cur horum nos mentionem faciamus, ea cauſa eſt, quia ii, præter tympana habitumque effœminarum ac muliebrem, cymbala etiam pulſabant: Ὁ δὲ Μαγῳδὸς καλούμενος τύμπανα ἔχει, καὶ κύμβαλα, καὶ πάντα τὰ περὶ αὐτὸν ἐνδύματα γυναικεῖα. *Qui vero Magodus vocatur, habet tympana & cymbala & veſtitum muliebrem omnem*. Talem hominem perſonatum cum cymbalis invenio apud Lampridium in vita Commodi: *Præfectum prætorio ſuum Julianum togatum præſente officio ſuo in piſcinam detruxit, quem ſaltare etiam nudum ante concubinas ſuas juſſit quatientem cymbala deformato vult*. Ariſtocles hos magodos cum Rhapſodis eoſdem fecit: Καταλέγει δὲ ὁ Ἀριστοκλῆς καὶ τοὺς δὲ ἐν τῷ περὶ μουσικῆς γράφων ὧδε, μαγῳδός. *Ariſtocles libro primo de muſica Magodos recenſet inter rhapſodos*. Loquitur enim de rhapſodis. Nempe ut hi (de quibus videri poſſunt Cuper. in Apoth. Hom. Rhodigin. Ant. Lect. VII. cap. 29. Buleng. de Theatr. II. I. & 9. Meurſ. Græc. Fer. II. & VI. Panathen. cap. 25. Faber Agoniſt. I. cap. 21. aliique plures) Homeri carmina in theatris concinebant, ita Magodi in prodigioſis magorum miraculis atque medicaminibus deſcribendis toti erant. Ἔσχε δὲ τοὔνομα ἡ μαγῳδία ἀπὸ τοῦ οἱονεὶ λαγικὰ προφέρεσθαι καὶ φαρμάκων ἐμφανίζειν δυνάμεις. *Magodiam vero idcirco nuncuparunt, quod illis cantionibus magorum prodigioſa miracula exponantur, medicamentorumque declarentur vires*. Alii eoſdem cum λυσιῳδοῖς Magados faciebant: Οὗτος δὲ ἐστιν ὁ αὐτὸς τῷ λυσιῳδῷ *Ille vero idem eſt cum Lyſiodo*. Varias interdum iidem repræſentare perſonas & accommodare ſe ad comœdie habitum ſolebant: Φησὶ δὲ Ἀριστόξενος τὴν μὲν ἱλαρῳδίαν σεμνὴν οὖσαν παρὰ τὴν τραγῳδίαν εἶναι, τὴν δὲ μαγῳδίαν παρὰ τὴν κωμῳδίαν· πολλάκις δὲ οἱ μαγῳδοὶ καὶ κωμικὰς ὑποθέσεις λαβόντες ὑπεκρίθησαν κατὰ τὴν ἰδίαν ἀγωγὴν καὶ διάθεσιν. *Ariſtoxenus ſcibit, poſt Tragœdiam Hilarodiam graviſſimam eſſe, poſt Comœdiam ſummam eſſe Magodiæ gravitatem. Magodi ſæpe comicorum argumento ſumto, inſtituto ſuo atque diſpoſitione varias perſonas repræſentarunt*. Sed nolo heic prolixior eſſe, ne nimis extra oleas vagari videar.

CA

CAPUT XX.

Cymbala a Phœnicibus accepere Hispani. Hispania Phœnicum coloniis plena. Inter eas Gades & Tartessos. In ambobus locis cymbala. Gaditanæ mulieres. Macrobius explicatus. *Castagnettæ. Similes his mulieribus hodiernæ Saltatrices Babylonicæ & Persicæ.*

NOn possum e Græcia in Hispaniam vela dare, nisi iterum salutem Cretam. Quod seculis antiquissimis illic fuerint cymbala, constat. Noli vero putare, licet ejecerint Cybelen, licet nullis eam honoribus afficiendam putarint, obmutuisse illic & cymbala. Etiam nescii Cybeleium cultum tenuere, Jovisque secundi, si Firmico fides, orgia celebravere, sed, ut videtur, sub Bacchi nomine. Sic ille de err. prof. relig. p. m. 14. *Cretenses, ut furentis tyranni sævitiam mitigarent, festos funeris dies statuunt, & annum sacrum trieterica consecratione componunt, omnia per ordinem facientes, quæ puer moriens aut fecit, aut passus est. Vivum laniant dentibus taurum, crudeles epulas annuis memorationibus excitantes, & per secreta sylvarum clamoribus dissonis ejulantes fingunt animi furentis insaniam, ut illud facinus non per fraudem factum, sed per insaniam crederetur: præfertur cista, in qua cor soror latenter absconderat, tibiarum cantu &* Cymbalorum *tinnitu crepundia, quibus puer deceptus fuerat, mentiuntur.*

Cymbala apud Hispanos quoque in usu fuisse jam probo. Hæc autem a Phœnicibus accepisse nullum mihi dubium. Adeo enim frequenter Phœnicum coloniis obsita est, ut nulla fere alias. Non jam enarro Strabonem prolixe edisserentem Gadira & Malaccam & Auderam & Carthaginem novam & Balearides insulas a Phœnicibus conditas atque incultas. Bochartum plurima urbium Hispanicarum nomina, quin imo ipsius Hispaniæ & Iberiæ etymon ex Hebræis radicibus docte deducentem non moror. Sufficiet mihi Gades & Tartessum Phœnicibus vindicasse, quia in utrisque locis pulsata esse cymbala constat. De Gadibus nullum dubium. Dionysius Periegetes, ubi Gades describit:

> Ἔνθά τε Φοινίκων ἀνδρῶν γένος ἐνναιέσιν
> Ἀζόμενοι μεγάλοιο Διὸς γόνον αἰγιόχοιο.

In Vellejo Paterculo circa Codri regis tempora *Tyria classis plurimum pollens mari, in ultimo Hispaniæ tractu in extremo nostri orbis termino insulam circumfusam Oceano perexiguo a continenti divisam freto Gades condidit.* Etymologicon: Γάδειρα ἐν τοῖς Φοινικικοῖς· ὅτι Ἀρχαλεὺς, ὑὸς Φοίνικος, κτίσας πόλιν ὠνόμασε τῇ Φοινίκων γραφῇ. Et qua occasione Tyrii colonias eo deduxerint, & quoties rem tentaverint, antequam secederet, pluribus narrat Strabo. Tartessos itidem a Phœnicibus ortum & incolas habuit. Rem & causam rei, divitias nempe hujus loci, ex solo doceo Aristotele, qui in libris Mirabilium: Τὸς πρώτυς τῶν Φοινίκων ἐπὶ Ταρτησσὸν πλεύσαντας λέγεται τοσῦτον ἀργύριον ἀντιφορτίσασθαι, ἔλαιον καὶ ἄλλον ναυτιδὸν ῥύπον εἰσαγαγόντας, ὥστε μηκέτι ἔχειν δύνασθαι μήτε ἐπιδέξασθαι τὸν ἄργυρον, ἀλλ' ἀναγκασθῆναι ἀποπλέοντας ἐκ τῶν τόπων τά τε ἄλλα πάντα ἀργυρᾶ, οἷς ἐχρῶντο, κατασκευάσασθαι, καὶ δὴ καὶ τὰς ἀγκύρας πάσας. His enim divitiis abundasse Tartessum Baeticam indaganti patebit ex Strabone lib. III. Stephano. Diodoro lib. V. Mela lib. II. Plinio lib. III. Silio lib. I. XV. XVI. Baeticam, inquam, nam alia quoque fuit Tartessos, alias Carteja dicta, eaque itidem Phœnicum navigationibus patens. Mela lib. II. cap. 6. *Sinus ultra est, in eoque Carteja, (ut quidam putant) aliquando Tartessos, & quam transvecti ex Africa Phœnices habitant.* In utrisque autem cymbala pulsata. Gadibus, Statius Sylv. 6. lib. II.

> *Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes,*
> *Illic cymbala tinnulaque Gades,*
> *Illic agmina confremunt Syrorum.*

De Tartesso Martialis lib. XI. Epigr. 17.

> *Nam mea Lampsacio lascivit pagina versu,*
> *Et Tartessiaca concrepat æra manu.*

Utrasque jungit idem lib. VI. Epigr. 71.

> *Edere lascivos ad Boetica crumata gestus,*
> *Et Gaditanis ludere docta modis.*

Baetica enim *crumata* mihi sunt Tartessiaca, quia Tartessus inædificata fuit ostio hujus fluminis. Inde *mulieres* κυρίως *Gaditanæ* dictæ sunt, cymbalistriæ illæ, quas apud Romanos ingentibus sumtibus ex Hispania comparabant. Jam clara fient diversorum authorum loca de his mulierculis seu potius meretriculis agentia. Juvenalis Sat. XI.

For-

Forsitan exspectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire sono ——

Ubi Scholiastes: *Nunc, inquit, exspectas apud me pantomimas, aut lyristrias de Gadibus, quod lasciviant*. Vellem posuisset: *cymbalistrias*, nec enim memini *lyristrias* unquam Romam accersitas de Gadibus. Martialis sæpius. Epigr. 62. lib. III.

Cantica qui Nili, qui Gaditana susurrat,
Qui movet in varios bracchia volsa modos.

Lib. V. Epigr. 79.

Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos.

Lib. I. Epigr. 42.

Quod non optimus Urbicus poeta,
Quod de Gadibus improbus Magister.

An hæc referam ad cymbalistam Hispanicum, qui puellas Romanas cymbalissare docuit, an vero existimandum puellas Gaditanas magistro cuidam subjectas fuisse? Viderint eruditi. Idem lib. I. Ep. 62.

Gaudent jocosæ Canio suo Gades
Emerita Deciano meo.

Cur vero & Gadibus & Tartessi cymbala pulsata fuerint, illius rei causam facile perspicio. Arctissimo enim vinculo utrorumque consuetudo juncta erat, ita ut sæpius pro Tartesso Gades, pro Gadibus Tartessus inveniatur in antiquis scriptoribus. Prioris testimonia invenis apud Sallustium Histor. II. *Tartessum Hispaniæ civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gaddir habent*. Avienus in oris maritimis:

Hic Gaddir urbs est dicta Tartessus prius.

Et rursus.

—— *Gaddir hic est oppidum:*
Nam Punicorum lingua conseptum locum
Gaddir vocabat: ipsa Tartessus prius
Cognominata est: multa & opulens civitas
Ævo vetusto, nunc egena, nunc brevis,
Nunc destituta, nunc ruinarum ager est.

Gaddir enim idem, quod Græcis Γάδειρα, Latinis *Gades*. Posterius evidentissime confirmat Plinius, qui de Gadibus agens: *Nostri*, inquit, *Tartessum appellant*, *Pœni Gadir*. Fontes quosdam hujus commixtionis videtur aperire Strabo lib. III. Ἐοίκασι δ' οἱ παλαιοὶ καλεῖν τὸν Βαῖτιν, Ταρτησσόν· Τὰ δὲ Γάδειρα καὶ τὰς πρὸς αὐτὴν νήσους Ἐρυθείαν· διόπερ οὕτως εἰπεῖν ὑπολαμβάνουσι Στησίχορον περὶ τοῦ Γηρυόνου βουκόλου, διότι γεννηθείη σχεδὸν ἀντιπέρας κλεινᾶς Ἐρυθείας, Ταρτησσοῦ ποταμοῦ παρὰ πηγὰς ἀπείρονας ἀργυρορίζους ἐν κευθμώνων πέτραις, &c. *Videtur sane priscos illos Baetin nominasse Tartessum, Gades vero insulasque vicinas Erythiam. Ideo Stesicorum de Geryonis armento sic cecinisse existumant: ut e regione illustris Erythiæ progenitum fuerit penes argenteos immensi Tartessi fontes, occultasque petras*, &c. At vero, quo præcipue authore cymbala venerint in Hispaniam, quærenti a me verecunde respondeo, videri mihi Herculem. De illius in hæc loca profectione nullum erit ei dubium, qui limis tantum oculis scripta veterum adspexerit. Ab eo Columnæ Herculis Gadibus propinquæ dictæ, per quas cum primus transitum invenisset, diremisse fingitur. Et quis nescit famigeratissimam Herculis ædem, de qua Diodor. Sic. lib. V. Silius lib. III. Mela, Philostratus & alii, in qua & ossa illius credebantur asservata, & columnæ, quas ignotis literis conscripserat, agens de mundi compage, atque elementorum ordine. Hic vero Hercules non Thebanus, sed Ægyptius sive Tyrius fuit. Appianus in Ibericis: Τότε Ἡρακλέους ἱερὸν τὸ ἐν στήλαις Φοίνικές μοι δοκοῦσιν ἱδρύσασθαι, καὶ θρησκεύεται νῦν ἔτι φοινικῶς, ὅτε θεὸς αὐτοῖς οὐχ' ὁ Θηβαῖός ἐστιν, ἀλλ' ὁ Τυρίων. Arrianus in Alexandro lib. 2. *Herculem illum, qui Tartessi colitur ab Iberis (ubi etiam columnæ quædam sunt Herculeæ dictæ) puto ego Tyrium esse Herculem, quia Tartessus condita est a Phœnicibus*, καὶ τῷ Φοινίκων νόμῳ ἔτι νεὼς πεποίηται τῷ Ἡρακλεῖ τῷ ἐκεῖ καὶ θυσίαι θύονται. Cum quo consentit Diodorus, qui vult templum Herculis Phœnices condidisse & in eo instituisse θυσίας μεγαλοπρεπεῖς τοῖς τῶν Φοινίκων ἤθεσι δοικουμένας. Philostratus quoque de vita Apollonii lib. II. cap. 14. ait *non Thebanum Herculem, sed Ægyptium ad Gades venisse, ibique terrarum terminos constituisse*. Verba mox citamus. Pomponius etiam Mela lib. III. cap. 6. *Templum Ægyptii Herculis, conditoribus, religione, vetustate, opibus illustre Tyrii condidere. Cur sanctum sit, ossa ejus ibi sita efficiunt*. Sed satis est probatum, quod volebam. Constat hinc errare eos omnes,

omnes, qui contendunt ab Hercule Græco devictum in Hispania esse Geryonem. Scio quidem Hecatæum vetustissimum historicum hanc traditionem eo mitigare, quod narrat, tricorporem illum Geryonem a Græco Hercule devictum non regnasse in Hispania circa Gades, sed in Græcia circa Ambraciam. Sed vereor, ne noceat fidei hujus authoris unanimis cæterorum omnium de Geryone Hispanico consensus. Aliam conciliationis viam Philostratus literis consignavit, qui duos facit Hercules, Thebanum alterum, alterum Ægyptium; utrosque autem in Hispaniam pervenisse, & mox de horum in Gadibus cultu ita (de vita Apollon. lib. v. cap. I.) Ἐν δὲ τῷ ἱερῷ τιμᾶσθαι μὲν ἄμφω τὼ Ἡρακλέε φασὶν, ἀγάλματα δ' αὐτοῖν οὐκ εἶναι. Βωμοὺς δὲ, τοῦ μὲν Αἰγυπτίου, δύο, χαλκοῦς καὶ ἀσήμους· ἕνα δὲ τοῦ Θηβαίου· ἡ Πυγμαλίωνος δὲ ἐλαία ἡ χρυσῆ, ἀνάκειται δὲ κἀκείνη ἐς τὸ Ἡράδλειον, ἀξία μὲν, ὥς φασι, καὶ τοῦ θαλλοῦ θαυμάζειν, ᾧ ἤκασται, θαυμάζεσθαι δ' ἂν ἐπὶ τῷ δαρπῷ μᾶλλον· βρύσθαι γὰρ αὐτὸν σμαράγδου λίθου. *Colunt autem eodem templo ambos Hercules. Simulacra autem illis nulla sunt: sed Ægyptio quidem aræ sunt duæ æneæ absque simulacro, Thebano autem una tantum. Pygmalionis insuper aurea oliva in ipso Herculis templo posita est, mirabili, ut ajunt, arte fabricata: cujus præcipua pulchritudo in fructuum opere conspicitur, qui ex lapide smaragdo confecta*. Pergit inde cæterum templi cultum describere, & inter alia de columnis quibusdam literatis hæc memorat: Ἐπιγεγράφθαι δὲ τὰς κεφαλὰς οὔτε Αἰγυπτίοις, οὔτε Ἰνδικοῖς γράμμασιν, οὔτε οἵοις ξυμβαλεῖν. *Capita earum literis inscripta sunt non Ægyptiis, neque Indicis, neque ab aliquo penitus cognitis*. Non frustra hæc exscribo loca, nam sub singulis aliquid arcani latet. Quod Hercules Ægyptius, id est, Phœnicius absque imagine coleretur, annon id ex veri Dei inter Judæos cultu translatum? Pygmalionis ramus, annon virgam sapit Aaronis? Literæ peregrinæ & nulli cognoscendæ, annon videntur fuisse Phœniciæ? Sed hæc exsecuti sunt jam alias viri summi. Redeo in viam. Herculem cum Ægyptium fuisse probavi, Cabirum probavi: nam hunc solum inter Cabirorum mysteria cultum esse supra evici. Si quis hoc sibi persuadere poterit, facile cymbalorum originem in Hispania inveniet. Cæterum mulieres illas Gaditanas cum psaltriis easdem putat Bulengerus, vel saltatricibus, quæ nudæ fluctuantibus lumbis ac crispantibus obscœno motu in conviviis pruriginem spectantibus conciliarent. Quam sane sententiam confirmare videtur Macrobius Saturnal. II. cap. I. *Quia sub illorum supercilio non defuit, qui psaltriam intromitti peteret, ut puella ex industria supra naturam melior canora dulcedine & saltationis lubrico exerceat illecebris philosophantes*. Quid enim impedit, cur *canoram dulcedinem* non eodem traham? Mos hic atque usus cymbalorum adeo invaluit in hac regione, ut etiamnum iis Iberi utantur in saltationibus suis, quas tamen nunc mutato nomine *castagnettas* vocant, atque ab iis ad nos eorum pervenit usus, censente ita celeberrimo Jacobo Sponio.

Non possum hoc loco omittere, quia valde convenit rei præsenti, licet nec loco, nec ætati, quod narrant Itineraria Indiæ Orientalis inter Javanensium convivia atque nuptias frequenter adhiberi quasdam saltatrices Babylonicas, quæ magno pretio conquirerentur, cum una sæpe ter millenis florenis constaret. Has meretrices Balliares (Balliar-Hoeren) appellant, quod quidam posset derivare a Balearidum nomine, quæ insulæ Hispaniæ propinquæ jacent. Has ferunt saltare larvatas & confligere manibus quosdam globulos ligneos, quibus mira celeritate collisis modos musicos formare. Statura sunt exigua, sed forma eleganti prorsus & liberali, quæ, quod iis regionibus non adeo suetum, candore nivem longe relinquat. Vestes iis sunt pretiosissimæ auro atque argento radiantes: caput & tempora uniones ornant, quarum splendore rectitudo vultus immane quantum augeatur. Deliciæ interim magnatum tantum, & ditiorum hominum, quia non exiguo pretio comparari debent. Idem Itinerarium, ex quo hæc hausi, in Persia easdem conviviis adhiberi scribit, cum quo consentit Castalio, qui ex ore Philippi Pigafettæ Vincentini commemorat, *cymbalorum atque acetabulorum usum in choreis & tripudiis apud Persas Ægyptiosque nostro quoque tempore permanere*.

CAPUT XXI.

Cymbalum in Italiam Bacchus non attulit. Propertii authoritas rejicitur. *Cum Cabiris in Hetruriam venere. Inde Romam fluxere. Frequentior cymbalorum usus cum saltatione invectus creditur.* Vir doctus refutatur. *Symphoniaci an cymbalistæ?* Statua marmorea. *Mesochorus.* Augustinus vindicatur.

Descendo ad Romanos, sive potius Italos, ad quos primus cymbala importasse dicitur Bacchus. Propert. lib. III. el. 17.

Plau-

Plausus ab umbroso, qua ludit pontus Averno
Humida Bajarum stagna tepentis aquæ,
Qua jacet & Trojæ tubicen Misenus arena
Et sonat Herculeo structa labore via.
Hic, ubi mortales dextra cum quæreret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere Deo.

Cui tamen authoritati parum tribuendum duco. Quæ enim, si demus cymbala in Latium Bacchum intulisse, ea inde necessitas iterum sustulerit? At vero longe vero convenientius mihi videtur, statuere, cum Cabiris in Italiam venisse cymbala. Eos enim ex Asia profugos in Hetruria consedisse, supra probavimus. Atque heic quoque cymbala pulsata esse manifestissimus testis Livius lib. XXXIX. cap. 8. *Græcus ignobilis in Hetruriam primo venit nulla cum arte earum, quas multas ad animorum corporumque cultum nobis eruditissima omnium gens invexit, sed sacrificulus & vates: nec is, qui aperta religione propalam & quæstum & disciplinam profitendo, animos horrore imbueret, sed occultorum antistitis sacrorum initia erant.* Ecquis hic non deprehendit rude vestigium Cabirorum, quanquam in eo sit error, quod ex Græcia profectum dicat, qui e Phœnicia, seu Samothrace appulerat. Pergit idem de sacris Hetruriæ: *Multa dolo, pleraque per vim audebantur. Occulebat vim, quod præ ululatibus tympanorum & cymbalorum strepitu nulla vox quiritantium inter stupra & cædes exaudiri poterat.* Clemens tamen Alexandrinus crotala a Siculis inventa existumat, Strom. lib. I. Σικελοὶ τε οἱ πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ πρῶτοι φόρμιγγα εὗρον, καὶ κρόταλα ἐπενόησαν. *Siculi quoque, qui sunt in Italia, primi invenere phormingem & crotala.* Ex hac gente Hetrusca Romam fluxere cymbala, in quam ab omni ævo, omnium idololatriarum horrendæ species, tanquam in commune asylum confluxere. Idem Livius apertissime cap. 9. *Hujus mali labes ex Etruria Romam, velut contagione morbi penetravit.* Cymbala ipsa nominat cap. 10. *Eos deducere in locum, qui circumsonet ululatibus cantuque symphoniæ, & cymbalorum & tympanorum pulsu, ne vox quiritantis, quum per vim stuprum inferatur, exaudiri possit.* Atque ita etiam capio istud capitis 15. *Bacchanalia tota jam pridem Italia & nunc per urbem etiam multis locis esse non fama accepisse vos, sed crepitibus etiam, ululatibusque nocturnis, qui personant tota urbe, certum habeo.* Subditisse tamen adhuc tum temporis intra Bacchanalia cymbalorum usum puto, deinde vero cum receptione saltatorum in urbem ampliora incrementa corripuisse. Istud autem sub Augusto factum esse, vel Luciano testi credes, qui ita περὶ ὀρχήσεως· Ἀλλὰ τό γε ἐν τῷ παρόντι μοι κεφάλαιον τοῦ λόγου τοῦτό ἐστι, τὴν νῦν ὄρχησιν καθεστῶσαν ἐπαινέσαι, καὶ δεῖξαι, ὅσα ἐν αὐτῇ τερπνὰ καὶ χρήσιμα περιλαβοῦσα ἔχει, οὐ πάλαι ἀρξαμένη ἐς τοσοῦτον κάλλος ἐπιδιδόναι, ἀλλὰ κατὰ τὸν ΣΕΒΑΣΤΟΝ μάλιστα· αἱ μὲν γὰρ πρῶται ἐκεῖναι, ὥσπερ τινὲς ῥίζαι, καὶ θεμέλιοι τῆς ὀρχήσεως ἦσαν. *Verum in præsentia mihi caput orationis illud est, ut nunc usitatam saltationem laudem, planumque faciam, quantum cum voluptatis, tum utilitatis in se complectatur, & ut non olim cœpit tantum elegantiæ incrementum capere, sed potissimum Augusti temporibus. Quippe priores illæ tanquam radices & fundamenta saltationis fuere.*

Vir clarus, qui amplo commentario non adeo longe Suetonium illustrandum sibi sumsit, & eruditis scriptis aliis multum remp. literariam sibi obstrinxit, in Augustino symphoniacos inter cymbalistas collocari putat. Locus ita se habet de Music. lib. IV. *Quæro ex te, utrum possint copulati sibi pedes, quos copulari oportet, perpetuum quendam numerum creare, ubi nullus finis appareat: veluti cum symphoniaci scabilla & cymbala pedibus feriantur.* Sed, lib. I. jam supra monui ex hoc loco hoc neutiquam consequi, & cymbalorum nomen scabilla quoque designare. Quæ enim alias cymbala pedibus ferirentur. Adducit in rem delineationem statuæ marmoreæ, quæ Rubenio jam ante ex aula magni Etruriæ ducis vulgata est, sed quæ tamen pro ipso nihil facit.



SARDA INCUSA

Pulsat quidem cymbala manibus, pedibus scabilla, sed mihi probatum nondum est, recte hunc existimari symphoniacum,



Tam enim mesochorum, aut alium aliquem comicum hominem, theatralemve intelligi posse reor, quam symphoniacum.

CAPUT XXII.

Cymbalistriæ. *Crotalistriæ*. Petronius & Propertius correcti. *In Dracontii elegiaco* Crotalistra *Daumius legerat*. *Delicatæ & amatrices puellæ cymbala pulsabant*.

Cymbalorum motrices apud Romanos cymbalistriæ vocabantur. Petron. Satyr. *Quum intrans cymbalistria & concrepans æra omnes excitavit*. Qui vero delineationem harum muliercularum volet, inveniet tres statuas elegantissimas in Sponio Miscell. pag. 21. quæ in ordine sunt XL. XLI. XLII.



Mutuatus eas est ab illo illustris Theologus Salomon van Till, in suo elegantissimo de Musica Hebræorum opere. Ejusdem imaginem invenies in Gemma Gorlæana, Dactyliothecæ ejus Tom. II. Num. LXV.

Aliquantum nec multum tamen ab his diversæ fuere crotalistriæ, quarum mentio apud Propert. IV. Eleg. 9.

> *Nile tuus tibicen erat, crotalistria Phyllis*.

Cum enim antiquitus *coralistria* legeretur, Turnebus, Passeratius atque alii jam medicam huic loco adhibuere manum. Similis error erat in Petronio de ciconia:

> *Ciconia etiam grata, peregrina, hospita,*
> *Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria,*
> *Avis exul hyemis*, &c.

Heic quoque antiquitus *coralistria* lectum est. Invenio in Epistolis Reinesianis locum Dracontii, in quo a Daumio maximo Reinesii necessario *crotalistra* videtur lectum fuisse, quod tamen Reinesius in *catulaster* mutandum existimat. Qui in statua videre crotalistriam desiderat, apud eundem Sponium inveniet Miscell. Sect. I. Artic. VI. Figur. XLIII.



Delicatis interim atque amatricibus puellulis non infrequens fuit movere cymbala. Gallus Eleg. IV.

> *Virgo fuit, species dedit ævi candida nomen,*

Can-

Candida diversis sat bene comta comis.
Huic ego per totum vidi splendentia corpus.
Cymbala multiplices edere pulsa sonos.

Huc respexit Justinus Martyr Apolog. I. Ὁ τὰ τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα δρᾶσαι δυνηθεὶς (de Hercule loquitur) ὡς νήπιος ὑπὸ σατύρων κατακυμβαλισθεὶς καὶ ὑπὸ γυναικέιυ ἔρωτος ἐττηθεὶς ὑπὸ Λυδῆς γελώσης κατὰ γλουτῶν τυπτόμενος ἥδετο. *Qui tam multa & talia facere potuit, is tanquam puerulus aures suas personare strepitu cymbalorum, quæ Satyri pulsabant, passus, & fœminæ amore superatus, se a Lide ridente in nates cædi lætabatur.*

CAPUT XXIII.

Copæ crotalistriæ. Virgilius Copæ author. *An Cupa legendum? An copæ aniculæ fuerint? an utricularii? an Cicero earum mentionem faciat? Fuere meretrices, quæstum corpore exercentes.* Scaliger, Turnebus, Muretus, Lambinus, &c. refutantur.

De copis hoc loco differendum paucis putavi. Has enim fœmellas crotalistrias facit Virgiliana Copa:

Copa Syrisca, caput Graja redimita mitella,
Cryspum sub crotalo docta movere latus,
Ebria famosa saltat lasciva taberna:
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

Virgiliana, inquam, quia talem agnovere ex antiquis Priscianus atque Sosipater Charisius Instit. Grammat. lib. I. Ex recentioribus ingens grex virorum eruditissimorum, M. Ant. Muretus. Phil. Beroaldus, Isaacus Casaubonus, Josephus Scaliger, Petrus Pithoeus, Lælius Bisciola, Caspar Barthius, aliique plures: quanquam solus Salmasius incerti authoris Copam existimet. Quicquid id sit, in varias partes ivere in Copis his describendis viri docti. Prima controversia de lectione est. Heic Muretus *Cupam*, alii *Copam* legendum existimant. Atque ille quidem suffraganeum sibi habet Sosipatrem Charisium, qui Instit. Gram. lib. I. ita habet: *Communia, cupo, cuponis, fullo fullonis: quamvis Virgilius librum suum Cupam inscripserit*. Rectius vero puto a cæteris *Copa* reponi, vel ob hanc causam. *Copa* fœmininum est de *caupo*: atqui frequentius invenio cauponis nomen apud authores *copo* legi, nunquam *cupo*. Horat. lib. I. Sat. I. *Perfidus hic copo*. Cicer. de Petit consul. cap. 2. *In petitione autem consulatus copones omnes compilare per turpissimam legationem maluit, quam adesse & Populo Romano supplicare*. Secundo controvertitur, an Copæ hæ fuerint aniculæ, quod summus Scaliger ex eo probari posse existimat, quia mitra adscribitur Copæ: *Copa Syrisca caput Graja redimita mitella*, & adducit huic rei probandæ loca Antipatri Sidonii:

Τὰν μὲν ἀεὶ πολύμυθον ἀειλάλος, ὦ ξένε, κίσσα
Φάσει· τὰν δὲ μέθας σύντροφον ἅδε κύλιξ.
Τὰν Κρῆσσαν δὲ τὰ τόξα· τὰ δ' ἔρια τὰν φιλόεργον.
Ἄνδεμα δ' αὖ μίτρας τὰν πολιοκρόταφον.

Propert. lib. IV. El. 5. in anum:

Exsequiæ fuerant rari furtiva capilli
Vincula, & immundo pallida mitra situ.

Ovid. de Vertumno in anum mutato Metam. XIV.

Ille etiam picta redimitus tempora mitra
Innitens baculo, positis per tempora canis
Assimilavit anum.

Idem Fastor. IV.

— *Simulavit anum mitraque capillos*
Presserat.

At vero quam stramineum esset hoc argumentum, probavit erudite Barthius: potius enim transmarinæ originis hoc indicium esse, cum & Asiaticæ mulieres uterentur mitris. Ita Herculem Omphalæ servientem gestare mitram sustinuisse, & alioqui mollitiei esse signum, illud capitis tegumentum. Prudentium id indicare in pugna luxuriæ:

Ut mitra cæsariem cohibens aurata virilem
Combibat infusum croceo religamine nardum.

Sic Phrygas effæminatos hoc habitu notare Virgilium Æn. IX. & meretricum bar-

barbararum esse gestamen. istud ex Juvenali liquere Sat. III.

Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra.

Sed tertio : nescio quid Scaligero viro alias incomparabili in mentem venerit, quando mox ad quartum Copæ versum:

Ad cubitum raucos excutiens calamos,

utricularium heic delineari existimat, quia ille inflat utrem, & retinet manu calamos, per quorum foramina moduli distinguuntur, &c. At aniculæ, quas ante denotari dixerat, non sunt utricularii. Jure Salmasius: „ Quis eum homo, „ vel quæ ratio induxit, ut ita censeret, cum nemo non videat, nulla non „ ratio evincat de crotalistria eum esse „ intelligendum? Totum locum heic vide & considera.

„ C
„ C
„ E
„ A

„ Nullus in his versibus utrem habes, „ nullum utricularium : sed eadem illa „ Syrisca καπηλὶς, quæ ante tabernam „ suam sub crotalo saltat, crotalum quoque manu quatit, & brachio crispante æreos calamos excutit, qui raucum „ concussu crepitum reddebant, unde raucos eos appellat : mulieres enim crotalistriæ saltabant, gesticulabanturque „ & crotalum simul quatiebant. Epigramma Græcum :

„ Ἠ κροτάλοις ὀρχηστρὶς Ἀρίστιον ——

„ cum crotalis saltatricem significat. Ad „ cubitum aut calamum excuti dixit author Copæ, quod non solum manibus, „ sed brachiis gesticularentur, crotalum „ simul quatientes. Græcum epigramma:

„ Ἐξακριβωσαμένη τῷ πήχεϊ χειρονομῶντι.

Quarto anquiritur quoque, an locus Ciceronis in Pisonem cap. 65. ad has copas referri debeat. Verba ita se habent: *Pistor domi nullus, nulla cella : panis & vinum a propola atque de cupa*. Hoc Turnebus atque Lambinus negant: Pitiscus, Tomasinus, Weitzius aliique affirmant. Cum his & mecum facient, qui locum curatius inspicient. Περιφράζω: Domi nullum pistorem, nullam cellam, adeoque nec vas vinarium in cella habuit. Panem a propola (non *propala*, ut Criticus summus) petiit. Vinum a copa seu cupa. Quæ enim esset obscuritas? Non habuit cellam, & tamen vinum de cupa petiit. Quasi non habere cellam, supponat non habere cupam vas vinarium? aut quasi cupa vas aliquod aut locus publicus esset? aut quasi vinum de cupa petere non simul innuat vinum de cella petere.

Atque hæc ita varie inter eruditos ventilata sunt. Ego copas existumem mulieres cauponam exercentes, quæ simul corporis copiam facere hospitibus solebant. Nam ita assueverant fere mulieres de caupona. Suet. Neron. §. 27. *Quoties Ostiam Tiberi deflueret, aut Bajanum sinum præternavigaret, dispositæ per littora & ripas diversoriæ tabernæ parabantur, insignes ganeæ & matronarum institorio copas imitantium, atque hinc inde hortantium, ut appelleret*. Non absimile quid olet Taciti locus lib. XV. *Crepidinibus stagni lupanaria adstabant illustribus fœminis completa*. Et innuit Theophr. Charact. Ethic cap. XXIX. inquiens: Αὗται αἱ γυναῖκες ἐκ τῆς ὁδοῦ τοὺς παριόντας ἁρπάζουσι. Fere enim καπηλεῖα erant ἀφροδίσια ex sententia Philostrati πρὸς γυναῖκα καπηλίδα. Ex Dione quoque Xiphilinus narrat, Avitum τὰ τῶν καπηλίκων ἐργαζόμενον, cum alia turpia fecisse multa, tum etiam τοὺς παριόντας ἀθρεῖν καὶ κεκλασμένῃ τῇ φωνῇ προσεταιρίσασθαι. Isaacus Casaubonus non male ambubajas dici posse putat, in quo ipsi facile assentior. Syræ enim mulieres erant, (verba Casauboni sunt) inque circo & aliis locis ædilem metuentibus habitantes duplici quæstu se sustentabant. Nam & corpus prostituebant & organa quædam pulsare norant, quæ secum ex patria attulerant Romam, unde male vir quidam doctissimus asserit Copas corpore tantum quæstum meritas esse sine cantu & instrumentis musicis.

FRI-

FRIDERICI ADOLPHI LAMPE DISSERTATIO DE CYMBALIS VETERUM.

LIBER TERTIUS

Ritus atque usus eorum declarans.

CAPUT PRIMUM.

Cymbalorum apud Judæos usus in veri Dei cultu: in deductione arcæ: in encæniis murorum: in dedicatione templi: singulis diebus in sacrificio jugi. In medii ævi ecclesiæ Christiana cymbala pulsata: in antiqua & puriore ecclesia non item.

AD extremam opusculi mei partem accingor, quæ ritus atque diversos cymbalorum usus lectori explicabit. Heic vero merito antecedunt sacri, subsequuntur profani. Ex sacris præmitto sanctiores: in Dei nempe cultu adhibitos atque usurpatos. Heic enim tam antiquitus, quam recenter, cum musica singulare momentum ad inflammandos pietate atque devotione animos habere crederetur, cymbalorum quoque usus invaluit. Psalmo CL. sacer ille & regius Psaltes: Αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν τυμπάνῳ ϗ χορῷ, αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν χορδαῖς ϗ ὀργάνῳ. Αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν κυμβάλοις εὐήχοις, αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν κυμβάλοις ἀλαλαγμοῦ. Junius: *Laudate eum tympano & tibia, laudate eum hydraulis & organo. Laudate eum cymbalis sonoris, laudate cum sistris.* Non mediocriter offendit Junius, cum sistra ultimo loco vertit, contra omnium fere tam antiquiorum, quam recentiorum fidem. Tres vero præcipue occasiones inter lectionem Sacrarum Scripturarum offendi, in quibus adhibita sunt a populo Israelitico cymbala. Prior erat in deductione arcæ. Sic cum David arcam Dei peteret ex domo Aminadab 2. Sam. II. cap. VI. Καὶ Δαυὶδ, ϗ οἱ Ἰσραὴλ παίζοντες ἐνώπιον κυρίου ἐν ὀργάνοις ἡρμοσμένοις ἐν ἰσχύϊ, ϗ ἐν ᾠδαῖς, ϗ ἐν κινύραις, ϗ ἐν νάβλαις, ϗ ἐν τυμπάνοις, ϗ ἐν κυμβάλοις ϗ ἐν αὐλοῖς. Diversa aliquantum Junii versio: *David vero & tota domus Israelis gestiebant præ lætitia coram Jehova, cum novis instrumentis ex lignis abiegnis; nempe cum citharis & cum nabliis & cum tympanis & cum sistris & cum cymbalis.* Res hæc iisdem fere verbis repetitur Paralip. I. cap. XIII. vers. 8. Καὶ Δαυὶδ ϗ πᾶς Ἰσραὴλ παίζοντες ἐναντίον τοῦ Θεοῦ ἐν πάσῃ δυνάμει, ϗ ἐν ψαλτῳδοῖς ϗ ἐν κινύραις, ϗ ἐν νάβλαις, ἐν τυμπάνοις, ϗ ἐν κυμβάλοις ϗ ἐν σάλπιγξι. Junius: *David autem & omnes Israelitæ præ lætitia gestiebant coram Deo totis viribus, tam canticis, quam citharis & nabliis & tympanis & cymbalis atque tubis.* Idem quoque deinde factum est, cum repeteretur arca fœderis ex domo Obed Edom, I. Chron. XV. vers. 28. Καὶ πᾶς Ἰσραὴλ ἀνάγοντες τὴν κιβωτὸν διαθήκης κυρίου ἐν σημασίᾳ, ϗ ἐν φωνῇ σωφὲρ, ϗ ἐν σάλπιγξι, ϗ ἐν κυμβάλοις, ἀναφωνοῦντες ἐν νάβλαις καὶ ἐν κινύραις. *Denique omnes Israelitæ deducebant arcam fœderis Jehovæ cum clangore, & sono buccinæ, tubisque ac cymbalis, resonantes nabliis & citharis.* Iterum adhibuit cymbalorum tinnitum Salomo, cum arcam ex tabernaculo transferret in templum, II. Chron. V. vers. 12. 13. Καὶ οἱ λευῖται οἱ ψαλτῳδοὶ πάντες τοῖς υἱοῖς αὐτοῦ ϗ τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ τῶν ἐνδεδυμένων στολὰς βυσσίνας ἐν κυμβάλοις, καὶ ἐν νάβλαις ϗ ἐν κινύραις ἑστηκότες κατέναντι τοῦ θυσιαστηρίου, ϗ μετ' αὐτῶν ἱερεῖς ἑκατὸν εἴκοσι σαλπίζοντες ταῖς σάλπιγξι. Καὶ ἐγένετο μία φωνὴ ἐν τῷ σαλπίζειν, ϗ ἐ τῷ ψαλτῳδεῖν ϗ ἐν τῷ ἀναφωνεῖν φωνῇ μιᾷ τοῦ ἐξομολογεῖσθαι καὶ αἰνεῖν τῷ κυρίῳ· ϗ ὡς ὕψωσαν φωνὴν ἐν σάλπιγξι ϗ ἐν κυμβάλοις ϗ ἐν ὀργάνοις τῶν ᾠδῶν. Junius: *Similiter Levitæ musici omnes tam filii eorum, quam cognati eorum induti bysso, cum cymbalis & cum nabliis ac citharis adstabant ad orientem altari & cum illis sacerdotes ad centum viginti clangentes tubis. Fuit, inquam, pariter clangentibus & musicis edentibus concentum unum laudando & celebrando Jehovam, quum efferrent concentum tubis & cymbalis ac instrumentis musicis.*

De-

Deinde murorum quoque encænia inter eundem cymbalorum ſtrepitum celebrabantur. Nehemias cap. XII. ver. 27. Ἐν ἐγκαινίοις τείχους Ἱερουσαλὴμ ἐζήτησαν τοὺς λευίτας ἐν τοῖς τόποις αὐτῶν τοῦ ἐνέγκαι αὐτοὺς εἰς Ἱερουσαλὴμ, ποιῆσαι ἐγκαίνια καὶ εὐφροσύνην θωδαθὰ καὶ ἐν ᾠδαῖς κυμβαλίζοντες, καὶ ψαλτήρια καὶ κινύραι. Junius: *Ad dedicationem autem muri Hieroſolymorum requiſiti ſunt Levitæ ex omnibus locis eorum, qui reducerentur Hieroſolyma ad celebrandum dedicationem & lætitiam idque gratiarum actionibus & muſica, cymbalis, nabliis & citharis.* In hanc rem Moſes Maimonides citante Buddeo: *Quomodo ampliorem reddent urbem? offeruntur a Synedrio duo ſacrificia euchariſtica, & accipiunt panem fermentatum illorum ſacrificiorum, & procedunt Viri Synedriales poſt binos illos panes euchariſticos ſe invicem excipientes. Perſonantibuſque citharis & nabliis & tintinnabulis* (N. B. ובצלצל vertendum erat, & *cymbalo*) *circa quemvis angulum conſiſtant*, &c. Tandem ſub conflictu cymbalorum dedicavit templum iſtud ſecundum Zorobabel, de qua re Eſdras cap. III. verſ. 10. Καὶ ἐθεμελίωσαν τοῦ οἰκοδομῆσαι τὸν οἶκον κυρίου· καὶ ἔστησαν οἱ ἱερεῖς ἐστολισμένοι ἐν σάλπιγξι, καὶ οἱ λευῖται υἱοὶ Ἀσὰφ ἐν κυμβάλοις τοῦ αἰνεῖν τὸν κύριον ἐπὶ χεῖρας Δαυὶδ βασιλέως Ἰσραήλ. Junius: *Itaque fundantibus ſtructoribus templum Jehovæ, conſtituerunt ſacerdotes indutos cum tubis, & Levitas poſteros Aſaphi cum cymbalis ad laudandum Jehovam cum canticis traditis a Davide rege Iſraelis.* Singulis vero diebus in ſacrificio jugi, quod mane & veſperi ſolebat immolari, ſummus ſacerdos & alii ſacerdotes, Levitæ, cantores, quilibet ſecundum ordinem ſuum ſtabant & diſponebantur, adeo ut cantores a ſacerdotibus ſatis eſſent remoti. Ut vero temporis momento, ſacrificium immolationis agni hymnis ſuis & pſalmis proſequerentur cantores, monebantur ſigno celerrimo & velociſſimo, nimirum agitatione ſudarii: quo animadverſo ſtatim Levitæ cymbalis tinniebant, & cantores cantica & hymnos ſacrificio ſociabant. Unde Apocal. XV. fit mentio ᾠδῆς ἀρνίου, quia, cum agnus immolabatur, hymnos ſolebant decantare, cymbala pulſare per ſudarii motitationem. Legitur de ea re in Codice Tamid. cap. 7. Miſch. 3. *Et veniebant, ſtabant prope filium Arzæ, alter e dextra ejus, alter e ſiniſtra. Incurvavit ſe, ut libaret, & princeps Sacerdotum agitabat ſudaria, & filius Arzæ cymbalo tinnit & levitæ cantabant canticum.* Suffragium Barthenoræ ad Schekalim c. 5. Miſchn. 1. ובשהיו שומעין קולו היו הלוים מתחילין בשיר i. e. *& quando Levitæ audiebant ſonum ejus* (cymbali) *incipiebant hymnum ſuum* ſc. in jugi ſacrificio de quo ſermo. Mentio hic unius fit tantum cymbali recte. Nec enim plura admittunt Hebræorum magiſtri. Maſſechet Erachim c. 2. Miſn. 5. 6. *Non ſolent eſſe pauciores duabus tubis, ſed ſemper ſuperaddunt. Non erant pauciores novem citharis. Sed ſemper addunt. Sed cymbalum unicum erat.* In medii ævi eccleſia Chriſtiana cymbala aliquando pulſata eſſe rara habeo teſtimonia, aliqua tamen. Galfridus in Poetria:

> *Cymbala præcava, concors ſymphonia, dulcis*
> *Fiſtula, ſoniferæ citharæ, vitulæque jocoſæ.*

Vita Lamberti Martyris, cujus authorem fuiſſe quendam Godeſcalcum Leodicenſem Caniſius exiſtumat: *Hinc inde fratrum fideliter pſallentium chori cum cymbalis canoris, organiſque ſuaviſſima modulatione ſonantibus concinebant.* Venantius Honorius lib. II.

> *Stamina pſalterii lyrico modulamine texens*
> *Verſibus orditum carmen amore trahit.*
> *Hinc puer exiguis attemperat organa cannis,*
> *Inde ſenex largam ructat ab ore tubam.*
> *Cymbalicæ voces calamis miſcentur acutis,*
> *Diſparibuſque tropis fiſtula dulce ſonat.*
> *Tympana rauca ſenum puerilis tibia mulcet,*
> *Atque hominum reparant verba canora lyram.*

Qui accuratius locum hunc inſpicit, facile colligit, cymbala adſcribenda eſſe ſenibus, oppoſita puerorum calamis ſeu fiſtulis. Talis enim oppoſitio in antecedenti & ſequenti verſu eſt: ibi inter puerorum organa & ſenum & tibias pueriles, de qua chororum ratione vide, quæ notaverit Browerus loco citato. In antiqua tamen & puriore eccleſia cymbalorum uſum fuiſſe non puto, quia omnia inſtrumenta muſica Veteris Teſtamenti ibi abrogata erant, ſecundum Clementem Alexandr. Pædag. II. cap. IV. Ἑνὶ δὲ ἄρα ὀργάνῳ τῷ λόγῳ μόνῳ τῷ εἰρηνικῷ ἡμεῖς κεχρήμεθα, ᾧ γεραίρομεν τὸν Θεόν, οὐκ ἔτι τῷ ψαλτηρίῳ τῷ παλαιῷ καὶ τῇ σάλπιγγι καὶ τυμπάνῳ καὶ αὐλῷ. quod eſt: *Uno*

ergo

ergo instrumento verbo solo pacifico nos utimur, quo Deum honoramus, non amplius veteri psalterio & tuba & tympano & tibia. Cui addi potest Jo. Saresberiens. lib. I. Polycrat. Et de cymbalis in specie S. Aelredus Abbas Rievallis Bernhardi synchronus & discipulus l. 2. speculi charitatis cap. 23. *Unde*, ait, *cessantibus jam typis & figuris, unde in ecclesia tot organa, tot cymbala? Ad quid rogo terribilis ille follium flatus tonitrui fragorem, quam vocis exprimens suavitatem?*

CAPUT II.

Cymbala in sacris gentilium frequentissima. Barbari cumprimis Dii cymbalis culti. In Paphlagonem superstitionibus cymbala. An eadem in sacris Saturni?

CYmbala ante sacrum in Judæa usum modice adhuc in cultibus atque idololatria gentium adhibebantur. Posteaquam autem in verum Dei cultum recepta sunt, Diabolus perpetuus Dei etiam in minutissimis simius plurimis gentium orgiis, mysteriis, sacrificiis, adorationibus cymbala insinuavit. Quod generaliter perstringens Arnobius lib. VII. Adv. Gent. *Vos*, inquit, *æris tinnitibus & tibiarum sonis, vos equorum curriculis & theatralibus ludis persuasum habetis Deos & delectari & affici, irasque aliquando conceptas eorum satisfactione molliri.* Cumprimis autem strepitu cymbalico Barbarorum numina delectari ex sententia est Apuleji de Deo Socrat. *Religionum diversis observationibus & sacrorum variis suppliciis fides impertienda est. Etsi nonnulli sunt ex hoc Divorum numero, qui nocturnis vel diurnis, promtis vel occultis, lætioribus vel tristioribus hostiis vel ceremoniis vel ritibus gaudeant: uti Ægyptia numina ferme plangoribus, Græca plerumque chorei, Barbara autem strepitu cymbalistarum & tympanistarum & choraularum.* Quod quidem a ratione aversum neutiquam est. Plurimi enim Deorum, in quorum sacris cymbala, ex Barbaria in Græciam Latiumque fluxerunt. Annon Cybele e Phrygia est, a cujus montibus, Cybele, Pessinunte, Berecynthe, Ida, nomen habet? Non Bacchus illius filius, qui alias sub nomine Attinis atque Jovis colitur? Non Cotytos Thrax & Saturnus Cretensis? Hinc factum, ut & Clemens Alexandrinus & ex eo Eusebius Præp. Evang. lib. x. cap. 6. inter inventa, quæ a Barbaris Græcos accepisse volunt, crotala quoque collocent. Taceo alia, & particulatim singula contingo. Incipio a sacris Paphlagonum (gentis Barbaræ) superstitionibus, in quibus *κυμβάλοις κροτοῦντα* enarrat Lucianus Pseudomanti: Ὁ δὲ Ἀλέξανδρος, ἔμπαλιν, τὰ οἴκοι προὔκρινε, λέγων, ὅπερ ἀληθὲς ἦν, πρὸς τὴν τοιούτων ἀρχὴν καὶ ἐπιχείρησιν, ἀνθρώπων δεῖν παχέων καὶ ἠλιθίων τῶν ὑποδεξαμένων, οἵους τοὺς Παφλάγονας εἶναι ἔφασκεν, ὑπεροικοῦντας τὸ τοῦ Ἀβώνου τεῖχος, δεισιδαίμονας τοὺς πολλοὺς καὶ ἠλιθίους, καὶ μόνον εἰ φανείη τις αὐλητὴν ἢ τυμπανιστὴν, ἢ κυμβάλοις κροτοῦντα ἐπαγόμενος, κοσκίνῳ τὸ τοῦ λόγου μαντευόμενος, αὐτίκα μάλα πάντας κεχηνότας πρὸς αὐτὸν, καὶ ὥσπερ τινὰ τῶν ἐπουρανίων προσβλέποντας. *Alexander vero e diverso patriam suam præferebat: dicens, quod res erat, ad res hujusmodi incipiendas & auspicandas opus esse pinguibus & stolidis hominibus, qui admittant, cujusmodi Paphlagonas affirmabat esse hos, qui supra murum Aboni habitant, nempe superstitiosos plerosque & stolidos: qui, si quis tantum apparuerit, tibicinem, aut tympanistam, aut cymbala pulsantem adducens, cribro, quod ajunt, vaticinans, illico vehementer in illum omnes inhient, & perinde, ut cœlum, quempiam intueantur.* Scholiastes Luciani ad Lucium seu Asinum docet in sacrificiis humanis Saturni in Sardinia ligna quædam configi solita. En verba: Τιμαῖος δὲ φησιν ἐκεῖ ὡς τοὺς ὑπὲρ ἔτη γεγονότας γονεῖς αὐτῶν θύουσι τῷ Κρόνῳ, γελῶντες καὶ τύπτοντες ξύλοις καὶ πρὸς ἀχανεῖς κρημνοὺς καταθοῦντες, ὅθεν Σαρδώνιος γέλως ἐκλήθη. An hæc lignea quædam cymbalorum species fuerit, secure affirmare haud ausim, quanquam alias in sacris Saturni non infrequentia sunt cymbala. Sed videant eruditiores.

CAPUT III.

Cymbala in matris Deum sacris frequentissima. Scythis & Cretensibus ne colebatur quidem.

MAtrem Deum cymbalis cultam esse autores Græci juxta atque Latini & monumenta antiqua magno numero testantur. Præmito Græcos. Diodorus Siculus lib. V. in nuptiis Cadmi & Harmoniæ, *Electra*, ait, *magnæ Deum matris sacra una cum cymbalis & tympanis & orgia ducentium choris donavit.* Nonnus Dionys. *l.*

— Κυβήλιδος ὄργανα Ῥείης
Κύμβαλα χαλκεόνωτα —

— *Organa Cybeleiæ Rheæ*
Cymbala, æneum tergum habentia —

Idem *x'.*

Ῥείης

Ῥέης εἶδος ἔχουσα φιλοκροτάλοιο θεαίνης

Similis Rheæ, quæ amat crotala.

Et aliquanto poſt κύμβαλα Ῥέης, *cymbala Rheæ*. Strabo ex Pindari dithyrambis hæc excerpſit lib. x.

Σοὶ μὲν κατάρχει μᾶτερ πάρα
Μεγάλοι ῥόμβοι κυμβάλων ἐνδεκ' ἀχλάδων
Κρόταλ' αἰθομένα τε δαῒς ὑπὸ ξανθῇσι πεύκαις.

Vertit Guarinus Veronenſis:

Tibi ſane mater inchoat
Adraſti magni cymbalorum ſtrepitus
Et fax ardens flavas ſub pinos.

Homerus in hymnis de Cybele:

Μητέρα μοι πάντων τε θεῶν πάντων τ' ἀνθρώπων
Ὕμνει μοῦσα λίγεια Διὸς θυγάτηρ μεγάλοιο,
Ἧ κροτάλων τυπάνων ἰαχὴ σύν τε τρόμος αὐλῶν
Εὔαδεν — —

Græcum Epigramma:

Ἡ κροτάλοις ὀρχηστὶς ἀείσιον ἡ περὶ πεύκαις
Καὶ Κυβέλη πλοκάμους ῥίψαι ἐπισταμένη
Ἡ λωτῷ κερόεντι φορευμένη ———

Apollon. Argonaut. I. 1139.

Ῥόμβῳ καὶ τυπάνῳ Ῥείην Φρύγες ἱλάσκονται.

Scholiaſtes loco citato: Ὅθεν καὶ Φρύγες κυμβάλοις καὶ τυμπάνοις τὴν Ῥέαν ἱλάσκονται. Diogenes Tragicus apud Athen. Deipnoſoph. XIV. cap. 9.

Καὶ τοι κλύωμεν Ἀσιάδος μιτρηφόρους
Κυβέλας γυναῖκας παῖδας ὀλβίων Φρυγῶν
Τυμπάνοισι καὶ ῥόμβοισι καὶ χαλκοκτύπων
Βόμβοις βρεμούσας ἀντὶ χερσὶ κυμβάλων.

Auditione cognovimus Aſiaticas mitratas
Cybeles fœminas fortunatis ſatas Phrygibus
Tympanorum ære percuſſorum ſtrepitu
Ac cymbalorum, quæ manibus pulſant murmure.

Strabo Geograph. lib. x. ubi convenientiam cultus Cybelici & Bacchici commemorat: Τῷ δ' αὐλῷ καὶ κτύπῳ κροτάλων τε, καὶ κυμβάλων, καὶ τυμπάνων, καὶ ταῖς συλβοήσεσι καὶ εὐασμοῖς καὶ ποδοκρουσίαις. *Tibiæ ſonitu ac crotalorum, cymbalorum & tympanorum, clamoribuſque & ovationibus, pedumque pulſibus*. Jungent ſe his Latini. Virgilius Georg. IV.

Tinnituſque cie & matris quatecymbala circum.

Propert. lib. III. Eleg. XVIII.

—— Dea magna Cybelle
Tundet ad Idæos cymbala rauca ſonos.

Claudianus in Eutrop. I.

Vel ſi ſacra placent, habeas pro Marte Cybellen.
Rauca Celenæos ad tympana diſce furores:
Cymbala ferre licet, pectuſque illidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris.

Catullus de Berecynthia & Aty:

Mora tarda mente cedat. ſimul ite: ſequimini
Phrygiam ad domum, Cybeles Phrygia ad nemora Deæ:
Ubi cymbalum ſonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicem ubi canit Phryx curvo grave calamo.

Et mox iterum:

Simul hæc comitibus Atys cecinit nova mulier,
Thiaſus repente linguis trepidantibus ululat,
Lave tympanum remugit, cava cymbala recrepant.

Varro:

Tibi tympana haud inani ſonitu Dea tonimus:
Sonitum æris intonamus tibi nos ſemiviri.

Claudent jam agmen cimelia antiquioris ævi. Romæ Grutero ſuum Inſcriptionum opus colligente, ara fuit marmorea in ædibus Cardinalis Cæſii, magni rerum antiquarum æſtimatoris. In ea eſt Cybele, capite turrito inſidens curri a leonibus vecto, dextra ſpicas ac milium, læva autem tympanum tenens, ac pedum habens a tergo. Dextro latere binæ ſunt faces tranſverſæ, adjectis CYMBALIS, ſini-

finistro autem conspiciuntur fistulæ. Inscriptio est:

M. D. M. I. ET ATTINIS
id est, MAGNÆ DEUM MATRI IDÆÆ ET ATTINIS. Subest vero epigraphe illa:

L. CORNELIUS. SCIPIO. OREITUS
V. C. AUGUR. TAUROBOLIUM
SIVE. CRIOBOLIUM. FECIT
DIE. IIII. KAL. MART.
TUSCO. ET. ANULLINO. COSS.

Hanc inscriptionem cum aræ ipsius effigies explicat ex professo vir doctus Josephus Castalio. Ille quanquam dubitet, an in dextro illo latere cymbala, an vero tympana repræsententur, magis tamen ad prius inclinat. Item Romæ in æde S. Nicolai ara ingens est, in cujus latere dextro extat Cybele turrita, vecta leonibus addito tauro, quem inumbrat pinus; sinistro Attis est, qui dextra fistulas & cymbalum, læva pedum tenet. Taceo reliqua, quæ ibidem conspiciuntur, tympanum, pinum, tædas, lituum, unceum, &c. Inscriptio aræ talis est:

PETRONIUS. APOLLODORUS. V. C.
PONTIFEX. MAJOR. XV. VIR. SACR. FAC.
PATER. SACR. DEI. INVICTI. MITHRÆ.
TAUROBOLIO. CRIOBOLIOQUE. PERCEPTO
UNA. CUM. RUF. VOLUSIANA. C. F. CONJUGE. XVI. KAL. JULIAS.
DD. NN.
VALENTINIANO. ET. VALENTE. AUGG. III. COSS.
ARAM. DICAVIT.

Onuphrius Panvinius in Circi depictione Atrinem quoque ex adverso Cybeles collocat, cymbalum inversum in capite gerentem, quod ejus commentator Argolus adnotare non prætermisit. Pertinent huc cymbala, quæ in manu ænea Cecropii votum referente exhibet Clarissimus Tomasinus. Miror tamen heic non mediocriter virum alias oculatissimum, cum ex professo sibi singulari tractatu hanc manum illustrandam proposuerit, de cymbalis omnino tacere.



Nullum tamen mihi dubium, quo minus credam cymbala esse, quia forma aptissime congruit ei, quam exhibent cætera cimelia. Isidi autem & Matri Deum hanc manum dedicatam probat prolixe citatus & de vetustate optime meritus autor. Similis elegantia atque labore est manus, quam in matris Deum atque Attidis initiis explicavit eruditissimus Pignorius, in qua eadem ratione cymbala occurrunt. Tandem in gemma Gorlæi Cybele sedet inter duos leones manu tenens cymbalum, quanquam id ipse in Scholiis Gorlæus omiserit. Singularem vero, cur cum instrumentis musicis Dii pingi soleant, rationem refert Plutarchus de animæ procreatione: Οἵ τε πάλαι θεολόγοι, πρεσβύτατοι φιλοσόφων ὄντες, ὄργανα μουσικὰ θεῶν ἐνεχείριζον ἀγάλμασιν· οὐχ ὡς λύραν που καὶ αὐλὸν, ἀλλὰ οὐθὲν ἔργον οἰόμενοι θεῶν οἷον ἁρμονίαν εἶναι καὶ συμφωνίαν· ὥσπερ οὖν ὁ τοὺς ἐπιτρίτους καὶ ἡμιολίους καὶ διπλασίους λόγους ζητῶν ἐν τῷ ζυγῷ τῆς λύρας καὶ τῇ χελώνῃ καὶ τοῖς κολλάβοις, γελοῖός ἐστι· (δεῖ μὲν γὰρ ἀμέλει καὶ ταῦτα συμμέτρως γεγονέναι πρὸς ἄλληλα μήκεσι καὶ πάχεσι, τὴν δὲ ἁρμονίαν ἐκείνην ἐπὶ τῶν φθόγγων θεωρεῖν) οὕτως εἰκὸς μὲν ἐστι καὶ τὰ σώματα τῶν ἀστέρων καὶ τὰ διαστήματα τῶν κύκλων, καὶ τὰ τάχη τῶν περιφορῶν, ὥσπερ ὄργανα ἐν τεταγμένοις ἔχειν ἐμμέτρως πρὸς ἄλληλα καὶ πρὸς τὸ ὅλον, εἰ καὶ τὸ ποσὸν ἡμᾶς τοῦ μέτρου διαπέφευγε, &c. *Prisci porro theologi, philosophorum vetustissimi, musica instrumenta in manus Deorum imaginibus posuerunt: non sane, quod eos lyra aut cithara ludere putarent, sed, quod nullum Deo opus convenientius judicarent, quam consonantiam & harmoniam. Sicut igitur, qui proportiones sesquitertias,* *ses-*

sesquiplas atque duplas quærat in jugo lyræ, testudine & clavis; ridiculus sit: (nam quin & hæc debeant inter se longitudinem & crassitiem habere proportione aptam, dubium non est: cum interim harmonia in fidium sit consideranda sonis) ita probabile est etiam, corpora stellarum, intervalla circulorum, conversionum celeritates, tanquam instrumenta recto ordine disposita suam habere cum inter se, tum ad totam universi compagem proportionem: etiamsi nos quantitas & mensura lateat. Atque ut aliis populis belle placuit cymbalicus hic cultus, ita Scythis magnæ detestationi fuit. Clem. Alexandr. ad Gent. Πολλὰ κἀγαθὰ γένοιτο τῷ τῶν Σκυθῶν βασιλεῖ, ὅστις ποτὲ ἦν Ἀνάχαρσις· οὗτος τὸν τὸν πολίτην τὸν ἑαυτοῦ τὴν παρὰ Κυζικηνοῖς μητρὸς τῶν θεῶν τελετὴν ἀπομιμούμενον παρὰ Σκύθαις, τύμπανόν τε ἐπικτυποῦντα, καὶ κύμβαλον ἐπηχοῦντα διὰ τοῦ τραχήλου τινὰ μητραγύρτην ἐξηρτημένον, κατετόξευσεν. *Multa bona Regi Scytharum eveniant, quicunque fuerit Anacharsis. Is civem suum, qui Matris Deorum sacra, quæ fiunt apud Cyzicenos, in Scythia imitabatur & tympanum perstrepens & cymbalum resonans, ut metragyrtes aliquis, collo appensum habebat, sagittis confodit.* Idem auguror de Creta, quia in Cretensium antiquitatibus nulla cymbalorum mentio, & Rhæ seu Cybelæ nullos honores in Creta factos aperte Demetrius Scepsius apud Strabonem testatur lib. x. Φησὶ δὲ πάλιν ὁ Σκήψιος, ἐν τῇ Κρήτῃ τὰς τῆς Ῥέας τιμὰς μὴ νομίζεσθαι, μηδὲ ἐπιχωριάζειν.

CAPUT IV.

Cymbala cur in sacris Cybeles? Causa mythologica. Curetes cymbalis occultarunt Jovem. Pyrricha. Causæ physicæ. Vossius refutatur. Phurnutus vindicatur. Augustinus emendatur. *Æs ferro antiquius. Cymbala cur ærea? cur rotunda?*

CAusæ cur in Cybeles sacris cymbala legantur pulsata, variæ traduntur: mythologica alia, aliæ vero physicæ. Illam prolixe exponit Ovidius Fastor. IV. quem locum ob elegantiam nefas ducerem omittere:

> *Reddita Saturno sors hæc erat: Optime Regum,*
> *A nato sceptris excutiere tuis.*
> *Ille suam metuens, ut quæque erat edita, prolem*
> *Devorat immersam visceribusque tenet.*
> *Sæpe Rhea questa est toties fæcunda, nec unquam*
> *Mater & indoluit fertilitate sua.*
> *Jupiter ortus erat: pro magna teste vetustas*
> *Creditur, acceptam parce movere fidem.*
> *Veste latens saxum cœlesti viscere sedit:*
> *Sic genitor fati decipiendus erat.*
> *Ardua jam dudum resonat tinnitibus Ide,*
> *Tutus ut infanti vagiat ore puer.*
> *Pars clypeos sudibus, galeas pars tundit manes:*
> *Hoc Curetes habet, hoc Corybantes opus.*
> *Res latuit patrem: priscique imitamina facti*
> *Æra Deæ comites raucaque terga movent.*
> *Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant,*
> *Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.*

Multi sunt in hac occultatione Jovis tradenda autores. Nonnus Dionys. lib. XIV.

> Γηγενέες κορύβαντες ὁμήλυδες· ὧν ποτε Ῥείη
> Ἐκ χθονὸς αὐτοτέλεστον ἀνεβλάστησε γενέθλην,
> Οἳ βρέφος ἀρτιλόχευτον ἀεξιτόκῳ παρὰ πέτρῃ
> Ζῆνα φερεσσακέεσσιν ἐμετρώσαντο χορείαις,
> Κῶμον ἀνακρούοντες ὀρίκτυπον ἠπεροπῆα,
> Ἦερα βακχεύοντες· ἀρασσομένοιο δὲ χαλκοῦ
> Ἀγχινεφὴς κρονίοισιν ἐπέβρεμεν οὔασιν ἠχὼ
> Κουροσύνην Κρονίωνος ὑποκλέπτουσα βοείαις.

Lucianus περὶ ὀρχήσεως: Πρῶτον δέ φασι Ῥέαν ἡσθεῖσαν τῇ τέχνῃ, ἐν Φρυγίᾳ μὲν τοὺς Κορύβαντας, ἐν Κρήτῃ δὲ τοὺς Κουρῆτας ὀρχεῖσθαι κελεῦσαι· καὶ οὐ τὰ μέτρια ὤνατο τῆς τέχνης αὐτῶν· οἱ γὰρ περιορχούμενοι διεσώσαντο αὐτῇ τὸν Δία, ὥστε καὶ σῶστρα εἰκότως ἂν ὁ Ζεὺς ὀφείλειν ὁμολογοίη αὐτοῖς, ἐκφυγὼν διὰ τὴν αὐτῶν ὄρχησιν τοὺς πατρῴους ὀδόντας. *Primum autem Rheam dicunt hac arte gavisam in Phrygia quidem Corybantes, in Creta vero Curetes saltare jussisse. Neque parum ars eorum illi profuit: quippe circumsaltantes servarunt illi Jovem, ita ut ipsis mercedem salutis debere se Jupiter confiteatur, siquidem per saltationem illorum paternos dentes effugit.* Lactantius de fal-

falsa Relig. lib. I. cap. 13. *Ops autem, quum Jovem peperisset, subtraxit infantem, eumque nutriendum furtim misit in Cretam. Rursus imprudentiam reprehendam, necesse est. Cur enim responsum ab alio potius accepit? Cur in cœlo constitutus, quæ geruntur in terra, non videbat? Cur eum Corybantes cymbalis fefellerunt?* Servius ad Virg. Georg. II. *Antequam regnaret Jupiter, qui est in Dictæo monte nutritus.* Et ipse Virgilius Georg. IV.

Nunc age: naturas apibus quas Jupiter ipse
Addidit, expediam: pro qua mercede canoros
Curetum sonitus, crepitantiaque æra secutæ
Dictæo cœli Regem pavere sub antro.

Ubi iterum Servius: *Jovem Ops, Saturni uxor, Curetibus custodiendum dedit in monte Dictæo.* Calphurnius Ecloga IV.

Jupiter ipse parens, cui tu jam proximus ipse
Cæsar abis, posito paulisper fulmine, sæpe
Cressia rura petit, viridique reclinis in antro
Carmina Dictæis audit Curetica sylvis.

Martialis lib. IX. Ep. 9.

Curetes texere Jovem crepitantibus armis,
Semiviri poterant qualia ferre Phryges.

Lucret. lib. II.

Dictæos referunt Curetas, qui Jovis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur.

Dionysius Halicarnass. Antiq. Rom. I. 2. Καὶ φοιτῶν εἰς τὸ Δικταῖον ὄρος, ἐν ᾧ τραφῆναι τὸν Δία μυθολογοῦσιν οἱ Κρῆτες ὑπὸ τῶν Κουρήτων, ἔτι νεογνὸν ὄντα, κατέβαινεν εἰς τὸ ἱερὸν ἄντρον. Athenagoras. Orat. pro Christ. de Jove agens: Τοῦ νεωτέρου μὲν Οὐρανοῦ καὶ Γῆς, νεωτέρου δὲ Κουρήτων, οἱ ἐξέκλεψαν αὐτὸν, μὴ ἀναιρεθῆναι ὑπὸ τοῦ πατρός. *Qui Cœlo & Terra sit junior, sit etiam Cretensibus, qui ipsum sunt ſfurati, ne interficeretur a patre.* In editis quidem pro Κουρήτων legitur Κρητῶν, sed correxit recte Jo. Meursius in Creta pag. 72. laudatus etiam hoc nomine a L. A. Rechenbergio, qui notis elegantibus Apologiam tersissimam Athenagoræ illustravit. Non opus, ut plura cumulem, licet facile possim. Adducam tamen adhuc quædam loca, in quibus videntur cymbala intelligi posse. Talis est ille Lucretii l. II.

Hic armata manus (Curetas nomine Grajo
Quos memorant Phrygios) inter se forte catervæ
Ludunt, in numerumque exsultant sanguine læti,
Terrificas capitum quatientes numine cristas.
Dictæos referunt Curetas: qui Jovis illum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,
Cum pueri circum puerum pernice chorea
Armati in numerum pulsarent æribus æra.

Claudiani item IV. conf. Honor. v. 150.

Nec te progenitum Cybeleius ære sonoro.
Lustravit Corybas —

Idem de raptu Proserp. I. verf. 208.

Conticuere chori. Corybas non impulit ensem,
Non buxus, non æra sonant —

Ubi lectorem providum monendum duco, nolle me per æra heic intelligere cymbala, sed clypeorum potius atque ensium conflictus, utpote, quia Pyrricham primos Corybantas faltasse certum est. Compara cum superiore Ovidii loco elegantissimam Pyrrichæ saltationis descriptionem apud Apulejum Milef. x. *Puelli, puellæque virenti florentes ætatula, forma conspicui, veste nitidi, incessu gestuosi, Græcanicam saltantes Pyrricham, dispositis ordinationibus decoros ambitus inerrabant, nunc in orbe rotarum flexuosi, nunc in obliquam sertem connexi & in quadratum patorem cuneati & in catervæ dissidium separati.* Hoc vero ludi genus a Corybantibus manasse disces ex Diomede Grammatico lib. III. *Dactylus a tractu digitorum dictus, &c. vel ab Idæis dactylis, quos Curetas sive Corybantes Poetæ appellabant. Hi namque in insula Creta Jovem custodiendo, ne vagitu se parvulus proderet, lusus excogitato genere clypeolis æneis inter se concurrentes, tinnitu æris illisi, rhythmica etiam pedis dactyli compositione celavere vocem infantis.* Idemque confirmat Lucianus περὶ ὀρχήσεως: Πρῶτον δέ φασι Ῥέαν ἡσθεῖσαν τῇ τέχνῃ ἐν Φρυγίᾳ μὲν

τὰς Κορύβαντας, ἐν Κρήτῃ δὲ τὰς Κυρῆτας ὀρχεῖσθαι κελεῦσαι· καὶ ὁ τὰ μέτρια ὤνατο τῆς τέχνης αὐτῶν· οἱ γὰρ περιορχούμενοι διεσώσαντο αὐτῇ τὸν Δία, ὥστε καὶ σῶστρα εἰκότως ἂν ὁ Ζεὺς ὀφείλειν ὁμολογοίη αὐτοῖς, ἐκφυγὼν διὰ τὴν αὐτῶν ὄρχησιν τὰς πατρῴας ὀδόντας· ἐν ὅπλοις δὲ αὐτῶν ἡ ὄρχησις ἦν, τὰ ξίφη μεταξὺ κροτούντων πρὸς τὰς ἀσπίδας καὶ πηδόντων ἔνθεόν τι καὶ πολεμικόν.

Sed fortean jam nimium de mythica cymbalorum in Rheæ ſacris cauſa. Voſſius declarat ex Phurnuti loco, cujus etiam partem adducit, cymbala & tympana adumbraſſe pluvias atque tonitru, præcipue cum putet Phurnutus Rheam ἀπὸ τοῦ ῥέειν dictam, atque ad pluvias referendam eſſe, non ad terram. De poſteriore non diſputo, prius autem prorſus diſplicet, & vellem, vir alias accuratiſſimus, cum hæc ſcriberet, inſpexiſſet ipſum Phurnuti locum diligentius, qui mihi nihil probat, niſi Cybelen gaviſam cymbalis. Lector ipſe judicet. Verba ita ſe habent de N. D. cap. VI. Τῆς δὲ Ῥέας κατὰ τὴν παραδεδομένην ῥύσιν εἰδοποιουμένης, εἰκότως ἤδη καὶ τὴν τῶν ὄμβρων αἰτίαν ἀνατεθέασιν αὐτῇ, ὅτι ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ μετὰ βροντῶν καὶ ἀστραπῶν συμβαίνει γίνεσθαι. καὶ ταύτην παρεισάγουσι τυμπάνοις, καὶ κυμβάλοις, καὶ κεραυνοῖς, ἢ λαμπαδηφορίαις χαίρουσαν. ἐπεὶ δὲ ἄνωθεν ὄμβροι κατακεράννυσι, πολλαχοῦ δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ὀρῶν κατερχόμενοι φαίνονται, &c. Vertit Conrad. Clauſerus ſatis commode: *Cum veteres Rheam juxta prædictum fluxum finxiſſent, non ab re etiam pluviarum & imbrium cauſas in ipſam reduxerunt. Plerumque enim imbres cum fulgure & tonitru ad nos deferuntur. Fingunt hanc gaudere tympanis, cymbalis, fulminibus & facibus. Quoniam autem imbres e cœlo deſcendunt, ſæpius autem e montibus ſtillare conſpiciuntur*, &c. Aliam cauſam commentus eſt Varro, quam ex eo narrat Auguſtinus de C. D. VII. c. 24. ubi de Cybeleiorum myſtica interpretatione: *Cymbalorum ſonitus, ferramentorum jactandorum ac manuum & æris crepitus in colendo agro, quod fit, ſignificat. Ferramenta illa erant ex ære, quod eam antiqui colebant ære, antequam ferrum eſſet inventum.* Locus hic in vetuſtis exemplaribus valde depravatus fuit, unde varii viri eruditiſſimi medicam ei adhibuere manum. Nam & Ludovicus Vives ultimum paragraphum ex MSS. addidit, qui in prioribus editionibus deſiderabatur: & vir undequaque doctiſſimus G. J. Voſſius *æris* ſubſtituit pro *ejus rei*, *quod fit* pro *quid ſit*. Spicilegium, ſed neceſſarium prorſus, & eruditum, ut omnia, addidit Celeberrimus Cuperus, cujus verba ipſa non pigebit adſcribere.

„ Locus haud dubie corruptus a mala „ manu (putat illum Auguſtini) qui tamen reſtitui poteſt, ſi legatur: *jactatio* „ *membrorum ac manuum*. Tò *membrorum* „ in ultimis *jactandorum* eſt, quæ voces „ facile injuria operarum potuerunt coaleſcere. In ſequentibus lego, *qui*, non „ *quod* (iſtud erat ex emendatione Voſſii.) Favet ipſe Auguſtinus huic emendationi, dum paulo poſt ait: *jactatio* „ *inſana membrorum, crepitus cymbalorum,* „ Ovidius:

> *— Molleſque miniſtri*
> *Cædunt jactatis vilia membra comis.*

Sed ſatis in hoc loco corrigendo inſumtum. Nihil addo, niſi alios quoque autores ante ferrum æs eſſe inventum teſtari. Tzetzes in Heſiodum: Χαλκοῖς γὰρ τὸ παλαιὸν, καὶ ὅπλοις, καὶ ξίφεσι, καὶ γεωργικοῖς ἐχρῶντο βαφῇ τινὶ ταῦτα στομοῦντες. Schol. Apollonii Argonaut. I. Ἀπολλώνιός φησιν ἐν πρώτῳ τῶν ὑπομνημάτων τὸν σίδηρον ὑπὸ τῶν ἀρχαίων χαλκὸν λέγεσθαι, ἀγνοῶν ὅτι μηδέπω εὑρεθέντος σιδήρου χαλκῷ ἐχρῶντο, ὡς καὶ Ἡσίοδός φησι. Lucret. *l.* v.

> *Et prior æris erat, quam ferri cognitus uſus.*

Hinc Iſidorus quoque Orig. VIII. c. II. *Ideo ære* (cymbala innuit) *quod terram antiqui colebant ære, priuſquam ferrum eſſet inventum*. Aliam eamque ſingularem cauſam affert Servius, quæ rotunditatem cymbalorum deſignat atque attinet: *Cymbala*, ait, *in matris tutela ſunt, ideo, quod ſimilia ſunt ſemicyclis cœli, quibus cingitur terra, quæ eſt mater Deorum*. Nec minus peculiaris eſt, quam Diodorus Siculus conſignatam reliquit; apud quem Baſilea ſeu Rhea nupta Hyperioni peperat Helium & Selenem. Ambo vero liberi cum patre ob fratrum Titanum impietatem & invidiam pereunt. Mater ob caſum hunc contriſtata admodum, monetur in ſomniis de liberorum apotheoſi. *Experrecta*, verba abhinc ſunt Diodori Siculi lib. 3. Biblioth. Hiſt. *cum & ſomnium & infortunium ſuis expoſuiſſet, contendit ab illis, ut Deum cultu defunctos venerentur; ſuum vero corpus nemo poſthac contingat. Mox æſtro furoris icta, arreptis filiæ crepundiis, ſuſque deque ſparſis crinibus divagabatur, & cum tympanorum cymbalorumque ſtrepitu lymphantis more diſcurſitans magnum videntibus horrorem incutiebat: dumque omnes miſeratio tam acerbi caſus inceſſit, & nonnulli corpori manus admovent, ecce ingens ſubito imbrium fulminumque procella oritur.* Et

Et tum Basilea postremum in terris visa fuit. Populus autem hoc prodigium admiratus Helium & Selenen, i. e. Solem & Lunam cum nomine, tum honore inter cœli sidera refert; matrique jam Deam esse persuasi altaria exstruxerunt, tympanorumque ictu & cymbalorum tinnitu, nec non aliorum, quæ circa ipsam evenerant, imitatione sacra & honores ejus peregerunt. Ab hoc autem frequenti cymbalorum in sacris Cybeles usu facile fieri potuit, ut eorum inventio ipsi huic Divæ attribueretur. Sic enim Diodorus paulo post de eadem: *Fistulam multis contextam calamis, cymbalaque & tympana ad lusum, choreasque princeps invenit. Adhæc pecorum & infantium morbos purgationibus abigere docuit.* Repetiit id ex Diodoro Eusebius Præpar. Evang. lib. 11. cap. 2.

CAPUT V.

Cymbala in Junonis sacris. An in Eleusiniis? Robustæ conjecturæ videntur confirmare. Ceres χαλκόκροτος. In initiatione Cereris de cymbalo bibi solitum.

Quia e fortuito a Dea incepi, continuabo de Duabus primo loco dicere. Dii sequentur. Junoni pulsata cymbala Lucianus te docebit in Dea Syria: Διὶ μὲν ὦν κατ' ἡσυχίην θύουσι οὔτε ἀείδοντες, οὔτε αὐλέοντες· εὖτ' ἂν δὲ τῇ Ἥρῃ κατάρχωνται, ἀείδουσί τε, καὶ αὐλέουσι, καὶ κρόταλα ἐπικροτέουσι. *Sed quando Junoni primitias offerunt, voce tibiaque canunt & crotala pulsant:* (non *tintinnabula*, ut male vertit locum Joh. Benedictus) *Jovi tamen in silentio sacrificant, neque cantantes neque tibia modulantes.*

An Cereri atque Proserpinæ conflicta sint cymbala, certe nescio, conjecto tamen. De æris sono in Eleusiniis usitato præter Aristophanem in Ranis testatur Vellejus Paterculus Historiarum lib. 1. *Hujus classis sursum esse directum, alii columbæ antecedentis volatu ferunt, alii nocturno æris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet.* Ovidius de Arte Amandi lib. 2. Clarius:

> *Condita si nondum Veneris mysteria cistis,*
> *Nec cava vesanis ictibus æra sonant.*
> *Attamen inter nos medio versantur in usu,*
> *Sed sic, inter nos ut latuisse velint.*

Heic in primo versu legendum pro *Veneris Cereris:* nullæ enim in Veneris orgiis cistæ, quod sciam, at in Eleusiniis nihil notius. Deinde *cava æra* clarissime indicare cymbala puto. Justinus lib. 2. *Megarenses memores illati ab Athentensibus belli & deserti, ne bellum frustra movisse viderentur, matronas Atheniensium in Eleusiniis sacris noctu oppressuri naves conscendunt. Qua re cognita dux Atheniensium Pisistratus juventutem in insidii locat, jussis matronis solito clamore ac* Strepitum *etiam in accessu hostium, ne intellectos se sentiant, sacra celebrare.* Fiebat autem hic strepitus sexto die Eleusiniorum, quam rem eleganter atque docte tractavit vir in his antiquitatibus incomparabilis & omnium consensu summus Johannes Meursius. Et sane videtur Pindarus eo nomine Cererem χαλκόκροτον appellasse in Isthmiis 11.

> —— ἦ ῥα χαλκοκρότου πάρεδρον
> Δαμάτερος ἀνίκ' εὐρυχαίταν
> Ἀντέλλας Διόνυσον ——

Ubi idem mecum affirmat clarissimus Schmidius. Quin etiam in ejusdem sacris & mysteriis ex cymbalis bibi solitum disce ex Clemente Alexandrin. ad Gentes: Τὰ σύμβολα τῆς μυήσεως ταύτης (de initiatione Cereris & sine dubio Eleusina loquitur) ἐκ περιουσίας παρατεθέντα οἶδ' ὅτι κινήσει γέλωτα, κἂν μὴ γελᾶσαι ἔπεισιν ὑμῖν, διὰ τοὺς ἐλέγχους· ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερνοφόρησα· ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυνον· ταῦτα οὐχ' ὕβρεις τὰ σύμβολα; οὐ χλεύη τὰ μυστήρια;

CAPUT VI.

Cymbala in Isidis sacris. Notatur Ouzelius. *Cymbala in Deæ Syriæ sacris. Cybele, Juno, Proserpina, Ceres, Isis, Dea Syria, eædem.*

Vir clarissimus Ouzelius ex Ausonii Epistola xxv. ad Paulinum voluit probare, in Isidis sacris consueta esse cymbala: ubi ego tamen nihil, quod patrocinetur huic opinioni, offendo. Locum integrum adscribo, ut ex connexione ipsa Lector judicare possit:

> *Dindima Gargarico respondent cantica luco.*
> *Nil mutum natura dedit. Non æris ales,*
> *Quadrupedesve silent, habet & sua sibilia serpens,*
> *Et pecus æquoreum tenui vice vocis anhelat.*
> *Cymbala dant flictu sonitum: dant pulpita saltu*

Icta

Icta pedum, tentis reboant cava tympana tergis,
Isiaco agitant Mareotica sistra tumultus:
Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni, &c.

Nempe in secundo illo versu probando Ausonius operam insumit: *Nihil mutum natura dedit*. Atque eo Paulino suo silentium in scribendo exprobrare annititur, quod ex sequentibus colligo:

Tu velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet,
Obnixum, Pauline, tace ——

Melius potuisset hoc probare ex Tibullo, cujus patrocinio ego utor in cymbalis Isiacis stabiliendis. Ille quippe ita lib. I. Eleg. 3.

Quid tua nunc, Isis, tibi Delia? quid mihi prosunt
Illa tua toties æra repulsa manu?

Cymbala quoque in Deæ Syriæ sacris confligebantur. Apul. Milef. VIII. *Inibi vir principalis & alias religiosus & eximie Deum reverens, tinnitu cymbalorum & sonitu tympanorum, cantusque Phrygii mulcentibus modulis excitus procurrit obviam: Deamque* (de Syria loquitur) *votivo suscipiens hospitio nos omnes intra conseptum domus amplissimæ constituit*. Mirum ritum nunciat Lucianus, qui in sacris Syriæ Deæ adhibitus. Locum ob prolixitatem ex versione Joh. Benedicti Latine addo: *In his* (loquitur de vestibulis templi) *stant Priapi, quos Bacchus dicavit, etiam hi statura trecentarum ulnarum. In horum unum vir quispiam singulis annis bis adscendit, perque dies septem in ejus summitate habitat*. Et paulo post: *Isque ascensus fit hunc in modum. Catena longa se ipsum pariter & Priapum circumdat: deinde per ligna in Priapo prominentia conscendit, spatio, quantum ad summum pedem capiendum sufficit. Adscendens autem pariter & catenam utrimque attollit, perinde ac auriga habenas. Quod si quis non vidit, vidit autem eos, qui palmas scandunt, vel in Arabia, vel in Ægypto, vel alio quopiam in loco, intelligit, quod dico. Cæterum postquam ad summum pervenit, catenam aliam, quam secum habet, demittens, longam quidem illam, quæcunque lubet sursum attrahit, ligna videlicet, & vestes & vasa, ex quibus sedem, perinde ac nidum componens sedet, manetque ad id dierum tempus, quod dixi. Plerique autem venientes aurum & argentum, aliis æs afferunt, quibus ante ipsum relictis abeunt, suum quisque nomen dicentes. Astans autem quidam alius, sursum renuntiat: tum is accepto nomine preces pro unoquoque facit:* ἅμα δὲ εὐχόμενος, κροτέει ποίεμα χάλκεον, τὸ ἀείδει μέγα ϰ τρηχὺ, κινεόμενον· εὔδει ϰ ὑδαμᾶ. *Simul vero precans concrepat crepitaculum æreum, quod motum magnum & asperum sonum edit*. Duo noto ad hunc locum. Primo vero valde similem esse correctionem Palmerii, qui pro τριηκοσίων ὀργυιέων *trecentis ulnis* mavult legere τριάκοντα *triginta*. Nam & sic satis magnæ Priapeiæ columnæ. Deinde eundem bene delineasse ritum adscensus comparatum cum more, quo palmas in Arabia vel Ægypto scandunt. Præter Plinium in Apulejo quoque hujusce rei vestigium est. Sed magis corrupit illum quam emendavit Salmasius Plin. Exerc. pag. 934. hoc nomine merito taxatus a Palmerio ad loc. cit. Dicam amplius capite XV. ubi de agyrtis mendicantibus cymbala in stipe petenda adhibentibus.

Nec mirum in omnibus harum Dearum sacris sueta esse cymbala. Unæ enim atque eædem fuere Cybele, Juno, Proserpina, Ceres, Isis, Dea Syria, licet diversis inter diversas gentes nominibus. Isis apud Apul. Milef. XI. *Me primigenii Phryges Pessinuntiam nominant Deum matrem: hinc Autochtones Attici Cecropiam Minervam: illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem: Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam: Siculi trilingues Stygiam Proserpinam: Eleusinii vetustam Deam Cererem: Junonem alii, alii Bellonam, alii Hecaten, Rhamnusiam alii. Et qui nascentis Dei Solis inchoantibus radiis illustrantur, Æthiopesque Ariique, priscaque doctrina pollentes Ægyptii ceremoniis me prorsus propriis percolentes appellant vero nomine Reginam Isidem*. Invenis hic omnes, quas recensui, præter Deam Syriam. Sed hæc nulla alia nisi Cybele sive Rhea. Lucian. de Syria Dea ex professo scribens optime nos hoc docere poterit: Καὶ τὰ Φρύγες ϰ Λυδοὶ ϰ Σαμόθρακες ἐπιτελέουσι, Ἄττεω πάντα ἔμαθον· Ὡς γὰρ μιν ἡ Ῥέη ἔταμε βίῳ μὲν ἀνδρηΐῳ ἀπεπαύσατο, μορφὴν δὲ θηλέην ἠμείψατο ϰ ἐσθῆτα γυναικηΐην ἐνεδύσατο, ϰ ἐς πᾶσαν γῆν φοιτέων ὄργιά τε ἐπετέλεε, ϰ τὰ ἔπαθε ἀπηγέετο, ϰ Ῥέην ἤειδε· ἐν τοῖσι, ϰ ἐς Συρίην ἀπίκετο· ὡς δὲ οἱ πέρην Εὐφρήτεω ἄνθρωποι, οὔτε αὐτὸν, οὔτε ὄργια ἐδέκοντο, ἐν τῷ χώρῳ τὸ ἱρὸν ἐποιήσατο. Σημήϊα δὲ ἡ Θεὸς τὰ πολλὰ ἐς Ῥέην ἀπικέεται· λέοντες γάρ μιν φέρουσι, ϰ τύμπανον ἔχει, ϰ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πυρ-

πυργοφορέει, ὁκοίην Ῥέην Λυδοὶ ποιέουσι. *Ac quibus Phryges, Lydi, Samothraces utuntur, ea omnia ab Atte didicerunt. Poſtquam enim ipſum caſtravit Rhea, vitam quidem virilem agere deſiit, formam autem fœmininam aſſumſit, veſtemque muliebrem induit. Atque ita per omnem terram obambulans, ſacra paſſim peragebat, quæque paſſus eſſet, narrabat: Rheamque celebrabat. Inter quæ & in Syriam venit: & cum, qui trans Euphratem habitant, neque ipſum, neque ſacra reciperent, hoc in ſolo templum conſtituit: multaque adſunt ſigna Deæ, quæ faciunt, ut illa Rhea videretur. Leones enim illam ferunt, & tenet manu tympanum, & ſuper capite ſuo turrim geſtat, qualem quidem Rheam Lydi depingere ſolent.* Rejicere tamen in ſequentibus autor hanc ſententiam videtur & Deam Syriam Junonem verius dici perhibet, quod profecto non aliud, ſed prorſus idem eſt: Ἄνδανει δέ μοι τὰ λέγουσι τοῦ ἱροῦ πέρι, τοῖσι Ἕλλησι τὰ πολλὰ ὁμολογέοντες· τὴν μὲν θεὸν Ἥρην δοκέοντες, τὸ δ' ἔργον Διονύσου τοῦ Σεμέλης ποίημα.

CAPUT VII.

Bacchi cymbalicus cultus *ex Latinis atque Græcis autoribus, monumentis denique vetuſtis aſſeritur.* Scaliger & Gronovius contra Caſaubonum defenduntur.

Bacchi cymbala jam enarro, & ab eo incipio ordinem Deorum, quia huic frequentiſſima. Præmitto heic iterum, ut in Cybele, autores Græcos, ſubjungo Latinos, finio antiqui ævi cimeliis. Græci ſcriptores cymbala Baccho adſcribunt. Euripides Cyclope verſ. 203.

Τί βακχιάζετ'; οὐ Διόνυσος τάδε,
Οὐ κρόταλα χαλκοῦ, τυμπάνων τ' ἀράγματα.

Quid Bacchamini? His in locis non eſt Dionyſus,
Non crotala ærea & tympanorum pulſationes.

Helena verſ. 1324.

Κρόταλα δὲ βρόμια διαπρύσιον
Ἱέντα κέλαδον, ἀνεβόα,
Θηρῶν ὅτε ζυγίους
Ζεύξασα θεὰ σατίναν
Τὰν ἁρπασθεῖσαν κυκλίων
Χορῶν ἔξω παρθενίων.

Crotala vero Bacchica clarum
Sonitum mittentia reſonabant,
Leones quando jugales
Junxit ad ſuum Dea currum,
Raptam filiam rotundis
Choris ex virgineis quærens.

Nonnus Dionyſ. θ'.

—— ἐπεπλατάγησε δὲ Βάκχῳ
Κύμβαλα δινεύουσα ——

—— conflixit vero Baccho
Cymbala circumrotata ——

Ibidem ια'.

Οὐκ ἔτι βασσαρίδεσσι φιλοκροτάλοισι κελεύεις.

Non amplius incitas Bacchas, quæ amant crotala.

Ibidem ιϛ'.

Κούρην νυκτιχόρευτον ἐφεσπομένην Διονύσῳ
Τερπομένην κροτάλοισι ——

Puellam noctu tripudiantem, quæ Bacchum ſequebatur
Et delectabatur crotalis.

Ibidem ιζ'.

Κύμβαλα δ' ἐκροτάλιζε, καὶ αὐχένα κύψε Λυαίῳ
Ἰνδὸς ἀνὴρ ἱκέτης

Cymbala vero conflixit & cervicem Baccho inclinavit
Vir Indus, qui ſequebatur ——

Ibidem ιη', ubi prolixe diverſi ritus Bacchici deſcribuntur:

Κύμβαλα δὲ πλατάγησε· παρ' εὐκελάδῳ δὲ τραπέζῃ
Πανιάδες σύριγγες ἐβόμβεον· ἔβρεμον αὐλοί, &c.
Καὶ κτύπος ἦν κροτάλων ἐπιδόρπιος ——

Cymbala vero confligebantur, ad menſam vero fragilem
Fiſtulæ Panicæ ſonabant, fremebant tibiæ, &c.
Et ſub cœna ſecundaria erat ſonus crotalorum ——

Ibidem κ'.

—— Ἀνεσκίρτησε δὲ Βάκχη
Κύμβαλα δινεύουσα ——

—— Exultim vero ludebat Bacchis
Movens cymbala ——

Idemque:

—— φιλοσκάρθμων δὲ γυναικῶν

Η'

Ἡ μὲν ἑῆς παλάμης ἀπεσείσατο κύμβαλα Ῥείης,
Ἡ δὲ φιλοκροτάλων ἀπεθήκατο τύμπανα χειρῶν.

—— *Inter mulieres vero choros Bacchicos amantes*
Alia quidem manu sua quatiebat cymbala Rheæ,
Alia vero tympana imponebat manibus crepitacula amantibus.

Ibidem κγ'.

Βάσσαρις ἁβροχίτων ἀπεσείσατο κύμβαλα χειρῶν

Baſſaris levi induta tunica cymbala quatiebat manibus.

Ibidem χθ.

Τερψιχόρη φιλόβοτρυς ἐπεσκίρτησε κυδοιμῷ
Κύμβαλα δινεύσα βαρύβρομα δίζυγι χαλκῷ.

Terpſichore amans uvas ſaltavit turbulente & more Bacchico
Movens cymbala duplici ære graveſonantia.

Ibidem λ'. de Baſſaridibus mulieribus Bacchicis: ἐν δὲ κυδοιμοῖς κύμβαλα δινεύουσιν. *In ſaltationibus vero cymbala movent.* Plura inveniet apud eundem autorem loca, cui evolvere poetam ſane elegantiſſimum & graviſſimum operæ pretium videbitur. Philoſtratus Iconum lib. I. Καὶ οὐδὲ κυμβάλοις αἱ Βάκχαι χρῶνται νῦν, οὐδὲ οἱ Σάτυροι αὐλοῦσιν. *Nec cymbalis Bacchæ, nec tibiis Satyri in præſentia utuntur.* Ibidem: *Navis Dionyſi ad proram vergens ſquammoſa videtur*, κυμβάλων παραλλὰξ ἡρμοσμένων *cymbalis alternatim aptatis*, &c. Adde Eundem lib. II. in imagine inſularum. Opian. Cyneget. IV. ubi de Bacchi trietericis:

Τύμπανα δ' ἐκτύπεον καὶ κύμβαλα χερσὶ κρότησαν
Παιδὸς κλαυθμυρίμων προκαλύμματα ——

Agathias in Baccham:

Οὔπω ἐπισαμένην τάχα κύμβαλα χερσὶ τινάξαι
Βάκχην αἰδομένην σήσατο λαοτύπος.

Antipater Sidonius in Simulacrum Bacchi & Herculis:

Ἀμφότεροι Θήβη τε, καὶ ἀμφότεροι πολεμισαὶ
Κηδ Ζηνός· θύρσῳ δεινός· ὁ δὲ ῥοπάλῳ·
Ἀμφοῖν δὲ σῆλαι συντέρμονες, ἴκελα δ' ὅπλα,
Νεβρὸς, λεοντῆ· κύμβαλα δὲ, πλατάγη.

Alexidis epigramma ἀπὸ βακχευομένων·

Κύμβαλά τ' ὀξύφθογγα, βαρυφθόγγων τ' ἀλαλητόν
Αὐλῶν, οὓς μόσχου λοξὸν ἔκαμψε κέρας.

Lucian. Dial. Deorum: Ἐγὼ μὲν ᾐσχυνόμην ἄν, ὦ Ζεῦ, εἴ μοι τοιοῦτος ἦν υἱὸς, θῆλυς οὕτω καὶ διεφθαρμένος ὑπὸ τῆς μέθης. (Bacchum contemnit apud Jovem Juno) μίτρα μὲν ἀναδεδεμένος τὴν κόμην, τὰ πολλὰ δὲ μαινομέναις γυναιξὶ ξυνών, ἁβρότερος αὐτῶν ἐκκεῶνων, ὑπὸ τυμπάνοις καὶ αὐλοῖς καὶ κυμβάλοις χορεύων. Ejuſdem rei teſtes Latini authores. Ovidius lib. III. Faſtor:

Lyba Deo fiunt: ſuccis quia dulcibus idem
Gaudet & a Bacco mella reperta fluunt.
Ibat arenoſo Satyris comitatus ab Hebro,
Non habet ingratos fabula noſtra jocos.
Jamque erat ad Rhodopen Pangæaque flumina ventum,
Æriferæ comitum cum crepuere manus
Ecce novæ cedunt volucres tinnitibus actæ,
Quoque movent ſonitus æra, ſequuntur apes.

Idem III. Metam.

Quis furor anguigenæ, proles Mavortia, veſtras
Attollit mentes? Pentheus ait, Æra ne tantum.
Æra repulſa valent?

Idem IV. Metam.

—— *Et adhuc Minyeia proles*
Urget opus, ſpenitque Deum feſtumque profanat:
Tympana cum ſubito non apparentia raucis
Obſtrepuere ſonis & adunco tibia cornu,
Tinnulaque æra ſonan ——

Idem VI. Metam.

Tempus erat, quo ſacra ſolent trieterica Bacchi
Sithoniæ celebrare nurus, nox conſcia ſacris.

No-

Nocte sonat Rhodope tinnitibus æris acuti.

Idem Artis amatoriæ lib. I. ubi connubium Bacchi & relictæ a Theseo Ariadnes:

Quid mihi fiet? ait. sonuerunt cymbala toto
Littore & attonita tympana pulsa manu.

Statius frequenter: sed excerpam omnia. Thebaid. I.

—— Effusi passim per tecta, per agros
Serta inter vacuosque mero crateras anhelum
Proflabant sua luce Deum, tum plurima buxus
Æraque taurinos sonitu vincentia pulsus.

Tebaid. II.

—— Non hæc trieterica vobis
Nox patrio de more venit: non orgia Cadmi
Cernitis aut avidas Bacchum scelerare parentes.
Nebridas & fragiles thyrsos portare potestis
Imbellem ad sonitum, maribusque incognita veris
Fœda Celenæo committere prælia buxo.

Imbellis enim *sonitus* mihi existimatur esse cymbalorum crepitus. Thebaid. IV.

Concussus visis, quanquam ore & pectore marcet,
Æraque, tympanaque & biforem recitare tumultum
Imperat, attonitas qui circum plurimus aures.

Thebaid. V.

Cesserunt luctus, turbataque munere tanto
Corruit, atque alio maduerunt lumina fletu,
Addita signa polo lætoque ululante tumultu
Tergaque & æra Dei motas crepuere per aures

Thebaid. VIII.

—— vario producunt sidera ludo
Ante domos, intraque, ipsæque ad mœnia marcent
Excubiæ gemina æra sonant, Idæaque terga
Et moderata sonum vario spiramine buxus.

Et paulo post:

—— illum æreus undique clamor
Thebanique urunt sonitus & amara lacessit
Tibia ——

Achilleid. I.

Consedere chori paulumque exercita pulsu
Æra tacent ——

Achilleid. II.

Verso, quid imbelles thyrsos mercatus & æra
Urbibus in mediis Bacchæaque terga, mitrasque
Huc tuleris, varioque adspersos nebribridas auro.

Et Ibidem:

—— thyasis Ismenia buxus
Signa dedit, quater æra Rheæ, quater Evia pulsant
Terga manu ——

Catullus in Argonauticis:

Plangebant aliæ proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.

Autor fragmenti, quod e vetustis membranis excerpsit Clarissimus Barthius in descriptione Bacchicæ pompæ:

Exsultant Dryadum faciles deliria Fauni
Et Satyri sub utroque Deo promtissima pubes.
Corniger hos stimulis implet puer, æthera clangor
Verberat & crotalis responsant tympana pulsu.

Prudent. Psychom:

—— Pudor & petulantia primi
Cymbala projiciunt ——

Valerius Flaccus Argon. II.

—— Vestesque Lyæi
Induit & medium curru locat, æraque circum
Tympanaque & plenas tacita formidine cistas.

Apul. Apolog. *Quid enim, si choragium thymelicum possiderem, ex eo argumentere etiam,*

etiam, uti me consuesse tragœdi syrmate histrionis, crotaloque ad trieterica orgia, mimi centunculo; non opinor.

Sed satis est testimoniorum, addo tandem cimelia antiqui ævi. Eminet sane inter hæc gemma elegantissima, a Josepho Scaligero, Isaaco Casaubono & Abramo Gorlæo vulgata. Judicabunt ita mecum, qui gemmæ ejus ectypum apud laudato autores viderunt. Videtur tamen mihi Isaacum Casaubonum non leviter impegisse, qui quidem cymbala in hac gemma conspici putat, sed falso loco. Nam fœmina, quæ adstat ad dextram proxima Sileno, Casaubono ita obscure pingitur, ut, quod tenet manu sinistra, tam crotalum, quam fructus ab arbore decerptus videri possit. Gronovio autem apud Gorlæum & Scaligero hæc eadem clare pomum aut simile quid tenet, non crotalum. Heic tamen Casaubonus crotalum quærendum putat. Sed profecto facile contra Casaubonum cum Gronovio facio. Nam ipsa crotala, licet singulis manibus bina fligerentur, ambabus tamen manibus crepari solita declarant statuæ Sponianæ, quarum supra mentionem feci. Porro, mulier, quæ ex opposito stat ante Bacchum, protensis manibus, apud Casaubonum tenet tympanum, apud Gronovium & Scaligerum cymbalum. Postremis heic partibus iterum pollicem addo, cum Casaubonus in eo erraverit, quod intervallum inter duo cymbala circumferentiam tympani esse existimaret, quæ tamen pro modulo tympani ita lata esse neutiquam poterat. Scripseram hæc, cum video Gonsalium in eadem mecum sententia, cui Casaubonus *non videtur satis rem vidisse, dum Baccham illam, quæ Bacchum præcedit, instrumenta invicem crepantem incedentemque retrorsum, facit tympanistriam*. Addi potest lucerna apud Bellorium, quem nuper nitori suo restituit Cl. Begerus parte II. fig. 27. ubi conspicitur Silenus Bacchi minister, Bellorio vel invito id fatente, cum rem evidentem faciant adpicta palmes & cantharus. In terminum autem serviturus, ut solebant frequenter lapides terminales varios Deos Geniosve referre, a ministris erigitur. Subtus invenis fistulam, tibia, cymbala, quæ id singulare habent, quod colligata sibi invicem videantur. Nihil addo nisi vas marmoreum artificiosissimum apud Sponium, in quo cum plurimæ Bacchici cultus consuetudines, tum in facie quarta cymbala quoque conspiciuntur, quamquam eorum mentionem prætermiserit autor. Corollarii loco ad hoc caput erit locus Eusebii ex Clemente Alexandrino descriptus Præpar. Evang. lib. II. Τὰ γὰρ Διονύσυ μυςήρια τέλεον ἀπάρθρωπα, θρωα, ὃν εἰσέτι παῖδα ὄντα ἐνόπλῳ κινήσει περιχορευόντων Κυρήτων δολῳ ὑποδύντων Τιτάνπυ ἀπατήσαντεες παιδαριώδεσιν ἀθύρμασιν· ὗτοι δὴ οἱ Τιτᾶνες διέσπασαν ἔτι νηπίαχον ὄντα, ὡς ὁ τῆς πλετης ποιητῆς Ὀρφεύς φησιν ὁ Θράκιος.

> Κῶνος καὶ ῥόμβος καὶ παίγνια καμπεσίγγα,
> Μῆλά τε χρύσεα καλά παρ Ἑσπερίδων λιγυφώνων, &c.

Jam Bacchi mysteria omni diritate teterrima sunt, quippe quem, dum adhuc puerulus esset ac circum ipsum Curetes armata saltatione agerentur, subeuntes dolo Titanes puerilibus crepudinis, ludicrisque decemptum membratim discerpserant, quemadmodum Thracius Orpheus hujus sacri vates cecinit:

> *Turbo, trochus, tum queis in flexus membra cientur*
> *Ludicra & auricomi blandarum ex arbore fœtus*
> *Hesperidum* ——

Fabula ipsa nota est, & aliis quoque commemorata authoribus, quam etiam Episcopus Alexandrinus in sequentibus latius exsequitur, quæ brevitatis causa omisimus. Qua vero ratione crepundiis deceptus sit Bacchus, non facile invenies apud alios, nec capio admodum. Quicquid id sit, inter ea crepundia cymbala fuere, quæ eleganter Orpheus παίγνια καμπεσίγυια appellat.

CAPUT VIII.

Cymbala in Jovis sacris. Jupiter, Attis, & Bacchus videntur iidem fuisse. In Orgiis Græcorum omnibus cymbala.

A Baccho transeo ad Jovem, cui pulsate esse cymbala, licet authoritas deficiat, duabus tamen firmis conjecturis evincere nitor.

I. Jupiter, Attis & Bacchus iidem fuere: cum vero duo posteriores cymbalis sint culti, utique idem de priore illo cogitandum est. Heic obtinuero, quod volo, si Jovem Idææ filium in Attide & Baccho detexero. De Baccho nullum dubium, quod facile videbit ille, qui utrorumque res gestas comparaverit, quod cum supra partim fecimus, heic reponendum existimamus loco vero & proprio. Uterque latuit, alter evitans Saturni patris crudelitatem, Titanum alter, quod testatur Clemens Alexand. ad Gent.

Gent. loco modo citato. Τὰ γὰρ Διονύσου μυστήρια τέλεον ἀπάνθρωπα· ὃν εἰσέτι παῖδα ὄντα ἐνόπλῳ κινήσει περιχορευόντων Κουρήτων, δόλῳ δὲ ὑποδύντων Τιτάνων ἀπατήσαντες παιδαρίῳ. *Bacchi enim mysteria sunt plane inhumana, quem, cum esset adhuc puer, motu, qui fit in armis, Curetibus choream ducentibus, dolo autem subeuntibus Titanibus, puerilibus quibusdam ludis deceptum hi discerpserunt Titanes*. Cornua habet Bacchus, habet etiam Jupiter. Uterque est Sabazius, quod suo loco consideramus. Bacchus γιγαντολέτης dicitur ob victoriam de Gigantibus: Jupiter etiam devicit Titanas humanam faciem statura corporis egredientes, qui tamen ipsi Titanes Baccho ab aliis insidiati dicuntur, non Jovi. Bacchus vindicavit patriam in libertatem, indeque ἐλευθερίου cognomen tulit: de eodem titulo Jovi tributo videri inter cæteros potest Meursius & decus istud seculi nostri Laurentius Begerus. Comatus & crispatus dicitur Bacchus, quia Jupiter ille Phrygius sub facie pueri adorabatur. Bacchus dicitur τελετάρχης, sive primus rerum sacrarum institutor, quia antiquissimus Deorum cultus in Phrygia cepit sub Corybantibus, qui Jovis festa celebrabant. Ignotum Bacchi sepulchrum, Jovis itidem. nam quod in Creta monstratum est, Jovis Cretensis fuit, non Phrygii. Bacchum & Attinem eadem facilitate concilio. Bacchus primo in Phrygia cultus nomenque hoc accepit a furibunda hujus religionis administratione, cum tamen certum sit Attinis & Cybeles cultum eum fuisse. Attin eunuchus credebatur, Bacchio itidem pudenda excisa, quæ Cabiri secum in Hetruriam tulisse dicuntur. Monstravimus supra ex Clemente Alexandrino. Attin idem cum Sole, & Bacchus Sol est. Et hic est ille puer. Uterque ὕης cognomine est, velut id de altero testatur Suidas in Ἄττις, de altero in Ὕης, Effœminatis alter viris colebatur, alter fœminis. Cymbala, tympana, tibiæ, cultus reliquus, ambobus prorsus eadem. Vides Jovem & Attinem in tertio Baccho convenientes. Deinde ita puto: Attis & Cybele prius diversissimi mihi credendi sunt a Jove & Idæa, antequam confundam. Cybele enim ex Diodori atque aliorum fide Dindymæ filia fuit, privata, ut videtur, nec unquam in Cretam ad torum Regium profecta, sed perpetuo virgo, quæ familiariter cum Marsya, sed caste conversata est. Hic cum haberet elegantissimæ formæ puerum, pater gravidam ex eo esse Cybelen suspicatus, Attidem interfici curavit abscissis genitalibus. Hæc deinde misere confusa injuria temporum existimo. Attinem cum Sole eundem Arnobius l. v. & Macrobius Saturnal. I. affirmat. At ecquis tandem Sol apud antiquos, nisi supremus Deorum & ipse Jupiter. Attis a quibusdam sacra Cybeles primus publicasse creditur. Nam ut Lucianus inquit de Dea Syria: Ἄττης δὲ γένος Λυδὸς μὲν ἦν, πρῶτος δὲ τὰ ὄργια τὰ ἐς Ῥέαν ἐδιδάξατο· καὶ τὰ Φρύγες καὶ Λυδοὶ καὶ Σαμόθρακες ἐπιτελέουσι, Ἄττεω πάντα ἔμαθον. *Attes vero genere fuit Lydius, primusque sacra in Rheæ honorem tradidit. Ac quibus Phryges, Lydi, Samothraces utuntur, ea omnia ab Atte didicerunt*. Sed satis fabularum.

II. In omnibus orgiis Græcorum usitatissimum comperi movere cymbala. Jovi celebrata sunt origa: forsan ergo Jovi quoque mota sunt cymbala. Majorem & minorem, ex quibus deduco conclusionem, sequentibus capitibus probo.

C A P U T IX.

Orgia mysteria. Servi authoritas rejicitur. *Orgia primus Orpheus cantavit. Orgia Bacchi. Etymon Orgiorum. Cybeles Orgia, itemque Proserpinæ, Cereris, Veneris, Cotyti. Varia de Cotyto.*

MAjorem hoc capite probo, nempe in omnibus orgiis usurpata esse cymbala. Orgia cum heic dico, nec nimis limito extendo. Extendunt, qui ad omnia sacra transferunt, imo ad quævis quæ secreta habere volebant veteres. Ita Synesius Epist. CXLIII. dixit φιλοσοφίας ὄργια. Epigramma Græcum Λατινίδος ὄργια μύστης, per quæ intelligit Latini sermonis peculiarem & abstrusam elegantiam, cui simile prorsus est quod Nonnus Dionys. IV. & XIV. inventionem literarum, quæ Cadmo tributur, θεσπεσίης ὄργια τέχνης nominavit. Idem lib. VII. partem eam, qua fœminæ sunt, ἀθηήτοιο ὄργια κόλπου vocabat. Utrumque fecit Servius in IV. Æneid. *Sciendum* ὄργια *apud Græcos dici sacra omnia, sicut apud Latinos ceremoniæ dicuntur. Sed jam abusive sacra Liberi orgia vocant, vel* ἀπὸ τῆς ὀργῆς, *id est, a furore, vel* ἀπὸ τῶν ὀρῶν, *id est, a montibus*. Orgia mihi sunt, quæ alias dicuntur mysteria, atque ita explicavit Etymologici author: Ὄργια τὰ μυστήρια. Quem quidem sensum eleganter expressit Catullus Argonaut:

> *Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,*
> *Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.*

Atque hæc quidem orgia Orpheus primus cecinit. Clemens Alexandr. Ὁ δὲ Θράκιος ἱεροφάντης καὶ ποιητὴς ἅμα, ὁ τοῦ Οἰάγρου Ὀρφεὺς, μετὰ τὴν τῶν ὀργίων ἱεροφαντίαν καὶ τῶν εἰδώλων τὴν θεολογίαν, παλινῳδίαν ἀληθείας εἰσάγει. Nempe constabant hæc orgia certis quibusdam rebus arcanis, serpentibus atque aliis, quæ præter eos, qui initiati illis orgiis erant, videre nemo audebat: quin imo, quid significarent, præter eosdem omnibus ignotum erat. Hæc inter celebratissima sunt, quæ Baccho frequentabantur. Oppian. Cyneget. IV. ubi de ejus sacris:

—— πρῶτα δ' ἔφαινεν
Ὄργια κευθομένη περὶ λάρνακι· σὺν δ' ἄρα τῇσιν
Ἀόνιαι λάθρη τελετῶν ἅπτοντο γυναῖκες.

Plutarch. num improb. suff. ad virt. Διονύσῳ βεβακχευμένον θύσθλον ἱεραῖς νυξὶ καὶ κοινοῖς ὀργιάζοντες κώμοις. Stat. I. Accill.

Lucus Agenorei sublimis ad orgia Bacchi
Stabat & admissum cœlo nemus.

Idem II. Achill.

—— Quid si Bacchæa ferentes
Orgia, Palladias aut circum viderit aras.

Macedonii epigramma:

Ἀνέρες οἷσι μέμηλεν ἀπήμονος ὄργια Βάκχου
Ἐλπίσιν ἡμερίδων σ' ἴψατε τὴν πενίην.

Nicodemi Heracleotis;

Ἀσκανίη μέγα χαῖρε καλὴ χρύσεα Βάκχου
Ὄργια, καὶ μύσται πρόκριτοι Εὐΐεω.

Et paulo post:

Εὐΐεω πρόκριτοι μύσται καὶ ὄργια Βάκχου
Χρύσεα, καὶ καλὴ χαῖρε μέγα Ἀσκανίη.

Clemens Alex. Pædag. II. 8. Οἱ μὲν γὰρ βακχεύοντες οὐδὲ ἄνευ στεφάνων ὀργιάζουσιν. Præcipuo tamen in honore erant trieterica orgia Bacchi sive triennalia, de quibus Ovid. de Remed. Amor. vers. 593.

Ibat ut Edono referens trieterica Baccho
Ire solet fusis barbara turba comis.

Quæ orgia trieterica instituta sunt in memoriam triennalis expeditionis, quam in Indiam Bacchus susceperit. Sed videri de his possunt Herodotus, Diodorus Siculus, Pausanias in Boeoticis & Strabo & Lucianus & Dionysius Periegetes. Ovid. Metam. IX. Auson. Eidyll. XI. Artemidorus Onirocr. IV. cap. 41. Athenæus lib. V. Valerius Flaccus II. Statius passim, Apulejus Apolog. quem jam supra enarravimus, Oppian Dyneget. I. Adde ex recentioribus cum Hospiniano Rittershusium. Atque hinc a Bacchi cumprimis sacris orgia nomen traxere. Etymologicon: Ὄργια τὰ μυστήρια, κυρίως δὲ τὰ Διονυσιακὰ, διὰ τὸ ἐν ταῖς ὀργάσιν αὐτοῦ ἐπιτελεῖσθαι· ἢ διὰ τὸ ὀργᾷν καὶ ἐπιθειάζειν· ἢ παρὰ τὸ ὀρέγω τὸ ἐπιθυμῶ. Sed satis de orgiis Bacchi. Cybelæ quoque orgia decantata sunt authoribus. En Claudian. II. in Eutrop.

Obstupuere truces metu Corybantes & uno
Fixa metu tacitas presserunt orgia buxus.

Martial. Epigram. 81. lib. VIII.

Non per mystica sacra Dindymenes
Nec per Niliacæ bovem juventæ.

Proserpinæ quoque & Cereri, de quarum orgiis prolixus locus est apud Pausaniam Messeniacorum cap. I. quem non exscribo. Sufficiat hic Epigramma Græcum:

Σκίπων με πρὸς νηὸν ἀνήγαγεν, ὄντα βέβηλον
Οὐ μοῦνον τελετῆς, ἀλλὰ καὶ ἠελίου.
Μύστην δ' ἀμφοτέρων με θεαὶ θέσαν, οἶδα δ' ἐκείνη
Νυκτὶ καὶ ὀφθαλμῶν νύκτα καθηράμενος.
Ἀσκίπων δ' εἰς ἄστυ κατέστιχον, ὄργια Δηοῦς
Κηρύσσων Γλώσσης ὄμματι τρανοτέρῳ.

Et Clemens Alexandr. ad Gentes: Καί μοι δοκεῖ τὰ ὄργια καὶ τὰ μυστήρια δεῖν ἐτυμολογεῖν· τὰ μὲν ἀπὸ τῆς ὀργῆς τῆς Δηοῦς, τῆς πρὸς Δία γεγεννημένης. *Et mihi quidem videtur, horum vocabulorum, orgia & mysteria, etymologiam exponendam esse. Atque illa quidem* ἀπὸ τῆς ὀργῆς, *hoc est, ab ira Cereris in Jovem.* Ad verbum eadem Eusebius Præpar. Evang. lib. 2. cap. 3. Veneris ὄργια πιστὰ Musæus poematio de Her. & Leandro agnoscit. Cupidinis Plutarchus Ἐρωτικῷ: Ἐγὼ δὲ ὁρῶ τοῖς Ἔρωτος

ρωτος ὀργιαςαῖς ϰαὶ λύςαις ἐν ᾅδου βελτίονα μοῖραν οὖσαν. Atqui hic Cupido idem eſt cum Cotyto ex ſententia Phurnuti, cujus itidem orgia inveniuntur apud Juvenalem Sat. II. ver. 91.

> *Talia ſecreta coluerunt orgia tæda*
> *Cecropiam ſoliti Baptæ laſſare Cotyton.*

Dom. Calderinns *Cotyton* legit *Cocyton*, Cereremque interpretatur, quæ interpretatio veriſimilitudine non careret, ſi hoc unquam nomen datum Cereri fuiſſet. Ait quidem: *Ceres ita dicta eſt a verbo Attico, quod lugeo ſignificat* (ϰοϰϰύζω) *quamvis alterum celidatur, ut corripiatur ſyllaba: nam Cererem raptu Proſerpinæ mœſtam, qualis apud Arcades lugubri habitu colitur, lacrimis & gemitu placaſſe dicuntur, ut ſcribit Pauſanias*. Neſcio, tamen, an hoc ſenſu ϰοϰϰύζειν apud Atticos uſquam occurrat. Dein ipſum etymon detorti aliquid habet & non ſatis commode deduci inde nomen hoc poſſe videtur. Addit: *Aviam & antiquiſſimam familiæ autorem Attici* Cocyam *appellant, autore Suida: nam & Cocyto, hoc eſſe, Ceres Deorum ſacrorumque antiquiſſima & prima dicitur*. Nolo ſingula examinare. Si dem omnia, nihil tamen inde aliud colligas, quam potuiſſe Cererem ita vocari, quod non ſufficit. Quam firma vero noſtra ſit ſententia, docet locus Horatii, quem non debueram omittere Epod. XVII.

> *Inultus ut tu viſeris Cotyttia*
> *Vulgata, ſacrum liberi Cupidinis?*

Ita enim recte ex vetuſtiſſimo Florentino codice reſtituere Critici ſummi pro *Cocytia*, quod editi habebant: ubi tamen nemo de Cerere unquam cogitavit. Quis enim Cereri cum Cupidine nexus? quæ ſacra communia? V. & de Cotyto Adrian. Junium Adag. Centur. I. Polit. Miſcell. cap. 10. Lil. Gyrald. de Diis Gent. Synt. VI. &c. Sed, inquis, an Veneri, Cupidini, Cotyto cymbala pulſata. De illis dubito, de hoc conſtat apud Strabonem loco, quem mox cito. Cotyton, ut Cupidinem eſſe affirmavit Phurnutus, ita etiam Venerem deſignare poſſe exiſtimo, idque eo aptius, quia jam deum, jam deam faciunt autores. Adhæc numen erat rerum turpium & meretriciarum. Solus ad hoc probandum in præſentia ſufficiet Suidas: Κότυς δαίμων παρὰ Κορινθίοις τιμώμενος, ἔφορος τῶν αἰσχρῶν· ὅθεν οἱ Κλεισθένεαι ϰαὶ Τίμαρχοι, ϰαὶ πάντες οἱ πρὸς ἀργύριον τὴν ὥραν διαπιθέμενοι ϰαὶ οἱ μὴ πρὸς ἀργύριον δὲ, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξάγιστον ἡδονὴν ϰαθάπαξ οἱ θηλυδρίαι τριχῶν πλάσται πάντες εἰσί. Coluerunt eundem Thraces primo tempore, ab his autore Strabone lib. x. Athenienſes acceperunt. In proverbio *Cotyos ſodalis* dicitur homo effæminatus. Syneſ. Encom. Calvit. Οὐδὲν ἄλλο παρέχεται γνώρισμα τοῦ Θειασώτης εἶναι τῆς Κότυος, ἀλλ' εἰ μόνον ἓν τοῦτο φανείη, περὶ πλεῖστου τὰς τρίχας ποιούμενος, &c. in hujus vero dei deæve ſacris religio Iſidis obſervabatur. Scholiaſtes Juvenalis: *Ad exemplum Cotyti dicuntur Iſiaca ſacra celebrari*. Nolo jam inquirere, quam vere hæc dicantur; iſtud unuſquiſque perſpicit, interceſſiſſe aliquam Cotytiis ſacris cum Iſiacis ſimilitudinem. In Iſiacis vero Ægyptiorum ſacris varia crepitaculorum genera, cymbala, ſiſtra, &c. uſitata fuiſſe apertum ſatis eſt. Multo autem plus me juvat & aperte de hac re inſtruit locus Strabonis & apud eum Æſchyli Geogr. lib. x. Τούτοις δ' ἔοιϰε (ſacra putat Dionyſia & Cybeleia) ϰαὶ παρὰ τοῖς Θραξὶ τά τε ϰοτύττια ϰαὶ τὰ μενδίδια, παρ' οἷς ϰαὶ τὰ ὀρφιϰὰ τὴν ϰαταρχὴν ἔσχε· τῆς μὲν οὖν ϰότυος τῆς ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς Αἰσχύλος μέμνηται. εἰπὼν γὰρ, σεμνὰ ϰότυς ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς.

> Ὄρια δ' ὄργαν' ἔχοντα, τοὺς περὶ τὸν
> Διόνυσον εὐθέως συμφέρει.
> Ὁ μὲν ἐν χερσὶ βόμβυϰας ἔχων τόρνου
> ϰάματον δαϰτυλόδειϰτον
> Πίμπλησι μέλος, μανίας ἐπαγωγὸν ὁμοϰλάν.
> Ὁ δὲ, χαλϰοθέοις ϰοτύλαις ὀττοβεῖ.

Καὶ πάλιν.

> Ψαλμὸς δ' ἀλαλάζει
> Ταυρόφθογγοι δ' ὑπομυϰῶνταί ποθεν
> Ἐξ ἀφανοῦς φοβέριοι μίμοι τυμπάνου δ' ἠχώ.

Ὥσθ' ὑπογαίου βροντῆς φέρεται βαρυταρβής. Ταῦτα γὰρ ἔοιϰε τοῖς φρυγίοις, ϰαὶ οὐϰ ἀπειϰός γε, ὥσπερ οἱ αὐτοὶ οἱ Φρύγες Θραϰῶν ἄποιϰοί εἰσιν, οὕτω ϰαὶ τὰ ἱερὰ ἐϰεῖθεν μετενήνεϰται, ϰαὶ τὸν Ἠδωνὸν Λυϰοῦργον συνάπτοντες εἰς ἓν, τῶν ἱερῶν τὴν ὁμοιοτροπίαν αἰνίττονται: i. e. *Similia ſunt, & quæ apud Thraces celebrantur, quæ Cotytia & Mendidia, apud quos & Orphica initium habuerunt. Ipſam ſane Cotyt, quæ apud Edonos colitur, & ejus inſtrumenta memorat Æſchylus: Hic manibus bombicam tornatam tenens digitis tactilem modulos complet ſonum allectorem furoris, ille vero æneis cotylis tinnit.* Rurſuſque: *Modulus editur, mugiunt ex occulto tauriſoni mimi, gravis tympani ſonitus quaſi tonitru ſubterraneum fertur, montanaque habentes inſtrumenta miniſtros Liberi Patris mox indicat. Hæc*

enim

enim Prygiis similia, ut par est. Quippe cum a Thracibus Phryges coloniam duxerint, sacra pariter inde attulerunt, Liberum quoque patrem & Edonum Lycurgum in unum congregantes mores in sacris similes insinuant.

CAPUT X.

Jovi origia sunt facta. Jupiter Sabazius. Attis Sabazius. In consultationibus Deorum. In donariis. In Saturnalibus, in Palilibus, in Suovetaurilibus Romæ cymbala pulsarunt.

JAm vero pro secundo facilius probabitur Jovi orgia esse celebrata. Solus in hanc rem sufficeret Strabo lib. x. Ἐν δὲ τῇ Κρήτῃ, inquiens, καὶ ταῦτα, καὶ τὰ τοῦ Διὸς ἱερὰ ἰδίως ἐπετελεῖτο μετ' ὀργιασμοῦ. *In Creta peculiariter hæc Jovis sacra celebrabantur cum orgiis.* Sed possit heic aliquis oggerere, concernere hæc Jovem Cretensem, qui nobis Saturnus est, adeoque hunc locum nihil probare. Unde amplioris mihi argumenti loco est cognomen Jovis, *Sabazius*, non infrequenter ab autoribus usurpatum. Firmicus de Errore prof. Relig. *Sabazium colentes Jovem anguem, cum initiantur, per sinum ducunt.* Solus hic locus sufficeret ad probandum, quod volo. Habes enim Jovem Sabazium, habes anguem, habes initiationem, omnia orgiorum indicia. Sed pergo. Idem probat Inscriptio Romana apud Sponium:

JOVI OPTIMO
MAXIMO
SABATIO
C. CETRONIUS OCCI
US VALERIANUS MIL
SEMPLAR. ARMATURÆ
V. S. L. M.

Hoc enim persuades tibi velim, cognomen hoc Sabazii mysticum quid significare, quia ex interiore Judæorum disciplina haustum erat, quanquam aliter sibi persuaserint gentiles autores; unde & Baccho, cujus orgia adeo celebrata erant, idem titulus datus. Vide sis Scholiasten Aristophanis ad Aves, Suidam in Σαβάζιος & Σάβοι, Etymologicon in Σαβάζιος, in eadem voce Harpocrationem & Maussacum loco citato, Eusebium Præp. Ev. lib. II. c. 2. ex Diodoro Siculo. Non exscribo hos & alios, quia suo hæc loco servo, qui incepi diligenti studio colligere, quicquid cognominum Jovi a vetustate tributum est. Opus grande, fateor, utpote cum exigua hac ætate & tenui lectione trecenta fere collegerim. Sed det Deus vitam & vires & otium & aliorum in mea studia favorem. Unum addo. Rubenius Attinem quoque Sabazium facere studet: quod verum in se est, at vero adducit locum Apuleji, qui nihil tale probare mihi videtur. Habetur Milef. x. *At te*, inquit, *cadaver surdum & mutum, delirumque præconem omnipotens & omniparens Dea Syria & Sanctus Sebazius & Bellona & Mater Idæa, cum suo Adone Venus domina cæcum reddant.* Clarius id evincit Demosthenes pro Ctesiphonte de Æschine: Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις τοὺς καλοὺς θιάσους ἄγων διὰ τῶν ὁδῶν τοὺς ἐστεφανωμένους τῷ μαράθρῳ καὶ τῇ λεύκῃ τοὺς ὄφεις τοὺς παρείας θλίβων καὶ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς αἰωρῶν καὶ βοῶν Εὐοῖ Σαβοῖ, καὶ ἐπορχούμενος Ὕης Ἄττης, Ἄττης Ὕης· ἔξαρχος καὶ προηγεμὼν καὶ κιττοφόρος καὶ λικνοφόρος καὶ τὰ τοιαῦτα ὑπὸ γρᾳδίων προσαγορευόμενος μισθὸν λαμβάνων τούτων ἔνθρυπτα καὶ στρεπτοὺς καὶ νεήλατα, vertit Wolfius: *Interdiu autem præclaros illos cœtus per viam ducens feniculo & populo redimitos, serpentes, quos Parias vocant, elidens & super caput efferens & clamitans Evœ Sabœ, & interim saltitans, Hyes, Attes, Attes Hyes, auspex & dux & picifer & vannifer & ejus generis aliis nominibus ab aniculis salutabare, mercedem pro istis ab aliis accipiebas placentas, & scriblitas, & recentes panes.* Moveo pedem. Dubito, an etiam in consulendis oraculis usi aliquando sint cymbalis. Plutarchus videtur tecte aliquid innuere Quæst. Rom. Ὅτι γὰρ ἰσχυρῶς ἐφυλάττοντο ταῦτα, δῆλόν ἐστι τῷ προσιόντας εἰς μαντεῖον χαλκῷ μετὰ πατάγου περιψοφεῖσθαι. *Hoc enim eos admodum vitare, ex eo liquet, quod ad oraculum consulendum accedentes tinnitu æris circumsonantur.* Idem enim inde elicere vultu Boxhorn. Animadv. ad. I. c. p. 106. In donariis tamen aliquando locum habuerunt. Sane Nonnus Dionys. ί.

> Πρώτῳ μὲν θέτο δῶρα Κυβηλίδος ὄργανα Ῥείης
> Κύμβαλα χαλκεόνωτα, καὶ αἰόλα δέρματα νεβρῶν.

> *Primo quidem pone donaria, organa Cybeleiæ Rheæ*
> *Cymbala æneum tergum habentia, & variegatas hinnulorum pelles.*

Tria festa sunt apud Romanos, in quibus cymbala pulsata esse aperta autoritas docet. De Saturnalibus Statius Sylv. ult. lib. II.

> *Hoc plaudunt grege Lydiæ tumentes,*

Illic

Illic cymbala tinnulæque Gades,
Illie agmina confremunt Syrorum.

De Palilibus Athen. VIII. cap. 16. Τοιέτων ἔτι πολλῶν λεγομένων τότε ἐξάκεςος ἐγένετο κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν αὐλῶν βόμβος ϗ κυμβάλων ἦχος, ἔτι τε τυμπάνων κτύπος μετὰ ᾠδῆς ἅμα γινόμενος· ἔτυχεν δὲ ὖσα ἑορτὴ, τὰ Παρίλια μὲν πάλαι καλέμενα, νῦν δὲ Ῥωμαῖα, τῇ τῆς πόλεως τύχῃ ναῦ καθιδρυμένε ὑπὸ τῦ πάντ' ἀρίςε ϗ μεςικωτάτε βασιλέως Ἀδριανῦ. *Ejusmodi multa cum ultro citroque dicerentur, auditus est per universam civitatem tibiarum strepitus, cymbalorum sonus, ac insuper tympanorum strepitus, cum multorum, qui cantabant, vocibus. Celebrabantur enim Palilia dictæ quondam feriæ, nunc Romanas appellant, extructo dicatoque Fortunæ urbis templo ab optimo & humanissimo Imperatore Hadriano.* Suovetaurilibus marmor elegantissimum apud Sponium & tacite simile quid innuens Tibull. Eleg. I. lib. II.

Vos celebrem cantate Deum, pecorique vocate
Voce, palam pecori, clam sibi quisque vocet.
Aut etiam sibi quisque palam: nam turba jocosa
Obstrepit & Phrygio tibia curva sono.

CAPUT XI.

In eclipsi Lunæ crepitacula concuti solita. An etiam cymbala? Vasa hæc ærea esse oportebat, quia medicata vis inerat æri. Æneæ falces veneficarum. Heroes æneis armis usi. Ænei rhombi sagarum. Ære leges scribebantur. Similis ritus in necromanticis sacris.

CApitibus decem sacros ritus absolvi: totidem profanos explicabunt. Luna olim eclipsin passa æneis quibusdam crepitaculis revocabatur. Juven. Sat. VI. vers. 439.

— verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari. Jam nemo tubas, nemo æra fatiget,
Una laboranti poterit succurrere Lunæ.

Tibullus:

Cantus & e curru Lunam deducere tentat:
Et faceret, si non æra repulsa sonent.

Stat. Thebaid. VI.

Sic cadit, attonitis quoties attollitur astris
Solis opaca soror, procul auxiliantia gentes
Æra crepant, frustraque timent. At Thessala nutrix
Ridet anhelantes audito carmine bigas.

Martial. Epigr. 57. lib. XII.

Dicet, quot æra verberent manus urbis,
Cum secta Colcho Luna vapulat rhombo.

Seneca Hippolyto:

Et nuper rubuit, nullaque lucidis
Nubes sordidior vultibus obstitit.
At nos solliciti lumine turbido,
Tractam Thessalicis carminibus rati
Tinnitus dedimus —

Idem in Medea:

— Sic face tristem
Pallida lucem funde per auras;
Horrore novo terre populos,
Inque auxilium, Dictynna, tuum
Pretiosa sonent æra Corinthi.

In quo loco in transitu observare licet, non observasse concinnum prosopopoeiæ decorem poetam, cum veneficæ Medeæ illa verba facit:

Inque auxilium, Dictynna, tuum
Pretiosa sonent æra Corinthi

Nec enim optandum hoc magicum carmen decinenti erat, quod putaret antiqua superstitio, hac re sagarum incantamenta impediri, non vero promoveri. Sed redeo ad cæteros, qui restant, testes. Plin. lib. II. cap. 12. *Viri ingentes, inter quos fuit Stesichorus & Pindarus crediderunt Lunam eclipsin & quasi mortem pati excantationibus, unde, ne id Luna pateretur, dissono crepitu succurrebant,* Tit. Livius lib. XXVII. *Præliatum non solito modo clamore & tumultu est, sed ad aliorum virorum, equorum, armorumque sonum disposita in muris Campanorum imbellis multitudo tantum cum æris crepitu, qualis in defectu lunæ silenti nocte fieri solet, edidit clamorem.* Ovidius:

Te quoque Luna traho, quamvis Temesæa labores
Æra tuos minuant.

Idem de Medicam. fac.

Et quamvis aliquis Temesæa removerit æra,
Nunquam Luna suis excutietur equis.

Idem

Idem Metamorph. IV.

> *Hic color aprica pendentibus arbore pomis*
> *Aut ebori tincto est, aut sub candore rubenti,*
> *Cum frustra resonant æra auxiliaria, Lunæ.*

Tacitus lib. I. Anostat. *Milites æris sono, tubarum cornuumque concentu strepebant, ut Luna splendidior fieret.* Manius lib. I.

> *Te testem dat Luna sui glomerabilis orbis,*
> *Quæ cum mersa nigris per noctem deficis umbris*
> *Seraque in extremis quatiuntur gentibus æra.*

Alex. Aphrodis. Problem. lib. I. pag. 46. Κινῦσι δὲ χαλκὸν ϗ σίδηρον, ὡς τὲς δαίμονας ἀπελαύνοντες, διότι κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον οἱ φωςῆρες ἐκ ἐπιπόμπεσι τῇ γῇ ἀποῤῥοίας ἀγαθοποιὲς, κωλυτικὰς τῶν φαύλων δαιμόνων. *Movent æs & ferrum tanquam dæmones abigentes, quoniam per illud tempus stellæ in terram non miserunt largos fluxus, malos spiritus arcentes.* Plutarchus de facie in orbe Lunæ: Διὸ ϗ κροτεῖν ἐν ταῖς ἐκλείψεσιν εἰώθασιν οἱ πλεῖςοι χαλκώματα, ϗ ψόφον ποιεῖν ϗ πάταγον ἐπὶ τὰς ψυχάς. Idem in Paulo Æmilio: Τῶν δὲ Ῥωμαίων, ὥσπερ ἔθος ἐςὶ, χαλκῦ τε πατάγοις ἀνακαλεμένων τὸ φῶς σελήνης ἐκλιπέσης, ϗ πῦρα πολλὰ δαλοῖς ϗ δᾳσὶ ἀνεχόντων πρὸς τὸν ἐρανόν. *Cum vero Romani de more æris crepitu lumen ejus revocarent, frequentesque flammas tædis & facibus ad cœlum porrigerent.* Theocritus Idyll. β.

> Θέςυλι ταὶ κύνες ἄμμιν ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται·
> Ἁ Θεὸς ἐν τριόδοισι· τὸ χάλκιον ὡς τάχος ἄχει.

> *Thestyli canes nobis per urbem latrant:*
> *Dea adest in triviis, vas æneum quamprimum pulsa.*

Scholiastes loco citato: Τὸν γὰρ χαλκὸν ἐπῆδον ἐν ταῖς ἐλλείψεσι τῆς σελήνης, ϗ ἐν τοῖς κατοιχομένοις, ἐπειδὴ ἐνομίζετο καθαρὸς εἶναι ϗ ἀπελαςικὸς τῶν μιασμάτων· διόπερ πρὸς πᾶσαν ἀφοσίωσιν ϗ ἀποκάθαρσιν αὐτῷ ἐχρῶντο, ὥς φησι ϗ Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ θεῶν· τὸ ΑΧΕΙ, ἀντὶ τῦ ψόφει, κρῦε, ἐπεὶ ὁ τῦ χαλκῦ ἦχος οἰκεῖος τοῖς κατοιχομένοις· φησὶν Ἀπολλόδωρος Ἀθήνησι τὸν ἱεροφάντην τῆς Κόρης ἐπικαλεμένης ἐπικρέειν τὸ καλέμενον ἦχεῖον· ϗ παρὰ Λάκωσι βασιλέως ἀποθανόντος, εἰώθασι κρέειν λέβητα. Hunc morem nec Christianos desiisse discas e Divo Maximo Tauronensi Episcopo, qui nimis id indignatur & culpat Homilia propria: *De defectu Lunæ.* Ait inter alia heic apta: *Cum requirerem, quid sibi clamor hic vellet, dixerunt mihi, quod laboranti Lunæ vestra vociferatio subveniret & defectum ejus suis clamoribus adjuvaret.* Causam hujus strepitus fuisse persuasionem de magarum incantationibus ex superioribus simul addisci potuit. Alii a certis dæmonibus obsessam teneri Lunam sibi finxerunt, quos hoc strepitu fugari certo certius existimabant. Alexander certe Aphrodisæus lib. II. probl. 43. *in defectione Lunæ æra crepari* ait, *ut Dæmones fugentur.* Id quod ex loco citato patet. Similem causam crepitus & strepitus hujus Plutarchus recitat de facie in orbe Lunæ I. c. Θερμότατα ἐπάγει τὴν κίνησιν, ὅπως ταχὺ διαπερᾷ τὸν σκοτώδη τόπον, ὑπεκφέρεσα ψυχὰς τῶν ἀγαθῶν σπευδέσας ϗ βοώσας· ἐκέτι γὰρ ἐξακέεσι ἐν σκιᾷ γινόμεναι τῆς περὶ τὸν ἐρανὸν ἁρμονίας· ἅμα δὲ ϗ κάτωθεν αἱ κολαζομένων ψυχαὶ τηνικαῦτα διὰ τῆς σκιᾶς ὀδυρόμεναι ϗ ἀλαλάζεσαι προσφέρονται. Διὸ ϗ κροτεῖν ἐν ταῖς ἐκλείψεσι εἰώθασι, &c. Sed veniamus ad propositum. Inter ænea hæc instrumenta atque crepitacula cymbala quoque fuisse mihi extra omnem dubitationis aleam positum est, quanquam nusquam aperte, sed communi tantum nomine æra appellitentur. Deos sane in genere cymbalis tractos esse ex fragmento Menandri conservato a Justino Martyre Apolog. 2. p. m. 107. Ὁ αὐτὸς Μένανδρος ἐν Ἱερείᾳ·

> Οὐδεὶς δὲ ἀνθρώπε Θεὸς σώζει, γύναι,
> Ἕτερε τὸν ἕτερον· εἰ γὰρ ἕλκει τινα Θεὸν
> Τοῖς κυμβάλοις ἄνθρωπος, εἰς ὃ βέλεται,
> Ὁ τῦτο ποιῶν ἐςὶ μείζων τῦ Θεῦ, &c.

Vertit H. Stephanus:

> *Hominem Deus non servat, uxor alterum*
> *Per alterum. Nam cymbalis si quempiam*
> *Homo trahit, quocunque vult loci, Deum,*
> *Id perpetrans ipso potentior est Deo.*

Quod sane mirum alicui esse non potest, qui miras veterum nugas, Deorum omnium potentiam ad præstigias magicas alligantium, non ignorat. Elegans præ cæteris locus est Lucani lib. VI.

Quis

Quis labor hic superis cantus herbasque sequendi,
Spernendique timor? cujus commercia pacti
Obstrictos habuere Deos? parere necesse est,
An juvat? ignota tantum pietate merentur,
An tacitis valuere minis? hoc juris in omnes
Est illis superos? an habent hæc carmina certum
Imperiosa Deum, qui mundum cogere, quicquid
Cogitur ipse potest? —

Prolixe vero ex Porphyrio citat & hanc vanitatem refutat Euseb. Præpar. Evang. lib. 5. c. 8. seq. Ærea vero hic esse debebant palmario, quia medicatam æri vim præ reliquis metallis vetusta tribubat superstitio. Discere hoc protuisti ex paulo ante citato Scholiastæ Theocritæi loco. Ille enim & magicam vim inesse æri testatur, & varia inducit, quæ hæc evincunt, tum quia in omnibus lustrationibus æris usum notaverat, tum quia Athenis in Proserpinæ sacris ærea vasa Hierophantæ concrepebant (adde hoc sodes iis, quæ capite quinto de Proserpina diximus.) Addit morem Laconum in regis obitu lebetes æreos fligentes. Sed nos addemus pauca alia, quæ inter legendum notavimus. Quia veteres vim medicatam æri inesse credebant, falcibus æneis legebantur herbæ a veneficis. Virg. IV. Æneid.

Falcibus & messæ ad lucem quæruntur ahenis
Pubentes herbæ. —

Ovid. VII. Metam.

— *Et plantas partim radice revellit,*
Partim succidit curvamine falcis ahenæ.

Spectra æris sono fugari credebant. Sophronius in Mimis: Θύεσι Ῥέα ϰ̀ Ἑκάτῃ κύνας, ὅτι κύων βαΰξας λύει τὰ φάσματα, ὡς ϰ̀ χαλκὸς κροτηθείς. *Sacrificant Rheæ & Hecatæ canes, quod canum immolatio & æs conflictum solvat phasmata.* Eadem ad verbum repetit Tzetzes ad Lycophronem. Malchus, seu mavis, Prophyrius in vita Pythagoræ p. 26. Τὸν δ' ἐκ χαλκȣ̃ κρȣομένȣ γινόμενον ἦχον (ex sententia Pythagoræ loquitur) εἶναι τινὸς τῶν δαιμόνων ἐναπειλημμένην τῷ χαλκῷ. Æneis vasis utebantur & crepitaculis magæ. Ovid. testis, horum tinnitu sagam manes fugare contendisse, Fastor. V.

Rursum aquam tangit, Temesæaque concrepat æra
Et rogat, ut tectis exeat umbra suis.

Ubi nihil obstat, quo minus cymbala intelligamus. Et cui non noti ænei illi maghorum rhombi? Theocrit. Eidyll. β'.

Ὡς δινεῖθ' ὅδε ῥόμβος ὁ χάλκεος, ἐξ Ἀφροδίτης
Ὣς κεῖνος δινοῖτο ποθ' ἁμετέρῃσι θύρῃσιν.

Ut volvitur æneus hic rhombus, ope Veneris
Sic ille volvatur ante nostras fores.

Hinc quoque Ovidius venena magica Tisiphones describens Met. IV. ait:

Omnia trita simul, quæ sanguine mista recenti
Coxerat ære cavo viridi versata cicuta.

Heroes non facile nisi æneis armis usos legas, præsertim illos fabulosi temporis: & præclarus in hanc rem est Pausaniæ locus Laonic. cap. 3. Ὅτι δὲ ἐπὶ τῶν ἡρώων τὰ ὅπλα ὁμοίως χαλκᾶ ἦν πάντα, μαρτυρεῖ μοι ϰ̀ Ὁμήρȣ τῶν ἔς τε ἀξίνην ἔχοντα τὴν Πεισάνδρȣ, ϰ̀ ἐς τȣ̃ Μηριόνȣ τὸν ὀϊστόν. Βεβαιοῖ δὲ ϰ̀ ἄλλως μοι τὸν λόγον ἐν Φασηλίδι ἀνακείμενον ἐν Ἀθηνᾶς ἱερῷ τὸ δόρυ Ἀχιλλέως, ϰ̀ Νικομηδεῦσιν Ἀσκληπιȣ̃ ναῷ μάχαιρα ἡ Μέμνονος, ϰ̀ τȣ̃ μὲν ἦτε αἰχμὴ ϰ̀ ὁ σαυρωτὴρ, ἡ μάχαιρα δὲ ϰ̀ διὰ πάσης χαλκȣ̃ πεποίηται· ταῦτα μὲν δὴ ἴσμεν ἔχοντα ȣ̈τως. Ære leges quoque scribebantur. De Romanorum & Græcorum institutis nemo nescit. Collimat huc Ovid. Metam. I.

Pœna metusque aberant, nec verba minacia fixo
Ære legebantur.

Martianus Capella de nuptiis Philologiæ lib. I. *Hoc superi senatus consultum æneis incisum tabulis per orbes & compita publicare.* Integra aliquando Deorum templa ex ære. Apud Homerum:

Ἡφαίςȣ δ' ἵκανε δόμον Θέτις ἀργυρόπεζα, &c.
Χάλκεον, ὃν ῥ' αὐτὸς ποιήσατο κυλλοποδίων.

Vulcani autem pervenit ad domum Thetis argentipes
Æream, quam quidem ipse fecit claudus.

De tali Minervæ æde eſt apud Dionem lib. LI. Livium Decad. V. lib. V. Sicut templa, ita plurima templorum ſupellex æra. Cultri, ſeceſpitæ, ſecures, pateræ plerumque æneæ videntur. Limina ac valvas æreas Plinius conſtituit; qua fortaſſe de cauſſa Camillo Sp. Carvilius quæſtor crimini objecit, quod ærata oſtia haberet in domo. Cortinæ inſuper, lychnuchi penſiles, & ſigna Deorum in templis ex ære omnia conſpiciebantur. Addo ſtatuas deorum & hominum, de quibus idem obſervavit Emundus Figrelius ex Livio, Dionyſio Halicarn. Plinio, Ariſtide, Arriano, Seneca, Plutarcho, Ennodio atque aliis. Cludam hanc materiam in illuſtri Macrobii loco, atque ad hanc rem aptiſſimo Saturnal. V. *Omnino ad rem divinam pleraque ænea adhiberi ſolita multa indicio ſunt, & in his maxime ſacris, quibus delinire aliquos aut devovere aut denique exigere morbos volebant. Taceo illud Plautinum, cum ait: Mecum habet vagus morbus æs &, quod alibi Virgilius, Curetum ſonitus crepitantiaque æra. Sed Carminii curioſiſſimi & docti verba ponam, qui in libro de Italia ſecundo ſic ait: Prius itaque Thuſcos æneo vomere uti, cum conderentur urbes, ſolitos in trajectitiis eorum ſacris invenio, & in Sabinis ex ære cultros, quibus ſacerdotes tonderent. Poſt hæc Carminii verba longum fiat, ſi velim percenſere, quam multis in locis Græcorum vetuſtiſſimi æris ſonos tanquam rem validiſſimam adhibere ſoliti ſunt.*

CAPUT XII.

Cymbalis revocatæ apes. Aliquando fugatæ: quia triſte apum omen apud Romanos. Frequenter tamen & ordinario fugabantur fumo. Hercules Stymphalidas crotalis abegit.

CYmbalis revocari ſolebant apes, quæ in examine longius avolaverant. Didymus Geoponicῶν lib. XV. Θέλγει δὲ τοῦτο τὸ ζῶν, καὶ κάλλιστον μέλος· ὅθεν οἱ μελιουργοὶ διασκορπιζομένας αὐτὰς κυμβαλίζοντες, ἢ τὰς χεῖρας εὐρύθμως κροτοῦντες συνάγουσι. *Mulcet etiam hoc animal dulcedo cantus. Unde eſt, quod apiarii diſperſas apes, cymbalis pulſatis, aut manus concinne plaudentes congregant.* Ariſtoteles H. N. lib. IX. Δοκοῦσι δὲ χαίρειν αἱ μέλιτται καὶ τῷ κρότῳ· διὸ καὶ κροτοῦντές φασιν ἀθροίζειν αὐτὰς εἰς τὸ σμῆνος, ὀστράκοις τε καὶ ψόφοις· ἔστι μέν τοι ἄδηλον ὅλως, εἴτε ἀκούουσιν, εἴτε μή· καὶ πότερον, ἢ δι᾽ ἡδονὴν τοῦτο ποιοῦσιν, ἢ διὰ φόβον. *Plauſu etiam gaudere videntur apes. Quapropter a crepitantibus dicunt congregari in alveare teſtis & plauſibus. Prorſus tamen incertum eſt, an audiant, necne; & utrum id faciant præ voluptate, an præ metu.* Claud. VI. conſ. Honor.

—— Qualis Cybeleia quaſſans
Hyblæus procul æra ſenex revocare fugaces
Tinnitu conatur apes, quæ ſponte relictis
Deſcivere favis; ſonituque exhauſtus inani
Raptas meliis opes ſolitæque oblita latebræ
Perfida deplorat vacuis examina ceris.

Nam quod hoc loco clariſſimus Barthius Cybeleia æra tintinnabula fuiſſe ait, oppido aperte falſum eſt, licet eodem modo Bartholinum in tractatu de armillis erraſſe notaverim. Eadem ſane ratione *æra Rheæ* Statius nominat in Bacchicis ſacris Achill. 2. loco jam ſupra citato, & quis hæc de tintinnabulis affirmanda exiſtimet? Inter cæteras autoritate eminet locus Virgilii Georg. IV.

Hinc ubi jam emiſſum caveis ad ſidera cœli
Nare per æſtatem liquidum ſuſpexeris agmen,
Obſcuramque trahi vento mirabere nubem.
Contemplator, aquas dulces & frondea ſemper
Tecta petunt: huc tu juſſos adſperge ſapores
Trita meliphylla & cerinthæ ignobile gramen.
Tinnituſque cie & matris quatecymbala circum.
Ipſæ conſident medicatis ſedibus, ipſæ
Intima more ſuo ſeſe in cunabula condent.

Ibid.

Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipſe
Addidit, expediam: pro qua mercede canoros
Curetum ſonitus, crepitantiaque æra ſecutæ
Dictæo cœli Regem pavere ſub antro.

Ad Virgilii locum notanda venit cauſa fabulæ, quæ Jovem paſtum melle apum cymbalis advocatorum, memorat. Ita cum Viris Doctis exiſtumo. Vetuſtiſſimi poetarum Jovi duas nutrices adſignaverant: unam Amaltheam, quæ lac caprinum: alteram Meliſſam, quæ mel illi ad-

administraret. Lactant. lib. I. c. 22. de fals. rel. Didymus in libris ἐξηγήσεως πινδαρικῆς ait: *Melissea Cretensium Regem primum Diis sacrificasse, ac ritus novos sacrorumque pompas introduxisse. Hujus duas fuisse filias, Amaltheam ac Melissam, quæ Jovem puerum caprino lacte ac melle nutriverunt. Unde poetica illa fabula originem sumsit, advolasse apes atque os pueri mille complesse*. Non desunt enim ex veteribus, ne educationi Jovis hoc peculiare fuisse putes, qui infantes quoslibet primo melle, deinde lacte nutritos fuisse testentur. Epistola Barnabæ: Τί οὖν τὸ γάλα καὶ μέλι; ὅτι πρῶτον τὸ παιδίον μέλιτι, εἶτα γάλακτι ζωοποιεῖται. Huc pertinet illud Theocriti Idyll. 2. vers. 84.

> —— καὶ τὰ μηλισσᾶν
> Κηρία φερβόμενος, ἔτος ὥριον ἐξετέλεσσας.

i. e.

> *Atque sic apum favi pastus totum annum exegisti.*

Et Apollonii Rhodii de Bacco recens nato lib. IV. vers. 1136.

> Καὶ μέλιτι ξηρὸν περὶ χεῖλος ἔδευσεν.

> *Ac sitibundum labellum circumlevit melle.*

Adde Apollod. lib. I. cap. 3. Hesychium in Κηρίῳ βύσασα & inter recentiores Meurs. Cret. lib. II. c. 7. Bochart. Hieroz. lib. II. cap. 51. Servius ad locum priorem: More suo: *Naturali ratione, cujus causa non reddatur. Quis enim novit* (non movit, ut habent editi codices) *cur æris sono* (exemplar meum falso legit *suo*) *redeant in alvearia, licet ipse paulo post dicat:* Crepitantiaque æra secutæ, &c. *Sed & hoc poeticum est*. Lucanus:

> —— *Phrygii sonus ut crepat æris*
> *Attonitæ posuere fugam, studiumque laboris*
> *Florilegi repetunt & sacri mellis amomum.*

Columella lib. x. c. 7. *Quod* (examen) *sive est abditum specu, fumo elicietur, & cum erupit, æris strepitu coercetur*. Ovid. III. Fast.

> *Ecce novæ cedunt volucres tinnitibus actæ,*
> *Quoque movent sonitus æra, sequuntur apes.*

Plinius Hist. Nat. XI. cap. 20. ubi de avibus: *Gaudent plausu atque tinnitu æris, eoque convocantur*. Unde apes a Columella *Musarum aves* dictas autumant. Eædem tamen apes interdum sono cymbalorum pulsæ sunt. Ammianus Marcell. XVIII. *In domo Barbationis pedestris militiæ tunc rectoris examen apes fecere perspicuum. Superque hoc prodigiorum gnaros sollicite consulenti, discrimen magnum portendi responsum est, conjectura videlicet tali, quod hæ volucres post compositas sedes, opesque congestas fumo pelluntur & turbulento sonitu cymbalorum*. Huc pertinet illud Suidæ: Μελιττοπηχεῖν· τὸ κρέοντας ψόφον ποιεῖν, ἵνα μὴ αἱ μέλισσαι προσπέτωνται. i. e. *μελιττοπηχεῖν significat strepitum edere, ne advolent apes*. Æmilius tamen Portus mavult legere ἀποπέτωνται, & sic vertendum esset, *ne avolent apes*, quod nos in medio relinquimus: ad utrumque enim tam ad arcendas, quam ad revocandas apes talem strepitum adhibitum ex dictis constat. Absque necessitate tamen, quæ hic nulla est, nihil temere & violenter mutandum putem. Nonnus Dionys. v.

> —— Ὑπηνέμιον δὲ πνάσσων
> Πυρσὸν ἀπειλητῆρα φιλοσμήνοιο μελίσσης
> Δίζυγα χαλκὰ ἄειρεν. Ὑπωροφίη δὲ λοχείη
> Βομβηδὸν κλονέοντος ἀσιγήτοιο κυδοιμοῦ
> Χειρὶ πολυκροτάλῳ διδυμάονα δοῦπον ἀράσσων,
> Φεικτὰ κορυσσομένης ἐφυλάσσετο κέντρα μελίσσης.

> —— *Æream vero movens*
> *Facem abactricem apum examen amantium*
> *Quassavit simul duplex æs: in domestica vero coborte*
> *Strepente & bombitante irrequieto tumultu*
> *Crepera manu duplicem edens sonum*
> *Horrendos armatæ apis aculeos evitavit.*

Columella lib. x. c. 12. *Crepitaculis æreis aut testarum plerumque vulgo jacentium sonitu terreatur fugiens juventus*. Sed notandum, quod turbulentus fuerit hic sonitus: quod clarius fit ex Plinio, qui ita lib. XI. cap. 19. de iisdem apibus: *Inimica est & echo resultanti sono, qui pavidas alterno pulsat ictu*. Abacta autem cymbalis talia apum examina, quia infaustum apum omen apud Romanos in omni memoria fuit. Cicero de Harusp. resp.

resp. cap. 25. *Si examen apum ludis in scenam venisset, haruspices acciendos ex Hetruria putaremus: videmus universi repente examina tanta servorum immissa in populum Romanum septum atque inclusum, & non commovemur? Atque in apum fortasse examine nos ex Etruscorum scriptis haruspices, ut a servitio caveremus, monerent*. Cumprimis infelix quid ominari credebantur, si in speciem uvæ penderent. Juv. Sat. XI.

> —— *Bimembri*
> *Hoc monstrum puero vel mirandis sub aratro*
> *Piscius inventis & fœtæ comparo mulæ*
> *Sollicitus, tanquam lapides effuderit imber,*
> *Examenque apum longa consederit uva*
> *Culmine delubri*. ——

Columella: *Deinde, quum examen apum glomeratum in proximo frondentis arbusculæ ramo consedit, animadvertito, an totum examen in speciem unius uvæ dependeat*. Id vero multa historiarum fides verum esse probat, nec ingratum speramus lectori fore, si, in quæ loca volventes veterum monumenta incidimus, ὡς ἐν παρόδῳ heic apponamus. Mortem Claudii & mutationem Reipublicæ in deterius antegressa prodigia habes apud Tacitum Annal. XII. *Mutationem rerum in deterius portendi cognitum est crebris prodigiis. Signa enim ac tentoria militum igne cœlesti arsere. Fastigio Capitolii examen apum insedit. Biformes hominum partus & suis fœtus editus, cui accipitrum ungues erant*. Scipionis cum Hannibale infelicem conflictum narraturus Livius lib. XXI. cap. 46. *Apud Romanos*, ait, *haudquaquam tanta alacritas fuit, super cætera recentibus etiam territos prodigiis, nam & lupus intraverat castra, laniatisque obviis ipse intactus evaserat: & examen apum in arbore prætorio imminente consederat*. Idem lib. XXIV. c. 10. *Prodigia eo anno multa nunciata sunt, quæ quo magis colebant simplices ac religiosi homines, eo etiam plura nunciabantur, &c. Quin Romæ quoque in ipsa urbe secundum apum examen in foro visum*. lib. XXVII. cap. 25. *Ex Campania nunciata erant Capuæ duas ædes Fortunæ & Martis & sepulchra aliquod de cœlo tacta: Cumis, adeo minimis etiam rebus prava religio inserit Deos, mures in æde Jovis aurum resisse: Cassini examen apum in medio foro consedisse, &c. Horum prodigiorum causa diem unum supplicatio fuit*. Florus lib. II. c. 6. *Nec de Diis possumus queris imminentem quippe temerario duci cladem prædixerunt insidentia signis examina*. Idem IV. 2. *Nunquam imminentis ruinæ manifestiora prodigia, fuga victimarum, examina in signis, interdiu tenebræ*. De Dione Plutarchus in vita ejus: Τὸ δὲ τῶν μελιοσῶν, αἳ περὶ τὰ πλοῖα τȣ̃ Δίωνος ὤφθησαν, ἑσμὸν λαμβάνουσαι κατὰ πρύμναν, ἰδίᾳ πρὸς αὐτὸν ϗ̀ τὸς φίλȣς ἔφραζε δεδιέναι, μὴ καλαὶ μὲν αἱ πράξεις αὐτȣ̃ γένωνται, χρόνον δ᾽ ὀλίγον ἀνθήσασαι μεραυθῶσιν. *At apum ostentum, quarum in Dionis naviis conspexerunt ad puppim examen consedisse, privatim apud illum & amicos timere ostendit se, ne res, quas gesturus esset magnificas, quum floruissent paulisper, emarcescerent*. Idem in Bruto: Καὶ μελιοσῶν ὤφθησαν ἑσμοὶ συνιςάμενοι περὶ τόπον τινὰ τȣ̃ χάρακος ἐντὸς, ὃν ἐξέκλεισαν οἱ μάντεις. *Et apum videbantur glomerata examina quodam loco intra vallum, quem excluserant aruspices*. Virg. Æn. VII.

> *Sed variis portenta Deum terroribus obstant:*
> *Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,*
> *Sacra comam, multosque metu servata per annos.*
> *Quam pater inceptam, primas cum conderet arces,*
> *Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus,*
> *Laurentisque ab eo nomen posuere colonis.*
> *Hujus apes summum densæ (mirabile dictu)*
> *Stridore ingenti liquidum trans æthera vectæ*
> *Obsedere apicem & pedibus per mutua nexis*
> *Examen subitum ramo frondente pependit*.

Ubi Donatus: *Exorto repente apum signo, quod sine admiratione videri non poterat, suspicio major exorta est: quod ipsum ex occulto aliqua futura portendebat*. Dionys. Halicarn. Ant. Rom. l. X. Μέλισσαι ἐν τῷ Καπιτωλίῳ παρὰ τὸν Ἡρακλέα ἱδρύθησαν. Dio libro XLII. antequam Pompejus vinceretur: Κεραυνοὶ ἐς τὸ ςρατόπεδον αὐτȣ̃ ἐσέπεσον, ϗ̀ πῦρ ἀέριον ὑπὲρ τῆς τȣ̃ Καίσαρος ταφρείας φανὲν ἐς τὴν ἐκείνȣ κατέσκηψε, τὰ δὲ σημεῖα αὐτȣ̃ τὰ ςρατιωτικὰ μέλισσαι περιέσχον. Xiphilinus in Severo: Ἀετὸς ἐπ᾽ ἄγαλμα ςρατιωτικὸν ἱζήσας ἐπὶ τοσȣ̃τον ἐπέμεινε καίπερ ἀποσοβȣ́μενος, ὥςε ϗ̀ ἁλῶναι, ϗ̀ μελισσαι κηρία περὶ τὰ σημεῖα τὰ ςρατιωτικὰ τάς τε εἰκόνας αὐτȣ̃ μάλιςα περιέπλασον. Hinc *examen malorum* seu σμῆνος κακῶν pro malis ingentibus in proverbio est. He-

Heliodorus Æthiopic. lib. 2. Ἰλιόθέν με φέρεις, ἀπεκρίνατο ὁ πρεσβύτης, καὶ σμῆνος κακῶν, καὶ τὸν ἐκ τούτων βόμβον ἄπειρον ἐπὶ σεαυτὸν κινεῖς. *Ex Ilio me fers, inquit senex, & malorum examen atque ex his infinitum murmur erga te commoves.* Hæ tamen apes præterquam quod cymbalis, etiam ordinarie fumo fugabantur, quod ex eodem Ammiani loco facile est cernere: *fumo pelluntur.* Hinc Quintil. Declamat. XIII. de apibus veneno necatis: *Hoc tu damnum intelligis, hoc veneno vindicas, quod mehercule inhumane etiam fumo prohibuisses.* Ulpian. lib. 9. Disputat. D. ad L. Aquiliam: *Si quis fumo facto apes alienas fugaverit, vel etiam necaverit, magis caussam mortis præstitisse videtur quam occidisse, & ideo in factum actione tenebitur.* Certe apud Lycophronem antiquissimum authorem jam inveniuntur μέλισσαι συμπεφυρμέναι καπνῷ. Cum his conferri poterunt Virgil. Georg. IV. Apollon. Argonaut. II. Aristoteles in Hist. Animal. Nonnus Dionys. lib. V. Interpretes Syrus, Chaldæus & Arabs ad Deut. I. 44. Ovid. Remed. Amor. lib. I. Antig. Mirab. Hist. 37. Aristoph. Schol. in Vespis, Columella, Hesychius, Alcamus & Tractatus Kelim ap. Bochartum, &c. At quo delabor. Redeundum in viam. Simili ratione usus legitur Hercules in fugandis Stymphalidibus avibus. Diod. Siculus Bibl. Histor. lib. 4. *Ex Stymphalide hinc palude aves exturbare jussus, arte & ingenio hoc etiam non difficulter perfectum dedit. Innumera enim multitudo avium illic invaluerat, passim in vicinia fruges depopulantium, nec ulla vi (tam ingenti copia pullulabant) aboleri poterant. Artificioso igitur ad hoc commento cum opus esset, æneum Hercules crepitaculum excogitat, & per hoc ingentem excitans tinnitum, pavore volucres percellit, iisque continenti tandem strepitu fugatis, ne infesta palus esset amplius, effecit.* Apollodorus Biblioth. lib. II. cap. 6. Ἦν δὲ ἐν Στυμφάλῳ πόλει τῆς Ἀρκαδίας Στυμφαλὶς λεγομένη, πολλῇ συνηρεφὴς ὕλῃ· εἰς ταύτην ὄρνεις συνέφυγον πλῶϊδες τὴν ἀπὸ τῶν λύκων ἁρπαγὴν δεδοικυῖαι· ἀμηχανοῦντος οὖν Ἡρακλέους, πῶς ἐκ τῆς ὕλης τὰς ὄρνιθας ἐκβάλῃ, χάλκεα κρόταλα δίδωσιν αὐτῷ Ἀθηνᾶ παρὰ Ἡφαίστου λαβοῦσα. Ταῦτα κρούων ὑπό τινος ὄρους τῇ λίμνῃ παρακειμένου, τὰς ὄρνιθας ἐφόβει· αἱ δὲ τὸν δοῦπον οὐχ ὑπομένουσαι μετὰ δέους ἀνίπταντο· καὶ τοῦτον τὸν τρόπον Ἡρακλῆς ἐτόξευσεν αὐτάς. i. e. *Erat autem ad Stymphalum Arcadiæ urbem Stymphalis palus multis contecta atque umbrosis arboribus addensata: quare in hanc magna avium multitudo, luporum vim pertimescentes, ex fuga sese recipiebat. Herculi itaque, quanam ratione aves e sylva dispelleret, ambigenti, Pallas ænea crepitacula Volcani munere accepta dedit. Hæc ille quassans sub monte quodam paludi proximo aves territabat. Quæ sonitum minime sustinentes præ metu subvolvabunt: eumque in modum Hercules eas sagittis impetivit.* Nonnus Dionys. 29.

> Οὐ τόσον Ἡρακλέης Στυμφαλίδας ἤλασε βόμβῳ
> Χαλκὸν ἔχων βαρύδουπον ——

> *Non ita abegit Hercules Stymphalides ingenti sono*
> *Æs habens vehementer strepens.*

Joh. Tzetzes Chiliad. 2. Hist. 36.

> Ἕκτον, κροτάλῳ τε χαλκῷ καὶ τόξοις ὄρνις κτείνει
> Τὰς τοξευούσας τοῖς πτεροῖς ἐν Στυμφαλίδι λίμνῃ.

> *Sextum crotalis æreis & sagittis aves occidit*
> *Sagittas emittentes alis in Stymphalide lacu.*

Pausanias in Arcadicis: Ἐπὶ δὲ τῷ ὕδατι τῷ ἐν Στυμφάλῳ κατέχει λόγος, ὄρνιθάς ποτε ἀνδροφάγους ἐπ᾽ αὐτῷ τραφῆναι. ταύτας κατατοξεῦσαι τὰς ὄρνιθας Ἡρακλῆς λέγεται. Αἰσανδρος δὲ αὐτὸν ὁ Καμιρεὺς ἀποκτεῖναι τὰς ὄρνιθας οὔ φησιν, ἀλλὰ ὡς ψόφῳ κροτάλων ἐκδιώξειεν αὐτάς. Phavorinus: Στυμφαλίδας τὰς σιδηροπτέρους ὄρνιθας οὐκ ἠδύνατο ἀπώσασθαι Ἡρακλέης, εἰ μὴ κρόταλον χαλκοῦν ψόφον ποιῶν ἐφόβησε. Pherecydes & Hellanicus πλαταγὴν nominaverant. Ibidem: Φερεκύδης δέ φησιν οὐ γυναῖκας, ἀλλ᾽ ὄρνιθας εἶναι καὶ ἀναιρεθῆναι ὑπὸ Ἡρακλέους πλαταγῆς δοθείσης αὐτῷ πρὸς τὸ τὴν κτυπεῖν καὶ ἐκφοβεῖν αὐτάς· ὁμοίως καὶ Ἑλλάνικός φησι. Puto hinc fieri, ut in epigrammate Græco, quod in ejus atque Bacchi imaginem concinnatum est, πλαταγὴ ipsi adscribatur. Epigramma supra citavimus. Hinc credo *ærisonam Stymphalon* legi apud Stat. Thebaid. IV.

> *Æphitios idem ardor agros & Psophida celsum*
> *Vastat & Herculeo vulgatos robore montes*
> *Monstriferumque Erymanthon & ærisonam Stymphalon.*

Pro crotalis tamen tympana substituit Strabo lib. VIII. Ἐν ᾗ (λίμνῃ Στυμφαλίδι) τὰς ὄρνις μυθολογοῦσι τὰς ὑπὸ τοῦ Ἡρακλέους τοξεύματι καὶ τυμπάνοις ἐξελασθείσας,

ϗ αὐτὰς καλᾶσι Στυμφαλίδας. *In quo lacu Stymphalio fingunt aves vocatas Stymphalides & ab Hercule telis & tympanis fugatas.* Seneca, nescio unde, crepitaculo etiam fugatum ab Hercule Draconem custodem sive malorum sive ovium (nam utrumque defenditur) aurearum, quos Hesperidas nominarunt, innuit, quod patet ex illo Argivarum in Agamemnone Act. IV.

> *Nube percussa* (crotalorum sonitu) *Stymphalis alto*
> *Decidit cœlo.*
> *Arborque pomis fertilis aureis*
> *Extimuit manus insueta carpi,*
> *Fugitque in auras leviore ramo;*
> *Audivit sonitum crepitante lamna*
> *Frigidus custos nescius somni.*

Quicquid perhibeant interpres, *crepitans lamna* seu *lamina* mihi crotalum est, quod nihil aliud erat nisi ferrea lamina duplex & ex conflictu crepitans.

CAPUT XIII.

Cymbala in saltationibus frequentissima. Saltationes nuptiales. Improbatæ hæ a Patribus. Author fragmentorum Synodi Ilerdensis corripitur. *Saltationes convivales. Cymbala ægrotis adhibita. Musicæ effectus contra adversam valetudinem.*

CYmbalorum in Saltationibus usus frequens admodum erat. Lucianus describens Saltatorum apparatum περὶ Ὀρχήσεως· Ὁ δὲ ὀρχηστὴς τὰ πάντα ἔχει συλλαβὼν, ϗ ἔνεστι ποικίλην ϗ παλλιγῆ τὴν παρασκευὴν αὐτᾶ ἰδεῖν, αὐλὸν, σύριγγα, ποδῶν κτύπον, κυμβάλυ ψόφον, ὑποκριτᾶ εὐφωνίαν, ᾀδόντων ὁμοφωνίαν. *Verum saltator hæc omnia complectitur, cujus varium & miscellaneum apparatum videre est, tibiam, fistulam, pedum strepitum, cymbali sonum, actoris vocalitatem, canentium concentum.* Et non longe post: Ἡ ὄρχησις διδάσκυσα πολλὰ τῶν πάλαι ὑπ' αὐλοῖς ϗ κυμβάλοις ϗ μελῶν εὐρυθμίᾳ. *Saltatio prisca multa docet tibiis, cymbalis, carminum concinna compositione.* Tales saltationes cum cymbalis in variis sane occasionibus occurrunt. In nuptiis gentilium fuisse colligo ex Martiano Capella, qui ita de nuptiis Philol. & Mercur. lib. II. *Quæ quidem virginem postquam lumine replevere, Musis admixtæ etiam gesticulationes consonas & hymeneia dedere tripudia. Sed ecce magno tympani crepitu crotalorumque tinnitu* (seu rectius *cymbalorum*: ea enim tinniebant, non crotala) *universa dissultant, eousque, ut Musarum cantus aliquando bombis tympani obscurior redderetur: & cum sonitu introfertur lectica interstincta sideribus, cui ritu mystico crepitus præcinebant, qua mos fuerat nubentes Deas in cœlestis thalami venire consortia.* Idem mos ad nuptias Christianorum fluxit, licet invehentibus in eum Patribus. Hinc Chrysostomus in Genes. XXIV. Homil. 48. in enarrandis nuptiis Isaaci cum Rebecca versans, sanctorum istius ævi in hac re sobrietate suos ad parem modestiam stimulaturus ait: *Hic considera, quomodo nusquam superflua illa & inutilia, nusquam diabolica pompa, nusquam cymbala & tibiæ & choreæ & satanica illa convivia & scommata omni obscœnitate plena, sed omnis honestas, omnis modestia.* Idem in Genes. XXIX. Homil. 56. de nuptiis Jacobi: *Num tunc tibiæ? num tunc cymbala? num tunc choreæ diabolicæ? Quare enim statim ab initio damnum inducis in domum tuam, & eos, qui in scenis & orchestris operam locant, vocas, ut cum intempestivo sumtu virginis lædas continentiam & juvenem impudentiorem facias.* Item in Acta Apostol. Homil. 42. *Turpia illic verba, risus incompositus, sessiones magis incompositæ, plenus turpitudine & gestus stultitiam & insipientiam præ se ferens, omnia illic risus & ridicula. Insanit tunc natura, præsentes præ hominibus bruta fiunt, & alii quidem ut equi hinniunt, alii vero ut asini calcitrant: magna diffusio, dissolutio magna, nihil maturum, nihil generosum. Magna ibi diaboli pompa, cymbala, tibiæ & cantica plena scortationum ac adulteriorum.* Concilium Laodicenum Can. 53. Ὅτι ὐ δεῖ Χριστιανὺς εἰς γάμυς ἀπερχομένυς, βαλλίζειν ἢ ὀρχεῖσθαι, ἀλλὰ σεμνῶς δειπνεῖν ἢ ἀριστᾷν, ὡς πρέπει Χριστιανοῖς. Quod in fragmentis Synodi Ilerdensis A. C. 524. falso ita versum est: *Quod non oporteat Christianos euntes ad nuptias plaudere vel saltare, sed venerabiliter cœnare vel prandere, sicut Christianos decet.* Depromtum enim hoc esse ex Concilio Laodiceno jam notavit illustris Larroquanus Pater. Idem tamen non notavit erratum in eo, quod βαλλίζειν non vertendum esset *plaudere*, sed *cymbala movere*. Id enim denotare hanc vocem supra monuimns. Saltationes cymbalicas secundo in conviviis privatis invenio. Propert. l. IV. Eleg. 9.

> *Nile tuus* (lege *Nilotes*) *tibicen erat, crotalistria Phyllis,*
> *Et facilis spargi munda sine arte rosa.*

Petronius Satyrico: *Jam & Tricliniarches*

ches experrectus lucernis occidentibus oleum infuderat, & pueri detersis paulisper oculis redierunt ad ministerium, quum intrans cymbalistria & concrepans æra omnes excitavit. Refectum igitur est convivium & rursus Quartilla ad bibendum revocavit. Adjuvit hilaritatem comissantis cymbalistria. Cicero in Pisonem: *Quis te illis diebus sobrium, quis agentem aliquid, quod esset libero dignum, quis denique in publico vidit? cum collegæ tui domus cantu & cymbalis personaret, eumque ipse nudus in convivio saltaret: in quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ votum pertimescebat*. Et huc jam ante collimaverat: *Quos neque hercule ego, neque supercilium tuum, neque collegæ tui cymbala, crotala fugi*. Nonnus Dionys. ιή.

> Καὶ κτύπος ἦν κροτάλων ἐπιδόρπιος —
>
> *Et sub cœna secundaria erat sonus crotalorum*.

Clemens Alexandrinus Pædagog. II. cap. 4. ubi agit de conviviis ejus temporis: Εἰ δὲ αὐλοῖς καὶ ψαλτηρίοις καὶ χοροῖς καὶ ὀρχήμασι καὶ κρότοις Αἰγυπτίων, καὶ τοιαύταις ἀλύοι, ἄτακτοι, καὶ ἀπρεπεῖς, καὶ ἀπαίδευτοι κομιδῇ γίγνοιντο ἄν, κυμβάλοις καὶ τυμπάνοις ἐξηχούμενοι, καὶ τοῖς τῆς ἀπάτης ὀργάνοις περιψοφούμενοι· ἀτέχνως γὰρ, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, θέατρον μέθης τὸ τοιοῦτον γίνεται συμπόσιον. *Sin autem in tibiis & psalteriis, choris & saltationibus & plausibus Ægyptiorum & dissolutis ejusmodi otiis studiose versentur, immodesti, insolentes, valdeque a bona disciplina aliena evaserint, utpote quos cymbala & tympana circumstrepant. Revera enim mihi, ut videtur, ejusmodi convivium est ebrietatis theatrum*. In convivio ebrioso, quod *Comum* dicebant, collocat Suidas: Κῶμός ἐστι μεθυστικὸς αὐλὸς ἐγχρονίζοντος τοῦ οἴνου, ἐρεθίζων τὴν ἡδυπάθειαν, καὶ θέατρον ἄσχημον ποιῶν τὸ συμπόσιον κυμβάλοις τισὶ καὶ ὀργάνοις καταθέλγον τοὺς δαιτυμόνας. Cum quo sane consentit Philostratus in imagine Comi. Iconum lib. I. Τί λοιπὸν τοῦ Κώμου; τί δ᾽ ἄλλο γε ἢ οἱ κωμάζοντες; ἢ οὐ προσβάλλει σε κρόταλα καὶ θροῦς ἔναυλος καὶ βοὴ ἄτακτος; *Quid reliquum est Comi? quidnam aliud præterquam lascivientes? nonne crotala, strepitusque intonans ac vox enormis?* Eodem sensu Nonnus Dionys. lib. 40.

> Μὴ Φρύγα κῶμον ἴδω, μὴ κύμβαλα χερσὶ τινάξω.
>
> *Nec Phrygium Comum video, nec cymbala movebo manibus*.

Autor est Celsus, *in quibusdam morbis symphoniacos & cymbala & strepitus proficere*. Hinc, credo, legitur apud autores comœdos & ludios talesque saltatores ad ægrotos oblectandos introduci solitos. Svetonius Claud. §. 45. *Quasi pro ægro adhuc vota suscepta sunt & inducti per simulationem comœdi, qui velut desiderantem oblectarent*. Senec. Ἀποκολ. *Exspiravit autem, dum comœdos audit, ut scias, me non sine causa illos timere*. Persuasi scilicet fuere veteres instrumentis musicis vim aliquam medendi adesse ægritudines tam animi quam corporis. De morbis animi res satis trita: de corporeis Mart. Capell. de nupt. Philol. lib. IX. ubi Harmonia ita perorat: *Quid afflictionibus corporeis nonne assidua medicatione succurri, Febrem curabant vulneraque veteres cantione. Asclepiades item tuba surdissimis medebatur. Ad affectiones animi tibias Theophrastus adhibebat. Schiadas quis nesciat expelli aulica suavitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat. Thaletem Cretensem citharæ suavitate compertum morbos ac pestilentiam fugavisse. Erophilus ægrorum venas rhytmorum collatione pensabat*. Eodem Censorinus de die Natali cap. 12. *Asclepiades medicus phreneticorum mentes morbo turbatas sæpe per symphoniam suæ naturæ reddidit. Erophilus autem artis ejusdem professor venarum pulsus rhytmis musicis ait moveri*. Theophrastus libro de enthusiasmo testis fuerat musica multos animi & corporis morbos sanari, animique deliquium, timores, epilepsiam, &c. fugare. Repetiere hanc rem ex illo Athen. Deipnos. XVI. Ὅτι δὲ καὶ νόσους ἰᾶται μουσική, Θεόφραστος ἱστόρησεν ἐν τῷ περὶ ἐνθουσιασμοῦ, ἰσχιακοὺς φάσκων ἀνόσους διατελεῖν, εἰ καταυλήσοι τις τοῦ τόπου τῇ φρυγικῇ ἁρμονίᾳ & Apollon. in Hist. Mirab. Ἄξια δ᾽ ἐστὶν ἐπιστάσεως τὰ εἰρημένα Θεοφράστῳ ἐν τῷ περὶ ἐνθουσιασμῶν· φησὶ γὰρ ἐκεῖνος τὴν μουσικὴν πολλὰ τῶν περὶ ψυχὴν καὶ τὸ σῶμα γιγνομένων παθῶν ἰατρεύειν, καθάπερ λειποθυμίαν, φόβους, καὶ τὰς ἐπὶ μακρὸν γιγνομένας τῆς διανοίας ἐκστάσεις· ἰᾶται γὰρ, φησιν, ἡ καταύλησις καὶ ἰσχιάδα καὶ ἐπιληψίαν.

CAPUT XIV.

Cymbala saltatoribus comicis & agyrtis mendicisque tripudiantibus. Μητραγύρται. Pocula loco cymbalorum confligebantur. Minutius Felix, dissentiente Cupero, correctus.

Restant binæ occasiones, in quibus saltavere cum cymbalis, quod ego quidem notavi. Primo id factum in theatro ludisque scenicis. Eustath. Iliad. λ'. Ἐκ δὲ τοῦ κροταλίζειν ϗ κρόταλον, οὗ χρῆσις ϗ παρὰ τῷ κωμικῷ. Isidorus Pelusiota Epist. 61. lib. I. Ἤ γίνωσκε, κύμβαλον ὤν, τῇ σκηνῇ τῶν θεάτρων ἁρμόδιον. Ultimo loco colloco saltantes agyrtas, eosdemque effigiem aliquam dei deæve circumferendo cymbala pulsantes. Strabo Geograph. lib. XV. Πλὴν κυλβάλων ϗ τυμπάνων ϗ κροτάλων, ἃ τοῖς θαυματοποιοῖς κεκτῆσθαι. *Præter cymbala & tympana & crotala, quibus uti præstigiatores solent.* Et quod maxime observatu dignum, stata hæc apud Romanos erant sacra. Dionysius. lib. II. ex quo habet Eusebius Præpar. Evang. lib. II. cap. 8. Ἱερᾶται δὲ αὐτῆς ἀνὴρ Φρὺξ ϗ γυνὴ Φρυγία ϗ περιάγουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν μηναγυρτοῦντες, &c. Addam statim Latine: *Ejus* (Cybeles) *tamen sacerdotio vir ac mulier Phryges ambo funguntur, qui totam civitatem circumeunt, singulis mensibus stipem more suo hinc inde corrogantes, imagunculas pectori alligatas gestantes, tympanaque pulsantes, quos sequens multitudo materna carmina ad tibiam modulata circumsonat. At e Romanis indigenis nemo vel matri stipem emendicans, vel incentione tibiarum afflatus ac versicolore stola indutus oberrat urbem, nullaque Populi lege, nullo Senatus consulto celebranda Phrygio ritu Matris orgia suscipit.* Ex quo loco sequentes reliqui facile explicari & debent & possunt. Apulejus Miles. lib. IX. *Ad istum modum vitato duplici periculo die sequente rursus divinis officiis onustus cum crotalis & cymbalis circumforaneum mendicabulum producor ad viam.* Idem Miles. VIII. *Unum de triviali popularium fece, qui per plateas & oppida cymbalis & tympanis personantes, Deam Syriam circumferentes mendicare compellunt.* Nempe hæc erat consuetudo agyrtarum, ut per præsentes, quos vehebant, Deos eo majorem misericordiam extorquerent. Lucianus in Asino: Κίναιδος γὰρ ϗ γέρων ἦν, τούτων εἷς τὴν θεὸν τὴν Συρίαν εἰς τὰς κώμας ϗ τοὺς ἀγροὺς περιφερόντων. Tertull. Apolog. *Majestas quæstuaria efficitur. Circuit caupones religio mendicans.* Ibidem *Non sufficimus & hominibus & diis vestris mendicantibus opem ferre.* Plutarchus de Orac. Pythiæ: Πλείστης λέγουσι ποιητικῆς ἐνέπλησεν ἀδοξίας τὸ ἀγυρτικὸν, ϗ ἀγοραῖον, ϗ περὶ τὰ μητρῷα ϗ σεράπεια βωμβόλοχον ϗ πλανώμενον γένος, οἱ μὲν αὐτόθεν, οἱ δὲ κατὰ κλῆρον ἔκ τινων γραμματίων χρησμοὺς παραινοῦντες οἰκέταις. Ita explicat Behotius locum Juvenalis Sat. III.

> —— *In magna legatum quære popina,*
> *Invenies aliquo cum percussore jacentem*
> *Permissum nautis & furibus ac fugitivis*
> *Inter carnifices & fabros sanda pilarum*
> *Et resupinati cessantia tympana Galli.*

Quanquam facile concedam ab aliis hæc melius exponi. Admiscebant vero & carmina, velut de Homeri musa testatur Jo. Tzetzes Chil. v. Hist. 24.

> Οἱ μοῦσαν τὴν οὐράνιον Ὁμήρου καθελόντες
> Εἰς γραικὰ μυθύδρια μηναγυρτῶν τε λόγους.

> *Qui musam cœlestem Homeri detrahunt*
> *Ad Græcas fabellas & circulatorum nugas.*

Hi autem cum Dea Syria ita mendicantes μητραγύρται dicebantur. Et μηναγύρται. Id Hist. 475. inter plura alia:

> Κυρίως τοὺς ἀγύρτας δὲ ϗ μηναγύρτας νόει,
> Ὁπόσοι περιτρέχουσι χώρας, ϗ προσαιτοῦσι.
> Μετὰ ᾠδῶν, ἢ ἐπῳδῶν, ἢ λόγοις ἐγκωμίων.
> Οἱ παλαιοὶ ἀγύρται γὰρ, ὥσπερ Βαβρίας γράφει,
> Εἰς ὄνον θέντες εἴδωλον θεᾶς αὐτῶν τῆς Ῥέας
> Τυμπάνοις περιήρχοντο τὰς κώμας προσαιτοῦντες,
> Μετ' ἐπασμάτων ϗ ᾠδῶν σελήνης ἀρχιμήνοις.

i. e. *Proprie autem Agyrtas & Menagyrtas scito, quotquot circumcurrunt, ad januas mendicantes, cum cantilenis, epodis, vel verbis encomiorum. Antiqui enim Agyrtæ, sicut Babrias scribit, in asinum ponentes simulacrum Deæ suæ Cybeles, tympanis circuibant vicos, mendicantes, cum* car-

carminibus & cantilenis, lunæ primo menſe. Scholiaſtes Alcæi: Μητραγύρται δὲ ἱερεῖς τῆς Ῥέας μητρὸς τῶν θεῶν τῶν κινητικῶν μορίων ἀπόκοποι, τετέςι, γάλλοι, ἣν ἱλάσκονται τυμπάνῳ κ῀ ῥόμβῳ, ὡς Ἀπολλόδωρός φησι τοὺς Ἀργοναύτας πλεύσαι ἐπὶ τῷ Κυζίκου θανάτῳ· φησὶ γὰρ ῥόμβῳ κ῀ τυμπάνῳ Φρύγες ἱλάσκονται. Athenæus XII. II. Αὐτὸς δὲ Διονύσιος τέλος μητραγυρτῶν κ῀ τυμπανοφορούμενος οἰκτρῶς τὸν βίον κατέςρεψεν. Falſo interpres: *Dionyſius vero ſub eſtremum ætatis tempus Cereri ſtipem emendicando cogens ac tympanum pulſans cum morte vitam commutavit miſerabiliter*, Vertendum erat: *D. v. ſ. e. æ. Metragyrtes aut cum Cybele mendicans ac tympanum pulſans c. m. v. c. m.* Clemens Alexand. ad Gentes: Τύμπανόν τε ἐπικτυποῦντα κ῀ κύμβαλον ἐπηχοῦντα οἷα τοῦ τραχήλου τινὰ μηναγύρτην (legendum omnino μητραγύρτην) ἐξηρτημένον. Innuit eoſdem Mart. lib. XIV. Ep. 204. quod inſcribitur CYMBALA:

> *Æra Celenæos lugentia matris amores*
> *Eſuriens Gallus vendere ſæpe ſolet.*

Non negligendus heic elegans Dionyſii Halicarn. locus. lib. 2. Antiq. Roman. fol. 91. Θυσίας μὲν γὰρ αὐτῇ κ῀ ἀγῶνας ἄγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος οἱ ςρατηγοὶ κατὰ τοὺς Ῥωμαίων νόμους· ἱερᾶται δὲ αὐτῆς ἀνὴρ Φρὺξ κ῀ γυνὴ Φρυγία, κ῀ περιάγουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν οὗτοι μητραγυρτοῦντες, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος, τύπους τε περικείμενοι τοῖς ςήθεσι, κ῀ καταυλούμενοι πρὸς τῶν ἑπομένων τὰ μητρῷα μέλη κ῀ τύμπανα κροτοῦντες. Ῥωμαίων δὲ τῶν αὐθιγενῶν οὔτε μητραγυρτῶν τις οὔτε καταυλούμενος πορεύεται διὰ τῆς πόλεως, ποικίλην ἐνδεδυκὼς ςολήν, οὔτε ὀργιάζων τὴν θεὸν τοῖς Φρυγίοις ὀργιασμοῖς, κατὰ νόμον ἢ ψήφισμα βουλῆς. i. e. *Huic* (Idææ matri) *Imperatores quotannis Romano ritu victimas cædunt & ludos faciunt: ſacerdotio vero ejus funguntur Phrygii generis vir & mulier, eamque per urbem circumferunt, circulatorio ritu ſtipem Matri colligentes & pectora plangentes, proſequentibus eos cum matrio carmine tibiis, & tympanorum pulſu. Sed e Romanis indigenis nemo cum Matriacis vicatim ſtipem colligit, nec ad Phrygios tibiæ modos per urbem incedit varia indutus ſtola, nec e decreto Senatus Phrygia Matris orgia celebrat.* Ovid. lib. I. de Arte amandi:

> *Ecquis ita eſt audax, ut limine cogat abire*
> *Jactantem Pharia tinnula ſiſtra manu.*
> *Ante Deum matrem cornu tibicen adunco*
> *Cum canit, exiguæ quis ſtipis æra neget.*

Gabrias in fabulis:

> Οὗτοι δὲ κύκλῳ πᾶσαν ἐξ ἔθνους κώμην
> Περιόντες ἔλεγον, τίς γὰρ ἀγροίκων
> Οὐκ οἶδεν Ἄττιν λευκόν, ὡς ἐπηρώθη;
> Τίς οὐκ ἀπαρχὰς ὀσπρίων τε κ῀ σίτων
> Ἁγνῷ φέρων δίδωσι τυμπάνῳ Ῥέης;
>
> *Hi in circulo omnem ex more vicum*
> *Circumambulantes ditunt, quis ruſticorum*
> *Quem lateat, pulcher Attis ut exciſus?*
> *Quis non primitias frumenti triticique*
> *Caſto ferens præbeat tympano Rheæ.*

Budæus: Μητραγύρται οὕτω ἐκάλουν οἱ παλαιοὶ τοὺς μετ᾽ ᾠδῶν προσαιτοῦντας, κ῀ εἴδωλα συμπεριφέροντας, ὅθεν κ῀ ἀγυρμὸς ἀντὶ πτωχείας λέγεται. Auguſtin. de C. D. lib. VII. cap. 26. *De mollibus eidem Matri magnæ contra omnem virorum mulierumque verecundiam conſecratis, qui uſque in heſternum diem madidis capillis, facie dealbata, fluentibus membris, incenſſu fœmineo per plateas vicoſque Carthaginis etiam a populis, unde turpiter viverent, exigebant.* Cicero lib. 2. de Leg. ex leg. 12. Tab. *Præter Ideæ matris famulos eoſque juſtis diebus ne quis ſtipem cogito.* ἔξω τῶν μητραγυρτῶν κ῀ ἀποτεταγμέναις ἡμέραις. Et paulo inferius: *Stipem ſuſtulimus niſi eam, quam ad paucos dies propriam Ideæ matris excepimus. Implet enim ſuperſtitione animos & domos exhaurit.* Quæ omnia verbis Minutii Felicis conſona: *Nudi cruda hyeme diſcurrunt. Alii incedunt pileati, ſcuta vetera circumferunt, pelles cædunt.* Quid hic per *pelles* intelligatur, & an ſana lectio, diſquiritur? Vir Incomparabilis & magno rei literariæ ornamento natus, mutat in *peltas*. Ita ut alludatur ad ſalios, qui armati per plateas diſcurrebant, peltas pulſabant & verberabant. Hanc emendationem licet laudet Clariſſimus le Moyne, pace tamen virorum maximorum malim mutari in *pelves*; ſub quo nomine cymbala intelliguntur. Nam & facilior mutatio & evitari videtur ταυτολογία. Peltas enim jam comprehendiſſe mihi perſuadeo ſub nomine *ſcutorum*. Nihil moror, ſi quis antiquam lectionem potius velit: *pelles cædunt*

dunt. Sic *pelles* sunt tympana. Tympana enim, ut nostra hodie, constabant e pelle taurina, asinina, alia. De qua re alias.

Non absimilem hodie Brachmanum in India morem commemorant itineraria. Affine est huic rei, quod narratur de mendicis in nova Roma, quod vulgo in oblectationem divitum & ad eliciendam stipem soliti fuerint calices & pocula concutere. Chrysostomus in 1. ad Thess. Κύλικας καὶ κιοσύβια καὶ ποτήρια τοῖς δακτύλοις ἐνέσων καὶ περιτιθεὶς κυμβαλίζειν. Nescio an huc trahendum sit, quod narrat Jo. Tzetzes de Belisario, qui, cum in offensionem Justiniani incidisset, oculis privatus ligneum manu tenens poculum mendicabat. Apud lectorem esto arbitrium. En verba Chil. III. Hist. 88.

> Οὗτος ὁ Βελισάριος ὁ στρατηγὸς ὁ μέγας
> Ἰουστινιανείοις ὢν ἐν χρόνοι στρατηλάτης,
> Πρὸς πᾶσαν τετραμέρειαν γῆς ἐφαπλώσας
> Ὕστερον φθόνῳ τυφλωθεὶς, ὦ τύχης τῆς ἀσιάτου,
> Ἔκπωμα ξύλινον κρατῶν ἐβόα τῷ μιλίῳ,
> Βελισαρίῳ ὀβολὸν δότε τῷ στρατηλάτῃ,
> Ὃν τύχη μὲν ἐδόξασε, ἀποτυφλοῖ δὲ ὁ φθόνος.

> *Hic est Belisarius imperator magnus,*
> *Justiniani temporibus præfectus militibus,*
> *Qui ex omnibus quatuor terræ partibus victorias retulit,*
> *Tandem invidia excœcatus, o Fortuna inconstans,*
> *Tenens poculum ligneum, exclamavit in milio:*
> *Belisario præfecto militum date obolum,*
> *Quem fortuna honoravit, invidia excœcavit.*

CAPUT XV.

Crotalorum inter crepundia locus. Dicta communiter crepitacula. Eadem in lusibus puerilibus & puellaribus. Circa Nilum Ægyptiorum pueri cymbalis ludebant. Φρυγίνδα.

Crotala locum inter puerorum crepundia habuisse, docuimus alio loco ex Polluce, cujus authoritate *platagonia* nuncupabantur crotala & sistra, quibus utebantur nutrices, dum lenire infantes cupiebant. Eandem rem innuit Martial. IX. Epigr. 9.

> —— *ut ab ubere raptus.*
> *Sordida vagitu posceret æra puer.*

Addo Stobæum Serm. 247. Πεινᾷ τὸ παιδίον, ἡ δὲ τροφὸς κατακοιμίζει· διψᾷ, ἡ δὲ λούει· κοιμηθῆναι θέλει, ἡ δὲ κρόταλον ἔχουσα ψοφεῖ i. e. *Esurit infans, a nutrice sopitur; sitit, lavatur; dormire vult, nutrix quatit crotalum*. Hæc autem infantum crotala alias *crepitacula* audiebant & eorum sæpe mentio inter Latinos authores. Mart. Capell. I. *Auro atque monilibus inhiare membraque vinciri honorationis celsæ affectatione persuaserat. Tunc crepitacula tinnitusque, quis infanti somnum duceret, adhibebat quiescenti*. Sic restituerunt pro *somnium* Meursius & Grotius. Idem lib. IX. *Infantibus crepitacula vagitus abrumpere. Fides Delphinis amicitiam hominum persuaserunt*. Arnob. lib. II. *Exsugerent fellitantes mammas, proluvie linirent & madidarent se sua: & ut ad silentium pavidi, nutricis vocibus & crepitaculis adducerentur auditis*. Itidem lib. IV. *Suxit fluenta mammarum, vagitum edidit, repsit? atque ut fletum poneret ineptissime tractum, crepitaculis obticuit auditis: & ad somnos inductus est in mollissimis cunis jacens, & vocibus delinitus infractis*. Tertull. adversus Judæos: *Scilicet vagitu ad arma esset convocaturus infans & signum belli non tuba, sed crepitacillo daturus*. Lucret. lib. V. de senibus loquens:

> *Nec crepitacula eis opu' sunt, nec cuiquam adhibenda est*
> *Almæ nutricis blanda atque infracta loquela.*

Thomas Bartholinus expresse contendit cymbala inter crepundia fuisse, cui non difficilem adhibeo fidem, legens sane apud Diodorum Siculum lib. 3. *Mox œstro furoris icta, arreptis filiæ crepundiis,*

diis, susque deque sparsis crinibus divagabatur & cymbalorum tympanorumque strepitu lymphantis more discursitabat. Filius autem ejus Casparus ignotam crotali effigiem dat ex Tabula antiquissimi operis apud Lambecium. Hæc autem crotala servabant pueri in ludis suis, ubi mutato nomine πλαταγαὶ dicebantur. Leonides in Epigrammate Anthologiæ l. VI.

> Ἔυφημόν τοι σφαῖραν, εὐκρόταλόν τε Φιλοκλῆς
> Ἑρμείῃ ταύτην πυξινέην πλαταγήν.

Aristoteles Polit. θ'. Ἅμα δὲ καὶ δεῖ τὰς παῖδας ἔχειν τινὰ διατριβὴν καὶ τὴν Ἀρχύτου πλαταγὴν οἴεσθαι γενέσθαι καλῶς, ἣν διδόασι τοῖς παιδίοις, ὅπως χρώμενοι ταύτῃ μηδὲν καταγνύωσι τῶν κατὰ τὴν οἰκίαν· οὐ γὰρ δύναται τὸ νέον ἡσυχάζειν. Plutarchus Sympos. Probl. 3. Ὅθεν ὥσπερ ἡ κλίνη τοῖς πᾶσι τῆς καθέδρας ἀμείνων, ὅτι τὸ σῶμα κατέχει καὶ ἀπολαύει κινήσεως ἁπάσης, οὕτως ἔχειν ἀτρέμα τὴν ψυχὴν ἄριστον· εἰ δὲ μὴ, δοτέον, ὥσπερ παισὶν ἀτρεμεῖν μὴ δυναμένοις οὐ δόρυ καὶ ξίφος, ἀλλὰ πλαταγὴν καὶ σφαῖραν. Thomas Bartholinus expresse vult, circa Nilum Ægyptios in cymbis lusisse cymbalis & tibiis adhibitis. In quem locum ita commentatus est filius: „ Qui antiquitus repræsentarunt Nili imaginem, „ in ea lusus specimina varia adumbrabant. Philostratus: Περὶ τὸν Νεῖλον, οἱ πήχεις ἀθύρουσι παιδία ξύμμετρα τῷ ὀνόματι. id est, *Circa Nilum cubiti ludunt, „ pueri corporis quantitati cognomines.* Huc „ respexisse crediderim Ovid. Trist. l. I.

> *Delicias videam Nile jocose tuas.*

„ Hunc puerorum Ægyptiacorum circa „ Nilum in cymbis lusum cum cymba- „ lis & tibiis illustrat optime sepulchra- „ le illud marmor apud Petrum la Se- „ na in Cleombroto cap. VI. Hæc Bar- „ tholinus. Puellæ quoque crotalis ludebant. Scholiastes Ruffini: Τὰ δὲ κρόταλα ταῖς παρθένοις ἦν παιδιά. Aliquid simile cum conflictu cymbalorum videtur habuisse ludus, quam *phrygindam* Græci appellabant: Pollux lib. IX. cap. 7. Ἡ δὲ φρυγίνδα· ὄστρακα τῶν λείων μεταξὺ τῶν τῆς ἀριστερᾶς χειρὸς δακτύλων διαθέντες ἐπικροῦσι τῇ δεξιᾷ κατ' ἀριθμόν. Fabas pro testis adhibitas ponit Hesychius: Φρυγίνδα παιδιᾶς εἶδος διὰ κυάμων.

CAPUT XVI.

De cymbalo bibebant sacerdotes Berecynthiæ. An cymbala hæc fuere vascula potui destinata?

Singularem capitulo hoc morem noto. Cymbalorum loco pocula usurpata esse a mendicantibus supra monui. At vero interdum pocolorum munus cymbala quoque occupabant. Factum id, quando sacerdotes Cybeles seu Berecynthiæ matris bibebant de cymbalo, quemadmodum de tympano edebant. Julius Firmicus libro de errore Prof. Relig. *De tympano manducavi, de cymbalo bibi & religionis secreta perdidici: quod Græco sermone dicitur:* Ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μυστικός. Addo Clem. Alexand. ad Gentes: Ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερνοφόρησα, ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον. *Ex tympano comedi: bibi ex cymbalo: cernum gestavi: me in thalamum insinuavi.* Eadem Eusebius Præp. Evang. lib. II. cap. 3. Ambo vero introducunt initiatos Cybeles sacris. In aliis vero occasionibus idem observatum colligere liceat ex Nemesiano Eccl. 3.

> *Pronus at ille lacu bibit & crepitantibus haurit*
> *Musa labris: alius vocalia cymbala mergit.*

Nisi mavelis cymbala hæc fuisse certa vascula, usui sacro destinata, quæ a similitudine cymbala dicta fuere. Apul. Met. lib. XI. occasionem daret istud augurandi: *Idem gerebat & aureum vasculum in modum papillæ rotundatum, de quo lacte libabat.* Sed viderint alii.

CAPUT XVII.

Cymbala hydraulicorum. Improprie attributa. Describuntur hydraulica organa, sed breviter.

Cymbalum in organis Hydraulicis collocasse Vitruvium lib. X. jam Turnebus monuit. Quod ego non a formæ, sed soni similitudine fluxisse mihi persuadeo. De hoc enim testis est Notkerus Monachus (ex citatione Barthii) in vita Caroli M. lib. II. cap. 10. *Adduxerunt etiam iidem missi omne genus organorum: sed & variarum rerum, quæ cuncta ab opificibus sagacissimi Caroli, quasi dissimulanter adspecta, accuratissime sunt in opus conversa: & præcipue illud Musicorum organon præstantissimum,*

mum, quod * *DELUS* (* corrupta hæc lectio, nec restituit Barthius) *ex ære conflatis follibusque taurinis per fistulas æreas mire perflantibus, rugitum quidem tonitrui boatu, garrulitate vero lyræ vel cymbali dulcedine.* Hinc excusabitur Mart. Capella, qui tinnitum hydraulis tribuit, de Nupt. Philol. lib. II. *Ecce ante fores quidam dulcis sonitus multifidis suavitatibus suscitatur, quem Musarum convenientium choris impendens nuptialibus sacramentis modulationis doctæ tinnitibus concinebat. Nam nec tibiarum mela, nec ex fidibus sonitus, nec hydraulorum harmonica deerat plenitudo.* Pro cymbalis aliis tibias substituunt. Vetus Scholiastes: Ὑδραῦλαί εἰσιν οἱ αὐλοῦντες ἐν τοῖς οὐκ ἀπ' ἀσκῶν, ἀλλ' ἀφ' ὕδατος κατὰ μηχανὴν τὸ πνεῦμα δεχομένοις. Buccinam alii. Virg. in Ætna:

> *Nam veluti resonante diu Tritone canoro*
> *Pellit opes collectus aquæ, victusque movetur*
> *Spiritus & longas emugit buccina voces.*

Quidam tubas. Tertull. lib. de anima cap. 14. *Specta potentissimam Archimedis munificentiam, Hydraulicum organum voco, tot partes, tot compendia sonorum, tot commercia modorum, tot acies tubarum & una moles erant omnia. Spiritus ille, qui de tormento aquæ anhelat, per partes administratur substantia solidus, opera divisus.* Propius accedunt vero, qui calamos seu cicutas substituunt, in quo non multum dissentiunt hydraula a nostris ἁπλῶς ita dictis organis. Author libri ad Dardanum, vulgo Hieronymus: *Per quindecim cicutas aheneas in sonitum nimium, quas in modum tonitruum concitat, ita ut per mille passuum spatia sine dubio sensibiliter utique & amplius audiatur.* Optatianus Porphyrius ad Constantinum:

> *Hæc erit in varios species aptissima cantus,*
> *Perque modos gradibus surget fœcunda sonoris*
> *Ære cavo & tereti calamis crescentibus aucta.*

Quorum ipsorum sonum cum cymbalis comparavit Anonymus Sangallensis de gestis Karoli M. lib. II. Canis. Antiquit. Lect. Tom. I. pag. 402. *Adduxerunt etiam iidem missi omne genus organorum, sed & variarum rerum secum, quæ cuncta ab opificibus sagacissimi Karoli quasi dissimulanter aspecta accuratissime sunt in opus conversa & principue illud Musicorum organum præstantissimum, quod Delus ex ære conflatis follibusque taurinis per fistulas æneas mire perflantibus rugitum quidem tonitrui boatu, garrulitatem vero lyræ vel cymbali dulcedine coæquabat.* Cæterum, quid sint Hydraula, nec ii nesciunt, qui quadrantem nondum solvunt, & præter recentiores illustria loca sunt apud Vitruv. lib. IX. cap. ult. Marcell. lib. XIV. Athen. Deipnos. IV. cap. 9. & 23. Suet. Neron. cap. 41. & 54. Claudian. Mall. Cons. Plin. Hist. Nat. lib. VII. cap. 37. Serv. ad VII. Æn. Eustath. ad XVII. Iliad. &c. &c.

CAPUT XVIII.

Cymbala in bello. Non apud Romanos, sed Indos, Arabes & Pygmæos. Glossæ explicantur. *Grues aratoribus infestæ. Fugatæ a Pygmæis.*

NEc vero ita fœminarum propria fuisse cymbala tibi persuadeas, ut nunquam a viris usitata sint. Nam Arabes horum usum habuere in bello, si fides affirmanti Clementi Alexandro Pædagog. II. 4. Χρῶνται γοῦν παρὰ τοὺς πολέμους αὐτῶν Τυῤῥηνοὶ μὲν τῇ σάλπιγγι· σύριγγι δὲ, Ἀρκάδες. Σικελοὶ δὲ, πηκτίσιν· καὶ Κρῆτες, λύρα· καὶ Λακεδαιμόνιοι, αὐλῷ· καὶ κέρατι Θρᾷκες· καὶ Αἰγύπτιοι, τυμπάνῳ· καὶ Ἄραβες, κυμβάλῳ. *In bellis itaque suis tuba utuntur Hetrusci, fistula Arcades, Siculi autem instrumentis, quæ appellant pectidas, Cretenses lyra, Lacedæmonii tibia, cornu Thraces, tympano Ægyptii & Arabes cymbalo.* Pygmæi quoque, si Diis placet, in suis contra grues decertationibus cymbala fligebant. Eustath. in Iliad. γ'. Ἱστορεῖται δὲ καὶ ὅτι κέρατα παρατίθενται, καὶ ἐν σχήματι κριῶν, ὡς Ἑκαταῖός φησι; κρόταλα ψοφοῦσι, καὶ οὕτως οἱ πυγμαιομάχοι γεράνους ἀμύνονται καταφρονούσας ἄλλως τοῦ μήκους. Videor tamen mihi aliquid veri videre in hac traditione. Assentior viris clarissimis, qui Pygmæos quidem fuisse volunt, sed solum nomen, quod ex Hebræorum derivant fontibus, in causa fuisse ut cubitales putarentur. Horum cum gruibus certamina ita explico. Grues aves aratoribus & frugibus recenter sparsis infestæ sunt. Theocritus Eidyll. 10.

> Ἁ αἴξ τὸν κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει,
> Ἁ γέρανος τὤροτρον ——

> *Capra cytisum, lupus capram sequitur,*
> *Grues aratrum* ——

Ælian.

Ælian. lib. 2. cap. 1. Σπείροντας τοὺς Αἰγυπτίους καταλαμβάνουσι, ϗ τράπεζαν, ὡς ἂν εἴποις, ἄφθονον τὴν ἐν ταῖς ἀρούραις εὑρόντες εἶτα ἄκλητοι ξενίων μεταλλαγχάνουσι. *Ægyptios ſementem facientes offendunt & in arvis, ut ita dicam, menſam cibis affluentem invenientes hoſpitalitatis jure non vocatæ fruuntur*. Antipater Sidonius lib. 3. Antholog.

Ὁ πρὶν ἐγὼ ϗ ψῆρα, ϗ ἁρπάκτειραν ἐρύκων
Σπέρματος ὑψιπετῆ Βιστονίαν γέρανον.

Ego qui prius ſturnum & ſeminum rapacem gruem
Biſtoniam & alte volantem prohibens.

Hinc eſt apud Ariſtophanem in avibus: Σπείρειν μὲν ὅταν γέρανος κρόζουσ' ἐς τὴν Λιβύην μεταχωρῇ. *Seminare cum grus clamans in Libyam migrat*. Vetus autem apud Suidam: Γέρανοι γεωργοῦ κατενέμοντο χώραν ἐσπαρμένην νεωστὶ πυρίνῳ σίτῳ. *Grues agricolæ agrum tritico nuper ſatum depaſcebantur*. Hinc appellabantur βωλοκόποι. Apud Stephanum in voce Δωδοναῖον affertur locus vel Cratini vel Menandri, ubi dicitur de loquaci fœmina, quod ſit *Dodonæo cane loquacior & grue glebas tundente*. Δωδωναίῳ κυνὶ βωλοκόπῳ πίτθῃ γεράνῳ προσεοικώς. Ob has vero moleſtias, quas grues agricolis Ægyptiorum & Æthiopum, in quorum vicinia Pygmæi collocantur cauſſabantur, varia machinabantur, quibus abigerentur grues. Paſſim enim fictis homuncionibus ſeu priapis arva muniebant, in terrorem avium; quod ubi viderent peregrinantes, iidem qui ex equitum conſpectu centauros ſibi finxere, potuere ſibi aliquod Pygmæorum, quos illos ſtramineos mirmillones exiſtimabant, cum gruibus fingere bellum. Deinde cymbalis utebantur non claſſici loco, ſed ad abigendas grues in modum Herculis, qui ſtymphalidas, aliorum, qui apes turbulento cymbalorum ſonitu fugabant. Non vero cymbala in uſu fuere apud Romanas, quanquam Gloſſæ veteres id perſuadere videantur, in quibus invenitur: *Æneatores*, κυμβαλοκρουσταί. Cumprimis, quia æneatores cornicines fuiſſe apud Romanos nemo neſcit. Sed cave fallaris. Æneatores mihi ſunt, qui æneis inſtrumentis qualibuſcunque utuntur. Sufficit authoritatis loco, fruſtra quæſita authoritas & altum ſcriptorum ſilentium. Alexander ab Alexandro, affirmat, *Indos cum cymbalorum & tympanorum pulſu in hoſtes ducere*. Sed neſcio an ſatis vere, & vereor, ne cum aliis non indoctis viris tintinnabula & cymbala confuderit, quaſi idem duo hæc diverſiſſima eſſent. Reor ego intelligere eum conſuetum Indorum tympanum, quod paulo ante ille idem Parthis adſcripſerat, atque ita delineaverat: *Parthis cornua ſæpius ingens tympanum cum ferreis tintinnabulis pugnæ acuebant, animos, quod ſimul ac diverberabant, ignoto & horribili ſono tonitrus inſtar tonabat*. Omnino hic Indorum mos erat, non Parthorum, de qua re Suidas atque alii evidentiſſime. Ita quidem ſenſi, antequam in Arrianum inciderem, cum primum ſchediaſma hujus tractatus publicarem, ſed fateor, feci viro optumo injuriam. Ita enim Arrianus Reb. Indicis: Οἱ Ἰνδοὶ ὑπὸ τυμπάνων τε ϗ κυμβάλων στελλόμενοι ἐς τὰς μάχας. *Indi tympana ac cymbala pulſantes pugnans adeunt*. Quin etiam paulo poſt idem prolixius docetur. Huc pertinent illa Polyæni Strat. lib. 1. cap. 1. §. 1. Κυμβάλοις ϗ τυμπάνοις, οἷς ἐσήμαινεν ἀντὶ σάλπιγγος, ϗ οἴνῳ τοὺς πολεμίους ἰαίνων εἰς ὄρχησιν ἔτρεπεν. i. e. *Cymbalis & tympanis, quibus tubæ loco ſignum dabat, & vino hoſtes inebrians ad ſaltationem impulit*. Quam ego fabulam inde natam putem, quia audiverant incerta fama authores, inſtrumenta talia apud eas gentes in uſu eſſe, eaque ipſa in ſacris Bacchi, qui nunquam eo uſque penetravit, pulſari videbant. Stratagemate fallebat Midas, cum per cymbala victoria potiretur, quod eſt apud eundem Polyænum lib. VII. cap. 5. Μίδας προσποιησάμενος τεμετὴν ποιεῖν τοῖς μεγάλοις θεοῖς, νυκτὸς ἐξήγαγε τοὺς Φρύγας μετ' αὐλῶν ϗ τυμπάνων ϗ κυμβάλων κρυπτὰ ἔχοντας ἐγχειρίδια, οἱ μὲν πολῖται τῶν οἰκιῶν ἐξῆλθον ἐπὶ τὴν θέαν· οἱ δὲ τυμπανίζοντες ϗ κυμβαλίζοντες τοὺς μὲν θεατὰς κατεφόνευσαν, τὰς δὲ οἰκίας αὐτῶν ἀνεωγμένας καταλαβόντες, Μίδαν τύραννον ἀνηγόρευσαν. id eſt, *Midas ſimulans ſe Diis Magnis rem divinam facturum, per noctem Phryges cum tibiis, tympanis & cymbalis eduxit, quibus enſes occulte geſtandos dederat. Cives e domibus egrediebantur ad ſpectaculum. Illi tympana, cymbalaque pulſantes, ſpectatores trucidaverunt & in ædes apertas impetu facto, Midam tyrannum conſtituerunt*.

CA-

CAPUT XIX.

Cymbala pulsata in nubibus, antequam Ægyptus occuparetur: die prælii Pharsalici. Cymbala audita in spelunca Britanniæ: in Lipare insula: in autro Corycio. Causæ naturales hujus rei.

ANtequam Ægyptus in provinciæ formam redigeretur, arma in nubibus apparuere, sonitusque cymbalorum & tympanorum. Dionem audi lib. LI. Ὕσε γὰρ οὐχ ὅπως ὕδατι ἔνθα μηδὲ ἐψέκασέ ποτε ἀλλὰ καὶ αἵματι· ταῦτα ἅμα ἐν τῇ νεφῶν ἐξέπιπτε, ὅπλα καὶ παρεφαίνετο, κτυπήματά τέ τινα ἑτέρωθι καὶ τυμπάνων καὶ κυμβάλων, καὶ βοήματα, καὶ αὐλῶν καὶ σαλπίγγων ἐγίγνετο. Die quoque prælii Phrasalici Pergami tympanorum ac cymbalorum sonitus a fano Bacchi ortus totam urbem peragravit. Idem lib. XLII. Ἐν Περγάμῳ τυμπάνων τέ τινα καὶ κυμβάλων ψόφον ἐκ τοῦ Διονυσίου ἀρθέντα διὰ πάσης τῆς πόλεως χωρῆσαι. Talis nempe armorum & organorum Musicorum sonitus prælia cruenta credebatur portendere. Conf. Tibull. lib. II. Appian. 4. Civil. Bell. Pausan. in Atticis, atque alios. Istud vero naturales suas causas habere Philosophis purgatioris cerebri probatum abunde est. Vel Cartesium adi de Meteoris cap. 7. §. 17.

In Britannia quædam spelunca fuit monti subjecta, in fastigio autem hiatus. Cum vero ventus in speluncam incideret, audiebatur sonitus quasi pulsatorum cymbalorum. Clemens Alexandr. Str. VI. Λέγουσι δὲ καὶ οἱ τὰς ἱστορίας συνταξάμενοι, ἀμφὶ τὴν Βρεττανικὴν νῆσον ἄντρον τι εἶναι ὑποκείμενον ὄρει· ἐπὶ δὲ τῆς κορυφῆς χάσμα· ἐμπίπτοντος οὖν τοῦ ἀνέμου εἰς τὸ ἄντρον, καὶ προσηγνυμένου τοῖς κόλποις τοῦ ὀρύγματος, κυμβάλων εὐρύθμως κρουομένων ἦχον ἐξακούεσθαι. Vide annon par quædam res de templo Bacchi Indici narretur a Philostrat. de vita Apollon. l. II. cap. 4. Ὀργιάζοντος δὲ αὐτοῦ (de Baccho loquitur) καὶ σείοντος τὴν Νῦσαν, ἀκούουσιν αἱ πόλεις αἱ ὑπὸ τῷ ὄρει καὶ συνεξαίρονται. *Quotiescunque aut bacchatur & Nysam concutit, a subjectis urbibus, quæ una saliunt, audiri fertur.* Simile quid adnotarunt rerum naturalium scriptores in antro Corycio, quod Pomponius Mela prolixe hanc specum describens testatur, dum lib. I. cap. 13. ait. *Terret ingredientes sonitu cymbalorum divinitus & magno fragore crepitantium.* Idem accidit in Lipare insula. Aristoteles affirmat in Mirabilibus: Ἐν μιᾷ τῶν ἑπτὰ νήσων τῶν Αἰόλου καλουμένων, ἣ καλεῖται Λιπάρα, τάφον εἶναι μυθολογοῦσι, περὶ οὗ καὶ ἄλλα μὲν πολλὰ καὶ τερατώδη λέγουσι, &c. Ἐξακούεσθαι γὰρ κυμβάλων καὶ τυμπάνων ἦχον γέλωτά τε μετὰ θορύβου καὶ κροτάλων ἐναργῶς. *In una septem Æoli insularum, quam Liparam vocant, sepulchrum tradunt esse, circa quod multa fiunt prodigiosa, &c. Sonitum quippe tympanorum cymbalorumque & risum cum strepitu & crotalis manifesto exaudiri.* Fabula hæc facile exploditur, & simul origo detegitur, nempe inclusus ignis ex imis terræ exæstuans atque erumpens non sine mugitu & murmure. Confer Paulum Silentiarium de aquis Pythiis, ubi de Lipara:

> Πέμπει λίθους θειώδεις
> Πολυψόφους βροντώδεις.

id est,

> *Mittit lapides sulphureos, qui tonitrus instar valde fremunt.*

Nonnus Dionys. ά:

> Καὶ χθόνιαι σύριγγες ἐβόμβεον, ἔτρεμον ἄκραι.
> Ἠϊόνες, σείοντο μυχοὶ καὶ ὀλίσθανον ὄχθαι.

id est,

> *Et terrestres fistulæ sonuerunt, tremuere suprema*
> *Littora, concussæ specus & periere ripæ.*

Virgil. Æn. 8.

> *Insula Sicanium juxta latus Æoliamque*
> *Erigitur Liparem, fumantibus ardua saxis:*
> *Quam subter specus & Cyclopum exesa caminis*
> *Antra Ætnæa tonant, validique incudibus ictus*
> *Auditi referunt gemitum, striduntque cavernis*
> *Stricturæ chalybum & fornacibus ignis anhelat,*
> *Vulcani domus & Vulcania nomine tellus.*

Callias apud Scholiastem Apollonii: Τηλικοῦτος βρόμος γίνεται, καθ' ὃν καιρὸν συμβαίνει ἐργάζεσθαι τὸν Ἥφαιστον, ὥστε ἐπὶ πεντακόσια στάδια ἐξακούεσθαι τὸν ἦχον. *Tantus inde editur fragor, cum Vulcanus operi incumbit, ut sonus audiatur usque ad quingenta stadia.* Ibid. l. IV. Θεόφραστος ἐν ἱστορικοῖς ὑπομνήμασί φησι τὸν βρόμον τοῦ πυρὸς ἀπὸ τῶν τοῦ Αἰόλου νήσων ἀκούεσθαι ἕως χίλια

λια ςάδια. *Theophrastus in historicis commentariis refert fragorem ignis, qui ex Æoli insulis emittitur, ad mille usque stadia audiri*. Ibidem: Ἐν τῇ Λιπάρᾳ καὶ Στρογγύλῃ (τῶν Αἰόλου δὲ νῆσοι αὗται) δοκεῖ ὁ Ἥφαιστος διατρίβειν· διὸ καὶ πυρὸς βρόμον ἀκούεσθαι καὶ ἦχον σφοδρόν. *In Lipara & Strongyle, quæ sunt ex Æoli insulis, degere putatur Vulcanus, ideoque etiam ignis fragor illic audiri & sonitus vehemens*. Hinc nomen illius apud authores Meligunis. v. Strab. lib. v. Stephanum Byzant. Hesychium, Pompon. Sabinum Æn. 1. Eustath. in Dionys. Callimachum hymno in Dianam, &c. Interpretatur hoc nomen Bochartus Punico vocabulo מנגנין, quod designat insulam eorum, qui pulsant instrumenta Musica, citharam, barbitum, nablium, cymbalum, tympanum, &c. Et generaliter de his locis Stobæus ex Aristot. Eclog. Physic. I. Συμβαίνει δὲ καὶ τὰ μυκήματα, ποτὲ μετὰ σεισμῶν, ποτὲ δὲ καὶ χωρὶς τοῦ πνεύματος ἠχοῦντος, ὥς τ' ἐξακούεσθαι ψόφον τινὰ καὶ βόμβον ἐπὶ μήκιςον, ὁπότε διὰ τῶν συρίγγων διαυλοδρομεῖ παρατριβόμενον, μηδ' ἐξιόν· τὰ δὲ χάσματα σεισμῶν ἤδη γεῶν τινὸς σεισμοὺς μὴ πρότερον λῆξαι. πρὶν ἢ διαρραγῆναι τοὺς τόπους ἐν οἷς ἐγένετο, βιαζομένου τοῦ περιληφθέντος πνεύματος περὶ τὴν ἔξοδον, ὥσπερ ἐκ νεφέλου τινὸς ἀνέμου, καθάπερ καὶ περὶ τὴν ποντικὴν Ἡράκλειαν, καὶ τὸν ἔτι πρότερον γενόμενον περὶ τὴν ἱερὰν καλουμένην Αἰόλου νῆσον· ἐν ταύταις γὰρ ὑπὸ σεισμῶν οἰδήματα τῆς γῆς γίγνεσθαι μεγάλα· καὶ ταῦτα διαρραγέντα πολὺν ἄνεμον ἐκπεφυσηκέναι καὶ φέψαλον ὥςε κατατεφρῶσαι πλησίον οὖσαν τὴν τῶν Λιπαρῶν πόλιν.

CAPUT XX.

In Æthiopiæ solitudine vasta cymbala a Satyris pulsata. Cymbala elephantum. Crotalistria in marmore Clivensi. Opus concluditur.

Portum respicio. In Æthiopia solitudo vasta fuisse dicitur & nulli habitata, in qua tamen crebri ignes micarent, cymbala creparent, quæ loca Satyros & Panes incolere putabant. Pomponius Mela de situ orbis III. cap. 9. *Ultra montem viret collis longo tractu, longis littoribus obductus, unde visuntur patentes magis campi, quam ut prospici possint. Panum Satyrorumque hinc opinio causæ fidem cepit.* (J. Gronovius Vir Cl. & hodie in Republica literaria nemini secundus optime interpunxit: *q. u. p. possint, Panum Satyrorumque. Hinc opinio ea fidem cepit*) *quod cum in his nihil culti sit, nullæ habitantium sedes, nulla vestigia, solitudo in diem vasta & silentium vastius, nocte crebri ignes micant, & veluti castra late jacentia ostenduntur, crepant cymbala & tympana, audiunturque tibiæ sonantes majus humanis*. Sic scriptum fuisse invenimus in ea navigatione Annonis ducis Carthaginiensium, quam fecit ultra Columnas Herculis in Libyæ partibus, quam reversus Carthaginem in templo Saturni deposuit, ut scripsit Arrianus; nam præter cætera inaudita admirabilia hæc etiam in illa scribebantur: Ἄχρι ἤλθομεν εἰς μέγαν κόλπον, ὃν ἔφασαν οἱ ἑρμηνέες καλεῖσθαι ἑσπέρου κέρας· ἐν δὲ τούτῳ νῆσος ἦν ἑτέρα· εἰς ἣν ἀποβάντες, ἡμέρας μὲν οὐδὲν ἀφεωρῶμεν, ὅτι μὴ ὕλην· νυκτὸς δὲ πύρα τε πολλὰ καιόμενα καὶ φωνὴν αὐλῶν ἠκούομεν, κυμβάλων τε καὶ τυμπάνων πάταγον καὶ κραυγὴν μυρίαν· φόβος οὖν ἔλαβεν ἡμᾶς. *Donec ad magnum quendam sinum pervenimus, quem interpretes Vesperi cornu vocari dixerunt: in illo vero erat alia insula, in quam descendentes die quidem nihil nisi sylvas videbamus: noctu vero ignes multos ardentes vidimus & audivimus sonitum tibiarum, cymbalorumque & tympanorum strepitum & incredibilem clamorem: unde timor nos occupavit*. Simile quid videtur innuere Lucret. lib. II.

> *Hæc loca capripedes Satyros, nymphasque tenere*
> *Finitimi fingunt & Faunos esse loquuntur,*
> *Quorum noctivago strepitu ludoque jocanti*
> *Affirmant volgo taciturna silentia rumpi,*
> *Chordarumque sonos fieri dulcesque querelas,*
> *Tibia quas fundit digitis pulsata canentum*
> *Et genus agricolum late sentiscere, cum Pan*
> *Pinea semiferi capitis velamina quassans*
> *Unco sæpe labro calamos percurrit hiantes,*
> *Fistula sylvestrem ne cesset fundere Musam.*

Ridiculum & supra fidem est, quod de Elephantis Indorum, qui & cymbalis demulcerentur & cymbala ipsi pulsarint, refert Arrianus in Reb. Indic. p. m. 178. Ἄγοντες δὲ (Ἐλέφαντας) ἐς τὰς κώμας τοὺς ἁλόντας τοῦ τε χλωροῦ καλάμου καὶ τῆς πόας τὰ πρῶτα ἐμφαγεῖν ἔδοσαν· οἱ δὲ ὑπὸ ἀθυμίης οὐκ ἐθέλουσιν οὐδὲν σιτέεσθαι· Τοὺς δὲ περιϊςάμενοι οἱ Ἰνδοὶ, ᾠδῇσι τε καὶ τυμπάνοισι καὶ κυμβάλοισιν ἐν κύκλῳ κρούοντές τε καὶ ἐπᾴδοντες κατευνάζουσι. *Quos vero elephantos ceperunt, in pagos ducunt, ac primum eos gra-*


gramine & viridibus culmis pascunt, & si præ dolore ac mœrore pabulo abstineant, Indi circumstantes tympanorum ac cymbalorum pulsu cantuque eos exhilarant & demulcent. Paulo autem post: Εἶδον δὲ ἔγωγε καὶ κυμβαλίζοντα ἤδη ἐλέφαντα, καὶ ἄλλους ὀρχεομένους, κυμβάλοιν τῷ δυμβαλίζοντι πρὸς τοῖν σκελοῖν τοῖσιν ἔμπροσθεν προσηρτημένοιν, καὶ πρὸς τῇ προβοσκίδι καλεομένῃ ἄλλο κύμβαλον· ὁ δὲ ἐν μέρει τῇ προβοσκίδι ἔκρουε τὸ κύμβαλον ἐν ῥυθμῷ πρὸς ἑκατέροιν τοῖν σκελοῖν· οἱ δὲ ὀρχεόμενοι ἐν κύκλῳ τε ἐχόρευον καὶ ἐπαίροντές τε καὶ ἐπικάμπτοντες τὰ ἔμπροσθεν σκέλεα ἐν τῷ μέρει, ἐν ῥυθμῷ καὶ οὗτοι ἔβαινον, καθότι ὁ κυμβαλίζων σφίσιν ἐφηγέετο. *Vidi ego aliquando elephantem cymbalum pulsantem, aliis saltantibus, duobus cymbalis ad anteriora crura appensis, alioque ad proboscidem alligato. Ipse alternatim proboscide cymbalum ad utrumque crus pulsabat: reliqui in gyrum choreas ducebant & sublatis flexisque prioribus cruribus in numerum etiam procedebant, prout is, qui cymbalum pulsabat, sono præibat*. Prius etiam innuit Strabo, quanquam cymbalorum nullam faciat mentionem, Geograph. lib. xv. Μετὰ δὲ ταῦτα πειθαρχεῖν διδάσκουσι, τοὺς μὲν διὰ λόγου, τοὺς δὲ μελισμῷ τινι καὶ τυμπανισμῷ καλοῦντες. *Dehinc obtemperare* (Elephantos) *docent; alii oratione aliqua, alii cantu quodam seu tympanorum sonitu deliniuntur*. Cuperus Vir longe celeberrimus Monum. Ant. pag. 229. *Infra inscriptionem, inquit Clivensem, cernitur crotalistria, quæ forte additur, ut exprimerent choreas & oblectamenta, quibus eos, qui ad campos Elysios deducebantur, frui persuasum habebant*. Potest etiam esse signum sepultæ ibi crotalistriæ. Quanquam non nego, traditiones veterum miras fuisse de Elysiorum deliciis. Nos Christiani certiore spe fovemus, & faxit Deus, non spe tantum. Veniat dies, qua quicquid de futuræ vitæ gaudiis præsentire potuimus, plenius longe possideamus. In quo voto desino.





DE INSTRUMENTIS HYDRAULI
EXCERPTA EX TRACTATU
ISAACI VOSSII
De Poematu Cantu & Viribus Rythmi.

NEc tamen audiendi sunt, qui existimant lyras & citharas, quæ quatuor aut quinque solum instructæ essent fidibus, adeo simpliciter fuisse fabricatas, ut quot nervos, totidem & non plures admitterent sonos. Error hic non aliunde profluxit, quam quod statuariis singula lyræ membra non semper expresserint, cum in multis marmoribus non compareant chordotona, echea & tabellæ istæ ligneæ seu magades, quarum beneficio sonorum ab una ad alteram chordam tanquam per gradus fieret transitus; partes quippe eæ erant exemtiles. In quibusdam tamen antiquis monumentis satis manifeste, licet dispari ratione, adumbrantur. In horto Londinensi Serenissimi Britanniarum Regis duo visuntur marmorei Apollines, uterque ut fieri solet, cum lyra aut cithara. Unius lyra, quam prima exhibet figura, nihil continet singulare, vides quippe illic solum magadem A qui gradus continet, & Βατῆρα seu chordotonum B, a quo nervi procedunt.




In alterius vero lyra, quam secunda figura exhibet, manifeste etiam gradns apparent, & quidem ampliori intervallo, sed quod notandum loco Βατῆρος hic habet geminum ἠχεῖον, CC utrumque cavum & subjectum gradibus, D, uti etiam moris erat in theatrorum echeis. Erant vero echea isthæc ærea, & augendi soni gratia affigebantur magadi. Mentionem horum facit Hesychius, cum Ἠχεῖον interpretatur μυστικόν τό πρός τῇ μαγάδι χάλκωμα. Facile hinc colligas quinam olim dicti sint intus canere. Sed & hoc observandum, in nullis antiquorum lyris, vel citharis, vel quibuscunque

que aliis organis quæ fidibus intendantur, sonorum gradus ita ut nunc fit obicibus distinctos fuisse, magno certe hodiernæ musicæ damno, ut postmodum dicetur.

Quod vero lyrarum moles in antiquis marmoribus valde exilis quibusdam videatur, brevioresque continere nervos quam ut manu commode tractari potuerint, id ipsis artificibus & statuariis imputandum, quos ad perennitatem artis suæ solitos fuisse enses, hastas, & quæcunque alia longe exstantia, minori quidem attamen solidiori forma exprimere, nemo est qui ignoret. Observandum tamen breviores nervos nihil officere præstantiæ musicæ, quin potius plurimum conferre, si plectro aut digitis percurrantur argutis.

Sed nimis profecto simus longi, si insectantium veterem & hodiernam laudantium musicam singula expendamus argumenta. Unum tamen hoc adfirmare non vereor, vel solas antiquorum tibias universæ hujus seculi instrumentariæ supellectili præferendas esse quam longissime. Si solas exceperis organicas fistulas quæ in templis vulgo usurpantur, vix ullas invenias alias quæ tibiarum dignæ sint vocabulo. Et tamen illa ipsa quæ adeo hodie placent organa, nequaquam cum antiquis comparari possunt hydraulicis. Hodierni quippe organarii, si more antiquo loqui velimus, vere non sunt organarii, sed ascaulæ seu utricularii, quomodo ab antiquis dicebantur illi, qui utribus, follibus aut manticis ventum tibiis adspirabant, quemadmodum hodie fit in templis. Ridiculi enim sunt qui hæc vocabula de iis accipiunt mendicis, quales vulgo cum cornamusa, ut loquuntur, per plateas discurrunt, & non distinctos, sed continuos & inamænos prorsus cubito excutiunt sonos. Ascaulæ seu utricularii veterum, nihil omnino discrepant ab hodiernis organariis. Sed vero antiquis organarii dicebantur soli hydraulæ, sic dicti ab organo vase æreo aræ instar rotundæ fabrefacto, e quo ventus beneficio aquæ incumbentis expressus magno impetu & tamen æqualiter ad tibias adfluebat. Cum vero horum artificium ab antiquis præcipue commendetur, non defuere complures eruditi & ingeniosi viri, qui usum hujus instrumenti revocare & sæculo reddere fuerint conati; sed quod nemo eorum assecutus sit mentem Heronis & multo minus Vitruvii, qui utrique eorum fabricam nobis reliquere, mirum videri non debet, si votum hoc non omnino ex animo ipsis successerit. Præcipue in eo lapsi sunt, quod existimarint spiritum transeuntem per aquas easdem agitare, & exinde crispum & tremulum factum tibias subingredi, & suaviores auribus affundere sonos. Aliam instituere rationem qui hydraulicum organum construxere in viridario Estensi Tiburtino, quod describit Bapt. Porta in Spiritalibus. Danielis Barbari dydraulicum merito ab omnibus exploditur. Qui hac nostra ætate Vitruviani organi constructionem scriptis suis musicis inseruere, illi dum veterum inventa insectantur, documento esse possint, quam sit solemne hominibus damnare & contemnere quidquid ipsi non intelligunt. Sed operæpretium fuerit organi hujus constructionem appingere, quæ & Heronis & Vitruvii verbis ex quo propemodum conveniat.



Fiat

Fiat baſis lignea ABCDEF & in ea conſtituatur ara rotunda GHIK ex ære fabricata & torno fideliter expolita. Fiat quoque clibanus ſeu hemiſphærium æreum LMNO quam exactiſſime huic adaptatum. Sit vero in medio perforatus hic clibanus, & inſertum habeat tubum & ipſum æreum & utrinque apertum MP. Habeat quoque clibanus alterum foramen, cui inſertus ſit ſiphon NIQ cujus nares pertingunt ad modiolum æreum QRST. Siphon hic habeat aſſarium ſeu platyſmation ad N. Modiolo vero QRST aptetur embolus V cui affixa ſit regula firmiter admodum compacta VX, ita ut a recte XYZ, embolus V commode moveri poſſit. Modiolus autem QRST habeat in ſuperiori ſuperficie aliud foramen 3, 4, cum platyſmatio per quod aer ingredi poſſit. Iſte vero ingredietur cum vectis XYZ in Z attollitur. Quando vero idem deprimitur, platyſmation hoc clauditur, & ingreſſus aer per ſiphonem QIN, aperto platyſmatio ad N, exprimitur in clibanum LMNO, unde per tubum MP influit in arcam Aa Cc Ee, cujus aflatu tibiæ animantur. Clibano vero LMNO, quamvis magni ſit ponderis, veluti æneo, quo tamen fortius ſubjectum premat aerem & fidelius ne effluat cuſtodiat, ſuperinfunditur aqua, puta ad ff, vel altius ſi fortiores velimus efficere ſonos. Fiet itaque ex continua vectis agitatione, ut attollatur tandem clibanus LMNO, immoto interim perſtante tubo MP, & ſiphone NIQ, & notandum ſimulac vehementia ingreſſi ſpiritus attollitur clibanus, tum quoque æqualem fieri compreſſionem aeris qui in arca continetur. Licet enim effluente per tibias aere clibanus deſcendat, idemque rurſus agitatione vectis attollatur, quamdiu tamen clibanus ſuſpenſus & a fundo ſeparatus manet, tandiu propter æqualitatem prementis ponderis, æqualis etiam manet incluſi aeris conſtipatio, ipſaque clibani & ſuperinfuſæ aquæ incoſtans & mobilis altitudo efficit æqualitatem flatus, quo tibiæ aſpirantur. Verum nequis exiſtimet hanc deſcriptionem parum convenire cum ſenſu Vitruvii, verba ejus ad fidem veterum exemplarium expreſſa exhibebimus, additis duntaxat ad faciliorem intellectum iis, quæ ad declarandum ſchema pertinent literis, lingua videlicet mathematicorum.

Sic itaque ille; *De materia*, id eſt ligno, *compacta baſi* ABCDEF, *ara* GHIK *in ea ex ære fabricata collocatur. Supra baſim eriguntur regulæ dextra ac ſiniſtra ſcalari forma compactæ, quibus includuntur ærei modioli* QRST, *fundis ambulatilibus*, id eſt embolis V, *ex torno ſubtiliter ſubactis, habentibus fixos in medio ferreos ancones* VX *&* *verticulis* Y *cum vectibus* XYZ *conjunctos, pellibuſque lanatis involutos*, ut nempe ſine ſtrepitu moveantur. *Item in ſumma planitia* QR *foramina circiter digitorum ternum* 3, 4, *quibus foraminibus proxime in verticulis* 4, 7, *collocati ærei delphini, pendentia habentes catenis cymbalia ex ære* 8 *in foramina modiolorum chalata. Intra aram* GHIK, *quo loco aqua ſuſtinetur, ineſt pnigeus, uti infundibulum inverſum* LMNO, *quem ſubter taxilli alti circiter digitorum ternum ſuppoſiti librant ſpatium imum, ima inter labra pnigeos & aræ fundum. Supra autem cerviculum ejus* MP, *coagmentata arcula* Aa Cc Ee *ſuſtinet caput machinæ quæ Græce* κανὼν μυσικὸς *dicitur*. Interjectis dein iis quæ pertinent ad ſtructuram annulorum, epitoniorum, plinthidum ſeu gloſſocomorum, itu redituque ſuo aperientium vel obturantium organi ſpiracula, aliiſque ſatis ſua ſponte manifeſtis, hæc poſtmodum ſubjungit. *E modiolis autem* QRST, *fiſtulæ*, RGN *&* QIN *ſunt continenter conjunctæ pnigeos cervici pertingenteſque ad nares, quæ ſunt in arula in quibus aſſes ſunt* (platyſmatia nempe ad N) *ex torno ſubacti & ibi collocati, qui, cum recipit arula animam, obturantes foramina* ad N, *ſpiritum non patientur rurſus redire. Ita cum vectes* XZ *extolluntur, ancones* VX *deducunt fundos modiolorum*, id eſt embolos V, *ad imum. Delphinique qui ſunt in verticulis* 4, 7, *incluſi, chalantes in os* 3, 4, *cymbalia* 8, *reimplent ſpatia modiolorum. Atque ancones* VX *extollentes fundos*, ſive embolos V, *intra modiolos* QRST *vehementi pulſus crebritate; & obturantes foramina* 3, 4. *cymbaliis* 8, *ſuperiora, aera qui eſt ibi clauſus preſſionibus coactum in fiſtulas* QIN *&* RGN *cogit, per quas in pnigea* LMNO *concurrit, & per ejus cervices* MP, *in arcam* Aa Cc Ee.

Satis ex his videre eſt quam exacte Heron & Vitruvius conveniant, utpote qui in nullo diſcrepent, niſi quod Vitruvius clibano taxillos, & ſummæ modioli ſuperficiei delphinum ponderis formam addiderit, quorum tamen poſtremum tuto abeſſe poſſit, cum ad ornatum potius quam neceſſitatem faciat. Taxilli vero licet nonnihil utilitatis habeant in eo, ut recta & æquabiliter moveatur clibanus, attamen nihil operi deerit, etiamſi & illi abſint, dummodo recte ſe habeat clibanus ſeu hæmiſphærium.

Regulas quas dicit dextra ac ſiniſtri ſcalari forma compactas fuiſſe, quibus in-

includantur ærei modioli, hic non expressimus, ne una figura aliam obscuraret, sed satis quilibet possit concipere intelligi tigna seu ferramenta a B, D, & F, oblique & gradatim versus P surgentia, ut nempe iis contineantur & ipsa ara, & præcipue duo ærei modioli qui quod multum patiantur, quando vectes deprimuntur, ideo firmissimis & proculdubio ferreis erant constringendi vinculis.

Præcipuus vero hujus organi labor in eo consistit, ut aræ & modiolo æreo secundum interiorem superficiem ita exacte respondeant clibanus, fistulæ & embolus, ne vel minimum aeris possit effluere. Hoc quidem difficile, sed tamen crebro olim factitatum fuisse, & præsertim ab Ægyptiis artificibus, satis docent cum alia veterum instrumenta, tum præcipue siphones illi quibus incendia restinguebantur; nec non & ἀεροτόνος balista, quæ solo aeris impulsu aliquot centenum pondo lapides quam longissime emittebat, cujus accuratam descriptionem, cum multis aliis antiquorum machinis bellicis huic sæculo ignotis alibi, si Deus vitam & valetudinem dederit, exhibebimus.

Porro siquis istiusmodi hydraulicum construi sibi curaverit, vix dubitandum quin longe id præstantius sit futurum, quam quæ utrium aut follium beneficio vulgo animantur organa, quæ non inæqualem tantum, sed & imbecillem edunt flatum, cum illa quæ beneficio aquæ inspirantur, non æquabilem tantum, sed & adeo robustum & sonorum efficere possint sonum, ut longius quam vel tuba vel buccina, & ad aliquot etiam passuum exaudiri possint millia, præsertim si ad sensum Vitruvii plures fiant modioli.

Risu vero dignum est id quod nonnulli prodidere, veterum organa sex vel octo tantum instructa fuisse tibiis. Mentitus scilicet est Tertullianus lib. de Anima; *Specta portentosam Archimedis* (Ctesibi rectius dixisset) *munificentiam: organum Hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia sonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, & una moles erunt omnia. Spiritus ille qui de tormento aquæ anhelat, per partes administratur, substantia solidus, opera divisus.* Sed & Claudianus;

Vel qui magna levi detrudens murmura tactu,
Innumeras voces segetis modulatur abenæ;
Intonat erranti digito, penitusque trabali
Vecte laborantes in carmine concitat undas.

Quamdiu Romanum stetit imperium tamdiu hydraulicorum constitit ratio. Qui in Italia successere barbari, quamvis & ipsi similia construere fuerint conati, frustra tamen laboravere; ut mirum non sit anomymum aliquem infirmi istius sæculi scriptorem ausum fuisse adfirmare, organa illa quæ follibus impelluntur, parum tantum quid concedere hydraulicorum præstantiæ. Cessasse eorum usum tempore Cassiodori, satis adparet ex iis quæ scribit ad Psalmum centesimum & quinquagesimum, ubi nulla facta mentione hydraulicorum, laudat ea qualia passim vulgo construuntur. *Organum itaque est quasi turris diversis fistulis fabricata, quibus flatu follium vox copiosissima destinatur, & ut eam modulatio decora componat, linguis quibusdam ligneis ab interiore parte construitur, quas disciplinabiliter magistrorum digiti reprimentes grandisonam efficiunt & suavissimam cantilenam.* Qui hos folles cum organis antiquorum, & locum hunc Cassiodori cum verbis Tertulliani contulerit, utique dubitare non poterit, quin quanto melior Cassiodoro scriptor fuerit Tertullianus, tanto etiam præstantiora coriaceis quibusvis organis fuisse veterum hydraulica. Apud Græcos horum rationem diutius conservatam fuisse cum aliunde tum ex eo quoque colligi potest, quod in Annalibus Francicis cujusdam Anonymi anno DCCCXXVI. dicatur Georgius, seu potius Gregorius quidam Venetus Ludovico Pio Aquisgrani organum construxisse hydraulicum, idque ad morem Græcorum, ut Aimoinus & alii ejusdem sæculi scriptores indicant, quamvis illi conatus hujus Gregorii laudasse contenti, nihil omnino de operis successu addiderint. Ut ut sit, non possum satis mirari, quod & Keplerus, & plerique fere alii, qui hac nostra ætate musicam tradidere, non dubitant affirmare, organarios antiquos nihilo meliores fuisse hodiernis utriculariis, iis nempe mendicabulis, qui cum cornamusa, ut vulgo loquuntur, stipis colligendæ gratia in triviis passim vagantur. Profecto nostri sæculi organarii, ut paulo ante monuimus, veri sunt utricularii seu ascaulæ.

Quod vero tibiarum quæ ore inflantur attinet cantum, vere de eo dici posse existimo nihilo plus antiquis pastoribus sapere hodiernos tibicines, & forsan ne tantumdem quidem. Ad mendicos relegata est ars præstantissima, tibiaquæ, quæ olim omnibus fidibus, omnibusque aliis instrumentis musicis longe præferebatur, adeo obmutuit, ut si solos exceperis Sinenses, qui hac in parte excellunt,

lunt, neminem hoc sæculo invenias, qui vel modice audientes possit afficere, meritoque contemtui sit Europæis gentibus vel ipsum tibiæ vocabulum. Suaviorem lyra habitam olim fuisse tibiam non Aristoteles tantum in problematis, sed & ipsum Marsyæ satis evincit supplicium. Quantum vero studii & diligentiæ in excolendo hoc instrumento posuerint veteres, satis ex iis patet quæ & Theophrastus & Plinius de Orchomenii lacus arundinibus prodidere. Non sufficiebat, ut certis tantum annorum periodis cum exundaret lacus cæderentur, nisi etiam sole, pluvia, ac gelu maceratæ, ac diuturna deinceps exercitatione emollitæ vitium omne deponereut, ac votum artificum satisfacerent. Hæc si quis legat & perpendat, minus mirabitur tibias septem aliquando talentis venisse, ut testatur Lucianus.

Jam vero quod tibiarum spectat varietatem & multitudinem, tanta ea fuit, ut quamvis plerique illi scriptores qui de tibiis sigillatim complura composuere volumina temporum perierint injuria, vel ex solis iis quæ supersunt veterum fragmentis, ingens aliquis compilari possit liber. Verum cum non desint, qui ex parte id jam præstiterint, nec defuturi sint qui diligentius & copiosius etiamnum hanc suscipiant provinciam, ea solum sectabimur, quæ ad institutum magis faciant, & unde colligi possit quanto peritiores & meliores in construendis & inflandis tibiis veteres fuere magistri, quam hujus existiment sæculi patroni, qui se suaque tantum mirantur tempora. Tota ars hoc sæculo in simplici fistula & in solis consistit monaulis; qui duas simul inflare norit tibias & concentum reddere multiformem, hactenus inveni neminem. Frequentissimum tamen hoc olim fuisse non scriptores tantum, sed & nummi & marmora testantur. Passim in iis comparent Phrygica mancipia, Midæ videlicet Marsyæque, duabus simul tibiis concinentes, nota musicorum id est auribus insignes asininis, os præterea cervicesque religati capistro, quo nempe labiorum scissura & malarum distorsio caveatur, quæ ratio si in usu esset hodiernis tubicinibus, & pertinacior ipsis flatus adesset, & minus frequenter buccarum dolore affligerentur. Qui phrygiis utebantur tibiis, tenuibus quidem, sed tamen longis admodum, istiusmodi plerunque capistris olim præcingebantur, fortiorem quippe eæ requirebant spiritum quam ut a quovis impleri possent; unde ridebantur qui eas absque capistro inflarent, ut satis declarat Sophoclis locus apud Longinum, φυσιῶν μακροῖς μὲν αὐλίσκοισι φορβειᾶς ἄτερ.

Inde facile possit intelligi dictum illud Othonis τί γὰρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς. ἀναδέγματι, ut notant Grammatici veteres, unde explicandum epigramma de Archia Hyblæo præcone apud Pollucem, qui in dedicatione statuæ suæ Apollini, gratias agit quod absque noxa incolumis evaserit sine capistro tubam fortissime inflans.

> Τ'αλαίῳ κύρυκι τῷ δ' Α'ρχίᾳ Εὐκλέος υἱῷ
> Δέξαι ἄγαλμ' εὔγρων Φοῖβ' ἐπ' ἀπημοσύνῃ.
> Ο'ς τρὶς ἐκάρυξεν τὼν Ο'λυμπίας αὐτὸς ἀγῶνα,
> Ο'υθ' ὑποσαλτίττων, οὔτ' ἀναθέγματ' ἔχων.

Quod autem nonnulli putant istiusmodi geminas tibias ab uno eodemque homine inflatas nullum præclarum concentum edere potuisse, propterea quod singulæ tibiæ tria vel quatuor tantummmodo habuerint foramina, in eo quoque plurimum falluntur, foraminum enim paucitas nihil officit quo minus totidem in iis formentur soni, ac fiat in ea tibia quæ utraque tractatur manu. Hoc primum constat, pro diversa inspirationis mensura unumquodque foramen tres posse reddere sonos. Quod enim voci humanæ & præsertim infantibus & iratis contingit, ut quando spiritus velocius currit, illico vox nullis factis gradibus ad diapason ascendat, id ipsum quoque evenit tibiis, quæ cum molliter inspirantur gravem edunt sonum, si fortius, id est celerius, diapason acutius sonant, si celerrime fluat spiritus, etiam ad disdiapason ascendit sonus. Ipsum hoc observare est in sibilo arborum, in altis & vento expositis caminis, in districtis per aerem virgultis, in flagellorum complosione, & cæteris corporibus, quæ alia parte adstricta, alia libera, quamlibet ab impulsu aeris possunt concipere tensionem. Nam si contingat ut utrinque adstricta sint istiusmodi corpora, veluti chordæ in instrumentis, jam unicum tantum admittunt tonum. Verum cum musicis rationibus non semper conveniat hoc pacto sonos variare, aliam sunt commenti methodum, & concinnam & compendiosam magis: beneficio quippe παρατρυπημάτων, quibus βόμβυκας seu minuta cornua intererent, id assecuti sunt, ut singula foramina quatuor aut quinque efficerent tonos, βόμβυκας nempe seorsum vel deorsum deprimendo, ita ut singula foramina multiplicitate sonorum singulis æqui-

æquivalerent fidibus. Nihil hic fingo: licet plures possim adducere testes, sufficiat solus Proclus in commentariis ad Platonis Alcibiadem. Sic itaque ille, *ἕκαστον τρύπημα τῶν αὐλῶν τρεῖς φθόγγους ὥς φασι τὸ πλεῖστον ἀφίησι· εἰ δὲ καὶ τὰ παρατρυπήμασι ἀνοιχθείη, πλείους*. Hypolmiorum vero & Bombicum, præter Pollucem & alios Grammaticos, mentionem etiam faciunt Ptolemæus & Porphyrius in musicis, & Aristoteles *περὶ ἀκουστῶν*. Præ cæteris insignis est locus apud Arcadium Grammaticum, quem integrum adscribam. *Ἑκάστῳ πνεύματι οὐκ ἀτέχνως οὐδ' ἀμούσως τὰ σημεῖα ἐπέθετο, καθάπερ οἱ τοῖς αὐλοῖς τὰ τρήματα εὑράμενοι ἐπιφράττειν αὐτὰ καὶ ὑπανοίγειν ὁπότε βούλοιντο κέρασί τισιν ἢ βόμβυξιν ἢ ὑφολμίοις ἐπετεχνήσαντο, ἄνω τε καὶ κάτω, καὶ ἔνδον τε καὶ ἔξω στρέφοντες ταῦτα· οὑτωσὶ κἀκεῖνος ὥσπερ κέρατα τὰ σημεῖα ἐποιήσατο τῷ πνεύματι ἕν τι σχῆμα ἑκατέρῳ σημηνάμενος. Τοῦτο δὲ τὸ ἓν ὥσπερ αὐλῷ ἐοικὸς, ὅπερ ἔνδον καὶ ἔξω στρέφων ἐπιφράττειν τε καὶ ὑπανοίγειν τὸ πνεῦμα ἐδίδαξεν· ἐπιφράττειν μὲν γὰρ αὐτὸ καὶ ἐπέχειν ὁπότε ψιλοῦν ἐπιτάττοι· ἀφίησι δὲ καὶ ὑπανοίγει ἡνίκα ἐπιπνέοντες ἡμεῖς δασέως λέγειν ἀναγκαζόμεθα.*

Sed ut potiora tansam, ubinam hodie artificem invenias, qui quot affectum genera, totidem quoque discrepantes tibiarum possit construere formas & figuras, quod tamen veteres præstitisse, notius est quam ut explicari mereatur. Quin potius aurim adfirmare, neminem hoc tempore reperiri, qui intelligit rationem, qua tibiæ istiusmodi motus inducentes parari debeant. Non in materia solum, unde confici debeant fistulæ, sed & in proportione ad quam exigendæ sint earum formæ peccant gravissime. Vulgo putant si duæ fuerint tibiæ ejusdem longitudinis, sed disparis crassitiei, illam quæ crassior sit graviorem edere sonum, ac illa quæ minus fuerit crassa. Atqui longe aliter id sese habere docebit experientia, cum quanto crassiores sint tibiæ, tanto etiam acutiorem, quanto vero tenuiores, tanto graviorem edant sonum, manente nempe eadem longitudine. Quamvis ubi natura loquitur, opus non sit autoritate, siquis tamen testes postulet adduci possit Aristoteles, Plutarchus, aliique; sed perspicuitatis gratia sufficiat Æliani locus qui extat apud Porphyrium in hypomnematis ad Harmonica Ptolemæi; *Ἐὰν λάβῃ τις δύο αὐλοὺς, τοῖς μὲν μήκεσιν ἴσους ταῖς δὲ εὐρύτησιν τῶν κοιλιῶν διαφέροντας, καθάπερ ἔχουσι οἱ Φρύγιοι πρὸς τοὺς Ἑλληνικοὺς, εὑρήσει παραπλησίως τὸ εὐρυκοίλιον ὀξύτερον προϊέμενον φθόγγον τοῦ στενοκοιλίου. Θεωροῦμεν γέ τοι τοὺς Φρυγίους στενοὺς ταῖς κοιλίαις ὄντας, καὶ πολλῷ βαρυτέρους ἤχους προβάλλοντας τῶν Ἑλληνικῶν.* Causam vero quam ibidem reddit Ælianus quare hoc contingat, nempe quod vox in tenuiore foramine difficiliorem habeat transitum, ac propterea tardius moveatur, illam minime probo. Pori & foramina perpetua fere semper fuere & effugia & simul scopuli, eorum qui vel olim vel nostra hac ætate de natura & viribus soni aliquid scripsere. Ut itaque cavillatio omnis tollatur, fiat experimentum in solido, & loco fistulæ accipiatur corpus aliquod sonorum non perforatum, velut duæ virgæ ferreæ aut alius metalli, ejusdem quidem longitudinis, sed non ejusdem crassitiei; id si fiat, & virgæ illæ suspensæ percutiantur, dico illam quæ tenuior, est gravius, alteram vero tanto acutius sonare, quanto fuerit crassior. Quin & satis manifesta est causa. Nempe quanto tenuior est virga, tanto flexilior. Quæ vero facilius flectuntur, illa tardius tremunt. Quanto autem tardior tremor, tanto quoque gravior sonus.

Hinc facile solvitur quæstio, quæ multos hactenus exercuit eruditos, de tibiis dextris & sinistris, utræ scilicet gravius sonarint. Ex iis quæ diximus patet, tibias tenuiores gravius sonare quam crassiores. Tibias vero dextras tenuiores fuisse ex Plinio colligitur, qui libro XVI. cap. 36. testatur eam partem arundinis, quæ terræ & radici vicinior est *lævæ tibiæ convenire*, *quæ cacumen dextræ*. Sic quoque Theophrastus lib. IV. Hist. plant. *τὴν μὲν πρὸς τῇ ῥίζῃ ἀριστερὰν εἶναι, τὴν δὲ πρὸς τοὺς βλαστοὺς, δεξιάν.* Posito itaque eo ut æqualiter prolixæ essent dextræ & sinistræ tibiæ, clavum est dextras gravius sonasse, quam lævas.

Jam vero quandoquidem & nervorum & tibiarum eadem esse debeat ratio, merito aliquis objiciat chordas crassiores gravius sonare quam tenues. Licet nemo sit qui de eo dubitet, omnino tamen & hic evellendus est error, idque eo magis quod videam præclarum illud Florentiæ lumen in dialogis de motu, dum tritam calcat viam, in eodem hæsisse errore. Ubi enim recenset tres modos, quibus chordarum sonus acutior reddatur, hunc postremo addit, fieri id siquando chordarum crassities minuatur, ita ut siquis, eadem manente tensione, efficere velit, ut aliqua chorda diapason acutius sonet, necesse esse, ut eatenus fiat subsilior, donec quarta solum crassitiei pars remaneat. Cartesius in epistolis ad Mersennum, ubi multa reprehendit in hoc Galilæi scripto, licet nihil bene, hæc tamen probat, notat enim nihil hic tradere

dere Galilæum, quod non ſibi & Merſenno ſit notiſſimum. Sed profecto vir ille quam parum perſpicax fuerat in muſicis, judicio eſſe poſſit ejus de hoc argumento libellus, in quo præter vulgaria, nihil omnino bonæ frugis invenias. Ut autem facili negotio cognoſcas, quam id aliter ſeſe habeat, ſumantur duæ chordæ pares longitudine, ſed diſpares craſſitie, & eo uſque intendantur, donec fiant uniſonæ. Iterum dein intendantur, ſeu appenſo pondere, ſeu beneficio verticillorum, ſed ea lege, ut ad æquale ſpatium & æqualem longitudinem utraque excurrat chorda, & ut extenſio fiat ſimilis, cum notum ſit craſſiores chordas propter vigorem difficilius intendi: quo facto, ſi utramque carpſeris chordam, ſenties craſſiorem longe acutiorem edere ſonum. Satis hinc manifeſtum, quod tibiis, idem quoque nervis evenire, & ſi par fuerit longitudo, craſſiores nervos ſemper minus craſſis acutius ſonare, ſi nempe æqualis fuerit tenſio.

Hinc adparet verum non eſſe præceptum iſtud univerſale eo quo ipſi volunt ſenſu, nervos quo magis intenduntur eo acutiorem edere ſonum, eadem quippe manente tenſione, acutius etiam poſſunt ſonare, ſi nempe ſpiſſiores fiant. Quod enim de bacillis ſeu virgis ferreis paulo ante dixi, ut quanto craſſiores & rigidiores fiant, tanto difficilius tremant, proindeque acutius ſonent; ipſum quoque hoc de nervis intelligendum: adeoque ſi velimus ut nervus craſſior eundem quem tenuior efficiat ſonum, eatenus remittendus & relaxandus eſt, donec æque flexilis fiat ac tenuior nervus, paribuſque ac ille temporibus tremores ſuos abſolvat.

Pulcherrimæ ſane & utiliſſimæ ſunt quæ hinc derivantur conſequentiæ, ſed cum nonnullæ prolixiore egeant demonſtratione, ne delicatis faſtidio ſimus, Hoc ſolum moneo, cujuſcunque magnitudinis fuerint corpora ſonora, poſſe ea quemlibet efficere ſonum, & ut duo vel chordæ, vel tibiæ, aut etiam virgæ ferreæ, aut æreæ fiant uniſonæ, ſufficere ut homologia ſeu partium ſubſiſtat ratio. Nihil intereſt utrum unum corpus aliud millies ſua mole excedat, dummodo quæ longitudinis ad longitudinem eadem quoque craſſitiei ad craſſitiem fuerit ratio. Commode hujus rei indicium ſumi poteſt e maſſis ferreis, quæ ſive magnæ ſive minutæ fuerint, unum eundemque percuſſæ exhibent tonum ſi homologa habuerint latera. Non videtur hujus rei veritas latuiſſe Ptolemæum, cujus verba ex primo harmonicorum non pigebit adſcribere. Sic itaque ille; *ὁ μέιζων ἐι τύχοι ϗ παχύτερος χαλκὸς τȣ̃ ἐλάττονος ϗ λεπτοτέρȣ, ποιεῖ ψόφον ὀξύτερον*. *Si fuerit majus & craſſius æs, utique minori & tenuiori ſonum edit acutiorem.* Sed quod ſequitur *ὅταν ὁ μετὰ τὸ μέγεθος λόγος, μέιζων ἤ τȣ̃ κατὰ τὸ πάχος*, non videtur ſatis huic loco convenire, ut recte monet Porphyrius, &, niſi fallor, vel erravit Ptolemæus, vel pro *μέιζων* reponendum *μέων*. Si enim duæ æris fuerint maſſæ, alia longa & craſſa altera brevis & gracilis, ſic tamen ut utriuſque craſſities ſint proportionales, tonum omnino eundem exhibebunt. Sed ſi contingat ut minor ſit longitudinis quam craſſitiei diſcrepantia, jam majus ferrum acutius ſonabit.

Hinc ſatis adparet ad efficiendum ſonum vel gravem vel acutum nihil quidquam conferre corporum molem, ſed totum hoc pendere ex facilitate aut difficultate quam habeant corpora ad concipiendum tremorem. Si ſphæræ ſolidæ ex ære tremorem poſſent concipere, æqualis eſſet tonus omnium ſphærarum cujuſcumque demum magnitudinis illæ forent. Sed vero ſphæræ invicem collitæ, edunt quidem ſonum, ſonus attamen ille neque acutus eſt neque gravis. Grave enim & acutum non dicitur ubi nullus eſt tremor. Cum enim quælibet corpora quanto longiora ſunt, tanto quoque ſi percutiantur diutius tremant, quanto vero breviora, tanto citius tremores ſuos abſolvant, manifeſtum eſt tremores illos inſenſibiles fieri, vel potius deſinere, ſi corpora ad ejuſmodi figuram redigantur, ut longitudinem & latitudinem vel nuſquam vel ubique habeant, qualia ſunt ſphærica & quadrata, hoc eſt inflexilia & fere muta. Ut ſonus fiat muſicus, ſive gravis ſive acutus, oportet ut flexile ſit corpus. Id ſi tale ſit & difficulter moveatur, acutus; ſi facile, jam gravis edetur tonus. Unde patet nullum eſſe tam minutum corpuſculum, quod non graviorem efficere poſſit ſonum, quam quævis vaſta moles.

In nervis & minutis admodum fiſtulis licet difficilius ſit experimentum, propterea quod illæ, ſi exiles & fragiles fiant, tactu aut flatu hominum ægre tremorem ſenſilem concipiant, naturam tamen multa poſſe quæ ars nequit præſtare humana, indicio ſint cum alia inſecta, tum præcipue crabrones, qui ſive beneficio fiſtulæ, ſive chordæ tenuiſſimæ, quam vehementia ſpiritus ſui tremere faciant, ſive potius motu & tremore alarum, parvo utique inſtrumento, ſonum edunt graviſſimum.

Diſcrepant tamen majora ſeu æra ſeu alia corpora ſonora a minoribus in eo, quod

quod licet in acumine ſeu gravitate ſoni utraque utriſque conveniant, majora tamen corpora ſonum denſiorem, minora vero rariorem ſemper emittant. Diligentiſſimi fuere veteres artifices in hujus rei obſervatione, & ſane abſque ea irritus eſt omnis labor qui in temperandis inſumitur cum aliis muſicis organis tum præcipue tibiis, cum ad inducendos & regendos affectus vocis ſonique condenſatio & rarefactio multum conferat momenti. Si quid flebile & luctuoſum exprimere velimus, non ſufficit ut ſonus ſit gravis & remiſſus, niſi etiam ſit rarus & quodammodo hians & fractus. Commode huic affectui ciendo inſerviebat tibia Phrygia, longa quidem, ſed pertenuis, & lugubrem idcirco adens vocem, præſertim ſi cornu appoſitum haberet. Hymnis vero & Deorum ſacris adhibebatur tibia Doria, & ipſa quoque gravem emittens ſonum, ſed denſum & plenum. Amatoriis & jucundis affectibus explicandis Jonicæ inſerviebant tibiæ, acutam ſimul & raram emittentes vocem. Iracundiam & bellicos motus inducentes, & ipſæ quoque acutam, ſed tamen denſum & plenum formabant ſonum. Denique quot affectibus & motibus humani inquietantur animi, totidem quoque & plura ad expugnandas etiam quaſvis quantumvis refractarias mentes adhibita olim fuere organa.

Noſtra hac tempeſtate adeo iſtæ naturæ contemnuntur præcepta, ut cum omnis hodierna inſtrumentaria non ſufficiat ſupellectilis ad inſignem aliquem conciendum affectum, non tamen deſunt qui uno eodemque inſtrumento omnia ſe præſtare poſſe exiſtiment, & quod magis mirere, etiam illi qui in arte hac cæteris præſtare creduntur, rident ſiquis veteris muſicæ, inſtrumentorumque quæ olim in uſu fuere vel obiter meminerit, adeo nempe unicuique ſæculo ſui placent mores. Sed profecto nullum certius inſcitiæ eſt argumentum, quam de iis quæ neſcias, inique judicare. Si originem inſtrumentorum, quæ hodie in uſu ſunt inquiramus, pleraque ea a barbaris ad nos perveniſſe inveniemus. De organo quod follibus animatur ſatis diximus, Harpam vulgarem & ipſam quoque barbarorum eſſe inventum, ſatis teſtatur ille Fortunatiani verſiculus.

Romanuſque lyra plaudat tibi, barbarus harpa.

Nec dubio quin illud ipſum ſit inſtrumentum, quo Bardi Gallorum olim uterentur Sacerdotes, veluti quod lyræ non abſimile fuiſſe ſcribat Diodorus Siculus. Teſtudinem Barbiton ſive Tiorbam, Panduram, Citharam, cæteraque inſtrumenta vulgaria, liceat vocabula habeant antiqua, barbara tamen eſſe potius quam Græca vel Romana, vel illud ſatis declarat, quod pleraque cervicem diſtinctam habeant tactibus ut vocant, nervis nempe tranſverſis, quibus ſeu gradibus ab uno tono ad alium fiat accenſus, quale nihil in antiquis comparet inſtrumentis. Commoda & expedita admodum barbaris viſa eſt hæc ratio, brevi enim illud adſequebantur, ut tonos a tonis quam exactiſſime diſtinguerent. Sed vero quod in pleriſque artibus & ſcientiis videre eſt, ut qui earum ſectantur compendia, in ipſo ſtatim initio magni profectus exhibeant umbram, poſtmodum vero nihil damnoſius compendiis eſſe deprehendant, veluti quæ omnem ulteriorem progreſſus obſtruant viam, ipſum illud contigit iis, qui laboris minuendi gratia inſtrumentorum cervices nerveis diſtinxere jugamentis. Indicio ſint quantumvis excellentes ſæculi noſtri muſici, quibus ſi vel barbiton, vel teſtudo tactibus, ut vocant, deſtituta detur tractanda, ne quidem eam attingere audent, vel ſi audeant, ludibrio ſunt auditoribus. Ut tamen imperitiæ ſuæ patrocinentur, ſerio affirmant, non poſſe abſque his adjumentis inſtrumenta hæc commode pulſari, & quia ipſi id efficere nequeunt, neminem unquam id potuiſſe audacter contendunt. Verum an non ſatis illi refelluntur violinæ hodiernæ exemplo, quæ licet iſtiuſmodi careat adjumentis, ſatis tamen ſcite a nonnullis tractatur? An dubitemus utrum id ipſum fieri poſſit in iis inſtrumentis quæ pluribus conſtant nervis? Eſto id quam maxime difficile & laborioſum, ſed quid demum pulcrum in rebus quod abſque labore aſſequi poſſimus. Ecqua præterea eſt difficultas, quæ non facile ſuperetur, ſi eam certa merces & laus non vulgaris ſubſequatur? Debuerat eos excitare vulgaris muſicæ ſimplicitas, quæ tanta eſt, ut in uno diatonico genere totus hodiernus conſiſtat cantus. Et tamen in hoc genere etiam indocti olim excellebant. Sane quamdiu nerveis iſtiuſmodi compedibus colla inſtrumentorum adſtringuntur, fieri non poteſt ut vel chromaticum, nedum enharmonium genus reviviſcat. Si velimus ut antiquæ muſicæ ſplendor in ſæculum tranſeat, relegandi ſunt iſti obices quibus toni diſtinguuntur, conſtruendæque ſunt inſtrumentorum cervices vel ex ebore, vel ex alia candicante materia, quæ commode patiatur, ut lineis diverſi coloris inſcribantur non ſo-

ſolum tonorum ſed & hemitoniorum & dieſium intervalla, id ſi ea quam veteres tradidere fiat ratione, & inſuper dociles & arguti acceſſerint digiti, utique diuturna & continua exercitatio præſtabit quod hodierna nequeunt præſtare inſtrumenta. Stultum eſt credere vel affirmare, non poſſe tam minuta intervalla digitis frequentari, ſi enim toni exacte poſſint inveniri, ubique etiam invenientur hæmitonia & minora intervalla; nec difficilius hæc quam iſtos reperire, unum quippe ſi noveris, jam omnes noveris. Quod vero inquiunt, etiam hoc tempore reperiri organa & clavicymbala, ut vocantur, quæ hemitonia tonis permixta hubeant, illud quidem verum, hæc ipſa tamen oſtentationis potius quam utilitati inſerviunt, cum non habeant, continuam ſeriem, ita ut ab uno genere tranſitus fieri poſſit in aliud, quod tamen in pleriſque veterum inſtrumentis factum fuiſſe notius eſt, quam ut explicari debeat. Paſſim apud muſicos veteres videre eſt, ita hemitonia & dieſes diſpoſitas fuiſſe, ut a diatonico ſubito tranſitus fieret ad chromatium & enharmonico purum, quod hodierni muſici quia ipſi præſtare nequeunt, nunquam factum eſſe contendunt. Serio itaque affirmant, veteres nunquam chromaticum aut enharmonium purum exhibuiſſe, ſed, quod & ipſi faciunt, permiſcuiſſe hæc genera diatonico. Verum adeone nobis ſtulte ſimus amici, ut aliorum ex noſtro captum metiri velimus, totque ſimul ſæculorum & gentium communem conſenſum, non tantum in dubium vocare, ſed & palam oppugnare, idque nulla alia de cauſa quam ut hodiernæ vitiis blandiamur muſicæ? Sciant attamen qui de antiqua ſic judicant muſica, non hic ſubſtitiſſe veterum artificium, utpote qui non inſtrumentis ſolum, ſed & in cantu vocis, non chromaticum tantum, ſed & enarmonium genus adeo diſtincte expreſſerint, ut ſi vel in minimis aberrarent intervallis, etiam a plebe & totis exploderentur theatris. Quamdiu dithyrambica viguit poeſis, & chori Euripidis & odæ Pindari & ſimilium cantatæ fuere, tamdiu etiam non defuere qui tria illa muſicæ genera pura & impermixta non inſtrumentis modo, ſed & viva voce exprimere potuerint. Toto itaque illo tempore principem inter muſicos locum tenebant dithyrambopœi, nec ullum aliud ἀκριβέςερον ἁρμονίας κριτήριον habebatur, quam ſi cantores adeo in arte ſua eſſent gnari, ut etiam hoc promittere auderent, ſeſe ne in minima quidem peccaturos dieſi, ὥςε μηδὲ τὴν ἐλαχίςην ἐν τοῖς διηγήμασιν δίεσιν ἀγνοεῖν, ut loquitur Dionyſius Halicarnaſſenſis. Tempore demum Domitiani & poſtea mutata linguæ Græcæ pronuntiatione, etiam antiqua cantandi mutata fuit ratio, tum præcipue querelæ auditæ de difficultate chromatici & enarmonici generis voce exprimendi, reclamantibus nempe ſyllabarum modulis, tum quoque omiſſo chromatico & enarmonio purro, paſſim & ubique tria iſta genera invicem permiſceri cœpta, tum denique omiſſo vocis cantu tota vis muſicæ ad organicos translata, donec tandem etiam in illis antiqua deficeret muſica.

JOSEPHI LAURENTII
COLLECTIO
De Citharœdis, Fistulis & Tintinnabulis.

CAPUT PRIMUM.

Citharœdorum modestia prisca. Iidem custodes pudicitiæ mulierum. Cantores multa mentiuntur. Citharœdorum vestis qualis. Eorundem lex. Cum palla saltabant. Quanti olim habiti. Ab iis oscula jactata Aurigarum osculum quale. In circo quomodo Citharœdi plausu excepti. Anulus ipsorum insigne. Qui alios canendo vicissent, coronabantur. Poetarum prisca modestia. Epigramma aliquod quanti emtum. Cherili versus quanti. Poetæ scripturi coronati erant, ut & Sacerdotes, infulati vero Oratores. Poetarum corona qualis. Homerus quam habitus apud Athenienses. Tyrræo & Æschylo quantus honor. Poetæ Latini ubi certabant ad clepsydram dabant fabulas; plures enim eodem die agebantur. Mali Poetæ lapidati; boni vero coronati. Lapidatio theatralis. Insani lapidati. Famosum carmen carbone scriptum in foribus. Lapidationis locus. Malorum & bonorum Poetarum præmia quæ. Iidem quomodo certabant. Pudicitia virginum quanta olim. Loti hospites olim a virginibus ancillis.

SApienter ille, *Vivendum moribus antiquis, & loquendum verbis præsentibus*, & optime præscripsit. Ast passim (docendum) priscos bonos mores antiquatos in omnibus, & præcipue videmus in Citharœdis, qui olim modesti & frugi; at nunc immodesti, & nebulones. Athænei eclogarius de hoc differit. *Quamobrem uxoris Clytemnestræ cantorem Agamemnon reliquit monitorem, & custodem, quam non prius Ægisthus stupravit, quam in insula occidit cantorem.* Ejusmodi fuit Cantor ille, qui insidiatores procos Penelopes execrabatur, vel repugnante adagio illo vetere: *Multa cantores mentiuntur.* Citharœdorum corona erat querna. Martialis lib. IV. epigr. LIV.

> *O, cui Tarpeias licuit contingere quercus,*
> *Et meritas prima cingere fronde comas.*

Et *epigr.* I. ejusdem libri:

> *Perque manus tantas plurima quercus eat.*

Citharœdorum vestis olim demissa ad pedes usque, ut colligitur ex Virgilio, Horatio, aliisque classicis Scriptoribus. Hæc dicta palla, eratque purpurea, & variegata. Apulejius II. *Florid. Eique prorsus citharœdicus status, Deam prospiciens canenti similis, tunicam picturis variegatam deorsum ad pedes dejectam ipsos.* Hæc quoque distincta. Ovidius:

> *Induerat Tyrio distinctam murice pallam.*

Legem hanc Citharœdorum Tacitus *Ann.* lib. XVI. refert. *In theatro ne fessi resideant, ne sudorem, nisi ea, quam induti gerebant veste detergerent, & nulla oris, aut narium excrementa viserentur.* Hos cum palla cecinisse, & saltasse Plautus quoque in *Mænech. refert:*

> *Salta sic cum palla postea.*

Hinc dicti Citharœdi *pallium trahere.* Quapropter Citharœdorum, ævo depravato, conditio olim maximi habita, & lautior, quam Poetarum, aut eruditorum. Ideo Martialis de se *lib.* III. *ep.* IV.

> *Exierat; veniet, cum Citharœdus erit.*

Et *lib.* V. *epist.* LVII.

> *Artes discere vult pecuniosa?*
> *Fac discat Citharœdus, aut Choraules.*

Ingressi scenam oscula, seu basia jactabant ori prius manu admota, deinde protensa in eos, quos adorabant, & hoc erat *adorare*, quod factum vel ab Hierone innuit Tacitus, loquens de eo Citharœdum agente. Aurigæ vero populum flagello ad os admoto, cum aliter non possent, adorabant. De adoratione alibi. Citharœdi, cum placebant, plausu excipiebantur, ut habemus in eodem Martiale *lib.* VI. *ep.* V. Plinio, Luciano, Ovidio, & aliis.

Citharœdorum, ut & Musicorum, insigne annulus, seu gemma fuit. Annuli meminit Suetonius de Symphoniacis Nero-

ronis. *Insignes pinguissima coma & excellentissimo cultu pueri, nec sine anulo lævas*. Quasi dicat, ex consuetudine aliorum Musicorum, & Citharœdorum lævas anulis habuisse ornatas. De gemma meminit Plinius *lib.* XVII. *cap.* II. Citharœdi, qui alios canendo vicissent, coronabantur, detractam ipsi coronam citharæ imponunt.

Poetæ quoque nomen venerandum olim, quia temperantiæ omniumque virtutum magistri dicti, σοφοί, & σοφισαί. Citarem Homerum, Strabonem, Quintilianum, Plutarchum, Clementem Alexand. nisi actum agere vellem. Confirmat dictum de Poetarum æstimatione, quod idem Athæneus refert. *lib.* v. de Hierone, cujus hæc verba: *Navis autem in Alexandriam remulco deducta est, Hieroque Archimelon, epigrammatum Poetam, ob epigramma de illa nave scriptum, donavit honoris ergo mille tritici modiis, quos Athenas in Piræum portum sumptu suo perferendos curavit. Epigramma in eo libello adhuc extat*. Cherilus (etsi Poeta diobolaris) in singulos versus accepit aureos stateres, & ab Alexandro pro singulis versibus Philippeis fuit donatus. Hinc Horatius *lib.* 2. *ep.* I. cecinit:

Gratus Alexandro Regi Magno fuit ille
Cherilus, incultis qui versibus, & male natis,
Retulit acceptos, regale numisma, Philippos.

Corona redimiti Poetæ versus scripturi, aut Sacerdotes coronati, infulatique Oratores oraturi, ita apud Maronem *Æn.* VII.

Quin & Marrubia venit de gente sacerdos,
Fronde super galeam, & felici comptus oliva.

Ut auspicato se fronde coronantes, Deos sibi hominesque conciliarent hac tanquam religione. Horatius *epist.* I. *lib.* II.

Fronde comas vincti scribunt, & carmina dictant.

Poetarum corona ex Marsilio *in Persium* erat ex hedera, lauro, & mysto, quod sacri essent Baccho, Apollini, & Veneri, Numinibus illarum plantarum. Apud Athenienses lex erat, ut quinto quoque anno in Panathenæis Homeri unius ex omni Poetarum numero carmina publice recitarentur, quod inflammarent animos ad honestatem, docerentque quid faciendam, quidve fugiendum; Lacedæmonii simili honore prosecuti Tyrtæum, Poeticis licet adversarentur scriptis, lege constituta, ut quoties cum hostibus dimicaturus in procinctu consiitisset exercitus, convocarentur milites in tabernaculum regis, ibique audiendis Tyrtæi carminibus, ad spernendam pro patria vitam, incitarentur. Æschylum quoque Athenienses; unius enim ex omnibus Tragicis fabulæ, ipso etiam mortuo, ut docerentur, decreto publico statutum est, ut notat Muretus *l.* VI. *cap.* VII.

Poetæ Latini certabant carminibus in sacris Jovis Capitolini singulis lustris, victor corona donabatur. Athenis in Dionysiis Poetæ tragici, & Comici fabulas contentione quadam docebant, recitabantque ipsi, ut olim Homerus, & Hesiodus carmina a se facta; mox adhibiti histriones. Ad clepsydram dabant fabulas, nam plures agebantur eodem die. Quinque judices, teste Epicharmo, judicabant, victorem manibus extensis pronunciabant.

Quod si Poetæ infelices, & inculti putabantur lapidibus Petebantur: at contra felices & culti, sertis & floribus decorabantur, quam Græci φυλλοβολίαν, id est, *florum, & frondium sparsionem dicebant*. Athenæus *l.* VII. refert Polyctorem quendam, citharædum infelicem, petiisse ab amico saxa ædificandæ domui, quia vero ille pauca pollicebatur, indignatus citharœdus. *Quid* (ait) *tu mihi tam parce lapides promittis, possum ego plures reportare ex theatro, cum artis meæ specimen præbens lapideo imbre fuero imbutus*. Lapidationis theatralis multa exempla habemus in Macrobio II. *Satur.* & in Seneca.

Ingeniosissimus Æsopus Apolog. XLII. huic apertissime subscribit. Quia Poetæ insulsi phrenesi correpti insaniæ notam subibant, si carmina canerent; ideo imitantur in lapidatione Poetarum malorum, pœnam insanorum, quæ erat lapidatio. Plautus in *Pœnulo:*

Neque nos populus pro Cemiris insectabit lapidibus.

Lapidatio ergo finis malorum Poetarum; mordacium vero scommata carbone notabantur; quæ famosa carmina foribus amantium carbone inscribebantur. Plautus in *Mercatore*:

—— Occentent noctu ad ostium.
Meæ impleantur carbonibus elegiarum fores.

Quando ſcilicet face extincta inſcribebatur famoſum aliquod carmen ad oſtium infamiæ gratia.

Lapidationis malorum Poetarum meminit appoſite Petronius his verbis, quæ libet attexere. *Ex his, qui in porticibus ſpatiabantur, lapides in Eumolpum recitantem miſerunt; at ille, qui plauſum ingenii ſui noverat, aperuit caput, extraque templum profugit. Timui ego, ne me Poetam vocarent, itaque ſubſecutus fugientem, ad littus perveni: & ut primum extra teli conjectum licuit conſiſtere. Rogo, inquam, quid tibi vis cum iſto morbo? minus quam duabus horis mecum moraris, & ſæpius Poeticæ, quam humane loquutus es. Itaque non miror, ſi te populus proſequitur. Ego quoque ſinum meum ſaxis onerabo, ut, quotieſcunque cœperis a te exire, ſanguinem tibi a capite mittam. Movit ille vultum, &, mi, inquit, adoleſcens, non hodie primam auſpicatus ſum: imo quoties theatrum, ut recitem aliquid, intravi, hac me adventitio excipere frequentia ſolet*, &c. Mali igitur Poetæ in theatro, & ludorum actores, ſi artis ſuæ ſpecimen infeliciter darent; & ipſi quoque ſpectatores, ſi odioſi populo, & inviſi lapideo imbre petiti; contra boni munuſcula varia florum, ac frondium conjectionem referebant. illam Græci dicere ἐπαγερμὸν, hanc φυλλοβολίαν, ſeu *florum, ac frondium aſperginem, jaculum*. Ideo Gentianus Hervetus ait. *In certaminibus primo fuit donum athletarum. Secundo autem exercitatio. Tertio florum ſparſio. Ultima autem fuit corona*. His additi petaſi, zonæ, cingula, bracteæ, tuniculæ, galeri, crepidæ, & his ſimilia. Videndus meus eruditiſſimus Franc. Bernardinus Ferrarius, non ferri, ſed auri puri, purique fodina inexhauſta. Erant & Poetarum certamina ex Suetonio in *Auguſto*, *Caligula*, & aliis. Veniebant autem ad commiſſiones coronati. Qui vincebatur, is detractam ſibi coronam vincenti donabat, quo Flaccus alludens dixit *Satira ultima lib.* I. de ſe, & Lucilio, quem carpſerat:

> —— *Neque ego illi detrahere auſim*
> *Hærentem capiti multa cum laude coronam*.

Hæc pœna ignavi Poetæ.

Alio gradum vero, & ab impudentia, & ſtultitia Citharœdorum, malorumque Poetarum me converto ad pudicitiam virginalem, quam admiror in illis antiquis, quod maximo cum ſtupore ſuſpexi in eodem Athenæo *lib.* I. quanta fuerit priſcorum continentia. Refert enim, a virginibus, atque fœminis hoſpites lotos, nec inflammationi, nec intemperantiæ obnoxios, tam recte illorum vita inſtituta. Ex quo colligo, vel virgines ancillas hoſpites laviſſe ſine ulla pudicitiæ macula. O ætatem vere auream, etſi auro non veniret honos!

CAPUT II.

Fiſtula quid, & ejus uſus, ac Inventor. In bello quinam uterentur. Tibia quid, & unde dicta. Paſtoritia quæ. Apud Veteres tota Muſica ſeptem ſonis continebatur. Fiſtulæ materia.

FIſtula proprie, ut Pomponius ait, dicitur, per quam aqua educitur fuſa, ab hujus ſimilitudine dictum inſtrumentum muſicum, quo flatu canitur, cujus Pan dicitur inventor. Hac uſi non tantum in rebus lætis, ut nuptiis, amatoriis, feſtis, epulis, quod paſſim obvium; ſed etiam in bellis, ut obſervo in Clemente Aleſſandrino II. *Pædagogiæ* cap. IV. dicente: *In bellis ſuis Tuba Heruſci utuntur, Fiſtula Arcades, Cretenſes Lyra, Cornu Thraces, Tympano Ægyptii, Arabes Cymbalo*. Cui ſubſcribit Alexander ab Alexandr. *Gen. dierum* lib. IV. cap. II. *Lacedæmonii*, inquit, *& Phryges, non cornuum, tubarumque ſignis, ſed tibiarum miti ſono, & modulo leni temperare conſueverut: Lycurgus enim militibus tibiam pro claſſico dedit*. Etſi tibia ab oſſe cruris ſuræ oppoſito vocata, ſit inſtrumentum muſicum, oblongum, teres, & foraminoſum, quod inflatum digitis modo adductis, modo reductis, ſymphoniam reddit, non ſit abſimile fiſtulæ, aliquando alterum pro altero uſurpatur. Fiſtula ergo de collo pendebat, paſtoribus potiſſimum, ideo Maro *Æn.* 3.

> *Solamenque mali de collo fiſtula pendet*.

Ideo hæc dicta paſtoricia, ruſtica, & ſylveſtris, multis conſtans cicutis, vel avenis cera junctis, quarum ſeries imitatur organorum, vel hydraulorum fiſtulas, habet enim unaquæque cicuta ſonum ſuum ab aliis diſcrepantem; ita ut ſeptem calami diſpares ſeptem vocum diſcrimina reddant, qui labro percurruntur canentis; quare Lucretius, *lib.* V.

> *Et ſupra calamos unco percurrere labro*.

Quare ex ſeptem calamis cicuta compacta fuerit, nec pluribus, nemo rationem re-

requiret, qui Musicam artem vel primoribus labris degustarit. Siquidem post septimam vocem necesse est in octavam cadere; quæ octava vox apud veteres Musicos & recentiores eadem est cum prima.

Ea causa est cur cœli sive septem planetæ concentum quendam efficere Pythagoræ sint visi, quod in septem sonis tota Musices varietas & ratio contineatur. Hinc est quod Virgilius fistulam, de qua modo, ex septem calamis compingit in Ecl. II.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula. ——

Idem *Æneid.* VI. de Orpheo in inferis degente ita canit:

Nec non Threicius longa cum veste Sacerdos,
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Materia fistularum adhuc incerta. Papinius II. *Thebaid.* buxeam facit:

Et Celenæa committere prælia buxo.

Cicero vero *de Oratore* ait: *Servas cum eburneola fistula, qui inflaret eum sonum*, eburneam facit. Julius Pollux *Onomastici* lib. IV. capite X. quinque concludit; dicens, κάλαμος, ἢ χαλκός, ἢ λῶτος, ἢ πύξος, ἢ κέρας, id est, *Fistula vel est æs, vel lotos, vel buxus, vel cornu*; mirum, excludit ebur.

CAPUT III.

Tintinnabulum unde dictum. Ejusdem usus antiquus, ac præcipue in funere. Cœlo tonante cur campanæ perstrepant. Codonophori quinam. Adhibita præterea Tintinnabula in tumultu; in thermis; in damnatorum supplicio; in foribus ædium; in arcibus custodiendis. Animantibus olim appendi solita. De Tintinnabulo Symposii ænigma. Foculi mensarii usus antiquus ad quid. Flabellum etiam in usum olim. Interdiu fores semper apertæ.

Tintinnabulum nomen fictum a sono, quem edit vas æneum, cujus inventum antiquissimum, (nos *Campanam*, seu *Nolam* dicimus) vel Mosis tempore, teste Josepho III. *Antiquitatum*. Princeps enim Sacerdotum superinduebatur tunica hyacintina, ex cujus fimbriis tintinnabula pendebant, quæ sonitum ederent, cum ille esset Sancta Sanctorum ingressurus. Autor hujus tamen ignotus. Usus varius, & præcipue in funere, ut notat Scholiastes Theocriti, qui mos in hunc usquem in diem perdurat, quod is sonus credebatur esse καθαρὸς, καὶ ἀπελασικὸς τῶν μιασμάτων, hoc est, *avertens spectra, & Dæmonum ludibria*. Atque hinc receptum, arbitror, ut tonante Cœlo campanæ perstrepant; etsi aliam causam subesse opinor, ut illarum complosu aerem longe, lateque diverberante, vis tonitrui infringatur.

Codonophori dicti anteambulones atrati, & præcones ferales qui funebres pompas cum tintinnabulis crepitantibus antecedunt ex Budæo; tales hoc anno vidimus præcurrentes currus portantes tabida corpora pestilentia grassante, atque animus meminisse horret.

Deinde, si qua vis, seu tumultus ingueret, aeris tinnitu indicium ejus rei dabatur olim, quod colligo ex T. Livio dicente, *Campanarum in bellis multitudo, cur æris crepitu, qualis in defectu Lunæ, silenti nocte fieri solet, edidit clamorem?* Omitto Corybantia æra, & alia in succurrendo laboranti Lunæ, & Dodonæa.

Alius præterea usus, ut in thermas statis horis advocarentur, dimitterentur lavaturi, & loti. Ita Martialis, *lib.* XIV. *epig.* CLXIII.

Redde pillam, sonat æs thermarum, ludere pergis?

In Damnatorum etiam supliciis Nolarum tinnitu admoniti, ne incauti occurrerent, & funestarentur, aut polluerentur contactu, vel occursu funesti corporis. Hinc Carnifices dicti *Tintinnabuli*, quod iis uterentur in cædendis sontibus: etiamsi alii velint sic dictos, quasi reddant tinnitum, dum cædunt flagris, & verberant.

Verum hujus æris potissimum in foribus ædium, in cujus locum successit orbis ille æneus pulsandi foribus idoneus. Seneca III. *de Ira cap.* XXXV. *Quid miser expavescis ad clamorem servi, ad tinnitum æris, ad januæ impulsum?* Confirmat Suetonius in *Augusto* cap. XIX. Dion *lib.* LIV. hæc habet. *His enim tintinnabulis Janitores nocturni utuntur, ut, si quid ipsis opus esset, significare possent, & vicorum urbis custodes his usi.* Quemadmodum apud Græcos in Civitatum muris excubantes, ut Suidas refert ex Aristophanis Interprete. Plutarchus in *Arato*: *Subeuntibus primis, ille, qui vigiliam matutinam tradebat, transibat illac ad tintinnabulum, multaque lumina, & stre-*

strepitus erant sequentium eum. Et paulo post. *Ille ex turri respondit alia voce, nihil mali esse; sed canem ad stationis lumen, & strepitum tintinnabuli lacessitum*. Qui mos etiam durat in Arcibus custodiendis. Tintinnabula olim animantibus appendi solita. Item arieti gregem præcedenti & equorum frænis, Novarinus docet II. *Sched. cap.* XXV. Præterea equos sonnitu tintinnabuli probatos, vigiles excitatos, pisces venales esse in foro piscario, eoque concusso a mulionibus lanios & carnifices incessisse cum tintinnabulis, pluribus idem docet. Vide.

De Tintinnabulo symposii Ænigma.

> *Ære repens curvo patulo componor in orbe.*
> *Mobilis est intus linguæ crepitantis imago.*
> *Non resonat positus, motus quoque sæpe resultat.*

De foculo mensario nullus dubii locus, quin eo Prisci usi ad fercula calefacienda hyberno tempore. Ita Seneca *epistol.* XCV. *Quid illa jurulenta, & quæ tamen ab ipso igne in os transferuntur, judicas sine noxa in ipsis visceribus extingui?* Eo fine Foculi mensarii inventi, ut in mensam ii prunæ deferrentur. Idem *epistol.* LXXXV. *Circa cœnationem ejus tumultus coquorum est, ipsos cum obsoniis focos transferentium, hoc enim jam luxuria commenta est, ne quis intepescat cibus, ne quid palato jam calloso parum ferveat, cœnam culina prosequitur*. Apud Aristophanem δμῶες ἐξενέγκατε τὴν ἐσχάραν μοι δεῦρο; ϗ τὴν ῥιπίδα: *Heus famuli ex ædibus huc afferte foculum, & flabellum*. Flabellum addit, nam flabellum etiam in usu fuisse antiquis ex multis colligo. Terentius in *Eunucho*, Act. III. Sc. V.

> —— *Heus tu* (inquit) *Dore,*
> *Cape hoc flabellum, & ventulum huic sic facito, dum lavamur.*

Ovidius *de Arte*:

> *Proficit in tenui ventos movisse flabello.*

Martialis *lib.* III. epigr. LXXXII.

> *Et æstuanti tenue ventilat frigus.*
> *Supina prasino concubina flabello.*

Hinc referenda Historia narrata ab Athenæo lib. I. de Pithyllo liguritore, Catillone dicto, Ganeone, Popinone. Item quæ referuntur ab eruditissimo Pontano in *Atticis bellariis* prisci usus LXVI.

In Plauti vero *Mostell.* Act. II. Scen. II. usum priscum noto, de quo a te Guidone mi, subdubitatum, interdiu fores nunquam clausas, his verbis:

> *Sed quid hoc, occlusa janua est interdiu?*

Fores apud Lacones non pulsatas, sed ingressuros foris exclamasse Plutarchus in *Laconicis* ait: *Morem habebant non pulsandi fores, sed foris clamandi*. Sciscitabantur aliquando, non solum qui esset, qui fores pulsaret, sed quot essent, maxime noctu, ut colligitur ex Petron. *Satyr. Et jam plena nox erat, cum Eumolpus ostium pulsat, interrogo eos, quot estis?* &c. Item in foribus apud plerosque pingebatur, fingebaturque signum artis, quam quisque exercebat. Vide Novar. *Sched.* lib. II. cap. XVIII.

DE INSTRUMENTO MAGREPHA.

EXCERPTA EX DISSERTATIONE

JOH. D'OUTREIN

DE CLANGORE EVANGELII.

Erat autem instrumenti *clangor* sive *sonitus*, qui tempore Sacrificii jugis & Thymiamatis, audiebatur in Templo. Quod instrumentum vocabatur *Magrepha*; & *tantum* dicitur sonum edidisse, ut ab urbe Jericho, per decem milliaria, exaudiri potuerit. Uti dicitur in Tamid cap. III. §. 8. מיריחו היו שומעים קול שער הגדול שנפתח מיריחו שומעים קול המגריפה: *A Jericho audiebant stridorem portæ magnæ, quando aperiebatur; ab urbe Jericho audiebant sonum Magrephæ.*

De *Magrepha* autem ita commentatur modo laudatus *M. Arnoldi:* „ Etymologiam multi facent, sed conjecturam „ facit Maimonides, dicitque: *Forsan vocatur* MAGREPHA, *quia forma ejus talis erat:* Scilicet similis *palæ*, qua cinis removetur ab altari, aut *cochlearis*, quo agitatur coctura in illa. Constat interim fuisse כלי נגון *instrumentum Musicum*, quod decem habebat foramina, quorum unumquodque varias melodias producebat, adeo ut simul centum diversæ audirentur, ut colligi potest ex additionibus Jom Tob: *Decem foramina erant in ea, & in unoquoque foramine erat calamus unus; in singulo calamo decem foramina, unumquodque foramen producebat speciem cantilenæ. Colligitur summa, quod produxerit centum species cantilenarum.*

Porro de ejusdem usu triplici agitur in eodem codice cap. V. §. 6. *Quando progressi erant* (Sacerdotes qui suffitum adoleverant,) *inter vestibulum & altare, unus sumsit Magrepham, illudque projiciebat inter altare & pronaon* (sive vestibulum) *Nemo autem poterat socium suum intelligere Hierosolymis, propter strepitum Magrepha*. Additur autem, qualis fuerit *usus* istius instrumenti; aut quam ob caussam ita projectum & tantus strepitus factus sit. Nempe *tribus rebus inserviebat: 1. Sacerdotes, quum audiebant vocem ejus, noverant fratres suos Sacerdotes* (post oblatum suffitum) *ingressos esse ad adorandum, ut & illi properarent & abirent. 2. Levita, quum ejus strepitum audiebat, noverat fratres suos intrasse ad cantandum canticum suum, ut & ille curreret & abiret. 3. Et tandem præfectus stationis disposuit immundos ad portam orientalem.*

De hoc instrumento *Magrepha* peculiarem exhibet Dissertationem in selectis sacris *Cl. Braunius*. In qua monet, eam vocem usurpari, sensu *proprio*, de *everriculo* seu *scopa*, qua *cinis* ab altari *removetur*. Exod. XXXVIII. 3. Verum tale instrumentum intelligi non posse, in locis jam memoratis facile patet, cum ex ingenti ejus *sono*, qualem tale everriculum edere non poterat; tum etiam, quia *projectum* dicitur *inter altare & vestibulum:* Præterquam quod *projectio* talis instrumenti non satis idoneum & decorum fuisset medium vocandi ad officia sua Sacerdotes.

Igitur ex *Codice Erachim* docet *duo* fuisse *Magrephoth* in Templo: *Alterum*, quo *altare verrebatur;* alterum *Musicum*. Verum, quum intelligi vix possit, quomodo *instrumentum* aliquod *musicum*, & quidem *pneumaticum*, *projici* potuerit, non tantum absque illius, vel pavimenti sacri læsione; sed ut præterea *sonum* tam *ingentem* ederet; porro locum citat ex *Tosephot Jom Tob*, ad Codicem *Tamid* cap. V. §. 6. ubi conjicitur, in Templo *tria* fuisse *instrumenta*, quæ vocabantur *Magrepha*. *Primo* everriculum, sive scopam ad verrendum altare. Belgice forsan diceremus een Asch-schop. *Deinde* instrumentum *Musicum*, variis tubis & foraminibus. Et *tertium* aliquod, quod habuerit figuram מגריפה, sive *scopæ* ad verrendum, & hoc tertium fuisse quod, ad *cantum*, post Thymiamata, ita *dejici* dictum fuit. Verba Autoris sic habent: „ *Magrepha* magnam habebat vocem. Non „ dicendum est, esse illud *Magrepha*, de „ quo in Mischna V. capitis III. (Codicis Tamid) quod erat instrumentum „ Musicum ingeniose confectum. *Et projecerunt illud*, cum fuerit impossibile, „ ut non frangerentur tubi. Etiam *Magrepha*, quo everrebant cineres, non

„ po-

„ potest dici, quia illud non habebat „ *vocem*. Sed erat aliquod dubium in- „ strumentum *tertium*, quod edebat vo- „ cem, erat enim ipsius figura, quem- „ admodum figura *Magrephæ*. Alibi qui- „ dem, nimirum in Erachim cap. 11. „ fol. x. traditur *duas* est species *Magre-* „ *pharum;* alterum ad *cineres* (everren- „ dos) alterum *Musicum*. Non vero ad „ negandum, quod esset & aliud *tertium*. Et illud est, quod *hic* occurrit. *Tosephoth Jom Tob igitur* (1) *animadvertit*, inquit Cl. Braunius, *tria* diversa fuisse instrumenta, quæ nomine *Magrepha* insignita fuere. *Alterum*, proprie dictum, seu *everriculum* vel *palea*, quod vocem non edebat; *Duo* vero *improprie* sic dicta, quæ *sonum* edebant, *alterum* pneumaticum, constans variis tubis & varia habens foramina, fere ad instar *organorum*, in templis nostris hodie usitatorum. Quanquam, juxta Rabbinorum descriptionem, multo plures habuit *tubos*, quam maxima nostra organa, multo plura etiam *foramina*. Etenim, vel *centum* immo *mille* diversas mixtasque species cantus edere poterat; si verum est quod Talmudici docent. Alterum autem *formam* habebat *scopæ* sive *everriculi*.

Quidquid autem de eo sit, an *duo* fuerint instrumenta *Magrepha*, quæ sonum ediderunt circa Thymiamata, alterum quod *percutiebatur* & *dejiciebatur*, alterum *pneumaticum*, sive *unicum* tantum; id saltem inde concludit Cl. Braunius, ingentem fuisse *stridorem*, *strepitum* atque *fragorem*, primo per ipsum *cantum*, per tibias, per cymbala, & per *Tubas;* deinde per *Magrepha*, quod dejici solere dicunt inter vestibulum & altare; & per istud, quod cum Musica audiebatur, quæ omnia tantam vocem ediderunt, ut alter alterum Hierosolymis loquentem audire non potuerit; immo qui sonus Jerichuntem usque exaudiri poterat. Fatetur quidem V. C. ea, quæ narrant Talmudici de ingenti illa voce Magrephæ, hyperbolice dici: Verum *id* saltem constare, ingentem in Templo circa oblationem Sacrificii jugis & Thymiamatis fuisse *strepitum*, & voces *instrumentorum* & *cantatorum;* fere instar alicujus *Tonitru*. Atque eo alludere Johannis Apocalypsin, cap. VIII. 5. ubi, cum Angelus illa offerebat thymiamata & thuribulum, sive ignem in thuribulo contentum, *abjiciebat* in terram, *facta* dicuntur *tonitrua* & *voces* & *fulgura* & *terræ motus*.

Postquam hucusque me perduxerat Cl. Braunii de *Magrepha* commentatio, opportune incidi in *Athanasii Kircheri Musargiam universalem*, ubi, l. 11. *de instrumentis Hebreorum musicis* agit. „ Et quidem „ *duplicem* distinguit *Magrepham*, alteram „ *Magrepham Tamid*, id est, cujus mentio „ fit in tractatu *Tamid*, alteram *in Aruchin*. „ *Magrephe Tamid*, inquit, fuit diver- „ sum instrumentum ab instrumento *Ma-* „ *grephe d' Aruchin*. Illud erat instrumen- „ tum *pulsatile*, quo ad Templum con- „ vocabantur populi, adeo vehementis „ soni, ut Hannase dicat, in Jerichunti- „ na civitate audiri potuisse. Cujus ve- „ ro figuræ fuerit & quomodo tam por- „ tentosum sonum ederet, nemo est, qui „ explicet. Ajunt tamen positum fuisse „ in fundo Hierosolymitani Templi, lo- „ cumque ita fuisse arcuatum (id est fornicibus, arcuum instar, instructum) ut „ vox hujus instrumenti in arcuata tho- „ li superficie reflexa multiplicataque, „ eum sonum, quem vel in Jericho per- „ cipere possent, excitaret. Erat autem „ instrumentum ad Sacerdotes & Levi- „ tas convocandos, eosque qui immundi „ erant, in foribus Templi sistendos in- „ stitutum. Certe si conjecturis rem ex- „ pedire liceat, dicerem profecto hoc in- „ strumentum simile quid habuisse cam- „ panis nostris majoribus, quas in remo- „ tissima distantia audiri, vulgo notum „ est.

Quid vero fuerit *Magrepha d' Aruchin*, paulo post explicat; nimirum „ erat in- „ strumenrum Musicum Talmudicum, si- „ mile nostris *organis* Ecclesiasticis; plu- „ ribus enim, ut Schilte gibborim do- „ cet, constabat fistularum ordinibus ani- „ mabaturque *follibus;* habebat præterea „ foramina & taxillos, singulis fistulis „ correspondentes, qui organædi ope pres- „ si, apertis ventorum claustris, miram „ sonorum præstabant varietatem. Cu- „ jus etiam figuram lectori ob oculos po- „ nit.

Secundum has descriptiones, si veræ essent, & singula, quæ ponit Auctor, idoneis probari possent testimoniis; *duplex* erat genus *Magrephæ*, alterum, de quo *in Tamid* fit mentio, quod *pulsabatur* & *clangorem* edebat, adeoque erat veluti maxima aliqua *campana* vel *pelvis ahenea*, sub pavimento templi inter vestibulum & Altare in magna caverna subterranea, fornicibus desuper tecta, suspensa; quæ cum *pulsaretur*, (quod forte fiebat ad *projectionem* alicujus instrumenti) immanem illum sonum edebat, qualem Talmudistæ narrant. *Alterum* autem instrumentum erat, nostri organis simile; quod scriptor ille liquido satis describit & in sciagraphia repræsentat.

Ad me vero quod attinet, religio mihi foret, plane rejicere vel falsitatis insimu-

simulare, quæcumque de instrumento illo *Magrepha*, illiusque immani sono, commentantur Talmudici. Non dissimulo tamen, me valde dubitare an non prorsus ficta sint vel *improprie* sumenda, quæ de eo narrant. I. Quia de tali instrumento nihil, quantum mihi quidem constat, *Josephus* monet. Non video saltem Cl. Braunium vel alios ullum *Josephi* testimonium adferre; qui sine dubio de eo non tacuisset, si quidem id suis temporibus fuisset in usu. Quod certe oportuit, si illuc (2) in Apocalypsi facta esset allusio. II. Quia ipsi Talmudici sibi non constant, num *unum*, an vero *duo*, an *tria* talia instrumenta fuerint. Quæ narrant de *projectione Magrephæ* inter vestibulum & altare, vix *concipi* posse videntur. Quid enim? an instrumentum musicum aliquod projici poterat in pavimentum sine periculo confractionis? Et an decorum satis, in Templo tale quid *projici* in pavimentum, ut *sonum* ederet? Et an inde *tantus* excitari potuit *sonus*? Si vero dicas, *aliud* instrumentum fuisse, quod immanem illum sonum edidit, cum multibus tubis & foraminibus, fere ad instar nostrorum *organorum*, sed multo majus & magis sonorum; indicent mihi Judæi, *ubinam* tale instrumentum collocatum fuerit (nam magnæ molis fuisse oportet) an in atrio sub dio, an in sancto, an in aliquo conclavium Templi? (3). In eodem codice Tamid, eodemque capite & paragrapho, ubi de ingenti sono Magrephæ, Hericuntem usque audito, memoratur, alia etiam plura allegantur, quæ nemo non sentit esse fabulosa. Nimirum, non tantum, stridorem portæ magni Templi, quando aperiebatur, auditum fuisse Hierichuntem usque; verum etiam stridorem lignariæ fabricæ, quam fecit filius Catini machinam labro; ut & vocem Gabini præconis; nec sonitum tibiæ & cantici & tubæ. Sunt etiam, qui dicunt eo usque auditam fuisse vocem Sacerdotis Magni tempore illo quando memorabat nomen Jehovæ in die expiationis; quin imo, quod ab urbe Jericho odorabantur odorem mixturæ aromaticæ suffitus. Adeo ut dixerit R. Eliefer familiam Abæ capras habuisse in montibus Micvor, quæ sternutabant ab odore conditurae aromaticæ suffitus. Quæ omnia, vel *improprie* sumenda esse, vel ὑπερβολικῶς admodum, ne dicam *ridicule* dici, nemo est nasutior, qui non facile persentiscat. Adeoque, quæ de immani sono Magrephæ narrant, vel *fabulosa* esse, vel saltem *cum grano salis* accipienda.

NOTÆ.

[1] Ubi nota levem ἀβλεψίαν viri alioquin in Hebraicis versatissimi, quum *Tosephoth* pro nomine *Auctoris* alicujus sumere videtur, cum proprie notet *Additiones* Rabbini, cui nomen fuit *Jom Tob*, qui *additiones* scripsit ad aliorum commentarios in Mischnam.

[2] Juxta sententiam, scilicet, Cl. Braunii. Hinc etiam observo in Talmudicis versatissimum *Joannem Ligtfootum* Tom. I. *In descriptione Ministerii Templi Hierosolymitani*, cap. VII. sect. II. ubi de *Cantoribus & Musica Templi*, variisque *instrumentis Musicis* agit, nihil monere de *Magrepha*. Cujus omissionis sine dubio caussa non fuit *rerum Talmudicarum ignoratio*, sed quia non satis veritati consona esse censuit, quæcunque de tali instrumento ejusque inter sacra usu, commentantur Rabbini.

[3] Fateor equidem Athanasium Kircherum hasce difficultates quodammodo expedire, [hunc enim paragraphum jam conscripseram ante inspectum Kircherum] dum narrat illud instrumentum ingentis soni Magrepha fuisse collocatum seu suspensum in caverna subterranea, & distinctum fuisse ab *alio* instrumento *pneumatico*, quod forsan in porticu atrii fuit positum. Sed quis ipsi Autor sit istius *cavernæ subterraneæ*, & *campanæ* formam habuisse Magrepham illam, non monet. Præterquam quod *campanæ*, ut longe lateque penetrantem edant sonum, non soleant collocari in locis subterraneis, sed in libero aere locisque editioribus.

AUGUSTINI CALMET DISSERTATIO DE LAMNAZEACH.

FRequentissime in fronte Psalmorum vox illa inscribitur, redditurque a Vulgata: *In finem*. Cum vicissim vox *Sela* sæpius recurrat in textu Psalmorum, numquam tamen in fine versiculi, & post absolutam sententiam.

Porro *Lamnazeach* redditur a Septuaginta: *In finem*, vel *pro fine*, quod Interpretes plures morali & mystico sensu referunt ad Jesu Christi adventum; venisse enim in fine sæculorum Apostolus illis verbis 1. Cor. 10. 11. insinuat: *In quos fines sæculorum devenerunt*. Spectare etiam ad Messiam, exitum & consummationem Scripturarum, Rabbinorum nonnulli (1) docuerunt. Interpretantur alii de vocatione gentium & reprobatione Judæorum; alii de æternitate vel Judicio postremo, vel de Resurrectione Jesu Christi. Alii usurpata credunt ea verba: *In finem*, pro semper (2); quasi scilicet designaretur, numquam a cantando eo Psalmo a viris Dei servitiis addictis cessandum fuisse. Chaldæus vertit: *Pro laudando*, sive *in laudem*; quæ omnia satis probant, de sensu hujus vocis ne inter Judæos quidem convenire.

Interpretes Græci, qui post Septuaginta paruerunt, in ea vertenda discrepant. Aquila reddit: *Victoriam danti;* Theodotion: *In Victoriam;* Symmachus, *Carmen Victoriæ*. Sed relicto semel titulo, & mente ad examen Psalmi revocata, vix occurrit aliquid titulo illi congruens; tantum enim abest ut gratiarum actiones, & læta pro victoria carmina pangantur, ut sæpius non nisi quærelæ luctusque ac tristia, lugubri potius titulo quam læto designanda, occurrant. Sed hanc objectionem (3) occupant reponentes, eo titulo: *Carmen Victoriæ:* solum designari, in eo Psalmo decantando ingeminandam esse vocem, ut ad eam tollendam quanta majori contentione Cantores inter se veluti provocari videantur; quemadmodum & in Hymnis ac Prosis Ecclesiasticis nostra etiam ætate quandoque servatur, ut duæ chori partes ad tollendam altissime vocem se invicem provocent; cujus deinde remissio ac nova insuper elevatio succedit. Designari etiam potuisse credunt, eos Psalmos veluti in præmium Musicis illis datos, pro relata de fratribus suis in cantandi certamine victoria. Sed hæc ad libitum conficta, ultro etiam negarentur.

Sanior recentiorum Interpretum pars post Rabbinos autumat, eam vocem reddendam: *Præfecto Musices;* Levitæ nempe qui canentibus in Templo præerat. Hujus opinionis, quam præ cæteris probamus, hæc sunt momenta. Hebræum *Nazach*, primitivum vocis *Lamnazeach*, sonat præesse Operibus (4) vel Operariis; Cantorum, vel Cantatricum, vel tandem musicis instrumentis canentium; seu virorum, vel puellarum (5) turmas deducere. Nulla profecto in titulis Psalmorum difficultas, quæ, postrema hac significatione constituta, non statim facilis solvatur. Veram igitur non immerito arbitramur; postquam maxime ceteras litterali sensui minus congrue demonstravimus.

Erant in Templo Domini Levitæ sane frequentes, laudibus Domini celebrandis atque musicis instrumentis canendo destinati. Omnes Levitarum familiæ in eo munere, sive in custodiendis foribus, & excubiis in Templo agendis, vel tandem in obsequium Presbyterorum, dum sacro ministerio vacerent, occupabantur. Singulis illis familiis suus erat Præfectus, vel Princeps, cui Præfecti alii plures parebant. Horum censum fusius deductum legas 1. Paralipom. 6. 31. in hæc verba desinentem: *Isti sunt, quos constituit David super Cantores Domus Domini*. Potissimi inter illos Asaph, Heman, Ethan, & Idithum. Porro Asaph ceterique similis peritiæ, canendis pangendisque carminibus occupabantur; utrumque enim in se conjunxerant munus, & Prophetæ nempe & Cantoris (6). Singulæ Cantorum classes musicorum instrumentorum varietate distinguebantur? & peritissimus quisque Præfectus, quem *Mnazeach* appellabant, constitutus. Laudatur in 1. Paralipomen. 15. 22. Chonenias, tamquam sonora & eleganti voce insignis. *Chonenias Princeps Levitarum præerat ad præcinendam melodiam*.

In veteri Musica una tantum melodiæ pars

pars innotuerat, erat enim varietate tonorum, & harmonia ex pluribus vocibus resultante, quæ nostra ætate delectat; destituta. Idem vocibus omnibus & instrumentis in harmonia tonus ac tenor; scribere enim parum norant, notasque musicas penitus ignorabant. Veteres illi (recentius est enim Stratonici inventum) (7) solo usu & auscultatione Magistri artem dicebant, quemadmodum ferme nostra etiam ætate pueri apud Turcas ad cantandum instruuntur. Itaque in publicis ceremoniis Præcentore opus erat, qui classem suam vel chorum valida robustaque voce deduceret; qua tantumdem præstabat quantum hodie musices Præfecti apta ad numeros gesticulatione. Non abs re pariter credimus, frequentes fuisse in ea musica repetitas carminum complexiones; nec raro præeuntis magistri ductum succinenti modulatione chorum sequi consuevisse.

Receptum olim apud Græcos (8), ut qui carmina scriberet Vates, ipse canendi normam, quam sibi carmen exigere videretur, præscriberet, ad cujus deinde leges a Musico sive ab instrumentorum perito mercede ab illo conducto cantabatur. An idem apud Hebræos servatum? Quin potius Vates apud illos carmen suum dirigere videbatur ad musicæ peritos, veluti ad Asaph, Heman, & Idithum, ut ad numeros redigerent. Id saltem tenent Interpretes, quorum opinionem nullum satis firmum argumentum falsitatis evincit.

Classes sub singulis Musicæ Præfectis ex ordine, quem inter se tenebant, interdum distinguebantur, ut classis octava, tertia &c. Interdum ex musicis instrumentis. Hinc in Titulis Psalmorum quandoque legitur (9); *Lamnazeach hal haschminith*, nempe Præfecto musices pro octava; quandoque etiam: *Præfecto in Negiaoth* (10), quod musicum instrumentum fidiculare digitis pulsandum denotat. In solemnibus Religionis ceremoniis, veluti cum Arca Domini deducebatur &c. sicut & cum pro victoria de hostibus relata triumphus ageretur, solemnem pompam non Levitæ tantum, sed etiam fœminæ cantilenis suis sub Præcentore aliquo docto augebant. Nec me fugit, tradere Rabbinos, cautum fuisse viris, ne cum fœmina in Templo cantarent: cum fœmina enim in loco sancto modulari, inquiunt, crimen est, quo nihil turpius; sed eorum superstitio falsi ab ipsa Scriptura arguitur, quæ in solemni Arcæ Jerosolymam translatione Banajam commemorat choros puellarum sive Cantatricum deducentem (11). Leguntur etiam in Psalm. 67. 26. Puellarum chori sub viro perito succinentes. Sed fusius ea de re agendum in Dissertatione de Musica Hebræorum.

Neque musicæ Præcentores illi, sive *Mnazeach* in cœtibus tantum religiosis choreas & cantilenas præibant; erant enim pariter in Aula Principum choris tam Cantorum, quam Cantatricum Præfecti; neque debito erga Canonicas Scripturas obsequio detractum aliquid credimus, si sacros aliquos Psalmos decantatos quandoque in ceremoniis civilibus suspicemur, ut in triumpho Principis, vel cum lætum illi expeditionis suscipiendæ omen fieret, vel tandem cum nuptiarum illius sive initi Regni pompa celebranda esset; qui deinde Psalmi in eos usus scripti ad sacras ceremonias translati sunt.

Cum iidem essent plerumque Prophetæ pariter & Poetæ, & populi Regumque studia omnia ad pietatem & relionem tenderet, quæ primum scripta erant carmina in usus civiles & minime sacros, a suis tamen Authoribus Dei Spiritu afflatis consecrabantur. Nihil enim viri illi sanctissimi æque intendebant ac Dei laudes & preces. Quare in Templum & usus sacros transferri, quod prohiberet nihil erat; neque Præfecti musicæ sacræ religione ulla absterrebantur, quin aulicas vel civiles pompas, sacras illas in primis & religiosas deducerent, præirentque. Suus erat *Mnazeach* in lugubri pompa, in victoria aliqua, sive in Festo aliquo publico celebrando. Inter Psalmos enim musicæ Præfectis inscriptos cum lætis pariter & jucundis lugubres miscentur & tristes. Et nostra etiam ætate vetustissima receptum consuetudine obtinet apud Orientales, ut in lugubri pompa valida præ omnibus præstans voce deducendis seligatur choris eorum, qui defuncti laudes prosequuntur, & funera lugent (12). Viri fœminæve arctiori necessitudinis vinculo cum defuncto conjuncti, lamentationibus præibant, quibus deinde adstantium omnium chori succinebant. In claris superioribus lugubri ceremoniæ deducendæ lamentatorum tam virorum quam mulierum turma conducebatur (13). Imitari se dicebat Diogenes Philosophus apud Laertium lib. 6. eos qui choris musicorum præibant, majori semper vocis contentione inclamantes, ut inclinanti per se voci maxime in cantu violento & elato succurrerent.

Scriptum a se carmen David plerumque ad Asaph notis musicis tradendum, concinendumque a clientibus ipsius in Templo mittebat (14); hinc datum viro in Scriptura nomen: *Prophetans juxta* Re-

Regem (15). Ita pariter receptum apud Græcos, ut qui carmina ſcriberet, cui maxime vellet, Muſico ad numeros canenda traderet: accidebat autem non raro in ſolemnibus populi concionibus, cum pretium Muſices diſtribueretur, ut carminis Author indonatus abiret, cum interim Muſicus ad cantandum electus, magnifico præmio & corona donaretur. Ita pariter ait Origenes ad Pſal. 38. Hom. 1. init. cum in Scriptura legimus: *Victori Idithum* (ita enim vertit cum Græcis Interpretibus vocem *Lamnazeach*) non Idithum Pſalmi Autor deſignari credendus eſt, ſed Muſicus artis ſuæ peritiſſimus habendus, cui Rex ſapientiſſimus canendi victoriam adjudicavit. Ita ſentit Origenes.

Quantum ex inſcriptionibus plurium Pſalmorum colligimus, David ipſe, tantus Rex, a ſua dignitate alienum non cenſuit, ſi canentibus ipſe præiret, & ad muſicas notas ſacra illa carmina concinenda ſuſciperet. Muſicam ille quidem amabat, omniaque norat ejus artis myſteria; nec ſane canendi muſicis inſtrumentis imperitus, ipſe pariter divinæ Majeſtatis gloria adeo totus rapiebatur, ut a majeſtate ſua alienum non cenſeret, ſi & ludere inſtrumentis coram Domino, & præire Cantoribus in quibuſdam anni Solemnitatibus videretur. Hanc opinionem inſinuat inſcriptio Pſalmi 35. *Servo Domini ipſi David Præfecto muſices*; & altera Pſalmi 10. *David Præfecto Muſices*. Vide etiam Titulos Pſalm. 13. & 18. & 19. & 20. & 21. &c.

NOTÆ.

(1) *Kimchi ex Talmud. Rab. Simeon. in lib. Jalkut.*
(2) *Saadajas Gaon, & Ferrand. hic & Muis, quaſi lenezah, non lamnazeach.*
(3) *Perez, Forſter.*
(4) 1. *Paralipom.* 23. 4. & 2. *Paralipom.* 2. 2. 18. & 34. 13. & 1. *Eſdr.* 3. 8. 9. *Daniel.* 6. 3.
(5) 1. *Paralipom.* 15. 21. *Abac.* 13. 19. & 2. *Paralim.* 2. 2. *Pſal.* 11. 1. & 45. 1. & 59. 1. & *paſſim.*
(6) 1. *Paralipom.* 29. 30.
(7) *Ereſius Phanias apud Caſaubon. in Athen. l.* 8. *cap.* 12.
(8) *Vide Plut. de Muſica, & Origen. in Pſ.* 38.
(9) *Pſalm.* 11. 1.
(10) *Pſalm.* 3. 1. & 5. 1.
(11) 1. *Paralip.* 15. 18. 20. *Pſal.* 9. 1.
(12) *Bellon. Obſerv. lib.* 4.
(13) *Joſeph. lib.* 3. *cap.* 15. *de bello in Latin. aut cap.* 30. *in Græco.*
(14) 1. *Paralip.* 16. 7. *juxta Hebr.*
(15) 1. *Paral.* 25. 2.

JOH.



JOH. SPENCERI
DISSERTATIO
De ſaltandi ritu, & ramorum circumgeſtatione.

HEbræis morem avitum fuiſſe, in rebus lætis gaudia choreis exprimere, Scripta Canonica ſimul & Apocrypha locis bene multis teſtatum dabunt: vid. *Exod.* 15. 20. *Judic.* 11. 34. 1. *Sam.* 29. 5. *Pſalm.* 30. 11. *Lament.* 5. 15. *Judit.* 15. 13. 3. *Maccab.* 6. 29.

E variis etiam Scripturæ locis intelligere eſt, eos in feſtis præcipue & ſacrificiis celebrandis, non tantum conviviis, ſed & choreis tripudiiſque indulgere ſolitos ut ritu illo lætitiam ſuam & diei ſacræ obſervationem eo magis teſtatiorem redderent. Hoc veteri conſuetudine uſitatum probat Davidis exemplum, quem ſeptem choris ſtipatum, poſt ſacrificia coram arca peracta, ſaltantem & ludentem vidit & contemſit (1) Michal. Idem confirmat celebris Benjamitarum hiſtoria, quos hujuſmodi rationem, ad uxores ſibi comparandas iniiſſe legimus, *Judic.* 21. 19. 20. 21. *Ecce*, inquiunt, *ſolennitas Domini* hodie eſt *in Silo anniverſaria: ite, & latitate in vineis, cumque videritis filias Silo ad ducendas choreas de more procedere, exite de vineis, & rapite ex iis, ſinguli uxores ſingulas* Judæos ſic feſta & ſacra ſua ſolenniora celebrare ſolitos, verbis etiam (2) *Juſt. Martyris* (3) confirmari poſſit. Poſtquam enim quæſitum eſſet, *quare in Eccleſiis cantilenis* κατὰ τὰς ἐν τῷ νόμῳ νηπίους, *eorum qui in lege fuere inſipientium more utimur?* Reſpondet, οὐ τὸ ᾆσαι ἁπλῶς ἐστὶ τοῖς νηπίοις ἁρμόδιον, ἀλλὰ τὸ μετὰ τῶν ἀψύχων ὀργάνων ᾆσαι, καὶ μετ᾽ ὀρχήσεως καὶ κροτάλων. *Simpliciter canere non eſt cum inſipientibus illis conſenſum colere, ſed inſtrumentis inanimatis & crotalis & cum ſaltatione canere*. Inde factum quod Judæorum ſolennitates nomen חגים in Scripturis ſortiantur, (4) *quia* ſc. *feſtis diebus lætitiam ſuam choreis & ſaltationibus declarabant, & adhuc declarant Judæi*: voce a חגג *ſaltavit, cyrcumgyravit*, derivata. Præ aliis autem feſtis, in Scenopegia ſe choris & tripudiis oblectare ſolebant. Hoc e *Nonno* diſcimus, qui cap. 7. *S. Job.* verſ. 37. de feſto illo dictum, in hunc modum παραφράζει.

> Αλλ᾽ ὅτε λοισθιον ἤλθε χοροστάδος ἦμαρ ἑορτῆς·
>
> *Quando ultima venit choreas —— inſtaurantis feſti dies.*

Hiſce etiam fidem conciliant verba (5) viri in Judæorum moribus & ſcriptis verſatiſſimi: *ſoliti ſunt Judæi —— in ſolennitatibus quibuſdam ſacris, hilaritatem ſuam ſaltatione & tripudiis exprimere*. *Omiſſis, quæ in pagina ſacra occurrunt*, *exemplis*, *reſer-*

refertur a patribus traditionum, præcipuam partem festivitatis in festo Scenopegiæ fuisse istiusmodi saltationes: viris primariis, grandævis & maxime religiosis in atrio mulierum tripudiantibus, idque quo vehementius, eo laudabilius.

Neque vero Judæi solummodo, sed & Gentiles ludos & choros, post peracta sacra, exercere solebant. Et mos ille adeo per omnes gentes inolevit, quod observante (6) *Luciano*, τελετὴν ἀρχαίαν ὀυδεμίαν ἐστὶν εὑρεῖν, ἄνευ ὀρχήσεως· *nullas festivitates aut ceremonias apud antiquos, citra saltationem celebratas reperiamus.* *Luciano* hac in re fidem eo faciliorem adhibeamus, quod constet saltationis ritum in sacris officiis, Ægyptiorum, Syrorum, Indorum, Arabum, Græcorum & Romanorum obtinuisse. De Ægyptiis non dubitandum esse docent mores Hebræorum, qui Ægypto nuper egressi & moribus Ægyptiacis imbuti, canticis & choreis, ritu proculdubio ab Ægyptiis accepto vitulum coluere. Hoc Moses testatum (7) reliquit, & *Philo Judæus*, cujus testimonium statim in medium producemus. Syrus etiam ritum illum in mores sacros olim recepisse, nobis facile persuadeamus, cum *Lucianus Syrus* saltationem tot elogiis, (8) libro singulari, decoraverit, eamque exercitium θεῖον τε ἅμα καὶ μυστικὸν appellaverit. Indi etiam hunc ritum in cultus parte posuerunt: nam *mane, postquam e strato surrexerint*, inquit, (9) *Lucianus*, πρὸς τὴν ἀνατολὴν στάντες, ὀρχήσει τὸν Ἥλιον ἀσπάζονται, σχηματίζοντες ἑαυτοὺς σιωπῇ καὶ μιμούμενοι τὴν χορείαν τοῦ θεοῦ· *ad orientem conversi, saltatione Solem consalutant, cum silentio seipsos conformantes, Dei choream imitari atque effingere conantur.* Arabum gentem ritum illum in moribus habuisse, conjicere licet e moribus Turcarum, qui a genere illo propagantur. Solent autem Turchæ templum *Meccanum*, modo quodam concinno & composito, religiose circumire; & festivitatem ludo quodam, *Czamach* dicto, celebrare, (10) *qui fit totius corporis regulata & bene modificata agitatione, cum honestis —— & valde decentibus omnium membrorum motibus, secundum modulationem mensuræ instrumenti musici*, &c. Græcos etiam saltatione solenni officia sua religiosa cohonestare solitos, testatur toties laudatus (11) *Lucianus*: nam de Delo, Græcorum insula, loquens, ibi, inquit, οὐδὲ αἱ θυσίαι ἄνευ ὀρχήσεως, ἀλλὰ σὺν ταύτῃ, καὶ μετὰ μουσικῆς ἐγίνοντο, *nulla sacra peregebantur, quibus saltatio non fuisset adhibita, sed & cum musica cuncta persolvebantur.* (12) *Aristides* etiam, cum varia Athenarum numina & ceremonias ab exordio deduxisset, ἐπὶ δὲ τούτοις, ait, χορεῖαι, καὶ τελεταὶ, καὶ πανηγύρεις ἐπεκράτησαν, ἄλλαι δ' ἄλλων Θεῶν ἐπιδημίαι· Hoc est, *Cantero* interprete, *Tum choreæ, sacra, & feriæ, ad singulorum Deorum adventum sunt introducta.* Cum autem Græcorum meminerim, non possum Romanorum saltationem præterire tacitam, ἣν οἱ εὐγενέστατοι αὐτῶν (sunt (13) *Luciani* verba) τῷ πολεμικωτάτῳ τῶν Θεῶν, Ἄρει, οἱ Σάλιοι καλούμενοι (ἱερωσύνης δὲ τοῦτο ὄνομα) ὀρχοῦνται σεμνοτάτην τε ἅμα, καὶ ἱερωτάτην, *quam nobilissimi quique illorum, quos vocant Salios (est autem nomen sacerdotii) Marti Deo bellicosissimo saltant gravissime & religiosissime.*

Ex iis quæ jam dixi clare satis elucet, saltationem religiosam apud omnes gentes, religionis alicujus nomine commendatas obtinuisse. Id unum in dubio positum est, Judæi an ethnici chorum duxerint, & in sacris officiis ritum illum primo usurparint. Plerique primum saltationis religiosæ usum Judæis vindicant, & ethnicos æmulatione cultus Judaici ductos, ritum eundem usurpasse. Sic *Moncæus* judicavit: postquam enim de filiis Silo, in Festo (14) choreas agentibus, mentionem fecisset, continuo (15) addit, *imitatæ sunt hæc gentes, ut fere divina omnia alia, in idolorum cultu.* *Rivetus* etiam de ritu illo in ethnicorum sacris usitato loquutus, *quem* (16) inquit, *usum superstitiosum idololatricas gentes, velut simias, verisimile est* κακοζηλίᾳ *quadam traxisse, a sacris illis saltationibus, quarum in Scriptura fit mentio.* Idem (17) *Bocharto* visum, aliisque.

Si quid autem ratione vel conjectura in hoc argumento assequendum sit, verisimilius est Hebræos, diu ante exitum ex Ægypto, morem saltandi inter sacrificandum usurpasse, & Deum ritum illum, utpote innocuum zeli indicium iis reliquisse potius quam præcepisse: gentes autem alias, non ab Hebræis, sed Ægyptiis, aut communium parentum institutis, (forsan una cum aliis sacrificandi ceremoniis) ritum illum accepisse. Ad hanc autem sententiam accessit animus, hisce ductus argumentis.

Primo: quia non constat ex ullo Legis Mosaicæ loco, Deum de ritu illo cultus vice præstando, quicquam Judæis in mandatis tradidisse. Si Sacras pandectas excutiamus, ritum illum nec præceptum, nec vetitum; sed quasi in medio & in gentis illius arbitrio relictum reperiamus. Nil itaque veritati propius videtur, quam quod longa consuetudo sacrificium & saltationem res duas quasi cogna-

gnatas & conjunctas fecisset, & Hebræi ritum utrumque, a primo rerum suarum exordio, conjunctim usurpassent; ne a moribus diu receptis, & Ægypti usu cohonestatis, plusquam Lex divina cogebat, aberrarent. Nam Scripturas vel leviter inspicienti obvium est, gentem illam a moribus novis recipiendis, & antiquis repudiandis, pari cum zelo & religione antiquitus abhorruisse.

Secundo: e Scripturis manifestum est, idololatras ludos & choreas, cum sacra facerent, ante Legem datam exercere solitos. Rei hujusce fidem firmat quod habetur, *Exod.* 32. 19. *Cum appropinquasset* Moses *ad castra, vidit vitulum & choros*. Hoc est, vidit fusile illud quod fecisset populus, & choreas quas circa idolum, in illius honorem & cultum agitarent. Huc alludens (18) *Philo* inquit, *prævaricari ausus est ita, ut corporum Deum sibi finxerit, instar Typhi, quem Ægyptii maxime colunt: cujus simbolum* fuit *aurei tauri fabrica*, περὶ ὃν χορὸς ἱςάντες οἱ φρενοβλαβεῖς ᾄδουσι· *circa quem insani choreas ducentes, canunt*. Et (19) alibi, vituli illius adorandi modum referens, χορὸς, inquit, ἀχορεύτους, *choreas inordinatas instituerunt*. Exemplum simile præbet c. 9. *Judic.* 27. Ubi Sichemitæ *egressi in agros*, —— *uvasque calcantes, & factis cantantium choris, ingressi sunt fanum Dei sui*; &c. Quo in loco LXX. in Romano codice vocem Hebræam הלולים in aliis autem codicibus χορὸς retinuerunt: & eam versionem probat *Chald. Paraphrastes*, qui vocem eam per חנגין *tripudia*, interpretatur. Sichemitæ vero canticis & tripudiis sacra sua celebrasse videntur, non ut mores suos ad gentis Judaicæ exemplum conformarent; sed ut Deum suum, more majorum, & gentium omnium ritu colerent.

Tertio: similitudo illa inter Judæorum & Ethnicorum saltationes religiosas, indicio esse potest Judæos, non e præcepto aliquo divino, sed Gentium consuetudine ritus illos accepisse. Ethnicis enim antiquis in morem abiit, promiscuis virorum & fœminarum choreis sacra sua plurimum celebrare. Ita conjicere licet, quod iis in locis ubi gentilismus etiamnum obtinet, viri una cum fœminis permixti (more proculdubio a Majoribus propagato) in solennitatibus suis religiosis saltitare solent. Nam (20) *Paulus Venetus*, magicas idololatricas orientalium quorundam ceremonias referens, *quando*, inquit, *idolorum sacerdotes volunt sua sacra facere, tunc vocant puellas consecratas, & cum illis in conspectu idolorum choreas ducunt, atque magnos & inconditos reboant cantus*. Ad hunc modum & veteres Judæos sacras suas choreas non raro agitasse, non est quod dubitemus; si eorum ritus spectare liceat e Therapeutarum moribus, qui Judæorum præcipue vestigia & instituta servasse videantur. Sic autem (21) *Philo* saltandi morem, in sacris Therapeutarum conventibus receptum, tradidit: δύο γίνονται τὸ πρωτον χοροὶ, ὁ μὲν ἀνδρῶν, ὁ δὲ γυναικῶν, &c. *In principio duo chori fiunt, alter virorum, alter fœminarum: cuique suus incentor præficitur, honore præstans & canendi peritia. Deinde cantant hymnos in laudem Dei compositos variis metrorum carminumque generibus, nunc ore uno, nunc alternis, non sine decoris & religiosis gestibus atque accentibus; modo stantes, modo prorsum retrorsumque gradum moventes.* —— *Deinde postquam uterque chorus seorsum explevit se his deliciis*, καθάπερ ἐν ταῖς βακχείαις ἀκράτου σπάσαντες τοῦ Θεοφιλοῦς ἀναμίγνυνται, ᾧ γίνονται χορὸς ἐξ ἀμφοῖν· *velut amore divino ebrii, unum chorum faciunt promiscuum, ad imitationem (22) illius olim instituti in rubri sinus littore post mirandum prodigium*. Cum autem chori illi promiscui latam nimis lasciviæ & licentiæ populari fenestram aperire credantur, multo verisimilius est eos, e seculi more, potius quam Dei præscripto, in Judæorum cultum & usum transiisse.

Quarto: cultus Ethnici naturæ & scopo magis consentaneum est, ut morem inter sacra saltandi, inde primam originem traxisse sentiamus. Nemini enim obscurum est, stupra & libidines magnam partem cultus Ethnici fuisse; nec minus innotescit, saltationes promiscuas Veneris illecebras esse, & inde saltantes simul & spectatores ad libidinem prurire & incitare solitos. Quo itaque moribus honestis consultum esset, multorum Conciliorum canonibus cautum est, ut Christiani a choreis hisce mixtis omnino abstinerent. Deinde, id inprimis curarunt sacrorum Ethnicorum præsides, ut mysteriis suis nihil aut pompæ aut delectamenti deesset, quod vulgi animos in admirationem rapere posset, aut eorum affectus ritibus suis devincire. Curarunt etiam ut ceremoniæ suæ hominem præcipue externum exercerent, eumque pene ad ultimum virium occupatum detinerent. Ad hanc originem, saltandi morem revocandum censuit (23) *Servius*, cum ait; *sane ut in religionibus saltaretur, hæc ratio est, quod nullam majores nostri partem corporis esse voluerunt, quæ non sentiret religionem*. Si quid itaque conjecturæ e cultus Ethnici genio ductæ tribuendum sit, probabilius est, sacras cho-

choreas agendi morem, ex antiquissimo gentium usu primitus oriundum: & inde Hebræos ritus illos, utpote nullibi vetitos & ad zelum suum exprimendum accommodos, ad ceremoniarum suarum numerum accepisse.

Nihil jam superest, nisi ut objectionibus duabus cum sententia nostra pugnantibus occurramus.

Prima sic se habet: leves & ludicri illi saltantium motus gestusque, a cultus divini majestate & gravitate tam longe absunt, ut plane incredibile sit Ecclesiæ Judaicæ Magistros, eos in sacris peragendis tolerare voluisse, nisi ea de re præceptum aliquod, si minus scriptum, saltem orale (per Mosen, quod Judæis placet, vel Prophetam aliquem veterem) accepissent.

Respondeo: Ecclesiæ Judaicæ præfectos hac in parte populi ruditati & pervicaciæ nonnihil indulsisse probabilius existimetur; quod certum sit Græcos ad Christianismum nuper conversos ethnicum illum festis diebus saltandi & choreas ducendi morem quam (24) pertinaciter retinuisse, & Episcopos diu aut indulsisse aut dissimulasse, choreas illas, aliasque ex prisca illa sua idolomania petitas consuetudines: donec tandem, (populo in fide firmato, & choreis illis intra modestiæ Christianæ terminos raro comprehensis) omnem operam studiumque iis aliisque Ethnicismi moribus funditus rescindendis adhiberent. De quo argumento curiosi (25) *Filesacum* paulo fusius disserentem consulant.

Secundo: objici possit, e *Psalmistæ* verbis clarum esse, Deum de solennibus illis Judæorum saltationibus legem disertam tradidisse: nempe (26) *Psal.* 150. 4. αἰνεῖτε αὐτὸν ἐν τυμπάνῳ καὶ χορῷ.

At hic locus non magis chori quam tympani usum in sacris præcipit: nec quisquam in animum facile possit inducere, Deum ea per Davidem, quæ tamen nusquam per Mosem mandavit, præcipere voluisse. Psalmistam itaque, quasi ita loquutum, intelligendum sentio: "dignus equidem Deus quem summis laudibus & encomiis efferamus, quem maximis honoris & lætitiæ indiciis celebremus: quum itaque usus obtinuerit, ut tympanum & chorum in summi honoris & animi in lætitiam effusi testimonium usurpetis; hisce Deum etiam, omni laude majorem, laudetis volo: ut eum ex intimo animi sensu & affectu celebrare & vos totos in laudes suas effundere videamini. Nil obstat itaque quo minus (27) *Zepperi* verbis concludam omnia: Judæorum *saltationes ceremoniale aliquid Mosaicum fuerunt, in quibus propter Judæorum duritiem & infirmitatem cordis ipsorum, ut in pluribus, ita hic etiam aliquid indulsit Deus.*

Ritum alium Judaicum in medium jam proferam, non minus, in speciem, lege & consuetudine confirmatum; quem tamen probaturi sumus e Gentilismi usu in Judæorum ceremonias transiisse. Erat autem ritus ille, solennis ramorum gestatio, qua Judæi ad σκηνοπηγίας pompam & celebritatem adaugendam, utebantur.

Ita morem habuisse e *Josepho* discimus, lib. 3. *Antiq.* cap. 10. ubi Tabernaculorum solennitatem explicans, *jubentur* inquit Judæi *octo dies* festos agere, ὁλοκαυτεῖν τε καὶ θύειν τῷ θεῷ τότε χαριστήρια, φέροντες ἐν ταῖς χερσὶν εἰρεσιώνην μυρσίνῃ καὶ ἰτέας σὺν κράδῃ φοίνικος, *victimasque Deo solidas incendere, & simul pro gratiarum actione sacrificare, manibus* interim *gestantes ramos myrti, salicis & palmæ.* Huic mori lucem & fidem afferunt *Maimonidis* verba in *Lulabh.* cap. 7. §. 23. *unoquoque die festi, soliti sunt altare semel circumire cum fasciculis in manibus* hoc *occinentes* אנא ה' הושיעה נא אנא ה' הצליחה נא *salva, obsecro, nunc Domine, prospera, obsecro, Domine: at die* festi *septimo septies altare circuiverunt*, &c. Ex eo more factum est ut fasciculi quos in festo tollerent הושענות (28) vocarentur, & quod totum festum in Hebræorum scriptis (29) *festum salicum* non raro appelletur.

Nec in Judæorum solummodo, sed & Gentilium festis & ceremoniis, rami circumlati locum primarium invenere. Nam in pompa illa, ad Minervæ honorem celebrata, viros aliquot eligebant qui cæteros ætate & pulchritudine præstabant, quibus (30) ramos ferendi munus assignatum erat; unde & vulgo θαλλοφόροι dicebantur. Apud Athenienses etiam festus erat dies, ramorum nomine insignis, quo in Bacchi honorem ferebantur ὄσχοι. i. e. (31) tenues rami, maxime Vitis: atque inde, festum ipsum ὀσχοφόρια, solemnitatis illius ministri ὀσχοφόροι, locus templo propinquus ὀσχοφόριος, & carmina ὀσχοφορικὰ dicebantur. Nec quisquam adeo hospes & tyro est in Græcorum veterum ceremoniis, qui norit eos Bacchum & Matrem Deorum Dendrophoriis, more perantiquo, coluisse. Hæc autem affinitas inter Judæorum & Gentilium ceremonias viris doctis veterem cantandi cantilenam occasionem præbuit; quod scil. (32) Diabolus & mystæ sui, Judæorum simii fuerint, & eorum mores ritusque suos fecerint. In hanc sententiam propendet (33) *Casaubonus:* postquam enim di-

dixisset ethnicos terræ proventum & fruges omnes Baccho acceptas retulisse; addit, *ad hujus beneficii recordationem, Dendrophoriæ solennitas videtur instituta: nisi tamen est Judaici festi τῆς βαϊοφόρυ, sive octavæ festi Tabernaculorum, ridicula imitatio*. Idem & *Grotio* visum in *S. Matt.* cap. 21. 9. ubi ait, *videtur ritus ramos gestandi, ut multa alia, a Judæis ad Græcos pervenisse*. Multa autem me movent, quo minus in hanc sententiam transeam; ea nempe argumenta quibus clare evinci potest, Judæos hunc ritum, ut multos alios, a Græcis aliisque in vicino gentibus accepisse.

Horum primum hujusmodi est: Apertum est Judæos, de solenni illa ramorum circumgestatione, nihil a Deo in mandatis accepisse. Sat novi Judæorum gentem huic assertioni obnixe refragari, & in ritus hujusce patrocinium multa cum fronte ad ipsam Legem appellare. Nempe, inquiunt, ritum illum clare institutum legimus *Levit.* 23. 40. *& sumetis vobis die primo ramos arboris pulcherrimæ, spatulasque palmarum, & ramos ligni densarum frondium & salices de torrente, & lætabimini coram Domino Deo vestro*. Loci hujusce auctoritate fretus *Maimonides* ritus illius non sine elogio aliquo mentionem facit, dicens, (34) *Præceptum nobile est, ut colligarent* לולב *& ramusculos myrti & salicum in fasciculum unum, & in manibus gestarent*, &c. At si textum illum paulo propius intueamur, facile percipiamus eum nec præceptum *nobile*, nec *obscurum* de hujusmodi ceremonia continere. Textus equidem de ramis ad tentoria scil. conficienda colligendis, aperte loquitur; de iis autem in fasciculum colligandis, solenniter circumgestandis, aut quassandis, ne syllabam quidem eo in loco reperiamus. Nempe verba illa non ritum aliquem novum (quod sentiunt Judæi) & a reliquis festi ceremoniis prorsus discrepantem denotant, sed jam antea præceptam Tabernaculorum ceremoniam explicant, & materiam tantum docent, e qua Tabernacula illa conficerentur. Hoc ex ipsis arborum speciebus ibi præceptis haud obscure perspicitur: cavet enim Lex, ut accipiant ramos arboris pulcherrimæ, quæ scil. umbram lætiorem projicit, & virorem diutius retinet: ramos etiam arboris densæ, qui nempe tectorii vicem melius præstare possent: ut salices etiam e torrente, utpote cæteris densiores, & in omnem figuram facile ducendas sibi compararent. Nulla autem ratio satis solida vel fingi potest, cur Deus de densis hisce ramis conquirendis tam explicate & sollicite loqueretur, nisi quod ad cœli injurias a populo, mense Septembri festum sub dio celebrante, propulsandas felicius inservirent. Deum ea solum ratione hujusmodi ramorum usum præcepisse, e verbis etiam *Nehemiæ*, cap. 8. 15. aperte colligamus: *egredimini in montem & afferte ramos olivæ, & ramos arboris pinus, & ramos myrti, & ramos palmarum, & ramos arboris densæ, ut faciatis tabernacula*. Quibus verbis *Nehemiah* arborum quarundam ramos, speciatim præceptos, *Lev.* 23. penitus prætermittit, & alios non minus densos & ad tentoria conficienda idoneos nominat: ut satis pateat Deum ramorum usum potius quam speciem curasse, eosque non ad gestationis pompam deducendam, sed tabernacula facienda, parari voluisse. Cum itaque nihil in Lege extet, unde Judæi ramos solenniter gestandi ansam arripere possent; verisimile est eos morem illum, cum multis aliis, a Græcis aut Romanis, (sub quorum imperio sui esse desiere) vel superstitione, vel necessitate, vel assentatione ductos, antiquitus accepisse; postea vero (35) Legis jam dictæ verba in moris patrocinium detorsisse, cum scilicet temporis longiquitas veram illius originem e posterorum memoria delevisset.

Secundo: Judæi ramos suos festivos ad ramorum Ethnicorum imaginem composuisse, & omnibus ramorum speciebus, naturalium & artificialium, quibus & ethnici, in solennitatibus suis usi videantur. Nam

I. Judæi ad solennitatum suarum pompam adaugendam thyrsos usurpabant. Nam Judith, postquam amputatum Holophernis caput Bethuliam asportasset, solenne festum Deo optimo maximo celebravit, in quo tam ipsa quam cæteræ mulieres thyrsis armatæ chorum duxisse narrantur, cap. 15. 12. καὶ ἔλαβε θύρσυς ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῆς, καὶ ἔδωκε ταῖς γυναιξὶ ταῖς μετ' αὐτῆς· quæ historia, de versione τῶν LXX. accepta, in Vulgata Latinorum Editione desideratur. (36) *Plutarchus* etiam de Judæorum ritibus agens, in festo σκηνοπηγίας usitatis, in hæc verba scriptum reliquit, ἐςὶ καὶ κραδηφορία τις ἑορτὴ καὶ θυρσοφορία παρ' αὐτοῖς, ἐν ᾗ θύρσυς ἔχοντες εἰς τὸ ἱερὸν εἰσίασι· Quod Latine dixerim, *est etiam solennitas quædam apud eos, quæ a gestatis ramis thyrsisque denominari possit, in qua cum thyrsis templum ingrediuntur*. *Josephus* etiam autor fidei minus suspectæ, sic morem habuisse refert. *Antiq.* lib. 13. cap. 21. ubi Judæos infensos suos in Pontificem animos, in hunc modum testatos asserit, ἑςῶτος αὐτῦ

ἐπὶ τῦ βωμῦ ϗ͂ θύειν μέλλοντος, κιτρίοις αὐτὸν ἔβαλλον· νόμυ ὄντος παρὰ τοῖς Ιυδαίοις ἐν τῇ σκηνοπηγίᾳ, ἕκαςον θύρσυς ἐκ φοινίκων ϗ͂ κιτρίων· *In eum sacrificare parantem, conjecta sunt citrea: nam festo tabernaculorum moris est Judæis singulos gestare thyrsos e palmis & citreis*. Thyrsos autem Judæorum quid distinctum fuisse a palmis aliisque ramis, e 2. *Mac.* 10. 7. colligamus: ibi enim Judæi, rebus prospere fluentibus, *thyrsos & ramos virides & palmas* tulisse dicuntur. Haud multum aberravero forsan si dixerim thyrsos hastulas aut virgulas pineas fuisse, viridi pampino, hedera aut alio aliquo palmite vestitas & condecoratas. Nam תרזה *thirza*, unde originem duxisse creditur, *pinum* sonat. Ethnicos etiam thyrsos in ceremoniis suis, (37) Bacchi præsertim pompis usurpasse, vix pueri nesciunt. Unum itaque *Virgilii* testimonium sufficiat, qui thyrsorum ethnicorum usum & formam sic nobis descriptum reliquit, *Eclog.* 5.

> *Instituit Daphnis thyrsos inducere Baccho,*
> *Et foliis lentas intexere mollibus hastas.*

E quibus docemur thyrsos fuisse (plurimum) (38) *hastas foliis intextas*, & insignia Bacchi mysteriis consecrata. Thyrsum insigne fuisse Bacchi sacris proprium vel inde colligamus, quod *Plutarchus* Judæorum θυρσογορίαν in festo Tabernaculorum usitatam, in argumentum rapiat, unde probet eos Bacchi præcipue sacris se addixisse. Nos autem multo probabilius concludamus, ethnicos θυρσοφορίας ceremoniam primo usurpasse, & Judæos ritum illum, a profanis expiatum ceremoniis, a gentibus Baccho devotis accepisse, & in Dei sacra transtulisse. Hæc eo veritati propiora habeamus, quod e scriptis Apocryphis constet, Bacchi ceremonias olim apud ipsos Judæos plurimum invaluisse. Legitur enim 2. *Mac.* cap. 6. Judæos ab Antiocho coactos fuisse, Bacchanalium solenne agitare, & hedera coronatos Baccho pompam ducere. Nec a vero abludit, eos Bacchi etiam telum, (39) thyrsum scilicet hedera obvinctum, tunc temporis circumgestasse. *Nonnum* itaque (quod obiter monendum censui) nec ratio nec religio fugit, quod tot mores & ritus Judæorum, verbis a sacris Bacchicis desumptis descriptos dederit; quamvis *Heinsius*, hujus rei causa, verbis plus æquo mordacibus eum quandoque castigaverit. Cum instituto præsente conjunctum est observare, *Nonnum*, historiam populi βάϊα φοινίκων gestantis referentem, verba nonnulla Bacchi ceremoniis propria usurpasse. Hoc autem in culpa ponit (40) *Heinsius*, dicens, εἰς ἕτερον θρησκείας εἶδος μετέβαινε, *hoc est, de Bacchicis ac priscis suis cogitabat sacris*. At vero, cum mos ille ramos solenniter gestandi, e Gentilium, & fortasse Bacchi, sacris dimanarit; *Nonnus*, morem illum referens, (siquid ipse judicio) verbis gentilismo propriis, non cum venia tantum, sed & cum laude utebatur. In tramitem jam, unde paululum digressi sumus, revertamur.

II. Apud Judæos antiquiores usus obtinuisse videtur, ut quosdam e ramis suis festivis, gossipio obvolutos, aut lana pendente, similive ornamento decoratos circumferrent. Nam apud (41) *Josephum*, Judæi festi munia peregisse dicuntur, φέροντες ἐν ταῖς χερσὶν εἰρεσιώνην μυρσίνης καὶ ἰτέας, σὺν κράδῃ φοίνικος (42) πεπωημένη. Quem locum (43) *Bonfrerius*, rejecta *Rufini & Gelenii* versione, sic reddendum censuit, *portantes in manibus ramum myrti & salicis, cum ramo palmæ elaborato*. Deinde addit, nec Ruffinus nec Gelenius *vertit illud* πεποιημένη, *quod indicat, hunc palmæ ramum elaborari consuevisse, additis forte quibusdam externis ornamentis:* hæc *Bonfrerius*, qui tamen ornamenta illa quæ ramis addebantur, ne verbo explicat. Hic itaque (44) *Menochium* multo feliciorem Josephi interpretem se præstitisse arbitror. *Crediderim*, ait ille, *ramis hisce additam fuisse* ἐρεσιώνην *illam, cujus hoc eodem loco meminit Josephus, & quam Bonfrerius sine interpretatione præteriit; est enim* ἐρεσιώνη *ramus oleaginus, vel citrinus*, &c. *lana obvolutus, quem circumpendentibus arborum fructibus, ante januas ædium suspendere solebant antiqui; ad quem modum probabile est Hebræos ramos lana pendente, aut gossipio obvolutos, in lætitiæ signum gestare solitos*. Quibus post pauca, subjungit auctor, *quod addit Josephus*, προσθέντος τῦ μήλυ τῆς περσέας, *accedente malo pacifico, intellige de citris* —— Et *fortasse non absurde dici posset de ramis hisce & thyrsis omnis generis fructus suspendisse Judæos, citria, mala medica, pompa, mala persica*, —— *& hujusmodi alia*. Hanc conjecturam rationi consentaneam sentio quod Εἰρεσιώνη Græcorum (a quibus *Josephus* vocem illam mutuatus est) fasciculus esset e variis frondibus & fructibus concinnatus, lana coronatus, quem etiam in festis & mysteriis suis solenniter circumferebant. In cujus rei fidem consulant curiosi varia Antiquorum, quæ (45) *Meursius* huc spectantia congessit testimonia.

III. Judæi non tantum thyrsum & ἐρεσιώ-

σιώνην, ſed & palmarum, ſalicum, myrti aut olivæ ramos: nativo tantum virore decoratos, in ſolennitatibus ſuis circumgeſtabant. Hoc e jam citatis *Joſephi* verbis, & Judæorum moribus hodieque receptis conſtare arbitror: quibus addi poteſt ſolennitas illa, 2. *Maccab.* 10. 7. memorata, ubi Judæi, templi & altaris reſtitutionem celebrantes, *Thyrſos & ramos virides & palmas* tuliſſe perhibentur. Ethnicos etiam in ſolennibus ſuis morem plane germanum coluiſſe, e verbis (46) *Eratoſthenis* colligamus; τῦ Πτολεμαίυ ϛτίζοντος ἑορτὴν κ̀ θυσιῶν παντοδαπῶν γενὴ, κ̀ μάλιϛα περὶ τὸν Διόνυσον, &c. *Ptolemæo feſtum conſtituente, & variorum ſacrorum genera, quæque maxime ad Bacchum pertineret; interrogavit Arſinoe illum qui thallos & thyrſos ferebat, ecquis ille dies feſtus eſſet*, &c. Palmas etiam in pompis Ægyptiorum ſolenniter geſtatas fuiſſe, inde tuto conjiciamus, quod apud Græcos, rituum Ægyptiacorum æmulos, in morem tam pertinacem venerint, ut una cum iis in Chriſtianiſmum tranſierint, & nomen dederint Dominicæ, quam nos Palmarum, illi βαϊοφόρον vocabant a βάϊς, quod βάϊς lingua Ægyptiaca (47) palmam denotet.

Satis ſuperque me probaſſe cenſeo, Judæos ramos ſuo ritu ethnico paraſſe & omnes ramorum formas, quibus & ethnici, in ſolennitatibus ſuis uſurpaſſe. Hinc autem non ſine ratione argumentum ſumimus, Judæos ſolennem illum ramos geſtandi ritum ab ethnicis derivaſſe. Multum enim a ratione diſcordat, Judæos ritus illius materiam a Lege, formam autem a Gentilibus accepiſſe.

Tertio: inde etiam veriſimile eſt Judæorum ramos feſtivos e ſtirpe ethnica propagatos, eo quod Judæi, faſciculos ſuos circumgeſtantes, tot ceremonias obſervarint, quæ originem ſuam, non a Legis præſcripto ſed Gentilium ramos geſtantium uſu petiiſſe videntur.

Nam I. Ramulos ſuos quaſſare, hoc eſt, ſurſum, deorſum, huc, illuc, inter geſtandum agitare, pro religione habebatur. Sic uſu veteri receptum fuiſſe teſtatur (48) *Maimonides*, & Judæorum mores (49) hodierni a Majoribus propagati, cum feſtum Tabernaculorum in Synagogis celebrant. Hunc autem ritum nullibi in lege præceptum eſſe, notum omnibus qui *Pentateuchum* vel primis tractarunt digitis. Idem fatetur (50) *Rab. Jacob Ben Aſcher*, lib. ארבע טורים ubi ait, ב׳ה כתב רניענוע דרבנן *Baal Hattur ſcripſit quod agitatio ramorum ſit ex placitis Doctorum*. Et ſtatim poſtea, וכתב עוד מנהג אבותינו מוליך ומביא מעלה ומורי *Inſuper ſcripſit, ex conſuetudine Patrum noſtrorum, faſciculos educebant & reducebant, elevabant & deprimebant*. Sed multo credibilius eſt, id moris e Gentilium ritibus potius quam Doctorum placitis in Judæorum ceremonias tranſiiſſe. Nam, obſervante (51) *Caſaubono*, Ethnici, *in ducenda pompa*, ramos *quatiebant in honorem ejus cui pompa ducebatur: quod Græci dicunt*, κλάδυς ἐπισέιειν· *Et ad eum*, inquit, *morem Epiphanius & Chryſoſtomus alludentes, phraſi illa* βαΐα σέιειν vel ἐπισέιειν *utuntur, hiſtoriam Chriſti ad Hieroſolymam equitatis referentes*. Firmat *Caſauboni* verba, quod apud (52) *Heliodorum* victoriæ nuncii ab Hydaſpe Rege præmittantur, τὰς κεφαλὰς τῷ Νειλῴῳ λωτῷ καταϛέψαντες, κ̀ φοινίκων πτόρθυς ταῖς χερσὶ κατασείοντες, *capitibus Niloo loto redimitis, & palmarum ramos quos manibus tenebat quatientes*.

II. Judæi, dum faſciculos ſuos quaſſarent, ſolennem precatiunculam, Pſalmiſtæ verbis conceptam, adhibere ſolebant; læti ſubinde (53) exclamantes אנא ה׳ הושיעה נא אנא ה׳ הצליחה נא *Salva, obſecro nunc Domine: proſpera, obſecro nunc Domine*. Huic etiam conſuetudini, utpote nullibi a Deo inſtitutæ, Gentilium mores anſam præbuiſſe crediderim: nam apud eos, inquit (54) Paſchalius, rami *manu geſtati a ſupplicantibus frequenter movebantur, ſive quatiebantur: qui motus erat index animi intentius rogantis, atque —— obteſtantis; cujus rei exempla ſunt apud* (55) *Apuleium duæ mulieres ramos oleagineos utræque quatientes*. Ideoque *R. Gamaliel* & *R. Joshua* moris hujuſce vetuſtiſſimi ſcopum mentemque, præ cæteris Judæis, perſpectam habuiſſe (56) videntur, *quod cum omnis cœtus faſciculos ſuos perpetuo agitaret*, illi ſuos non commoverent, niſi ad clauſulam illam, *ſalva obſecro Domine*: cum ſcilicet preces Deo funderentur.

III. Judæi canticis & acclamationibus κραδηφορίαν ſuam teſtatiorem & celebriorem facere ſolebant. Ita morem habuiſſe, teſtatur *Maimonides*, in *Lulabh*. cap. 8. §. 12. 15. Ubi refert, primores & plebem Judæorum, in feſto Tabernaculorum, *ſanctuarium*, (i. e. exteriore aliquas templi partes,) *ingreſſos, choreis, quaſſatis faſciculis, canticis, cymbalis, & pſalteriis*, animos ſuos in lætitiam ſupra modum effuſos teſtari ſolitos. Hæc eo credibiliora habeamus, quod Judæi, σκηνοπηγίας feſtum agitantes cantica ſacra ramis ſuis quaſſatis conjungere (more proculdubio a patribus propagato) (57) etiamnum ſoleant. Cum autem Judæi eo cantandi munere fungerentur, moris erat

magnum quod vocant, *Hallel* occinere, quamvis cantionis illius celebritas in frequenti geminatione & regeminatione τῦ *Hoſanna* præcipue conſtitiſſe videatur. Ethnicis etiam ſolenne erat, ramorum geſtationem in Apollinis honorem inſtitutam, hymnis & canticis condecorare. Nam (58) *Proclus* δαφνηφορίας pompam deſcribens, ᾧ χορὸς inquit, παρθένων ἐπακολυθεῖ, προτείνων κλῶνας πρὸς ἱκετηρίαν τῶν ὕμνων. *hunc* Daphnephorum nempe, *virginum chorus inſequitur: ramos prætendens ad ſupplicationem, quæ hymnis celebrabatur.* Nec Gentilium hymni in ὀχοφορίοις uſitati (ſi eorum materiam generalem ſpectemus) adeo magno diſcrimine a Judæorum canticis ſeparabantur: Prout enim Judæi *Magnum Hallel* & *Hoſanna* frequenter ingeminabant, ita & Ethnici (59) Ἐλελεῦ, ἰὲ ἰὲ, aut ἰὴ παίαν, cum ramos geſtarent, acclamare ſolebant.

IV. Judæis ſolenne erat (60) ſaltare in feſto Scenopegiæ, *manu tenentes* אביקות של אור *faces ardentes*. Ethnici etiam (61) λαμπάδια καὶ δᾷδας in feſtis & myſteriis pleriſque uſurparunt: atque inde δαδῦχεῖν τὰ μυςήρια, in Veterum ſcriptis proverbii pene locum occupavit. De hoc argumento curioſi *Caſaubonum* conſulant, & auctores ab eo citatos, paulo fuſius diſſerentem, in *Comment.* ad *Theoph. Char.* περὶ ἀδολεσχίας, pag. 32. Hoc unum obiter notandum cenſeo, nempe θύρσυς & ramos & faces indicare; forſan quod (62) thyrſus (uti dixi) pinum notet, e qua optimæ lampades ac tædæ fierent; vel quod rami & faces in Bacchi ritibus nexu indiſſolubili ſibi invicem cohærerent.

V. Judæi, in ſolo Tabernaculorum feſto, poſtquam ſcilicet fruges collegiſſent, εἰρεσιώνην & κράδην quam dixi πεποιημένην, id eſt, ramum lana & omnis generis frugibus appenſis, exornatum circumgeſtabant. Ethnici etiam nunquam (quod ſcimus) niſi in feſtis Πυανέψια & Θαργήλια dictis, poſt fruges nempe collectas, hujuſmodi ceremonia utebantur. In cujus rei fidem audiamus *Scholiaſten Ariſtophanis* (63) *Equitibus*, Πυανεψίοις καὶ Θαργηλίοις, Ἡλίῳ καὶ Ὥραις ἑορτάζυσιν Ἀθηναῖοι. φέρυσι δὲ οἱ παῖδες —— θαλλὺς ἐρίοις περιειλημένυς, ὅθεν Εἰρεσιῶναι λέγονται. E ramo autem illo, lana obvoluto, (64) fructus omnes dependiſſe, nos docet *Suidas*, Εἰρεσιώνη· κλάδος ἦν ἐλαίας ἐρίοις πεπλεγμένος· ἐξήρτητο δὲ αὐτῷ τὰ ὡραῖα πάντα· &c. Eo autem ritu Gentiles ſe fructum & lanam, victum & veſtitum Deorum ſuorum benignitati accepta referre, tacite profitebantur. Nec dictu promtum eſt, cur Judæi ſuam etiam εἰρεσιώνην in feſto tantum poſt fruges collectas celebrato circumferrent; niſi ut eadem ipſa ceremonia qua gentes vicinæ, dæmoni, illi Deo ſoli, ſe omnia vitæ commoda aſcribere teſtarentur. Judæos ramos circumferentes, hoc in propoſito habuiſſe, eo credibilius exiſtimemus, quod

VI. Judæis ſolenne erat ramos ſuos feſtivos in templum ferre. Ita nos docet (65) *Plutarchus*, qui hoc inter alia de Judæis feſtum σκηνοπηγίας agitantibus memoriæ conſignavit: ἔςι δὲ καὶ κραδηφορία τὶς ἑορτὴ καὶ θυρσοφορία παρ' αὐτοῖς ἐν ᾗ θύρσυς ἔχοντες εἰς τὸ ἱερὸν εἰσίασιν· *eſt etiam ſolenne apud eos feſtum, a palmitibus & thyrſis geſtandis nuncupatum, ubi thyrſos geſtantes in templum intrant*. Idem & *Maimonidis* teſtimonio, ante paucas paginas, firmatum accepimus. In Gentium etiam ὠχοφορίοις ſolenne erat ramos ſuos in templum geſtare, inde enim locus in templo, a ramorum illuc geſtatione, (66) nomen Ὠχοφόριον obtinuerit: quandoque vero Gentiles εἰρεσιώνην ſuam, ante fores templi Apolinis ſtatuebant. Hoc teſtatum reliquit *Suidas* in Voc. Εἰρεσιώνη, & *Euſtathius* ad *Iliad.* Χ'.

Cum itaque Judæi veteres iiſdem plane ceremoniis, quibus & ethnici, κραδηφορίαν ſuam celebrarerent; inde pronum eſt credere ſolennitatem ipſam ex ethnicorum moribus primitus oriundam. Nam rationi diſſonum videtur, Judæos ritus hujuſce, ſubſtantiam quidem e Lege, circumſtantias autem omnes e Gentiliſmo accepiſſe.

Quarto: inde etiam haud inepte colligamus, Gentium conſuetudinem ramorum geſtationi principia tribuiſſe, quod ceremonia illa eundem plane uſum & locum in Judæorum, quem in Gentium, pompis ſacris & civilibus obtinuerit. Nam

I. Judæi ritu illo in ſignum lætitiæ non vulgaris utebantur. Cum enim Simon magnam victoriam de Judæorum hoſtibus reportaſſet, ob rem proſpere geſtam Deum & Simonem (67) μετ' αἰνέσεως καὶ βαΐων læti celebrabant. Cum etiam templi & altaris religio per Judam reſtituta, ingentem lætandi materiam Judæis attuliſſet, Thyrſos, & ramos virides, & palmas præferebant 2. *Mac.* 10. 7. Inde profectum, quod ritum illum in pompis ſacris aut civilibus, in Dei vel hominis alicujus præclare meriti honorem inſtitutis adhiberent. Eo enim ritu in feſto σκηνοπηγίας, quod (68) *Plutarchus* de Judæis agens, τὴν μεγίςην καὶ τελειοτάτην παρ' αὐτοῖς ἑορτὴν, *præcipuam & ſacratiſſimam apud ipſos ſolennitatem* appellat, utebantur. Cum etiam Dominus Hieroſolymas appropinquaret, Eum ramis ex-

ce-

ceperunt; ut lætitiam suam eo testatiorem facerent, & pompam tantæ personæ adventu digniorem agerent. Parum enim rationi consentaneum est Judæos ritum illum a festo Tabernaculorum accepisse, & ad Domini adventum cohonestandum transtulisse; eo quod illum, Messiam, adeoque festorum & rituum suorum omnium scopum & nucleum existimarent: nam eo persuasio (Christum scilicet Messiam fuisse; & omnes Judæorum ritus ad Eum respexisse,) non nisi sagaciorum quorundam animos tunc temporis occupavit. Multo probabilius est Judæos hoc veteri exemplo fecisse, cum & gentes exteræ, in publicis & festivis suis solennitatibus sparsis foliis & ramis gestatis lætitiam suam indicare solerent. Nam (69) *Herodianus*, *Commodi Imperatoris* Romam revertentis pompam & triumphum referens; *Senatus*, inquit, *universus populusque Romanus*, δαφνηφόροι τε καὶ πάντα ἐπιφερόμενοι ἄνθη τότε ἀκμάζοντα, &c. *palmas gerentes & flores omnifarios (quos dabat anni tempus) conferentes, in occursum prodierunt*. Nec a gentium usu plane alienum erat, quod Judæi non tantum ramis gestatis sed & Hosannis ingeminatis Domini adventum celebrarent. Nam & Romani, cum primum Imperatorem jam dictum conspicati essent, (70) eum εὐφημίαις παντοδαπαῖς, — καὶ ἀνθέων βολαῖς ὑπεδέχοντο· *faustis omnibus & acclamationibus*, — *florumque sparsionibus exceperunt*. At sentio me a re proposita paulisper deflexisse: ad institutum revertar.

II. Judæi ramorum gestationem tanquam precandi ritum & formulam usurpabant. Hoc ex historia illa Evangelica modo memorata manifestum arbitror: nam populus palmarum ramos vibrans, *Hosanna filio David*, frequenter ingeminabat, & iis verbis vel sibi vel potius Christo Domino, fausta & felicia omnia precabatur. Exemplum huic affine præbet *Apoc.* 7. 9. 10. Ibi enim multi *stabant ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis: & palmæ erant in manibus eorum: & clamabant voce magna dicentes*, ἡ σωτηρία τῷ Θεῷ —— καὶ τῷ ἀρνίῳ, *Hosanna* —— agno, omnia illi prospera eveniant & honorifica. Neque enim Sancti illi palmas gestabant in signum victoriæ, (quod multis creditum) sed lætitiæ & precationis; quod & verba proxime sequentia (com. 11. & 12.) manifestum faciunt. Apud Græcos etiam (71) supplicibus in more erat ramos (72) oleaginos, lana candida circundatos, ore manuque præferre: unde ἱκετήριοι κλάδοι, apud Æschylum, *supplices rami*; & Græci ἱκετηρίαν olivæ ramum a supplicando nominant. Istud non fugit *Virgilium*, *Æn.* 11. v. 100. ubi ait,

Jamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleæ, veniamque rogantes.

III. Judæi ramorum gestationem in religionis parte habebant, eosque in cultus & adorationis signum præferebant. Hujus rei inde certa fides, quod Judæi ramos circumferrent, persuasi se ritu illo legem adimplere, & officium Deo pergratum exequi; quod ipsos parvulos suos, cum primum sex annos superassent, ad hoc officium præstandum astrictos existimarent; quod ramis instructi (73) templum ingrederentur, & altari astarent, dum sacra Deo oblata comburerentur. Nec obscurum est ramos hunc usum in Gentilium ceremoniis habuisse: quis enim ignorat pinum Pani, cupressum Sylvano & Diti, Herculi populum, Isidi abrotonum, Baccho vitem & hederam consecratam fuisse; & Ethnicos arborum earum ramos & folia in Numinum illorum cultu prætulisse? Hunc itaque ritum, una cum falsorum Deorum cultu, Judæos antiquiores a Gentilibus accepisse, e verbis Prophetæ conjiciamus: *Ezech.* 8. 17. ubi Propheta, superstitiosos & pravos eorum mores arguens, inquit, *impleverunt terram violentia, & conversi sunt ad irritandum me, & ecce (74) applicant (75) ramum ad nares suas*. Cujus textus obscuri interpretem egregium se præbuit (76) *S. Hieronymus*, cum dixit, *significat* Propheta *viginti quinque viros* —— *non solum templum habere post tergum, sed instar idolorum applicare ramum ad nares suas: haud dubium quin palmarum, quas Græco sermone βάϊα vocant, ut per hoc eos idola adorare significet*:

Cum itaque e jam dictis apertum sit, ramorum gestationem eundem plane usum & significatione in Judæorum, quem & olim in Gentilium, mysteriis habuisse; inde promtum est colligere, κακοζηλίαν quandam huic ceremoniæ Judaicæ originem tribuisse, & Judæos, cum solennitates suas ramis circumgestatis celebrarent, non tam Legis præscriptum, quam Gentium morem, ob oculos posuisse.

Quinto: inde etiam videri possit, ramos gestandi morem ab Ethnicis originem petiisse, eo quod alii Judæorum mores, huic consuetudini summa propinquitate conjuncti, recenseri possint, quos proculdubio a vicinis gentibus mutuati sunt. Hoc tribus exemplis ratum faciam.

I. Apud

I. Apud Judæos uſu veteri factum eſt, ut Principum & Imperatorum adventum ſertis & coronis foribus affixis celebrarent. Cum enim *Alexandri* adventus metum non levem Judæis incuſſiſſet; pontifici *obdormienti*, inquit (77) Joſephus, *præcepit Deus ut bono eſſet animo*, καὶ στεφανοῦντας τὴν πόλιν, ἀνοίγειν τὰς πύλας, *ſertiſque civitatem ornantes, portas protinus aperirent, & alios quidem cum veſte alba, ipſum autem & ſacerdotes cum legitimis ſtolis juſſit occurrere*. Hæc autem pompa ad antiquum ſeculi morem ornata videatur: nam, referente (78) *Xiphilino*, cum *Teridates*, *Armeniæ* princeps, Romam adveniret, πᾶσα μὲν ἡ πόλις ἐκεκόσμητο καὶ φωτὶ καὶ στεφανώμασιν, *urbs tota luminibus ſertiſque ornata*; —— ὁ δῆμος λευχειμονῶν καὶ δαφνηφορῶν, *populus albatus palmaſque ferens medium forum occupavit*. Et poſt paginas nonnullas, Neronis reditum e Græcia referens, (79) *aſcendit*, inquit, *in Capitolium*, πάσης τῆς πόλεως ἐστεφανωμένης καὶ λυχνοκαυτούσης· *tota urbe ſertis inſignita, & lychnis ac ſuffimentis plena*. II. Judæorum moribus receptum erat flores & folia in bene meritos ſpargere: nam *M. Agrippa*, qui templum donis cumulaſſet, Hieroſolyma deceſſurus, *ad mare deductus eſt, proſequentibus multarum civitatum populis, eumque flore & fronde ob pietatis admirationem aſpergentibus:* uti auctor eſt *Philo* de *legat.* ad *Caium*. Hanc autem honoris & benevolentiæ teſtandæ rationem, Judæi a Græcis aut Romanis accepiſſe credantur: nam apud eos florum & foliorum ſparſio in uſum tam frequentem veniſſet, quod (80) ſi quem inſigni populi favore honeſtatum omniumque plauſu & lætitia acceptum ſignificare vellent, hunc φυλλοβολούμενον nominarent. III. Judæorum ſacerdotes hedera veſtiti vel coronati ſolennia ſua agitaſſe videntur. Huic conjecturæ, (81) *Taciti* verba de ſacerdotibus Judæis locum faciunt: *ſacerdotes eorum tibia tympaniſque concinebant, hedera vinciebantur*. Gentium etiam ſacerdotes coronas ex hedera factas in Bacchi ſolennitatibus induiſſe, norunt omnes qui vel levi rituum Bacchicorum cognitione imbuuntur. Et veriſimile eſt Judæos morem illum retinuiſſe, ex eo tempore quo minis & pœnis ſeveriſſimis, (82) *hedera coronati Libero Patri pompam facere cogebantur*. Cum itaque apertum ſit, Judæos hunc aliſque mores, ramorum geſtationi conjunctiſſimos, a gentibus accepiſſe; minime abſurdum aut rationi diſſonum videri debeat, quod & ipſam κραδηφορίαν Judaicam, ad eandem originem, Gentium ſcilicet uſum, referendam cenſeamus:

Sexto: niſi ſententiæ noſtræ fides habeatur, nulla ratio, vel ſpeciem ferens, extundi poteſt, cur Judæi ramos ſimplices, vel ramos fructibus circumpendentibus decoratos, in nullo niſi Tabernaculorum feſto circumferrent: at ſententia noſtra conceſſa ratio ſtatim conſtabit, & omnia prodibunt captu facilia & ænigmatis ſuis liberata. Nam crebris veterum teſtimoniis firmatum eſt, Orientales ad lætitiam ſuam indicandam, ramos prælatos vel foribus affixos uſurpaſſe: hoc & eo veriſſimilius habeamus, quod in mores hodiernos receptum ſit, lætiora veris ineuntis tempora, natales imperii regii, aut principis adventum, ramis humi ſtratis vel ad limina poſitis celebrare. Cum itaque Deus Judæos ad lætandum coram ſemetipſo in feſto præcipue tabernaculorum, aſtrictos tenuiſſet; pronum & conſultum eſt credere, eos ramorum geſtationem (utpote ritum maxime proprium, & rebus lætis ubique uſitatum) ad lætitiam ſuam religioſam teſtandam & promovendam, e Gentium moribus ad ſacra ſua tranſtuliſſe. Pari facilitate expediamus, cur Judæi ramos illos (quos vocat (83) *Joſephus*) πεποιημένης in feſto σκηνοπηγίας circumferrent. Solebant enim gentes in pompis & ſacrificiis palmites & ramos variarum arborum, pomis & fructibus omnigenis onuſtos geſtare; eoſque ſubinde ad os & nares referre: ut ritu illo Solem adorarent, eique tanquam fructuum creatori gratias agerent, eoſque quaſi primitias quaſdam Soli conſecrarent. Gentes autem ſtatim poſt frugum collectionem, ritum illum uſurpaſſe perhibentur. Judæi itaque ramis modo conſimili ornatis feſtum collectionis celebraſſe videntur, ut ritu ubique recepto ſe bona ſua omnia, Dei, non Solis benignitati accepta referre profiterentur; & ut populus (84) hiſce gentium moribus affetus, ritibus, a quibus facile divelli non poterant, in Dei honorem uterentur.

Septimo: hiſce omnibus roboris nonnihil accedit e *Plutarchi* teſtimonio: ille enim de Judæorum moribus, Tabernaculorum inprimis ſolennitate, paulo fuſius agens, (85) *paucis poſt diebus*, inquit, *aliam feſtivitatem non obſcure ſed aperte Baccho nuncupatam agitant. Eſt etiam apud ipſos feſtum ſolenne*, κραδηφορία καὶ θυρσοφορία *nuncupatum, quo ramos & thyrſos tenentes templum ingrediuntur. Quid agant ingreſſi, latet nos: veriſimile eſt Bacchanalia agere*. Quibus verbis *Plutarchum* a vero ritus hujuſce Judaici fine & ſcopo multum aberraſſe, non diffitendum eſt: at inde pateat eum & æquales ſuos, ramos

mos gestandi ceremoniam gente Judaica antiquiorem existimasse, & ex Ægypto (inde enim Bacchi cultum petit (86) Manethus Ægyptius) originem derivasse. Idem sentire videtur *Dionysius Grammaticus* apud (87) *Clem. Alexandrinum*: postquam enim asseruisset Ægyptios aliosque non tantum per verba sed & symbola significasse; statim addit, ὡς ὅ τε τροχὸς ὁ στρεφόμενος ἐν τοῖς τῶν Θεῶν τεμένεσιν, ἑλκυσμένος παρὰ Αἰγυπτίων· ϗ τὸ τῶν θαλλῶν διδομένων τοῖς προσκυνοῦσι. *ut & rota quæ vertitur in Deorum templis, quæ tracta est ab Ægyptiis, & rami qui dantur iis qui adorant*. Et sane eo probabilius est ritum illum proprium Ægypti fœtum fuisse, quod eum, plusquam cæteræ gentes, in deliciis habuisse credatur. Nam, teste (88) *Kirchero* Ægyptii veteres *nullam sine ramorum circumgestatione solennitatem peregerunt; hosce siquidem ramos in Isiacis, Mythriacis, Ithyphalliis sive Dionysiacis, gestare consuerant, nullam sine hisce divinationem, nullas sortes, vel consultationes peragebant*.

Nihil jam superest nisi ut tribus Objectionibus breviter respondeamus. Harum prima hujusmodi est: tota Judæorum natio sententiæ nostræ aperte refragatur: nam ramorum gestationem tanquam ritum legibus jussum nullo non ævo sancte coluerunt, & Majores suos ceremoniam illam a Græcis aut Romanis accepisse, ne per somnium quidem hactenus cogitarunt. Vix quicquam autem a probabilitate alienum adeo vel fingi potest, quam quod perspicax illa natio adeo domi cœcutiret, ut nubem pro Junone, ritum Ethnicum pro instituto divino tot seculis amplecteretur.

Respondeo: facile prævideo omnem hic in diversum ituram Judæorum turbam. Hoc autem me leviter tangit, cum probe sciam Judæos misera literarum humaniorum ignorantia laborare, & historicos Ethnicos, antiquos gentium mores referentes, tanquam idolum aut porcum, abominari. Ex ea autem crassa & affectata rerum antiquarum ignorantia prodiit, quod rituum suorum causas nos melius teneamus quam ipsi, & ipsos Magistros illos in sua quasi schola non raro erudire valeamus. Ex eadem ruditate factum est, quod ritus omnes a patribus suis transmissos, quorum originem expedire nesciunt, ficta Mosis auctoritate, quasi eos e Sinai tradentis, protegere soleant; aut textum aliquem Legis (si verborum superficies patiatur) in eorum patrocinium cogere.

Secundo: ad sententiam nostram refellendenda dici potest, quod liquido constet gentes Bacchum suum & orgia ejus sub סכה vel scena e ramis contexta celebrasse. Unde illud *Horatii Carm.* lib. 1. cap. 18.

—— Non ego te, candide Bassareu,
Invitum quatiam; nec variis obsita frondibus
Sub divum rapiam. ——

In eo autem colendi ritu, diabolum & servos suos festum τῆς σκηνοπηγίας, quo Deus sub tentorio e variis frondibus contexto colebatur, imitatum fuisse, nemo hactenus dubitavit. Nec dubio locus esse potest, cum festum tabernaculorum Bacchi ritus antiquitate superet, & rationibus genti Judaicæ propriis innitatur. Cum itaque Bacchi cultores tentoria illa e ramis confecta a Judæis mutuati sint, verisimile est thyrsos etiam & ramos virides, quos Judæi in festo σκηνοπηγίας præferebant, e Judæorum sacris in Bacchi ceremonias, per gentium κακοζηλίαν, transiisse.

Respondeo: Bacchi cultores Numinis sui ritus sub tentorio ramoso peregerunt, non quod Sacra Judaica imitandi studio ducerentur; sed primo quod mos & consuetudo bibendi sub *Succa*, sive ὑπὸ σκηναῖς, in Syria & Oriente (unde Bacchi ritus dimanarunt) plurimum obtineret. Exemplo sit *Benhadad*, quem luxui & crapulæ ἐν σκηναῖς indulsisse legimus, 1. *Reg*. 20. 16. Πίνων —— αὐτὸς ϗ οἱ βασιλεῖς ἐν Σοκχώθ. Secundo verissimile est gentes Bacchum suum sub tentorio e frondibus contexto coluisse, ut templum orgiis suis dicatum e vite & hedera contexeretur, & eo magis cum Numinis sui natura & ingenio consentiret. Quicquid sit, a me impetrare non possum ut sentiam Bacchi cultores tentoria sua frondosa a Judæorum exemplari petiisse; quum Judæi (quantum per Legem licuit) mores Bacchi sacris proprios in cultum suum derivarint. Si enim (89) *Plutarcho*, in re tam levi fidem tribuamus, in festo a tabernaculis nuncupato sedere solebant ὑπὸ σκηναῖς ἐκ κλημάτων μάλιστα ϗ κιττοῦ διαπεπλεγμέναις, *in tabernaculis quæ e palmitibus & hedera potissimum contexebantur*: (90) thyrsos etiam, cultus Bachici insigne, eo in festo circumferebant: & teste (91) Propheta, ὠλόλυζον —— ἐπὶ σίτῳ ϗ οἴνῳ. Est autem vox illa Bacchi ritibus propria in quibus cultores sui omnia lamentis & ululatibus complere, pro religione habuere. Unde Bacchus ipse in *Euripidis Bacch*. v. 23.

Πρώτας δὲ Θήβας τῆς γῆς Ἑλληνίδος
Ἀνωλόλυξα, νεβρίδ' ἐξάψας χροός.

Sed

Sed alius ex ipsis Legis sacræ verbis nascitur scrupulus: sic enim cautum legimus, *Levit.* 23. 40. *& capietis vobis* פרי עץ הדר (92) *fructum arboris pulchræ, ramos palmarum*, &c. *& lætabimini*, &c. E quibus colligunt Judæi (& quid aliud colligere possunt?) Legem non tantum ramos, sed & mala citrea (utpote fructum arboris pulchritudine præcellentis) in festo σκηνοπηγίας gestanda præcepisse. Ideoque rami virides & rami fructibus appensis exornati, in solennitate illa circumferri soliti, non e gentilissimi usu sed Legis præscripto pullulasse videantur.

At hunc scrupulum Lectori facile eximamus: nam, (quidquid dicunt Judæi) nulla omnino ratio reddi potest, cur vox illa פרי sensu usitato, pro *fructu* nimirum, eo in loco sumeretur. Veritati multo similius est, vocabulum illud quodvis arboris incrementum, illius nempe ramos, denotare: sic enim vocem reddit versio (93) Anglicana, LXX. etiam vocem פרי (94) alibi per (95) κλήματα *palmites* interpretantur, & (quod caput est) in loco illo (96) parallelo, quo varia arborum genera ad Tabernaculorum solennitatem requisita enumerantur, omnes earum partes עלי φύλλα, *frondes* aut *rami* appellantur, nec ibi fructus alicujus mentionem reperiamus. Neque Judæi, qui vocem illam de fructu interpretantur, fructus illius usum aut gestandi modum certo assignare valent. Nam hodierni Judæi in σκηνοπηγίας solennitate, mala citrea una in manu, ramos autem in altera tenere solent; cum (97) *Josephi* tempore *manibus gestarent ramos myrti, salicis & palmæ, e quibus mala —— dependerent*. Unum jam restat, nempe ut Lectorem exoratum habeam, ut sermonis paulo fusioris culpam materiam ad dicendum benignam conferat.

N O T Æ.

(1) 2. *Sam.* 6. 6. 1. *Par.* 15. 29.
(2) *Quæst.* 107. *ad Orthod.*
(3) Vid. pag. 863.
(4) *Schindler.* Lex in voc. חגג
(5) *Lightfoot. Hor. Hebr. in S. Mat.* 14. 6.
(6) Lib. περὶ ὀρχήσεως.
(7) *Exod.* 32. 19. 20.
(8) Lib. jam laud. pag. 506. C
(9) Ibid. p. 505. B
(10) *Hottinger. Hist. Orient.* lib. 2. cap. 5. p. 307.
(11) Ubi supr. p. 505. A
(12) Tom. 1. *Orat. Panathenaic.* p. 184.
(13) Ibid. p. 506. A
(14) *Judic.* 21. 19. 21.
(15) De *Aur. Vit.* l. 2. c. 6.
(16) *Commend. in Exod.* 15. 21.
(17) Lib. de *Animal.* p. 1. l. 2. col. 349. 20.
(18) Lib. de *Temul.* p. 254. A
(19) Lib. *de legib. special.* p. 796. D
(20) De *Regionib. Oriental.* l. 3. c. 24.
(21) De *Vit. contemplat.* p. 902.
(22) *Exod.* 15. 20.
(23) In *Virgil. Eclog.* 5. v. 73.
(24) V. *Concil. Trul. can.* 62.
(25) *Select.* l. 1. c. 6. p. 76.
(26) V. & *Psal.* 149. 3.
(27) De *Legib. Mosaic.* l. 4. c. 9. p. 345.
(28) *Eli. Thisb.* in *Hoschaan.*
(29) *Ainsvvorth.* in *Lev.* 23. 40.
(30) *Paschal.* de *Coron.* l. 4. c. 12. *Aleand. Tab. Heliac.* in *Encarp.*
(31) Vid. *Meurs. Græc. Fer.* l. 5. in Ωσχοφορ.
(32) Vid. *Gataker. Advers. Miscel. Posth.* c. 42.
(33) De *Satyr. Poes.* l. 1. p. 70.
(34) In *Lulabh.* c. 7. §. 6.
(35) *Levit.* 23. 40.
(36) *Symposiac.* l. 4. probl. 5. p. 671. C
(37) Θύρσοι, ῥάβδοι, βακτηρία, βακχική. *Hesych.*
(38) Vid. *Macrob. Saturn.* l. 1. c. 19.
(39) *Liber pater thyrso ferit per obliquationem circumfusa hederæ latentem mucronem.* Mac. Sat. l. 7. c. 1.
(40) *Aristarc. Sac.* c. 25. p. 454.
(41) *Antiq.* l. 3. c. 10.
(42) Juxta Lectiones *Bigotii* & Exemplar *Sambuci*, πεποιημένην *fasciculum ex myrto & salice cum spadice palmæ compositum*: similique phrasi usos est *Josephus* p. 113. v. 5. 14. 35. & p. 116. v. 19. *Hudson.* in loc.
(43) *Comment.* in *Levit.* 23. 40.
(44) De *Rep. Hebr.* l. 3. c. 8.
(45) *Græc. Feriat.* l. 5. in voc. Πυανέψια.
(46) Apud *Athen.* l. 7. c. 1.
(47) *Hor. Apoll.* l. 1. c. 3. 4.
(48) In *Lulabh.* c. 7.
(49) V. *Leo Moden.* de *rit. Jud.* p. 3. c. 7. §. 4.
(50) In vol. אורח חיים num. 651. fol. 77.
(51) *Exercit.* 16. num. 5.
(52) *Æthiopic.* l. 10. p. 457.
(53) *Maim.* in *Lulabh.* c. 7. §. 23.
(54) De *Coron.* l. 4. c. 12.
(55) *Metam.* l. 3. p. 77.
(56) *Lulabh.* c. 7.
(57) *Leo Moden.* de *rit. Jud.* p. 3. c. 7. §. 4.
(58) Apud *Phot.* in *Biblioth.* col. 990. 10.
(59) Vid. *Plutarc.* in *Thes.* pag. 10. A
(60) *Suc.* ap. *Mischn.* c. 5. §. 4.
(61) *Plutar.* in *Cicer.* p. 871. E.
(62) Θύρσοι, κλάδοι, λαμπάδες, λύχνοι. *Hesyc.*
(63) *Act.* 2. *Scen.* 2. vers. 725.
(64) V. *Meurs. Græc. Feriat.* in Ωσχοφόρια.
(65) *Sympos.* l. 4. *qu.* 5. p. 671. E
(66) Ωσχοφόριον, τόπος Ἀθήνησι φαληροῖ, ἔνθα τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν· *Hesych.*
(67) *Mac.* 13. 51.
(68) Lib. 4. *Sympos.* pag. 671. D
(69) Lib. 1. §. 17.
(70) Idem §. 18.
(71) *Hadr. Iun. Animad.* l. 2. c. 11.
(72) Ἐν τοῖς λιτανείαις καὶ ἱκετηρίαις τοὺς τῆς ἐλαίας θαλλοὺς προτείνουσιν. *Porphyr.* de *antr. Nymph.* p. 270.
(73) Vid. supr. pag. 1114.
(74) Ἰδοὺ αὐτοὶ ἐκτείνουσιν τὸ κλῆμα. LXX. in loc.
(75) Juxta *Exemplar. Vatican.* Ἰδοὺ αὐτοὶ ὡς μυκτηρίζοντες.
(76) In *Ezec.* 8.
(77) *Antiq.* l. 11. c. 8. p. 503. 10.
(78) *Epit. Dion.* in *Neron.* p. 185. C
(79) Pag. 193. C
(80) V. *Caussin. Polyh. Symbol.* l. 5. c. 43.
(81) *Histor.* l. 5. p. 116.
(82) 2. *Mac.* 6. 7.
(83) Vid. pag. 1114.
(84) *Ezec.* 8. 17.
(85) *Sympos.* l. 4. p. 671. E
(86) Apud *Euseb. Præp. Ev.* l. 2. c. 1. p. 47.
(87) *Stromat.* l. 5. p. 672. 30.
(88) *Obelisc. Pamph.* l. 4. p. 362.
(89) *Sympos.* l. 4. q. 5. p. 671. E
(90) Θύρσους ἔχοντες εἰς τὸ ἱερὸν εἰσίασιν. Id ib.
(91) *Hos.* 7. 14.
(92) LXX. καρπὸν ξύλου ὡραῖον.
(93) Ye shall take----the boughs of goodly trees.
(94) *Ezec.* 19. 12.
(95) Juxta *Exemplar. Vatican.* τὰ ἐκλεκτά.
(96) *Nehem.* 8. 15.
(97) *Antiq.* lib. 3. c. 10.

M. JOH. ERN. MULLERI
DISSERTATIO
De Davide ante Arcam fœderis saltante. ad 2. Sam. VI. 14.

I. Saltandi studium, licet non eadem regularem serie semper descriptum ex eo statim tempore, quo homines multiplicari cœperunt, in usu fuisse Ratio humana arguit, Historicorum Fides comprobat, Poetarum lepos, quæque ex illorum inventis ac rerum monumentis extruitur, Antiquitatis imago, testatur:

Si mente enim cogitamus, quo usque Homo, lætitia gestiens, abripiatur, in eam omnino adducimur sententiam, omnibus Temporibus, perinde ac nunc fit, pectus lætitiæ stimulis concitatum, prorsus eodem modo sese publice prodidisse, ut impressionibus cerebri bonum aliquod animæ repræsentantibus, & oblato sensibus ejusdem usu, hominem ad gesticulandum manibus pedibusque compulerit. Sic hominis istac animi passione affecti egregiam nobis imaginem delineavit: *Le sieur de la Chambre Medecin de Monseigneur le Cancelier* in libro elegantissimo, quem inscribit, *Les Characteres des passions*, hoc verborum compendio utens: *Vous voyez sur la visage une certaine vivacitè, une inquietude agreable, & une ardiesse riante, le plaisir petille dans les yeux & la douceur en accompagne tous les mouvements, &c. Voila les characteres, que la joye imprime sur le corps par le commandement de l' ame.* Vultus prodit notabilem aliquam hilaritatem, gratam inquietudinem, atque audaciam mirifice arridentem, animo concepta voluptas emicat ex oculis, ejusque suavitas omnes corporis motus comitatur &c. Ecce quos characteres lætitia corpori nostro, jussu ac imperio animæ, imprimat. Sicuti enim homines in rebus adversis varios motus ac gestus edunt, ita & in prosperis & ad voluntatem fluentibus internas pectoris titillationes diversis membrorum commotionibus indicant.

Quare cum animus gaudiis ita soleret præoccupari, ut iisdem subactus omnia corporis membra ad gestiendum protruderet; ne indecenter fieret hoc ipsum, Majores nostri certis regularum cancellis ac convenienti Musices moderamine istas plaudentium gesticulationes coercere voluerunt, ut artificio quodam, numero ac ratione certa institueretur; quæ artis regulæ ac Musicorum instrumentorum concentus, quo minus cum Gentis cujusdam gravitate consentire viderentur, in ea plerumque & ars Magnorum Virorum personis indigna judicabatur. Sic, teste Cornelio Nepote, politissimæ Latinitatis autore, saltare apud Romanos in vitiis erat positum, (in Vit. Epam.) proculdubio, quod tum temporis Ratio politica potius & dominandi cupido, quam rei iniquitas, ab aliis inventam saltandi consuetudinem excluderet, ne crebro ejus usu animi effœminarentur, antequam omnia victricibus suis armis debellassent, siquidem, ipsorum imperio confirmato, omnibus maxime indulgebant tripudiis.

In adducendis Poetarum & Historicorum testimoniis, pro nostra stabilienda sententia, nolo esse prolixus. Apud Græcos, gentes olim bonis artibus, ac Linguis cultissimas, saltare & gratum & laude dignum habitum fuisse, laudati jam Nepotis autoritate confirmatur. Sic & Atticæ Eloquentiæ dives Xenophon de Thracibus, præda ab hoste in fugam verso reportata lætantibus commemorat: Ἐπεὶ αἱ σπονδαὶ τ' ἐγονοντω καὶ ἐπαίωνισαν, ἀνέστησαν πρῶτον Θρᾶκες καὶ πρὸς αὐλὸν ὠρχήσαντο σὺν τοῖς ὅπλοις καὶ ἥλαντο ὑψηλάτε καὶ κύφως καὶ ταῖς μαχαίραις ἐχρῶντο lib. 6. Exped. Cyr. pag. 289. n. 42. in quo libro & Ænianensium & Magnetum saltatio in armis, Carpæa dicta, describitur. numer. 51. Et quantum ex eodem autore liquet, Paphlagones, etiam Arcades, quæque hisce vicinæ erant gentes, præ cæteris commodo saltare sciverunt, cum illarum ad cantus harmoniam probe attemperatus motus exteros in admirationem raperet. Vide autor citat. in Conviv. Maxime commendantur ab Horatio Jones, quorum motus lasciviores & petulantiores fuisse testatur lib. 3. Od. 6. De Phœnicibus hocce Homerus, Poetarum pater, Odyss. Θ. testimonium perhibet.

Ἀλλ᾽ ἄγε γαιήκων βητάρμονες ὅσσοι ἄριστοι
Παίσατε, ὥχ᾽ ὁ ξεῖνος ἐνίσποι οἷσι
Οἴκαδε νοστήσας, ὅσσον περιγινό-μεθ᾽, ἄλλων
Ναυτιλίῃ καὶ ποσσὶ καὶ ὀρχηστυῖ, καὶ ἀοιδῇ.

Ita eſt, Græcos præ omnibus ſupra modum ſaltationibus deditos fuiſſe, confirmari itidem poteſt Pollucis, Athenæi, & Luciani ſcriptis, in quibus prope innumera ſaltationum genera depicta videmus, utut ſunt: Podiſmus, Siphiſmus, Comus, Tetracomus, Aſcoliaſmus, Colabriſmus, Phalicus, Bactriaſmus, Dycomus, Strobylus, Apoſinus, Apoſiſis &c. De his aliiſve, præter autores citatos, conſule Alexand. ab Alexand. qui, diverſo quæque geſtu ac motu ſaltationum genera peracta fuiſſe atteſtatur. Ariſtonymum, nobilem Citharœdum, civitate & ſtatua donarunt Athenienſes, quippe qui arte ſua Muſica choreis delectantes probe noverat dirigere, eorumque amplificare gaudia. Cœli lib. 4. cap. 8. De rigidiſſimorum cenſore, Lycurgo, commemorat Plutarchus, ipſum quoque delectaſſe ſaltationibus, eaſdemque certis Legum inſtitutis ordinaſſe. Socrates, hem! quanta autoritate Philoſophus! ſaltare quoque non erubuit, teſte Xenophon. loc. cit. & Athenæo lib. 1. cap. 16. Lacedæmonii ſaltationem tanquam ad bella utilem, ut greſſus magis compoſito incederent milites, inter quotidianas diſciplinas habuere. Quintil. lib. 1. cap. 19. Athen. lib. 14. cap. 13. Sic & Perſis ſaltare & equitare præcipuum fuit Lucian. in lib. de Salt. Livius, origine Patavinus, ipſa autem ſermonis elegantia Romanus ab Hetruſcis, antiquiſſimis Italiæ populis, ſaltandi conſuetudinem ad Romanos perveniſſe docet, quam Virgilius, Poetarum caſtiſſima Virgo, more ſuo, id eſt, doctiſſime depingit.

Pars pedibus plaudunt, choreas & carmina ducunt.

Exinde colligimus, (1) Saltationem non ſemper ad Muſicorum inſtrumentorum concentum, ſed & ad lepidas præſentium cantiunculas inſtitutas fuiſſe. (2) Romanos, cum imperium ipſorum jam mole laboraret ſua, in hac arte Græcis nec quicquam conceſſiſſe, ſed æque immoderatos ſeſe in ſaltando geſſiſſe, ut Zacharias Pontifex per plateam choreas ducere ſolitos anathemate percuſſerit, quod Polydoro Vergil. Magiſtro lib. 5. cap. 2. addiſcimus. Sic adeo tempore mutati ſunt Romanorum mores, ut Appius Claudius, Vir Conſularis, & Gabinius, Marcus Coelius, & Licinius Craſſus, optime ſaltare gloriæ ſibi duxerint, quod ante ipſos Scipio Africanus ceu rem inhoneſtam damnaverat. Quantus chorearum æſtimator fuerit Horatius, lib. 1. Od. 37. hiſce verbis prodit: Nunc eſt bibendum, nunc pede libero pulſanda tellus. Denique diſtinctio inter ſaltationum vulgarium ac theatralium ſeu ſacrarum, ſpecies obtinuit, vid. Roſin. in antiquit. & Synopſ. Poli ex Platone afferenris ad 2. Sam. *6.* 14. diſtinctionem inter ſaltationem, quam vocarunt antiquitus εὐοπλίαν ſeu militarem, & εὐμέλειαν modeſtam, & circa ſacra adhiberi ſolitam, id quod de Saliis Martis ſacerdotibus perſpicuum eſt, qui ſaltando cultum divinum celebrare conſueverant, teſte Horat. lib. 4. Od. 1. primam ſpeciem eleganter Homerus Od. Ε. conviviorum appendicen appellavit.

Quemadmodum vero omnes motus naturales, artis præcepti muniti, pro ſeculi elegantia, magis magiſque emendari ſolent, ita quoque tripudiatio ex eadem cauſa ſuas emendationes ſuſtinuit ut noviter inventa ſaltationum genera antiquioribus & meliora, & ad decorem magis compoſita, judicentur. Neque, quod arbitramur, Filia Herodiadis Herodis oculis adeo jucundum præbuiſſet ſpectaculum, niſi ejuſdem corporis motus ad novas artis regulas probe accommodati fuiſſent, quibus alias, cenſente Ligthfootio ex Sota cap. 5. in Horis Hebraicis in Matth. cap. 14. verſ. *6.* Honorem erga Diem ejus natalem amoremque ac venerationem erga ipſum demonſtraverit, lætitiamque de ejus vita & ſalute. Sic atiam Hegeſinax apud Antiochum Regem una cum ipſius aulicis pyrrichiam ſaltare detrectavit, cum eandem ut novum & inauditum artis genus non eſſet edoctus. Athen. lib. 4. Hippoclides cum Lacedemonicos & Atticos modo Cliſteni reliquiſque Sicyoniis neutiquam probatos, ſaltaret, deſaltavit matrimonium Bruſ. lib. 3. Noſtræ ætatis ſeculum ſi introſpiciamus, ad extremam perfectionis lineam ſaltandi ſtudium perductum eſſe, Gallorum præſertim opera, non immerito cenſetur; tot tamque variis atque iis quidem politiſſimis choreas ducendi generibus auctum eſt, ut aliquod annorum ſpatia ad ejus perceptionem nunc decernenda ſint. Saltat nunc Rex cum Achivis, Clerus cum Laico, neque luridis dentibus ac rugis turpatæ vetulæ formoſiſſimis puellis miſceri verentur. Scite qui ſaltare hodie didicit, hic ſolus eſt ἄξιος ὀβελίσκου, ſin mi-

minus, ἄλμη οὐκ ἔνεστιν αὐτῷ, uti Græci, proverbiis loquuntur. Literatissimi Viri hujus artis compendio, quasi præferendo longissime Socratis de civilitate præceptis, mores elegantiores ac decentiores conversandi ritus, metiuntur, quasi vero non posset aliquis absque saltandi peritia κατὰ τὴν ἀλήθειαν πολιτικὸν εἶναι, uti Aristoteles loquitur. Invenies hodie eorum non paucos, qui optimæ ætatis florem saltatiunculis devovent, fæcem senectutis Deo consecrantes. Quin tam corrupta per qualemcunque saltandi licentiam ingenia sunt, quibus saltatiores omnino a Deo præcepta & ad Lydium scripturæ lapidem approbata videtur, nullo licet discrimine inter varia saltationum genera, religiosa ac jocosa, eaque vel licita vel illicita seu honesta constituta. Primus est, cujus exemplo, quo jure quaque injuria, factum quodcunque excusant, David, הגבר הוקם עלמשיח אלהי יעקיב: quare ad ipsum, in hac quoque causa, ἀλόγως καὶ ἀτόπως provocant tanquam ad communis nequitiæ Asylum, quando de eodem sacra refert pagina, quod ante fœderis arcam saltando ac gestiendo incesserit. Ne autem hoc exemplo ad excusandam quacunque saltandi iniquitatem porro abutantur πολύτροποι καὶ πολυμήχανοι, (οἷοι νῦν βροτοί εἰσιν,) in sacram scripturam nos pietate commovit, illud, אם השם יעזור præsenti hac dissertatione exequi, ut, quomodo Christianorum saltationes sese habere debeant, ostendamus, si quid præsidii in Davidis exemplo obtinere possint. הק׳בה מחוך הוכיח יחברר האמת cœptis nostris benigne adspiret atque ita dirigat eadem, ut veritas propugnata nullius exercitii blandimentis nos, melius edoctos, cum impiis coalescere sinat.

II. Gemina saltationis Davidicæ descriptio nobis traditur 2. Sam. cap. 6. vers. 14. & 16. in utraque unus idemque a Spiritu S. proponitur sensus, nos interim circa posteriorem, quæ continetur, vers. 16. nostra potissimum dissertatione versabimur, atque ita quidem, ut una opera omnes controversiæ ex utroque versiculo decidantur. Ἀπὸ τῆς δὲ βαλβίδων ut ordiamur, juxta vulgare illud monitum: δεῖ πρῶτον τὸ τῆς φωνῆς σημαινόμενον ἐξετάζειν εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, ante omnia verborum, quæ hic utramque faciunt paginam, Etymologia ac usus in dicendo evolvendus est. Verba textus ita sonant: ותרא את המלך דוד מפזז ומכרכר לפני יהוה:

Primum pro ratione nostri instituti, sese nobis enucleandum offert verbum מפזז quod participium in piel esse, cujus patet, qui vel a limine prima sacræ literaturæ rudimenta salutavit, שרשו פזז ולו שני פנים in prima acceptione robustum esse designat, quemadmodum hoc sensu Genes. 49. 24. usurpatur, quando Jacobus filio suo Josepho מכל בניו desideratissimo de Manasse & Ephraimo vaticinando promittit: ויפזו זרועי ידיו: robusta erunt brachia manuum ipsius h. e. filiorum duarum manuum brachia, posteri scil. adversus quoscunque hostium insultus prævalebunt, reddit Anglicana: *the arms of his hands were made strong*. Sicuti enim strenui bellatoris invictum robur in brachiis potissimum sese exercuerit, ita & Jacob divinus Vates pollicetur fore, ut Josephi virtutes atque invita pietas in Manasse ac Ephraimo tanquam in duobus longe lateque protensis brachiis clarissime manifestarentur. Eundem hujus verbi unum, si in sensu simplici spectetur, locus, qui nostræ dissertationi materiam suppeditat, perspicuum nobis facit, siquidem in conjugatione piel, autore Pagnino in Thes. ling. Sanct. idem denotat, quod viriliter agere seu affirmare sese, præsertim quando choreæ ducendæ sunt, hinc Rabbi David. Kimchi, בספר והורשים דרך הרוקדים רחזק אזור מתניהם בעת רקידה: Mos, inquit saltantium est, ut roborent cingulum lumborum suorum, cum saltare volunt, idcirco Hieronymus, peritissimus in Philologia S. Ecclesiæ pater, per *subsilere* vertit. David quoque חגור אפוד בד saltavit, quamvis eo fine sese non induerit cingulo ac vestimento, sacri alias ordinis, ut eodem succinctus ad motus saltantibus familiares paratior esset, quin potius ex more & instituto Orientalium, qui longis togis vestiti incedunt, hoc fecit, quando enim in publicum egrediuntur, fluxum vestitus habitum cingulo adstringunt, ne eodem festinantium pedes implicentur atque offendiculum fiant. Convenientissime tamen Spiritus S. eum מפזז vocat, quod comuni saltantium consuetudine receptum erat corpus præmunire cingulo. Quid hic per אפוד בד intelligendum sit, Philologis λίαν μέγα αἴνιγμα videtur. Existimamus cum Cornelio a Lapide באפוד בד non sacram vestem, sed vulgarem fuisse, qua & aliæ personæ induebantur, solis furente æstu, quippe quæ minus levitate sua corpus oneraret, idcirco jam laudatus Commentator diversum fuisse Davidis אפוד בד ab ejusdem denominationis habitu, quo Sacerdotes vestiebantur. Erat autem consutum ex subtilissimo & candidissimo lino, quare 1. Paral. 15. 27. atque hoc in loco, de qua omnis nostra vertitur disputatio, בד co-

cognominatur. Altera toties nunc citati verbi significatio celebratur in conjugatione Hophal, qua 1. Reg. 10. 18. de Salomone commemoratur, quod Thronûm suum obduxerit זהב מופז quod Rasci exponit כמבהיג כמרגלית auro puro sicuti Margarita. Chaldæus bonum aurum nominat, eum sequitur Lutherus, qui per aurum optimum explanat, idem fecit & Anglicana versio: רד"ק dicit fuisse, טוב ומזוקק זהב נקי מסינים כתם פז aurum & defoecatum, species innoxia, secundum perfectionem optimi auri רל"בג similiter asserit, fuisse aurum probe compactum & induratum. Intelligimus igitur hanc significationem a priori non multum differre. Sed ut e diverticulo in viam redeamus. Chaldæus participium מפזז per מרקד exprimit, quod proprie saltantem designat. Maluit itaque actum ipsum, quam ejus adjunctum describere. Gallica versio utrumque textus vocabulum conjunctim reddidit per *sauter d'une merveilleuse force*. Potius cum Chaldæo ad sensum conjunctum verborum, quam simplicem, respiciens. Anglicana pressius, uti solet in plerisque, textum sequitur, quando de Davide enunciat, eum fuisse *leaping and dancing before the Lord*, ita & Lutherus vernacule explicat: Und sahe den Köning David spzingen und tanzen vor dem HERRN. Kimchi ad hanc vocem commentatur: מפזז גם כן כמו מרקד אלא שהם בעיינים שונים זה מזה או יהיה הכל בענין אחד והכפל לרוב הרקוד: Sic ipse dubius hæret, an hoc verbum מפזז pro synonimo τῶ מכרכר venditare debeat necne, an cum Tirino tantum contentissimum saltandi actum delineari per utrumque asserere, Chaldæus & autor 1. Chron. cap. 16. vers. 29. duo etiam verba diversos actus denotantia conjungit: David erat מרקד ומשחק saltans, ludens & celebrans, per posterius itaque participium ad modum boni interpretis adhuc aliam actionis circumstantiam, Davidem scilic. non saltasse solum, sed pleno etiam Deum ore laudasse, adjunxerunt, siquidem omnibus constat, fusiori orationis filo deduci in libris Chronicor. quæ jamdum in libris vel Samuelis, vel Regum concisiori verborum compendio proposita fuerunt. Chaldæus autem in translatione librorum Samuelis & Regum, Chronicorum libros pro Exegeticis habuit, unde & eorumdem translationem omisisse nobis videtur. In omnes enim libros compositæ sunt paraphrases, præterquam in Danielis, Esræ, Nehemiæ & Chronicorum libros, quorum duo priores semi-Chaldaici sunt. Equidem Anno 1680. paraphrasis Chaldaica prioris Chronici, & Anno 1683. posterioris, opera & cura D. Beckii e Manuscripto Bibliothecæ Erfurtensis edita est, sed in exiguo apud Judæos sunt pretio, & autoritate multo inferiores reliquis, quod non eundem Jonathanem cum cæteris paraphrasibus autorem habeant. Videatur D. Beckius in præfat. ad Lectorem, & Leusdenius in Philologo-Hebræo mixto dissertat. V. & seq.

Alterum verbum in ejusdem conjugationis forma usurpatum, cujus Etymologia adhuc *συντόμως* tradenda venit, est מכרכר. Freti Concordantiarum & Masoretarum autoritate bis tantum in sacro codice extare profitemur, & quidem in hoc ipso capite 2. Sam. *6*. vers. 14. & *16*. Descendit judice Buxtorfio a radice כרך apud Hebræos inusitata, in piel autem horum verborum ad compensationem exclusi dagesch aliquando una radicalium geminatur. D. Wasmuthus, Vir de Ecclesia Christi meritissimus, & Præceptor meus ætatem devenerandus, in Hebraismo Restituto cap. v. Reg. xxv. membr. 3. num. 1. a כרר derivat. Conf. Reg. 42. & 36. membr. v. not. 3. alias plerisque Lexicographis subsilire notat, idcirco Concordantiæ modo citatæ ejusmodi adjiciunt commentarium: פירושו רקיד או תאר לגמלים האקין ללכת & Rabbi David Kimehi loc. cit. פירושו מרקיד ומזא נקראו הגמלים או בהמות הקלות בהליחחם כרכרות: Quæ interpretatio plerosque S. Codicis interpretes compulit, ut derivatum כרלרות Esai. *66*. us. 20. ad Camelos applicarent. Unus loco omnium adhuc sufficere potest ex Rabbinis pro hac stabilienda sententia Abarbanel, ille ad hunc locum enodandum sui quoque ingenii vires contulit, ita commentando: בכרכרותיהם הגמלים מלרוב מרוצתם יראה כאלו מרקדים מלשון ורוד מכרכר: Invitis tamen Hieronymo & Aquila hanc sententiam propugnat, qui hoc nomen carrucis proprium esse contendunt, verum circa instituti nostri labefactionem hoc faciunt, siquidem carrucæ æque ac Cameli omnes vias suas subsiliendo quasi emetiuntur. Ipse Buxtorfius a radice כרר deflectit nomen כר oris, atque eleganter ex hoc fonte derivatur, est enim agnus animal *ἁλτικὸν* *καὶ πηδητικὸν*, hinc parabolice Psal. 114. us. 4. dicitur: ההרים רקדו כאילים גבעות ככני צאן: Accipimus itaque istæc duo verba in sensu composito pro synonimis & *ὁμοψήφως* habemus plerosque Judæorum Doctores: Sic רלבג commentario suo hunc locum illustrat: הנה מרוב השמחה היה דוד מרקד ומפזז לפני יהוה כאילו לא היה מלך: Substituit in locum מכרכר hic

hic Rabbi cum Chronico verbum מרקד tamquam usu magis frequentatum, & interpretativum minus usitati in sacro codice. Contra, quod jam fuit adductum, Chaldæus pro מפזז adhibuit מרקד vel ex supra allegata ratione, vel quod utrumque verbum pro Synonimis habuerit tam in sensu incomplexo, quam complexo, conjuncta vero esse in hac oratione ad majorem actionis vehementiam denotandam, forte putavit, nobis tamen placet supra proposita sententia, eamque defendimus; scil. quod duo verba, quibus Spiritus 2. Sam. 6. uſ. 16. usus est, sejunctim alias positas diversos actus exprimant, hic vero conjuncta idem denotent, quod מכרכר בכל עז atque sic saltationem Davidis aggravent, contra quod in Chronico unum illud participium מרקד eandem significationis vim involvat, alterum vero aliam actionis circumstantiam conotet, ad cujus normam Chaldæus quoque suam paraphrasin ordinavit.

Ex jam dictis, quod arbitramur, non solum de mente nostra satis constabit, sed & illud perspicuum erit, Davidem, Virum pietate & armis insignem, vere saltasse. Sed quo in genere saltationum laudabilium vel illaudabilium istæc Davidis tripudiatio censenda, & quibus corporis motibus perpetrata sit, ea nunc disquirenda, & secundum causarum circumstantias discutienda veniunt.

III. David Palæstinis, Idumæis, Amalekitis, Moabitis, Syris, Dzobæis & Damascenis perdomitis, regnoque suo jam in flore constituto, præcipuas in animo curas de hoc agitabat, ut cultum Dei publicum restitueret, & arcam fœderis, tamquam potissimum Religionis Judaicæ externum objectum, ante omnium oculos in illustri Sionis domicilio statueret, ad perpetuam Divinæ Bonitatis memoriam Israelitarum mentes alligaturus; hoc cum procederet feliciter & jam præteriti ac præsentis temporis beneficia animo repeteret, defixos toties totiesque retinens fidei oculos in arca fœderis, tanquam in throno divinæ Gloriæ & typo salutis per futurum ex semine suo Messiam reparandæ, infinitas pectore lætitias concipiebat, ut iisdem prope liquesceret; Accedebant universi populi plausus & jubila, וקול שופר ותרועה quibus ad diffundendas Dei laudes omnes assurgebant, hæc adeo grata ejusdem auribus accidebant, ut nihil supra. Pertinet huc Psalm. 105. quem in theatrali pompa & apparatu decantasse, autor est Lutherus. Quandoquidem ad lætitiam plerumque vehementius exstimulamur, quo melius cum illa re agitur, in quam nos amoris propensio inclinat; Sic David sacer ille χορευτὴς Deum (ad quem qui se convertit, docente Arndio meo, ad summum & absolutum bonum sese convertit, lib. 4. de Ver. Christianis.) toto pectore amabat, quippe qui coram Deo ambulabat באמת ונצרקה ובישרת לכב 1. Reg. 3. 6. Cum itaque oculis cerneret, omnes tribus Israelis puro ac sincero cultu eundem venerari, ejusque laudibus personare omnia, exinde amplissima exultandi materia eidem subnascebatur. Præterea, in quo præcipuus rei cardo vertitur, tendentis jam בהעיר אלדי ובמר קרשו Psalm. 48. 2. pectus selegerat sibi Spiritus Sanctus in perpetuum domicilium מאשר ששורה אליו רוח הקורש hoc motore compellebatur, ut ad celebrationem omnia legitime ordinata videns, manibus pedibusque applauderet, atque sic pulchram concordiam cordis & oris ostenderet, quam Symbolum Imperatoris Leonis præcipit. Fas æquumve erat, ut princeps Reipubl. principatum quoque inter reliquos Dei sui cultores obtineret, omnem Pietatis affectum quibuscunque gestibus effundendo.

IV. Sic remotum lætitiæ objectum, quod Davidem gaudiis totum obruit, unum atque unicum fuit cœli terræque creator, in quem calidissimo amoris affectu ferebatur, tamquam in bonum optimum, quod cum, dicente Imperatore Alberto, semper etiam sit jucundissimum, afluentia illius jucunditatis per omnia corporis membra diffundebatur. Proximum vero lætantis objectum erat, arca fœderis & apparitissima cultus divini festivitas, quæ adeo aures, oculos, mentemque Davidis perstrinxerant, ut quasi præ lætitia sursum evolaturum arctissimo nexu cœlo affigerent atque omnes corporis vires ad plausus & jubila erigerent.

V. Ipsa itaque actio consistebat in motu corporis religiosissimo & tanto Rege dignissimo, qui cum a causa divina ortum sumsit, non potuit non ad regulam honestatis exactissime quadrare, & secundum omnes rerum circumstantias rectissime sese habere. *All passions are good or bad, accordidg to their objects. Where the object is absolutely good, there the greatest passion is too little: Where absolutely evil, there the least passion is too much: Where indifferent, there a little is enoug*, ut ingegniosissimus Anglus Fr. Quarles scribit Cent. 2. Moral. 39. Hunc enim motum cum aliqua vehementia & contentione fuisse conjunctum, ut pedibus adversus terram statuminatis totam corporis molem sublimem elevaverit, ipsa textus inspectio addocet, ideo enim Spiritus S. quod audivimus, duo verba ad de-

denotandum unius rei actum copulavit, ut motus contentionem declararet; id quod etiam fecit, quando Johannis Embrionis ſaltationem, Luc. 1. uſ. 24. deſcribit: ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει ſaltavit in exultatione, hoc eſt, totis viribus ſaltavit. וכמהו רבים & ejuſmodi exempla plura dantur. An vero manibus in altum porrectis, ad modum exultantium, vel iiſdem utrumque latus continentibus, ad morem ſubſilientium, ſaltus ſuos aliquoties iteraverit, de hoc non adeo certis in textu conjecturis locus relinquitur. Neque de eo conſtat, num recta progrediens via iterum iterumque ſubſilierit, vel corpus in gyrum agendo exultaverit, prius tamen aſſerere tutiſſimum videtur. Erat enim conſtitutus in medio verſus Sionem pleno gradu contendentium multitudine, cui ſubſiſtendi neceſſitatem objeciſſet, ſi ſaltatiunculæ cujuſdam circulum in via publica efformare voluiſſet. Exiſtimamus, ipſum potius abſque omni tardatione progredientem & divinis gaudiis quaſi tumentem, aliquot vicibus, neque inconcinne, neque invenuſte, ſubſiliiſſe, prout in animo ipſius divinæ Bonitatis meditatio ac contemplatio accumulata eſt, tanto majores in plauſus ac ſaltus erupit, ut veluti Paſtor inter oves Dux bonus bonos inter comites & ἱερῶν ἥδιστος ἀοιδῶν (uti Homerus de Apolline loquitur) inter tranantes ſidera plauſibus ſaltabundus inceſſerit & tota corporis animique contentione de ſuo erga Deum candore teſtatus ſit.

VI. Quare actionem fuiſſe confirmatus celebratiſſimam & honeſtiſſimam, non ea ſolum de cauſa, quatenus a Viro optimo & ad omnem morum ſanctitatem a tenera infantia inſtituto, nec non ſpiritus Prophetici donis colluſtrato, edita eſt, ſed prout per eandem inſignis iſtæc utilitas in Dei populum invehebatur, ut Davidis, tanquam Principis ſui juſtiſſimi exemplo commotus, ad voluntatem Dei ſeſe totum componeret. Itaque David Regia ſua Perſona nec quicquam indignum fecit, quin potius, quod omnes in exemplar pientiſſimi Regis, atque ab omni faſtu alieniſſimi Principis interpretabatur.

Qui omnibus Feſtum cum jubilo & clangore tubarum celebrandum indixerat atque de Deo ſincere colendo legem fecerat, eo minus erat exemtus ab obligatione, quo in illuſtriori dignitatis gradu ab ipſo erat conſtitutus, ad cujus Nominis celebrationem hæc ipſa lex determinabatur.

Servavit etiam tenorem in agendo, neque Mediocritatis lineas tranſilire potuit, ſed cum iſtius lætitiæ uſus ipſi divinitus eſſet conceſſus, & quo minus circa eandem aliqua in parte delinqueret, ſupremi rerum omnium gubernatoris adjutorium prohibebat. Inſuper ſi verum eſt, quod Rabbini alias proverbio dicere ſolent: omnis actio grata eſt, quæ fit ſuo tempore; neque hæc Davidica ingrata eſſe potuit, quippe quæ inſtituta eſt tempore maxime accommodato, cum in cœtu eſſet David plaudentium, tubis fiſtuliſque canentium, minus decenter egiſſet, ſi triſtem ac ſeverum vultum ſervaſſet, neque una cum cæteris publicum de ſuo erga Deum affectu teſtimonium perhibuiſſet: nam communis Dei Bonitas cujuſcunque ſortis ac conditionis homines ad unum omnes, in communione Sanctorum conſtitutos, ad idem lætitiæ ac gratiarum actionis exercitium obligat; imo quo major divinæ Bonitatis ſenſus ad Davidis animum penetraverat, tanto vehementiori motu interna pectoris gaudia accumulabantur. Intelligebat præ cæteris objectis, circa quod grata mentis Recordatione verſabatur, magnitudinem ac ſummam Bonitatem, eaque intelligentia movebatur Voluntas ad agendum id, quod objecto gratum eſſe noverat, quamobrem cum hac ipſa intelligentia immediate erat conjuncta dilectio, quam ſequebatur denique delectatio, ſcil. dulcis animi motus fluens in objectum amabiliſſimum & perfectiſſimum; illa autem delectatio pro intellectus divinitus colluſtrati & voluntatis ſanctificatæ præſtantia ac piæ meditationis ſtudio creſcebat magis magiſque, ut totus denique homo gaudiis quaſi circumvallatus erumperet in jucundam ac delectabilem contemplativæ potentiæ operationem circa rem optimam, & in poſſeſſione poſitam, donec iſtac ineffabili delectatione corpus etiam ſuaviſſime afficeretur, & manibus pedibuſque exultaret: In communi enim vita res ita ſeſe habet, ut omnem contemplationem finis ultimi lætitia comitetur, quæ tanto major eſt, quo prior eſſe videtur, vel quamprimum homo vi ſua imaginativa eundem attingit, aut ipſe plane ſenſibus conjungitur, membra ſtatim diriguntur ad motus corporis affectus intimi ſignificativos.

Laudabilem itaque eſſe actionem תשובה נצחית invictum argumentum præbet (1) ſubjectum quod erat איש האלהים Nehem. 12. 24. Vir Sancto Spiritu & planiſſima Dei cognitione inſtructus. (2) Objectum, a quo omnis iſte lætitiæ motus proveniebat, ſcilic. Deus Trinunus הקב״ה, cujus Benignitatis dulcedinem qui deguſtat aut ſecum devote perpendit, in

ejus

ejus amore cum insatiabili voluptate perpetuo acquiescit. (3) Finis, qui unice uniceque ad amplificandam Divini Numinis gloriam determinabatur. Non possumus igitur non theseos nostræ confirmationem illo in publicis Romanorum decretis solemni dicterio finire: Bonum factum, imo optimum.

VII. Ne autem tela, veteri quod dicitur proverbio, prævisa nobis noceant, eadem quibuscunque nostris responsis avertere pro virili annitemur. Si quis igitur nos istac objectione urgere, eademque thesin nostram, ipsius veritatis robore munitam, enervare vellet, saltare scilic. cum Regis autoritate pugnare, quæ, dicente Imperatore Decio apex Magistratus est, imo qui est *la plus grande chose & la plus eminente des choses d'icy bas*, *uti prefixe Archeveque de Paris cy devant Precepteur du Roy* in vitæ delineatione Henrici IV. cognomine Magni pag. 176. loquitur, & quod adhuc magis sit, omni honestati bellum indicere saltationem Regiæ personæ, quæ in publica populi congressione medios inter Dei cultores exerceatur, tantum abesse, ut ad Nominis Divini celebrationem referre quis possit. Respondemus pernegando saltandi actum simpliciter & in se consideratum, præsertim si decenter ac in tempore fiat (id quod supra probatum dedimus) regiæ autoritati quidquam detrahere, sed non minus, ac equitare eundem decere, utraque actio est, si in Principe artis præceptionibus emendetur, laudanda atque corpus agilitate ad plurima Principe digna munia subeunda valens efficit. Nemo Regi vitio vertere debet aut potest, si tempore magnificæ cujusdam festivitatis, horam aliquam saltando absumat, atque motu corporis artificiose composito se ipsum sub ardua regiminis mole sudantem reficiat. Rabbi Jonathan omnes saltationes Principe indignas a Michale judicatas esse statuit, idem putat Rabbi David Kimchi, quando circa textum nostrum ita commentatoris munus exequitur: כראות אותה מן חלון בזתה אותה בלבה כי אין כבוד המלך להתנהג כמנהג הדיוט כאחד הרקים וההדיוטים: Sed hæc sententia בנויה על אבן בוהו fundata est super lapidem Vanitatis, uti Rabbini proverbio loquuntur. Non meliorem in pectore fovebat Albertus I. Imperator, qui saltationem in exercitiis muliebribus commemoravit, & Sardanapali Socios vocavit Reges saltantes. Ita enim Fridericus Barbarossa Imperator maluit febricitare, quam saltationibus operam dare, & Alphonsus Gallos leviculos dixit, qui, quo magis ætate provecti essent, eo magis saltationis infamia oblectarentur, hinc tritum apud Gallos sermone proverbium esse: *après la pance la danse*. Justinianus Imperator fecit, ut die festo choreæ prohiberentur, & deinde in Concilio Constantinopolitano omnis saltationum usus etiam in nuptiis interdiceretur. Necquidquam benignius judicant reliqui Rabbinorum, qui aliqua commentatorum gloria clarent, sed nolo pluribus eorundem testimoniis lectorem onerare כי הם דברים בטלים מפאר עצמם. Qui usum ab abusu probe noverit discernere, eum haud quaquam istæc ferient tonitrua. Neque idcirco David levitatis cujusdam culpa postulandus est, quando decantatissimis festivitatis feriis saltationes admiscuit, siquidem splendidum processionis actum neutiquam profanavit aut disturbavit, aut actione minus decora inquietavit, quin potius id egit, quo ipse, Spiritu Dei agitatus, externum Divinæ Religionis splendorem augebat & dulcissima populi longa serie a tergo sequentis ac præcedentis jubila multiplicabat veteri proverbio:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Ex modo dictis sua sponte sequitur, hunc Davidis cultum non fuisse electitium, aut mere humanum, sed quem inhabitantis Dei Virtus procreabat, in verum Davidici candoris argumentum interpretandum; non potuit igitur hæc actio de spatio curriculoque honestatis deflectere. Quemadmodum nunc perinde est, sive genibus procumbens, exemplo Hannæ, sive erecto stans corpore & ad orientem versus, ad exemplum primitivæ Ecclesiæ, sive alio Davidis exemplo oculis ad cœlum elevatis Psalm. 221. sive corpore inclinato, ad morem Catechumenorum tempore Ecclesiæ recens constitutæ, Deum adoremus; ita quoque nihil in se turpitudinis habebit, sive Deum membris quiete compositis, sive suaviter ac decenter ad divinos plausus accommodatis celebremus, si modo omnia, quod dictum est, fiant κατὰ τάξιν ἐν εὐχημοσύνῃ, de quibus Sancta Davidis persona omnem nobis dubitandi rationem eximit.

Plus quoque loquuntur quam sciunt, qui Davidem pro rerum circumstantiis inaudito exemplo saltasse afferunt. Maria Soror Mosis, eodem Spiritu agitata, saltavit, quando universa Israelitarum multitudo, submerso jam Pharaone & extincto, in plausus & tubarum clangores

res

res erigebatur, id quod eidem quoque laudi imputandum eſt. Præterea nolo eandem cantilenam bis canere & gentilium exempla jam ſupra memorata iterum adducere, quod Salii Romani in portandis ancilibus ſaltare ſoliti ſint. Vid. præter Flaccum Ovid. lib. 3. Faſt. Virg. VIII. Æneid. Liv. lib. 1. ſcribit Arrianus lib. 8. geſtorum Alexan. cap. 1. Indos, poſtquam mane e ſtrato ſurrexerint, ſolem, non ut alii, verum ad Orientem converſos ſaltatione venerari & ſalutare quaſi. Refert Cornelius a Lapide ex Serrario: Chriſtiani hodie in Syria die Reſurrectionis Dominicæ, nec non aliis celebribus Feſtis veniunt in Templum cum Lyris & Citharis, & Pſalmos inter ſe canunt, ac una, ſobrie tamen & modeſte, ſeorſim Viri, & ſeorſim mulieres, ſaltant. Ammonitæ ac horum veſtigiis inſiſtentes Iſraelitæ, a vero Deo ad idolorum cultum converſi, inter ſaltationes & tympanorum ſtrepitus Molocho ſuos immolarunt liberos. Vid. Hottingerus jur. Hebr. Leg. 208. Antiquiſſimum eſſe hunc cultum & ab Ægyptiis profectum, quodammodo colligitur exinde, quod Iſraelitæ jam Ægypto egreſſi vitulum aureum eodem proſequerentur.

Neque pietatis Davidicæ laus labefactatur, quando ſaltationes nequiſſimorum hominum oblectamenta & fœdiſſimarum libidinum irritamenta ſunt, quamobrem male iiſdem debitum Deo cultum perſolvi, aliquis putaret. Reſpondemus Muſicorum quoque inſtrumentorum concentus inter Diaboli luſcinias & corvos in turpiſſimis plerumque ſympoſiis adhibetur atque in multorum animis faces libidinis accendit, nihilominus decenti horum uſu Deus in templis ac ſcholis quovis tempore vite recteque concelebratur. Deinde diſtinguendæ ſunt ſaltationes ſacræ a theatricis, militaribus, convivialibus & aliis quibuſcunque, his toties totieſque laudata Davidis tripudiatio, neque Mariæ Sororis Moſis Exod. 15. deſcripta ſaltatio, neque illæ Mulierum pæana canentium, occiſo Goliatho, 1. Sam. 18. *9.* choreæ accenſeri poſſunt aut debent. Procul etiam abſit illa ſuſpicio, ſaltationem Davidis vitium contrahere, quod Michal, illa Philiſtinorum præputiis emta Libitina, in exemplum ſcandali eam vertit. אין כרה הכריח Diſtinctio inter datum & acceptum ſcandalum omnem hic pravitatis ſuſpicionem evertit. Non fuit laſciva ſaltatio, quæ ubi uti inſtituitur, ibi, docente Chryſoſtomo, una ſaltat Diabolus, ideoque Heros ille piiſſimus iniqua conjugis accuſatione ſeſe confundi nequaquam patiebatur, ſed quod in tabulis Cebetis de Socrate, noctesque dieſque a ſua Xantippe divexato, legimus, ηνέιχετο παρορώμενος: Nam amor Dei, qui animum hominis ſemel ſua dulcedine opplevit, eum adverſus quamcumque ſuperborum hominum ignominiam invulnerabilem præſtat, omnemque exinde mœſtitiam evellit radicitus. Si quis porro excipere vellet, turpiter tamen ſeſe dediſſe eo ipſo, quod nimium ſubſiliendo corporis nuditatem ſpectantibus oſtenderit. Reſpondemus verbum נגלה non in ſenſu proprio accipiendum eſſe, ſed quantum ex reſponſione Davidis liquet, idem denotat, quod ultra dignitatis ſuæ terminos ſeſe demittere, jam vero التواضع زيادة في الشرف وده تتبع النعمة Demiſſio ſui augmentum in nobilitate & completa gratia eſt in ipſo; quod eleganti Arabes proverbio dicunt & אמרה כל דברים.

VIII. Ex hiſce nunc haut difficile intellectu erit, quam turpiter fallant blanditiis titillata pectora hi, qui vanos chorearum amatores Davidis exemplo fretos bono animo eſſe jubent, faciuntque, ut pleriſque carnis ſuæ illecebris cupide obtemperent, atque in illis actionibus juſtum rectumque figant, in quibus tamen graviſſimorum ſcelerum pœna a Deo conſtituitur. Plenum opus aleæ ei committitur, qui profanis ſaltatiunculis, quales Perſarum Kabeh, hoc eſt, ſaltatrices vel potius meretrices, eorundemque Bengi Kidibengi, German. Huren-Hängſte; nec non impuræ Indorum geſticulatrices ſectantur, Davidis exemplo pondus conciliare debet, quandoquidem גבהת טורא בינייהו altitudo montis inter illa eſt.

IX. Interim nolumus, ut nos quiſpiam illius opinionis reos agat, ac ſi ſaltare homini chriſtiano non eſſe licitum ſtatuamus, ita qui exiſtimat, nobis injuriam facit, quandoquidem ipſa Natura atque arte, quæ Mathematicis fundamentis, præſertim Staticis, nititur, ſaltationem regi ac gubernari certum eſt. Cui ſua alienaque proſperitate lætandi occaſio offertur, ut hilares aliquando Horas ſaltatione abſumat, licet, niſi pedibus laborat, aut ex podagræ afflictionibus dolet, ſi modo omnia cum recta ratione conformentur, neque a lege Virtutis exorbitent, deinde illud nobis ſemper ante oculos verſetur μηδὲν ἄγαν, ſicuti enim lugendo, ita & lætando, modum excedere poſſumus. Triſtes ac perilioſos alienæ vitæ cenſores eorumque judi-

judicia nequicquam curamus, si Deo ac Viris pietate conspicuis mores ac instituta nostra probentur.

Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi.

Nos inter ludicra liberalia artem saltandi pro multiplici ejus utilitate primo loco ponimus, & concinnas corporis motiones in iis, qui ad ludum saltatorium aliquando comeant, merito approbamus.

JOH. AND. MICH. NAGELII DISSERTATIO

De Ludis Sæcularibus Veterum Romanorum in Gemara Babylonica Commemoratis.

PROŒMIUM.

Facile fieri solet, ut ii scriptores in errores rapiantur, & falsis se admisceant sententiis, qui aliorum populorum res gestas, ritus, & instituta, literis mandant, eorumque memoriam posteris tradunt. Ita *Plutarchus*, *Tacitus*, *Martialis*, *Juvenalis*, *Justinus*, aliique, qui rerum Judaicarum mentionem in libris suis injecerunt, haud raro in inscitiæ tenebris versati sunt; ut a *Spencero*, *Schudtio*, *Majo*, & aliis, ostensum est. Quemadmodum vero Græci & Latini de Judæis passim res falsas narrarunt: sic quoque Hebræi in scriptis suis sæpe falsa affinxerunt Græcis & Romanis, & loco veritatis turbulentissimos errores, ac opiniones fabulasque pene aniles exposuerunt. Pertinet huc illa narratio, quæ in *Gemara Babylonica de Ludis sæcularibus veterum Romanorum*, non sine multis falsitatibus, & rebus mentitis, ac errorum plenis, explicita est. De qua in præsentia, pro ingenii mei exiguitate, nonnulla commentari lubet, ut eo fungar officio, & iis legibus paream, quibus, tamquam Candidatus dignitatis philosophicæ, obstrictus sum. Neque nullam habeo spem, æquos lectores, pro humanitate sua, hunc meum conatum, meliorem in partem interpretaturos esse.

I. Locus Gemaricus, quem nobis hac disputatione illustrandum sumsimus, & quem *Wagenseilius* in *Sota*, *pag.* 304. *perobscurum* dicit, in מסכת ע"ז, *fol.* XI. *col.* 2. in *editione Talmudis Babylonici* apud *Emanuelem Benbenisten Amstelodami* edita, hoc modo legitur: אמר רב יהודה אמר שמואל עוד אחרת יש ברומי אחת לשבעים שנה מביאין אדם שלם ומרכיבין אותו על אד' חיגר ומלבישין אותו בגדי אדם הראשון ומניחין לו בראשו קרקיפלו של רבי ישמעאל ותלו לי' מתקל זוזא דפיזא ומחפין את השווקים באינך ומכריזין לפניו סך קירי פלסתר אחוה דמרנא זייפנא דחמי חמי ודלא חמי לא חמי מאי אהני לרמאה ברמאותיה ולזייפנא בזייפנותיה ומסיימין בה הכי ווי לדין כד יקום דין א"ר אשי הכשילן פיהם לרשעי' אי אמרי זייפנא אחוה דמרנא כדקאמרי השת' דאמרי דמרנא זייפנא מרנא נופיה זייפנא הוא ותנא דידן מ"ט לא קחשיב לה להאי דאיתא בכל שת' ושתא קחשיב דליתא בכל שתא ושתא לא קחשיב. Quum vero hic locus varia contineat, quæ explicatione & illustratione egere videntur, ad eam jam aggrediemur.

II. Statim in principio hujus orationis formula aliqua occurrit, quæ non sine explicatione dimittenda est, & his verbis constat: אמר רב יהודה אמר שמואל. Id est:

est: *Dixit* R. *Judas*, *dixisse Samuelem*. Quo loquendi genere, secundum Rabbinos, indicatur, ea, quæ id in sermone Gemarico, de quo disserimus, sequuntur, *R. Juda* a *Samuele*, tamquam præceptore suo accepisse; id quod ex libro הליכות עולם *porta secunda*, *cap.* I. *n.* 83. discitur, ubi hæc legimus: כל היכא ראיכא אמר רבי פלוני כגון אמר רב יהודה אמר שמואל רבו הוה ושמעה ממנו. id est: *Ubicumque exstat, dixisse doctorem quemdam, uti est in illa formula: dixit Judas, dixisse Samuelem, notat id, posteriorem prioris fuisse præceptorem, & ab ipso ea, quæ hanc formulam sequuntur, audivisse & didicisse*. Allegat quoque *Josua Levita l. c.* ad testimonium *Raschii*, quod is in explicatione מסכת חולין de hac re perhibuit.

III. *R. Judas*, cujus hic mentio fit, est is, qui alias *Judas Elaides* vocitatur. Docet id nos liber הליכות עולם *porta* I. *cap.* 3. *n.* 55. ita: רבי יהודה סתם הוא רבי יהודה בן אלעאי id est: *ubicumque R. Judas simpliciter nominatur, intelligendus est R. Judas Elaii filius*. Idem testantur *R. Sacuthus* in libro יוחסין *fol.* 60. *col.* I. & *R. Davides Gansius* in צמח דוד *parte priori*, *fol.* 29. *col.* 2. Floruit tempore Adriani Imperatoris, & præceptores habuit teste *Sacutho l. cit. pag.* 41. *col.* 2. *Eleasarem*, *Acibam*, & *Josen Galilæum*. Laudatur a probitate & eloquentia, ac Adriani orator in gente Judaica fuisse dicitur a *Sacutho pag.* 60. & *Gansio* l. c. A nonnullis auctor esse perhibetur libri ספרא sive תורת כהנים Vid. *Gansium* l. c. & *Wolfium in bibl. Hebr. tom.* II. *pag.* 1387. *seq.* De *Samuele* vero, qui in loco nostro Gemarico commemoratur, in præsenti nihil habemus, quod dicamus, nisi quod secundum illam Rabbinorum regulam, quam §. 2. citavimus, *Judæ Elaidæ* præceptor fuit.

IV. אדם שלם significat hominem sanum & incolumis salvique corporis; אדם חיגר vero hominem claudicantem. Illo in oratione nostra Gemarica *Esauus* innuitur, tamquam vir integri & valentis corporis, hoc autem *Jacobus*, qui post beatnm illud divinumque certamen *Genes.* XXXII. 25. *seqq.* expositum, claudicare cœpit. Hinc *Raschius* super hunc locum Talmudicum ait: אדם שלם כנגד עשו אדם חיגר כנגד יעקב צולע על ירכיו: id est: *homo bene constituti & validi corporis significat Esauum, claudicans vero Jacobum, qui Jacobus altero latere claudicabat*. Quæ in עין יעקב *part.* II. *edit. Berolinensis ord.* 8ui, *fol.* 132. *col.* 2. *Pragensis* in *folio col.* 4. *fol.* 151. & *Prostitiensis* in *fol. c.* 4. *f.* 153. repetita leguntur.

V. בגדי אדם הראשון. De vestibus Adami Judæorum doctores tradunt, eas die Veneris circa crepusculum a Deo confectas esse, atque ex eo fuisse, quod de pellibus fit, sive, ex lana, aut ex re, quæ cuti hominum tegendæ in primis congruit, id est, ex lino. Conf. עין יעקב *part.* II. *fol.* 40. *col.* 2. & notas in hunc locum. Neque desunt, qui dicant, eas ex vellere leporis, aut cervi paratas fuisse. Vid. *Raschius* ad *Genes.* III. 21. & liber *Zenna Renna* ad *Genes.* XXVII. In capitulis *R. Elieseris cap.* XX. legimus, hæc vestimenta ex pelle serpentis fuisse, qui Evam in errorem induxit. Verba loci citati hæc sunt: רבי אליעזר אומ׳ מן העור שהפשיט הנחש עשה הב״ה כתונת כבוד לאדם ולעזרו שנאמר ויעש י״י אלהים לאדם ולאשתו כתנות עור וילבישם. id est: interprete *Guilielmo Henrico Vorstio*: Rab. *Eliazar inquit: ex pelle, quam exuerat serpens, confecit sanctus Ben. Adamo & adjutorio ejus tunicam gloriæ; sic dicitur: & paravit Dominus Deus Adamo atque uxori ejus tunicas pelliceas, & vestivit illos*. De forma autem, ornatu, vi ac ratione, harum vestium in libro צרור המור *fol.* 28. *col.* 3. in *parascha tolethod* sequentia narrantur: כבר אמרו חכמים ז״ל שהיו אלה הבגדים של אדם הראשון וגם היו מצויירים כל החיות והעופות כאלו היו חיים ובאו לידי נמרוד ולכן נקרא נמרוד גבור ציד לפי שכל החיות והעופות היו באים מעצמם אצל הבגדים וצד אותם נמרוד וחמדם עשו הרשע והרג לנמרוד וגזלם ממנו ולכן נקרא איש יודע ציד גם כן ואותו היום סבב השם שלא לבשם ונתאחר בצידה בענין שיקבל יעקב הברכות: id est: *Jam sapientes nostri, quorum memoriam inviolate pieque servamus, dixerunt, has vestes Adami fuisse, & expressas figuras atque imagines viventium bestiarum & avium habuisse, & a Nimrodo possessas esse, qui indi* (*Genes.* X. 9.) *valens venator appellatus sit; quum omnes bestiæ & aves ad illas vestes sponte sua accesserint, & sic in Nimrodi potestatem venerit & arbitrium. Postea vero Esauum improbum, qui earum obtinendarum desiderio incensus sit, eas rapuisse, ubi Nimrodum trucidaverit, indeque Esauum, peritum venatorem Genes.* XXV. 27. *vocatum esse. Deum vero effecisse, ut Esauus eo die* (*quo Jacobus has vestes induebat*) *iis se non vestivisset, & diutius indulgeret venationi, ut Jacobus interea felicitatis suæ vota & benedicta acciperet*. His similia leguntur in capit. *R. Elieseris cap.* XXIV. ita רבי יהודה אומר הכתונת שעש׳ הקב״ה לאד׳ ולאשתו היתה עמם בתיב׳ וכשיצאו מן התיבה לקחה חם בן נח והוציא׳ עמו והנחילה לנמרוד ובשעה שהיה לובש אוש׳ היו כל בהמ׳

כהמ' חיה ועוף באין ונפלי' לפניו כסבורין שהו' מכח גבורתו לפיכך המכיכוהו עליהם מלך שנא' על כן יאמ' כנמרוד גבור ציד לפני ה'' id est: *R. Jehuda ait: Tunica, quam confecerat Deus Adamo & Evæ, fuit cum illis in arca; accepit eam (tunicam) Cham, filius Noachi, & secum extulit, atque in hereditatem reliquit Nimrodo. Eo autem tempore quo illa indutus erat (Nimrod), venerunt omnia jumenta, bestiæ, atque aves. Tum conciderunt coram ipso, quasi cogitantes ipsum hoc efficere robore & vi sua, atque constituerunt eum super se regem, juxta illud* (*Genes.* x. 9.) *Idcirco dicitur, quasi Nimrod robustus venator coram Domino.* Quibus in eodem capit. sub finem hæc adduntur: רבי אומר עשו אחיו של יעקב ראה את הכתנת שעשה הקדוש ברוך הוא לאדם ולחוה על נמרוד וחמד אותה בלבו והרגו ולקח אות' ממנו ומנין שהיו חמור'ו בעיניו שנאמר ותקח רבקה את בגדי עשו בנה הגדול החמודות וכשלבש אותם נעשה בם גם הוא גבור שנאמר ויהי עתו איש יודע ציד וכשבא יעקב מאת פני יצחק אביו אמ' אין עשו ראוי ללבוש את הכתנת הללו וחפר וטמן שם שנאמר טמון בארץ חבלו: id est: *Rabbi inquit: Esau, frater Jacobi videns tunicam, quam confecerat sanctus Benedictus Adamo & Evæ super Nimrodum, expetiit illam animo suo, atque interfecit eum, abstulitque ab illo. Unde autem (probas) quod fuerit desideratissima in oculis ejus? quia dicitur: accepit Rebecca vestes Esaui, filii sui majoris desideratissimas. Postquam autem illis vestitus erat, factus fuit per illas robustus; juxta illud* (*Genes.* XXV. 27.) *erat Esau vir peritus venationis. Ubi autem discessit Jacob a conspectu Patris sui, dixit: Esau non dignus est, qui induat tunicam illam. Abdidit itaque eam atque abscondit sub terra, prout* (*Jobi* XXIII. 10.) *dicitur: ejus funis in terra est absconsus.* Hæ itaque sunt vestes illæ, de quibus locus noster Gemaricus agit, & quas Judæi Romam pervenisse fingunt. Confer porro de his Adami vestimentis *Vorstium* in *animadv.* super *capitula R. Elesieris pag.* 188. *Wagenseilium* in *Sota pag.* 339. *seq. Eisenmengerum* in *Judaismo detecto part.* 1. *pag.* 652. *seq.* & *Georgium Eliezerem Edzardum* in *annot.* super *cap.* 1. *Avoda Sara pag.* 262.

VI. Nomen קרקיפל esse vocem Græcam facile credimus *Nathani* in ערוך hac voce, dicenti: פירוש עורות שהפשיטו מן הראש של בני אדם נקראין קרקיפלין בלשון יון: id est: *denotat (dicta vox) cutem de capite humano detractam, quam Græce ita appellant.* Posterior hujus verbis pars satis clare testatur, id vocem Græcam κεφαλὴ in se complecti; at prior ejus pars קר paullo obscurior est. Nos tamen nulli dubitamus, eam esse Græcorum vocabulum χρῶς, vel χρώς, quod cutem sonat; unde permutata litera χ cum elemento κ, & omisso ς, κρωκεφαλὴ, id est, *cutis capitis*, prodit. *Castellus* in *lexico polyglotto*, *pag.* 3465. censet קרקיפל esse nihil aliud quam καρακεφαλὴν, cui vero ideo non assentimur, quia καρακεφαλὴ aut *caput caput*, aut *caput capitis*, significaret; quod orationi nostræ Gemaricæ haud convenit, & ferme omni idea vacuum esse videtur.

VII. Historia hujus *R. Ismaelis* nonnihil perturbata est & incerta. Copiose eam tractavit *Sacuthus* in libro יוחסין ubi diligenter ea collecta sunt, quæ in utroque Talmude, & aliis libris, de hoc *Ismaele* reperiuntur. Nos itaque hic *Sacuthum* fere sequemur, &, omissis rebus dubiis, ea dumtaxat huc transferemus, quæ Judæi pro certioribus habent. Fuit hic *R. Ismael* filius *Elisæ* cujusdam, & iis temporibus vixit, quibus templum Jerusalemitanum a Romanis eversum est. Traditiones eum accepisse dicunt a *Rab. Nechonia*, *Haccanæ* filio, & pontificem fuisse maximum, eique aliquando thus atque odores incendenti majestatem divinam apparuisse. Tanta vero excelluisse pulchritudine fertur, ut ea *Josephi*, qui patre *Jacobo*, Patriarcha, usus est, formam adæquaverit. Unde factum est, ut Imperatoris Romani filia ejus amore mirum quantum accenderetur. Quum autem, patre Imperatore vetante, deliciis suis potiri & frui non posset, & is carnificina tamquam medicina filiæ suæ desiderium levare decrevisset, misero *Ismaeli* vita erepta est, eique adhuc vivo cutis de capite detracta, quam filia Imperatoris odoribus & aromatis condiri jussit, & inter thesauros reponi, ut vel levi cuticula amori suo parentaret. Alii dicunt, cutem hanc usui magico destinatam fuisse, & veneficiis exercendis in bellis. Quid in Gemara, de qua disputamus, de ea tradatur, ex versione ipsius apparet. *Raschius* asseverare non dubitat, hanc cutem adhuc sua ætate Romæ superfuisse. Accidit hæc cædes secundum alios ea tempestate, qua templum periit, secundum alios autem, posthac. Utcumque hoc est, certo constat, Judæos *Ismaelem Elisiaden* martyribus suis celebrioribus accensere, qui הרוגי מלכות vocantur, & decem sunt. Vide *Sacuthum l. c. fol.* 25. *col.* 2. & *Raschium* ad locum nostrum.

VIII. Vox זוז notat nummum argenteum, qui quarta pars sicli est, ejusque pondus. Idem vero quod זוז pretio valet,

let, valet quoque certum quoddam genus denariorum דינר דינר tamen latius patet sua significatione, quam זוז. *Nathan* in libro ערוך voce זוז de hoc genere ita dicit: זוז בשבת בסוף גמרא דפרק אמה לאשתא בת יומא לישקול זוזא חיורא חירוש זוז של כסף צרוף רבע שקל הרגו' ווזא חד בכספא פי' שקל אל תורה הוא סלע וכן תרגום שקל סילעא ויש בו ארבעה דינרין ודינר וזוז אחד הן. Hoc est: *Susa in loco Talmudico de sabbatho sub finem Gemaræ capitis* במה *commemoratur; ubi legimus, cum, qui febri quotidiana urgetur, debetur sibi alligare susam albam, id est, susam argenti puri*; (vel potius, susam recens percussam.) *Dicitur vero quarta pars sicli argentei Aramice una susa argentea. Siclus autem legalis est Aramice sela; hinc in versionibus sacri codicis Aramæis pro siclo, sela occurrit. Continet siclus, sive sela, quatuor denarios; denarius autem & susa unum idemque sunt.* Huic accedit *Elias Levita* in תשבי suo, ubi ait: זוז רבע שקל כסף תרגום זוזא חד דכספא וכבר כתבתי כי דינר וזוז אחד הוא אלא שזוז הוא של כסף והדינר של זהב וארבע זוזים הם סלע עיין בשרשו: id est: ex versione *Pauli Fagii: Zuz*) *Quarta pars sicli argentei Tha.* זוזא חד דלספא *Et antea scripsi quod* דינר *&* זוז *unum sint, nisi quod* זוז *de argento,* דינר *vero de auro dicitur. Quatuor autem Zuzim valent* סלע *de quo vide in radice sua.* Quemadmodum vero hic susa, sive quarta pars sicli, non pro moneta, sed pro pondere accipitur: ita quoque siclus pro pondere usurpatus legitur *Exod.* XXX. 24. I. *Sam.* XVII. 5. & 7. Ceterum quia totus siclus vulgo dimidii nummi imperialis pretium habuisse creditur, & susa pars quarta est sicli: facile liquet, susam exiguum pretium & pondus fuisse. Unde nobis non videtur verisimile, eos denarios, qui susis se æquant, fuisse nummos aureos, uti vult *Elias Levita loco modo citato*.

IX. Verbum פיזא est idem quod פז, & significat aurum purissimum; de quo *Kimchius* in libro שרשים, voce פז, sic loquitur: הוא הזהב הטוב המזוקק כי יותר חזק המזוקק: hoc est: *est aurum bonum purumve, & sic dicitur, quia aurum purgatum solidius est, quam aliud. Raschius* in locum nostrum dicit פיזא, esse אבן יקרה id est, lapidem pretiosum. In *loco Talmudico gittin, fol.* 58. *col.* I. legimus, duo stateres pissæ in mundum venisse; quorum alter urbi Romæ contigerit, alter autem per totum terrarum orbem sit dispersus. Unde *Raschius* super locum, de quo agimus, ait, hunc lapidem pretiosum alibi præter Romam non reperiri. Quam parum vero Talmudici sibi constent, vel exinde liquet, quod auctor עין יעקב *l. c.* tradit, quatuor susas pissæ dictum hominem illum firmi & salvi corporis gessisse; quod cum loco citato Talmudico *gittin*, & glossa Raschiana, nullo modo in concordiam redigi potest. Immo etiam locus relatus *gittin* cum nostro loco Talmudico pugnat; quum secundum locum *gittin*, unus stater *pissæ* dumtaxat Romæ fuerit, non autem tota susa, quam duo stateres complecti volunt. *Georgius Eliezer Edzardus loc. cit. pag.* 262. de hac re ita disserit: *Qua auctoritate fretus autor En Jacob legat* מתקלי ארבעה ווזי פיזא *pondera quatuor susarum auri purgatissimi, non perspicio. Non tantum enim codex Amstelædamensis, sed & Cracoviensis, Lublinensis, atque Thessalonicensis, constanter legunt* מתקל זוזא דפיזא *pondus unius susæ auri purgatissimi. Quin imo additiones marginales in h.l. annotant e Cod. Gittin fol.* 58. *col.* I. *in universum duos tantum stateres auri purgatissimi descendisse in mundum, quorum unus asseruetur Romæ, alter sit divisus in toto orbe; staterem autem continere pondus dimidiæ susæ; uti habetur Cod. Kideuschin fol.* II. *col.* I. *atque adeo duo stateres unam tantum susam absolvere. Unde dubium movent; quomodo fieri potuerit ut personato Esauo appenderetur Romæ pondus integræ susæ, cum una sola susa auri purgatissimi in toto orbe detur, ejusque dimidia tantum pars Romæ asseruetur. Licet vero difficultatem ita solvant, ut statuant,* תרין איסתרי *gittin l. c. non præcise notare duos stateres, sed sensu paulo latiori paucissimos; vix tamen concesserint, in sola Roma pondus quatuor susarum reperiri.*

X. Vox שווקים in *Talmude* cum gemino vau exaratur, in *En Jacob* autem unum tantummodo habet. Unde factum est, ut *Wagenseilius*, qui in interpretando loco nostro librum *En Jacob* sequutus est, in *sota pag.* 340. vocabulum שווקים voce *crura* verteret, idque ad personatum *Esauum* spectare censeret; quem vero *Edzardus l. c. pag.* 263. ita corrigit: *Vir quidam* πολυμαθέστατος *verba hæc ex En Israel repetens, ubi* שוקים *legitur per simplex vau, fabulam hanc in eum sensum accipit, quod crura personati Esaui fuerint obtecta gemmis. Verum quod pace celeberrimi Viri dictum sit, non crura, sed plateæ, dicuntur obtectæ, nec gemmis, sed carbunculo. Utut enim vox* שוקים *prouti in En Israel scribitur, ad utrumque sensum sit indifferens, tamen non schokaim, sed schevakim, esse legendum, vel inde est manifestum, quod in codice Amstelæd. Cracov. Lublinensi, & Thessalonicensi,*

censi, scribatur per duplex vau שווקים, *ubi omnis æquivocatio est sublata. Sed & si de cruribus personati Esaui sermo esset, non diceretur in forma absoluta* השוקים, *sed cum suffixo potius* שוקיו, *crura ejus, quandoquidem etiam in antecedentibus cum suffixo tertiæ personæ legitur* בראשו, *cæteraque, quæ ad illum respiciunt, eodem modo restringuntur. Nec dabitur facile ratio, quare crura potius ejus quam pectus, aut brachia, carbunculo dicantur obtegi, cum his potius quam illis ornatus iste congruat*, &c. Licet vero tota hæc res, de ficto hoc *Esauo*, ejusque, & platearum, ornatu, fabula sit: nos tamen non possumus non *Edzardo* accedere, ejusque rationes approbare, & asseverare, eum Gemaræ sensum in hoc loco melius perspexisse, quam *Wagenseilium*.

XI. אינך carbunculum significare tradit *Raschius* ad *fol.* VIII. *Avod. Sar. col.* 2. אינך inquit, הוא נופך קרבונקלא hoc est *vox* אינך *designat idem quod* נופך *id est, carbunculum*. Quam explicationem *Edzardus* loc. modo citato approbat. *Wagenseilius* in *Sota* loc. cit. hoc verbum generalius voce *gemma* interpretatur. *Buxtorfius* in *lexico Talmudico* vocem אינך onychem denotare ait, & in *Versione Aramæa*, quæ *Jonathani* a Judæis adscribitur, אונכא dici. Vid. *Jonath. vers. Aram. numer.* XXXIII. 8. *A Buxtorfio* non discedit *Castellus* in *lexico polyglotto*. His etiam accedit *Coben* de *Lara* in *libello* suo עיר דוד *pag.* 10. ubi dicit: אונך (*Jon. num.* XXXIII. 8. *& Aboda Sara fol.* 8.) פי' אבן טובה מבחקת כצפורן *g.* ὄνυξ, *gemmæ nomen, sic appellatæ, quod in ea candor conspiciatur unguis humani similitudine. h. Cornerina, piedra preciosa*. Si ex sono hujus vocis de ejus significatione judicare liceat, haud difficiliter discitur, eam sonare onycha.

XII. כך proprie summam rei, & numerum denotat; improprie autem, uti hic, & quasi Germanismo aliquo, spem & opinionem. Notum enim est Germanis verbum *Rechnung* sæpe idem esse atque spem & sententiam. קירי est Græcorum *κύριος*, quod etiam observavit *Wagenseilius* loc. cit. Alias, verbi caussa in *versione Aramæa Bibliorum Psalm.* LIII. pro קירי occurrit קירים. Quod tandem ad vocabulum פלסתר attinet, id ex Græco πλαςὸς, id est, *falsus*, sive *fictus*, confectum & ortum est. Legitur id etiam in *loco Tal. Succa f.* 29. 1. In *vaiikra rab. sect.* 19. hæc vox non litera ת sed elemento ט i. e. פלסטר scribitur. Conf. *Buxtorf.* in *lex. Talm. f.* 1749. *seq.* In *midh. rab. p.* 8. loco פלסתר reperitur פלסטון Vid. *Coben de Lara* in עיר דוד *pag.* 67.

XIII. ווי לדין כד יקום דון hoc est: *væ huic, quando ille a morte surget.* Quæ a *Raschio* ita exponuntur: *væ Esauo, quando Jacobus ad vitam redibit. Raschium* sequuntur *Wagenseilius* & *Edzardus* locis citatis; sed, ut verum fateamur, videntur nobis hi duumviri a *Raschio* decepti, & una cum duce, qui interpretationem suam ex odio erga Romanos ita constituisse videtur, minus sinceram interpretationem hujus loci exhibuisse. Quisquis enim totam orationem loci nostri Gemarici considerat, sine multa opera cognoscet, hæc verba in Gemara referri, tamquam a Romanis elata. Quum autem Romani in toto hoc loco usque ad verba *R. Asche* gloriantes inducantur, & exsultantes, ac verbis, de quibus hic disserimus, dies suos festos finientes: certissimum esse videtur, ea ita potius esse vertenda, ut Romanis, sive, (ex mente Rabbinorum) *Esaui* posteris, fausta, ac Judæis mala, ominentur. Nos itaque ea sic vertimus & intelligimus: *væ Jacobo, quando reviviscet Esauus.*

XIV. *R. Asche* fuit rector Academiæ Soranæ in Babylonia, temporibus Juliani Apostatæ, & successorum suorum. Functus est munere rectoris sexaginta annos; ad quod quatuordecim annos natus evectus esse dicitur. Laudibus effertur divitiarum, doctrinæ, pietatis, modestiæ, & magnanimitatis. Constipasse dicitur Gemaram Babylonicam, eamque post aliquod tempus recognovisse & auxisse. Cui studio sexaginta annos impendisse fertur; triginta collectioni, & totidem retractationi & amplificationi. Vixit annos septuaginta quinque, & triginta dies ante obitum suum mortis angelum vidisse traditur. In Gemara sæpe ex errore cum *R. Ase*, אסי confunditur. Vid. *Sacuthum fol.* 83. *col.* 2. & *fol. seq.* ac *Gansium part.* 1. *fol.* 33. *col.* 1. & 2. atque *Josuam Levitam* in *libro* הליכות עלם *port.* 1. *cap.* 2. §. 13.

XV. Nullo negotio ex oratione nostra Gemarica comprehenditur, Gemaræ auctores statuere, Romanos *Esaui* patronos esse & cultores, & contra ea *Jacobum* odisse, & ludibrio habere. Id vero ideo Romanis a Judæis adscribitur, quod credunt, Romanos *Esaui* posteros esse. Hinc *Abarbanel* in *Obadiam fol.* 255. *col.* 1. ait: כבר הודעתי פעמים שאדום הסמו כה לארץ ישראל משם יצאו המלכים אשר מלכו באיטליא ואשר בנו רומי רבתי בגוים שרתי במדינות ונתמראה איטליא וכל ארץ יון מבני אדום וגם כל ארצות המערב ומפני זה כנו הנביאים האומה כולה בשם אדום ועשו לפי שהוא היה תחלתו היחם וקראו בשם אדום אם אותם שהיה ארצם סמוכה

סמוכה לורושלם ואם הרומיים אשר נסתעפו ונמשכו מהם כי כולם וכל אחד מהם כנרה הכתוב כתם ארום: hoc est: *jam aliquoties annotavi, Idumæam terris Israeliticis propinquam fuisse, in qua orti sunt reges illi, qui Italiæ imperitaverunt, & condiderunt Romam, caput illud populorum, & principem regnorum. Tota vero Italia & Græcia cum omnibus occidentis tractibus tandem Idumæis repleta est. Unde Prophetæ totum hunc populum de Edomi, sive, Esaui nomine vocant, quia Esauus ipsis originem dedit. Appellant itaque divini vates cum illos, qui terras Israelitis finitimas incoluerunt, tum Romanos, quod ab his orti & profecti sunt, Idumæos.* Igitur Romani a Judæis *Jacobi* hostes esse dicuntur; quia ab *Esauo* primæ nativitatis jus ad *Jacobum* pervenit, & *Jacobus Esauum* in obtinendis felicitatis votis apud patrem suum prævenit.

XVI. Jam orationem Gemaricam, de qua disputamus, interpretari possumus, ac volumus. Nostræ tamen versioni, ut lectoribus optio judicii de duabus versionibus fiat, interpretationem *Edzardi* præmittemus, quam ex *cap.* 1. *tract. Talm. Avod. Sar.* ab eo edito desumimus. Exstat ea l. c. *pag.* 83. *seq.* ita: *Raf Jehuda ex ore Samuelis refert, esse adhuc aliud* (festum) *in urbe Roma usitatum*, (cujus h. l. in Mischna non fit mentio.) *Singulis enim septuaginta annis Romanos in scenam producere hominem integro corpore præditum*, (Esauum repræsentantem) *eumque imponere homini claudo*, (qui personam Jacobi sustinet, ad intimandum, quod adhuc Esauitæ dominentur Judæis, licet Jacobus primam benedictionem fratri suo Esauo debitam astu in se derivaverit, dominiumque in fratrem ipsi ab Isaaco fuerit adjudicatum,) *induere etiam isti vestes Adami*, (quibus in deliciis usus olim fuerit Esauus), *capiti autem illius aptare exuvias faciei R. Ismaelis*, (filii Elisæ, pontificis quondam maximi & martyris, cui filia Cæsaris ob formæ pulchritudinem curavit cutem de facie detrahi, balsamoque condiri, ne corrumperetur, & in gazophylacium Romanum inferri,) *atque appendere illi pondus susæ auri purgatissimi, obtegereque plateas* (per quas personatus iste Esauus circumducitur) *carbunculo, & proclamare ante istum, computus Domini* (i. e. Jacobi, qui paulo ante mortem prædixit filiis suis, esse ipsos tandem a jugo gentilium liberandos) *est falsus, frater domini nostri* (Esaui) *est mendax; qui videt* (hanc festivitatem nunc), *is videt eam, qui autem* (illam) *nunc non videt, is nec videbit illam* (deinceps, quia intra 70. annos non repetetur) *quid prodest nunc deceptori* (Jacobo) *sua deceptio, & impostori, sua impostura? tandem vero actum hunc theatricum his verbis claudere: væ huic* (Esauo) *quando ille* (Jacobus) *resurget*, (id est numquam, quia scil. Jacobus numquam resurget.) *R. Ase dicit, olim proprium os* (id est propria confessio) *condemnavit impios hos* (Romanos, Jacobo & posteris ipsius insultantes). *Non enim dixerunt tum, mendax est frater Domini nostri* (Esaui), *quemadmodum dicunt nunc; sed dixerunt, Dominus noster est mendax, id est, Dominus noster* (Esauus) *ipse mendax est.* Quamvis enim his verbis illi Jacobum ironice designaverint, ut supra ironice itidem dixerunt, computum Domini Jacobi esse falsum, revera tamen dixerunt, ipsum Dominum suum Esauum mendacem esse.) *Sed quare Doctor noster Mischnicus hoc festum non commemorat* (una cum cæteris in Mischna nominatis)? *Resp. Commemorat illa sola, quæ anniversaria sunt, quæ autem singulis annis non celebrantur, ea non recenset.*

XVII. Nostra interpretatio orationis hujus Gemaricæ hæc est: Refert *R. Judas*, se ex *Samuele*, præceptore suo, accepisse, esse præterea Romæ septuagesimo quoque anno aliud festum, quo (Romani) producant hominem integri salvique corporis, eumque alius claudicantis humeris superimponant, & vestibus ornent, ejusque caput cute capitis *Rab. Ismaelis* obducant, ac ei susam impendant auri purissimi. Quo facto, eos plateas (urbis) onyche contegere, & per eas mittere præcones, qui ante illum ita clament: Spes dominum (*Jacobum*) fefellit; frater domini nostri (*Esaui*) mendax est. Qui (hos ludos) jam videt, vidit; qui vero eos non videt, numquam ipsos videbit. Quid vero utilitatis impostor ille (*Jacobus*) ex fraude sua habet, & mendax iste, ex mendacio suo? Tandem vero (id festum) hac formula absolvere: Væ illi (*Jacobo*) quando hic (*Esauus*) a morte surget! *R. Asche:* hi impii, inquit, suis verbis argui & confundi possunt. Olim enim non dixerunt, mendax est frater domini nostri, quemadmodum jam dicunt; sed dixerunt, dominus noster fallax est; dominus noster ipsemet est vanus. Quare autem doctor noster Mischnicus hujus festi (in Mischna) non meminit? quia illorum dumtaxat mentionem facit, quæ quotannis celebrantur. Nam quæ non singulis annis redeunt, illa non commemorat.

XVIII. Addemus interpretationi sermonis nostri Gemarici eam orationem, qua in compendio Talmudico *En Jacob*, vel

vel *En Israel*, dicto, locus noster Gemaricus repetitur. Mos enim est conditori libri *En Jacob*, *R. Jacobo*, *Chabibi* filio, ut orationem Talmudis, additis, omissis, vel permutatis quibusdam verbis clariorem reddere studeat; unde & nos hic ejus operam & studium negligere nolumus, ut fortasse etiam ex eo lectoribus nostris aliquid lucis ad intelligeudum argumentum nostrum obveniat. Legitur locus, qui huc pertinet, in parte posteriori libri *En Jacob*, quæ *Beth Jacob*, vel *Beth Israel*, dicitur, eo folio, ad quod jam §. IV. alia opportunitate, allegavimus, his verbis: אמר רב יהוד' אמ' שמואל עוד אחרת יש להם ברומי אחת לשבעים שנה מביאין אדם שלם ומרכיבין אותו על אדם חיגר ומלבישין אותו בלבושו של אד' הראשון ומניחין לו קרקפלו של ר' ישמעאל בראשו ותלו ליה בצואריה מתקלי ארבעה זוזי פיזא ומחפין את השוקים כאינך ומכריזין וקורין לפניו סך קירי פלסתר אחוהי דמרנא זייפנ' דחמא חמא ודלא חמא לא חמא מאי אהני ליה רמא' ברמאותיה ולזייפנא בזייפנותיה ומסיימי בה הכי ווי לדין כד יקום דין. Quæ *Wagenseilius* in *Sota pag.* 340. ita interpretatur: *R. Judas, nomine Rab. Samuelis, dixit: etiam aliud quid habent Romæ: septuagesimo enim quoque anno, selecto homine integri corporis illum claudi cujusdam scapulis inequitare faciunt, induentes ei prius tunicam Adami protoplasti, & aptantes capiti ejus, exuvias vultus R. Ismaelis*, (filii Elisæ, qui summo sacerdotio functus est, & tanta erat pulchritudine, ut Cæsaris filia, illius interfecti caput, pelle nudaret, eamque aromatibus conditam, in χαμηλιαρχεῖον æternum ibi asservandam, reponeret.) *Amplius collo ejus appendunt nummos quatuor auri purissimi, crura vero obtegunt gemmis.* (Iste cum sic ornatus vehitur,) *ante eum divulgant voce, inclamantque: supputatio τȣ̃ κυρίȣ* (Jacobi scilicet, qui moriturus, multa de liberatione Judæorum, ex ea captivitate, in qua a nobis detinetur, prædicere satagebat,) *mendax est: frater domini nostri* (Esaui, a quo Esauo nos Romani, genus trahimus,) *fuit impostor:* (fratrem enim decipere molibatur, atque ejus imperium, sibi suisque parare.) *Quibus* (hanc panegyrin) *spectare licet, spectatum adsunto. Nam, qui* (nunc) *eam non videt, haud* (umquam) *eam visurus est*: (quippe quæ non nisi post annos LXX. iterum celebrabitur, quo tempore nemo eorum, qui nunc inter adultos vivunt, amplius erit superstes.) *Quid juvat deceptorem* (Jacobum) *deceptio? & impostorem* (hunc) *impostura? Tandem vero, cantilenæ hujus exodium est: væ huic*, (id est, nobis Esaui posteris) *quando iste* (id est, Jacobi progenies) *resurget*. Nos vero hunc locum de dicendi genere Gemarico ita in linguam Latinam convertimus: Refert *R. Judas*, sibi magistrum suum, *Samuelem* narrasse, esse paganis adhuc aliud festum Romæ, quod septuagesimo quoque anno renovetur. Quo hominem exhibeant, recti validique corporis, eumque humeris alius claudicantis impositum, toga Adami induant, ac capiti ejus cutem capitis *Rab. Ismaelis* accommodent, & collum quatuor susis auri puri exornent. Tum eos plateas onyche operire, & a præconibus ante eum prædicari jubere: Spes domini (*Jacobi*) infracta est; frater domini nostri est mendax. Qui (hos ludos) nunc videt, vidit; qui autem eos nunc non videt, videbit ipsos numquam. Quid jam prodest fraudatori (*Jacobo*) fraus sua, & vano isti falsitas sua? Tandemque (id festum) his verbis terminare: væ alteri (*Jacobo*), quando alter (*Esauus*) vitam recuperabit!

XIX. *R. Jacobo* subjungimus *R. Nathanem*, qui in ערוך voce סך magnam partem loci nostri Gemarici exponit. Cujus sermo hic est: סך בפרק קמא בעבודה סך קרי פלסתר פירוש חשבון של יעקב הארון פלסתר כזב אחוה דמרנא זיפנא חשבון של עשו ארונינו כזבן שלקח הברכה ברמאות מאי אהני לוה לרמאה ברמותיה מ'ס הסלכות שלנו היא דחמא חמא כלומר מי שרואה השחוק פעם אחת רואה ואם לא יראה באותו פעם שוב לא יראהו לפי שאין עושי' אתו שחוק אלא פאם אחת לע' שנה. Hoc est: *Nomen* סך *occurrit etiam in capite primo de idolorum cultu;* (*ubi dicitur*) סך קרי פלסתר, *id est ratiocinatio Jacobi domini falsa est. Frater domini nostri mendax est, qui callide* (se Esauum esse fingens & dicens) *felicitatis vota impetravit. Sed quid utilitatis in hunc fraudatorem ex fraude sua redundat, quum nos* (Romani & Esaui posteri) *nihilominus regnemus* (& Judæis imperemus?) *Qui videt, vidit; id est, qui hos ludos videt, una vice eos vidit; sin ipsos ea una vice*, (qua celebrantur) *non videat, sibi numquam occasio eos videndi redibit; quia dumtaxat septuagesimo quoque anno eduntur.*

XX. Jam in quæstionem incidimus, quinam ludi in loco nostro Gemarico innuantur, de quo genere neque *Wagenseilius* neque *Edzardus* aliquid definiunt. Nos autem nihil ambigimus, in eo de ludis sæcularibus veterum Romanorum disputari; quia hi ludi Romæ celebrati esse dicuntur, & præcones eorum caussa prædicasse, ac quod hæc formula de illis usurpatur: *qui hos ludos jam videt*, is

is vidit ſpectaculum, quod poſthac viſurus eſt numquam. Has vero notas, & præcipue poſtremam, apertiſſime oſtendere, de ludis ſæcularibus in loco noſtro Gemarico ſermonem eſſe, jam uberius declarare inſtituemus.

XXI. Ludos ſæculares fuiſſe Romæ celebratos, teſtis nobis eſt *Zoſimus lib.* II. *cap.* v. ubi dicit: Ἐνςάντος δὲ τȣ̃ χρόνȣ τῆς ἑορτῆς, ἣν ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐν τῷ τȣ̃ Ἄρεως ἐπιτελȣ̃σι πεδίῳ, καὶ ταῖς ἴσαις νυξὶ, καθιερȣ̃το τὰ τελȣ́μενα παρὰ τὴν ὄχθην τȣ̃ Θύμβρεως ἐν τῷ Τάραντι. Id eſt: *Ubi ludorum tempus adepiit, quos tribus diebus totidemque noctibus in campo Martio faciunt, hoſtiæ propter ripam Tiberis ad Tarentum diis conſecrantur*. Cui accedit Herodianus *l.* III. *cap.* 8. qui de hac re ita loquitur: Εἴδομεν δὲ ἐπ' αὐτȣ̃ καὶ θέας τινῶν παντοδαπῶν θεαμάτων ἐν πᾶσι θεάτροις ὁμȣ̃, ἱερȣργίας τε καὶ παννυχίδας ἐπιτελεσθείσας εἰς μυςηρίων ζῆλον. αἰωνίȣς δὲ αὐτὰς ἐκάλȣν οἱ τότε, ἀκȣ́οντες τριῶν γενεῶν διαδραμȣσῶν ἐπιτελεῖσθαι· κήρυκες κατά τε τὴν Ῥώμην καὶ τὴν Ἰταλίαν διεφοίτων, καλȣ̃ντες ἥκειν καὶ θεάσασθαι πάντας ἃ μήτε ὄψονται. ȣ̓́τως ὁ μεταξὺ χρόνος τῆς παρελθȣ́σης ἑορτῆς καὶ τῆς μελλȣ́σης ἐδηλȣ̃το, πᾶσαν ἡλικίαν ἀνθρώπων ὑπερβαίνων. h. e. *Vidimus item ſub illo quoſdam omnis generis ludos, cunctis oditos theatris, ſimulque ſupplicationes, & pervigilia ad formam Cereris initiorum: (ſeculares hi tunc appellabantur), celebratos, (ut ajunt) decurſo trium ſpatio ætatum. Siquidem urbe tota atque Italia præcones itabant, convocatum omnes, ad ludos, quos nec vidiſſent hactenus, nec viſuri poſtmodum forent: ita ſcilicet intervallum præteritæ futuræque celebritatis ſupra omnem eſſe hominum ætatem ſignificantes*. Ex verbo enim ἥκειν hujus loci facile apparet, ſpectatores ludorum ſæcularium Romam, & teſte *Zoſimo*, in campum Martium, convenire debuiſſe.

XXII. Præcones, quorum in Gemara noſtra mentio fit, tempore ludorum ſæcularium, circumiviſſe, & ad eos ſpectandos, formula ſolemni, invitaſſe, liquet ex loco Herodiani modo citato; itemque ex *Zoſimo*, qui *lib.* II. *cap.* v. ab initio ſcribit: περιιόντες οἱ κήρυκες εἰς τὴν ἑορτὴν συνιέναι πάντας ἐκέλευον ἐπὶ θέαν, ἣν ȣ̓́τε πρότερον εἶδον, ȣ̓́τε μετὰ ταῦτα θεάσονται. Hoc eſt: *Circumeuntes præcones, univerſos invitabant ad ſpectaculum, quod neque vidiſſent antea, neque viſuri poſthac eſſent*; atque ex *Suetonio*, qui in *Claudio cap.* XXI. ait: *Fecit & ſæculares, quaſi anticipatos ab Auguſto, nec legitimo tempori reſervatos: quamvis ipſe in hiſtoriis ſuis prodat, intermiſſos eos Auguſtum multo poſt, diligentiſſime annorum ratione ſubducta, in ordinem redegiſſe. Quare vox præconis irriſa eſt, invitantis more ſolemni ad ludos, quos nec ſpectaſſet quiſquam, nec ſpectaturus eſſet*. Meminit hujus formulæ etiam *Ovidius lib.* II. *triſt. v.* 25. *ſeq.* ita: *Juſſerat & Phoebo dici; quo tempore ludos Fecit, quos ætas adſpicit una ſemel*; & *Claudianus* de VI. *conſ. Honorii v.* 388. hoc modo: *jam flaveſcentia centum Meſſibus æſtivæ detondent Gargara falces, ſpectatoſque iterum nulli celebrantia ludos Circumflexa rapit centenus ſæcula conſul*. Cæterum præcones non ſolum in urbe Roma prædicaſſe, uti in loco noſtro Gemarico dici videmus, ſed etiam in tota Italia, ex *Herodiano* clariſſime patet, neque ex *Zoſimo* obſcure colligitur. Verba autem Gemaræ noſtræ, quæ huc pertinent, ſunt ſequentia ומכרזין - - דחמי חמי ודלא חמי לא חמי: hoc eſt: *& præcones ire jubent, ac prædicare: — — qui hos ludos jam ſpectat, eos ſpectavit; qui autem ipſos hac opportunitate non ſpectat, eos numquam ſpectaturus eſt*. Reliqua autem verba, quæ in Gemara, de qua agimus, his præconibus affinguntur, mendacia eſſe, quiſquis ſine ulla dubitatione facile concedet.

XXIII. Quemadmodum vero ea, quæ §. XXI. & XXII. tractavimus, ſatis oſtendere poſſunt, locum noſtrum Gemaricum de ludis ſæcularibus veterum Romanorum agere: ita quoque præterea in eo nulla ſunt, quæ idem confirmant. v. g. iſta: מאי אהני לרמאה ברמאותיה hoc eſt: *quid utilitatis habet fraudator ille ex fraude ſua?* itemque hæc: ווי לדין כד יקום דין id eſt: *væ illi, quando hic vitam recipiet!* ſive, *væ Jacobo, quando Eſauus in vitam redibit!* Quibus Romani ſignificare inducuntur, res ſuas eſſe incolumes & florentes, & in poſterum quoque ita fore. Licet enim in his verbis id falſum ſit, quod tempore ludorum ſæcularium in precibus Romanorum, eorumque formulis ſolemnibus, Judæorum aliqua mentio facta ſit: certum tamen eſt, ludos ſæculares pro incolumitate & felicitate imperii Romani fuiſſe peractos, & ſalutis publicæ in iis præ aliis habitam eſſe rationem, ac pro ea conſervata Romanos Diis ſuis gratias egiſſe; & ſimul precatos eſſe, ut ea perpetua eſſet; id quod cum verbis citatis Gemaræ noſtræ in genere conſideratis plane congruit. Confer §. XIX. *hujus diſſ.* Hinc in *Herodiano l.c.* legimus, in ludis ſæcularibus ἱερȣργίας, ſive ſupplicationes, eſſe factas, quarum ratio, teſte *Livio*, *lib.* XXX. *cap.* XVII. hæc fuit: *uti ædituі ædes ſacras omnes tota urbe aperirent, circumeundi, ſalutandique Deos, agendique gratias per totum*

diem

diem populo poteſtas fieret. Porro *Zoſimus lib.* II. *cap.* v. teſtatur in ludis ſæcularibus *Jovem* in Capitolio hymnis eſſe celebratum, quod gratiarum actionem ſimul complectitur. Τῇ δὲ μετὰ ταύτην, inquit, ἡμέρᾳ γυναῖκες ἐπίσημοι, κατὰ τὴν ὥραν, ἣν ὁ χρησμὸς ὑπηγόρευσεν, εἰς τὸ Καπετώλιον συνελθοῦσαι λιτανεύουσιν ὡς θέμις. id eſt: *Inſequenti die matronæ nobiles, ad horam ab oraculo conſtitutam, in Capitolium convenientes, Deo ſupplicant, & hymnis eum, ceu fas eſt, celebrant*. Oratum vero etiam pro futura felicitate in his ludis eſſe, patet ex *Horatii carmine ſæculari*, ubi ſub finem ejus ita canit: *Si Palatinos videt æquus arces, Remque Romanam Latiumque felix: Alterum luſtrum, meliuſque ſemper proroget ævum*. Pertinet huc etiam locus ex *libris Sibyllinis*, in quo Romanis, ſi ludos ſæculares rite celebrent, communis felicitas & perpetuum Italiæ dominium, promittitur. Exſtat ille apud *Zoſimum lib.* II. *cap.* VI. ita: Ταῦτά τοι ἐν φρεσὶν ἦσιν ἀεὶ μεμνημένος εἶναι Καὶ σοι πᾶσα χθὼν Ἰταλὴ, καὶ πᾶσα Λατίνη, Αἰὲν ὑπὸ σκήπτροις ὑπαυχένιον ζυγὸν ἕξει. id eſt: *Hæc adeo tibi ſint memori bene condita mente. Itala ſic telluſque Latina Æternum tua ſceptra colet, tua juſſa capeſſet*. Confer *Petrum Taſſinum* de *veterum Romanorum anno ſæculari*, *part.* I. *cap.* v. ubi copioſe oſtendit, *quid Romani anni ſæcularis celebritate a Diis ſuis exſpectarint, aut petierint*.

XXIV. Tandem intervallum temporis, poſt quod ludi, de quibus in Gemara noſtra diſſeritur, inſtitui ſolebant, argumento eſt, in ea de ludis ſæcularibus ſermonem eſſe. Etſi enim verum non ſit, eos אחרת לשבעים שנה, ſive, ſeptuageſimo quoque anno præciſe iteratas eſſe, id tamen certum eſt, quod hominis ætate ſæpius quam ſemel ordinarie fieri non poterant, uti in Gemara noſtra ſtatuitur. Unde *Cenſorinus* de *die natali cap.* XVII. 13. ait: *Quod ſi quis credit, ludis ſæcularibus ſæcula diſcerni, ſola nominis origine inductus: ſciat ſæculares dici potuiſſe, quod plerumque ſemel fiant hominis ætate; ut multa alia, quæ raro fiunt, poſt ſæculum evenire, loquentium conſuetudo uſurpat*. Fiebant autem Romanorum ludi ſæculares nec ſemper una dumtaxat vice, hominis ætate, nec conſtanter & perpetuo poſt unum idemque temporis annorumque intervallum, ſed varie & confuſe. Unde in *Suetonii Claudio*, cap. 21. hæc legimus. *Fecit & ſæculares, quaſi anticipatos ab Auguſto, nec legitimo tempori reſervatos: quamvis ipſe in hiſtoriis ſuis prodat, intermiſſos eos Auguſtum multo poſt, diligentiſſime annorum ratione ſubducta, in ordinem redegiſſe. Quare vox præconis irriſa eſt, invitantis more ſolenni ad ludos, quos nec ſpectaſſet quiſquam, nec ſpectaturus eſſet: cum ſupereſſent adhuc qui ſpectaverant, & quidam hiſtrionum producti olim, tunc quoque producerentur*. Quicum facit *Petrus Taſſinus*, cum teſte ſuo *Pomponio Læto l. c. part.* II. *cap.* VII. *pag.* 37. ubi ita ſcribit: *ſicut, & temporibus poſterioribus ſæpe non obſervatum tempus legitimum deprehendet lector, qui annos, quos ludis quibuſque ſæcularibus, ab Imperatoribus exhibitis, aſſignatos, attentius conſiderabit: illud diſerte notavit Pomponius Lætus in hiſtoriarum Romanarum compendio, ubi loquitur de Philippi imperio ſub libri initium: de ſæcularibus, inquit, pauca referre haud abs re eſt. Eos inſtituiſſe fertur exactis Regibus M. Valerius Poplicola* (*corrigendum eſt: P. Valerius*,) *& appellatos, quod plerumque hominis ætas ſemel intueri poteſt: idque aliquamdiu ſervatum eſt; poſtea ambitione Cæſarum cupientium, id ſolemne ſuis temporibus exhiberi, ordo corruptus eſt, & pro libidine ſeculares habiti*. Cenſorinus autem *l. c.* §. 7. *temporum*, inquit, *intervalla, quibus ludi iſti debeant referri, non modo quando fuerint retro, ignoratur: ſed ne quanta quidem eſſe debeant ſcitur*; & §. 10. *At enim, temporum ſi veterum revolvantur annales, longe magis in incerto invenietur*; itemque §. 12. *Hinc animadvetere licet, neque poſt centum annos, ut hi referrentur ludi, ſtatum eſſe, neque poſt centum decem*. Ut autem Gemarici ſtatuerent, hos ludos ſeptuageſimo quoque anno iterari ſolitos eſſe, ſine dubio exinde factum eſt, quod audierunt, eos hominis vita ordinarie ſemel, & non ſæpius, inſtitui, atque ex ſacro codice noverunt, hominis vitæ ſeptuaginta annos adſcribi. Ita *Pſalm.* XC. 10. dicitur: ימי שנותינו בהם שבעים שנה: id eſt: *tempus annorum vitæ noſtræ complectitur ſeptuaginta annos*.


XXV. De ludis ſæcularibus in Gemara noſtra differi, vidimus, ſed adhuc diſceptandum reſtat, de quibuſnam ludis ſæcularibus in ea ſit ſermo; quum duodecim ejuſmodi ludi apud Romanos facti ſint, quorum octo *Cenſorinus cap.* 17. commemorat, omnes vero duodecim *Taſſinus l. c. part.* II. Auctores narrationis de ludis ſæcularibus Romanorum in Gemara noſtra ſunt *R. Samuel*, & *R. Judas Elaides*, qui, uti §. III. oſtenſum eſt, tempore *Adriani* vixerunt. Quum autem hujus Imperatoris tempore ludi ſæculares non ſint celebrati, cenſemus, *Samuelem & Judam Elaiden* de iis loqui, qui proxime ante *Adrianum* inſtituti ſunt; qui,

qui, ut ex historiis patet, ludi sæculares *Domitiani* fuerunt. De vetustioribus enim ludis sæcularibus Romanorum, id est, de iis, qui ante Judæos a Romanis victos, & cum iis commixtos, acti sunt, Judæos sollicitos fuisse, aut multa audivisse, & postea in Gemara mentionem fecisse, nemo facile opinabitur. Fuerunt autem ludi sæculares *Domitiani*, hujus generis ludi apud Romanos septimi; & detii sunt secundum *Taffinum* l. c. *part.* II. *p.* 45. *seqq.* anno V.C. DCCCXXXXVI. FL. *Domitiano* XVI. & *Volusio Saturnino* II. consulibus.

XXVI. Admodum vero celebres ludi sæculares a *Domitiano* acti sunt; unde etiam apud veteres scriptores frequens eorum est mentio. Hinc *Tacitus lib.* XI. *annal. cap.* 13. §. 2. ait: *Utriusque principis rationes prætermitto, satis narratas libris, quibus res imperatoris Domitiani composui. Nam is quoque edidit ludos sæculares; iisque intentius affui sacerdotio Quindecemvirali præditus, ac tum prætor;* & Suetonius in Domitiano cap. 4. *Fecit & ludos sæculares: computata ratione temporum ab anno non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat;* item Aurelius Victor *epitome, capitis* XI. *fine*, in *vita* Domitiani: *Hujus tempore sæculares ludi celebritati sunt;* ac Censorinus de *die natali* cap. 17. §. II. *Septimos Domitianus, se* XIV. & L. *Minucio Rufo Coss. anno* DXXXXI. His addimus *Statium*, qui *lib.* I. *silv.* in *soteria v.* 14. *seqq.* de hoc genere ita canit: —— *sileant pejoris murmura famæ; Quippe manet, longumque ævo redeunte manebit, Quem penes intrepidæ mitis custodia Romæ Nec tantum induerit fastis nova sæcula crimen, Autem instaurati peccaverit ara Terenti.* id est, paraphraste Taffino *l. c. part.* II. *pag.* 46. *Rutilius Gallicus post ludos sæculares, a Domitiano instauratos in Terento, non morietur; eo quo laborat morbo: non enim novum sæculum, quod sequetur, volet indere suis fastis, eum statim a factis ludis sæcularibus, e vita excessisse; cum ludi illi fiant pro incolumitate reipublicæ, cujus ille præcipua pars erat: unde id esset Deos, qui in ara Terentina coluntur, graviter peccare vitio ingratitudinis, qui post tot sacrificia, Reipublicæ columen, Rutilium non servarent.* Alios de his ludis testes jam tacemus.

XXVII. In fine hujus qualiscumque nostræ dissertationis, nobis monendum est, nos arbitrari, præter ea, quæ a §. XXI. *disputationis* hujus usque ad §. XXV. ex narratione Gemaræ nostræ de ludis sæcularibus *Domitiani* proposuimus, & ex Romana historia illustravimus, reliqua omnia, quæ in hoc loco Gemarico referuntur, esse falsa & a Judæis ficta; ac illas fabulas de personato *Esauo* & *Jacobo* Judæos odio adductos *Domitiano* tribuisse, quod ipsos vehementer afflixit, eorumque haud paucos e medio sustulit. Conjectavimus quidem ab initio, ea, quæ in Gemara nostra de *Esauo* & *Jacobo* traduntur, ita esse intelligenda, *Domitianum* inter alias festivitates & lusiones ludorum suorum sæcularium etiam hoc habuisse, ut Judæis publice vexatis illuserit: sed quum de ea re nihil in historia Romana reperire potuerimus, temere aliquid statuere nolumus. *Domitianum* vero *Judæis* admodum fuisse inimicum & hostem, discimus ex *Suetonio*, qui in *Domitiano* cap. XII. ait: *Præter cæteros, Judaicus fiscus acerbissime actus est: ad quem deferebatur, qui vel improfessi Judaicam intra urbem viverent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse me adolescentulum memini, cum a procuratore frequentissimoque consilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset;* idemque ex *Suida*, voce Δομετιανὸς, ubi ita scribit: Ἐπὶ τούτου καὶ Ἰωάννης ὁ εὐαγγελιστὴς εἰς Πάτμον ἐξορίζεται, καὶ τοὺς ἀπὸ τοῦ γένους Δαβὶδ, ἀναιρεῖσθαι προστέταξε. id est: *Sub hoc & Johannes Evangelista in Patmon relegatur; & Davidici generis homines tolli jubentur.* Licet enim hunc *Suidæ* locum etiam ad Christianos trahere, & de iis quoque, qui in Christiana gente tunc ex genere Davidico adfuerant, intelligere, velis, nullum tamen est dubium, quum in genere Davidis stirpi exitium quæsivisse dicatur *Domitianus*, Judæos quoque istam calamitatem & *Domitiani* furorem sensisse.

EX-



EXCERPTA
EX CRITICA SACRA
LUDOVICI CAPPELLI.

AD LIBRUM, CUI TITULUS EST,
NOVA DAVIDIS LYRA,
ANIMADVERSIONES.

QUÆ ſunt novæ iſtius artis Metricæ partes, in quarum priore autor tradit de ſyllabarum quantitate, variiſque Pedum & Carminum generibus, Canones, quos ſubjectis exemplis e Sacris Bibliorum Carminibus petitis, eorumque cum Græcorum & Latinorum vario carminum genere collatione, illuſtrare, atque, uti putat, demonſtrare conatur, poſteriore vero Analyſim Sacrorum Davidis, aliorumque Scriptorum θεοπνεύστων, Carminum inſtituit juxta Canones a ſe traditos. Omnia fruſtra, putri enim & caſſo, falſoque adeo nituntur ea gemino fundamento. Præſupponit nimirum, nec probat, primo, totam hodiernam punctationem ab ipſis eſſe ſacris Scriptoribus, non a Maſſorethis, quingentis nimirum poſt Chriſtum natum annis, excogitatam. Omnes enim ejus, de Syllabarum quantitate & Carminum generibus, Canones illi innituntur, ac juxta eam inſtituti ſunt. Secundo, hodiernum Codicem Hebræum totidem apiculis & punctis jam eſſe diſtinctum, quibus olim fuerunt ipſa Sacrorum Scriptorum αὐτόγραφα, neque hillum ab illis diſcrepare. Etenim non

obſervat, vel in minimo apiculo, ullibi a Librariis eſſe aberratum. Ad prius autem illud quod attinet, noverat hujus Poeticæ autor, ſententiam illam in Arcano Punctationis, tredecim ante Metricam ſuam annis edito, graviſſimis rationibus & idoneis argumentis eſſe refutatam. Itaque non debuit vir iſte magnus id præſupponere quod ſciebat fuiſſe illic tot argumentis confoſſum, ſed ab eo prius oportuit rationes illas convelli, aliaſque in contrarium, quæ ſuam confirmarent, adferri: Alioquin operam ludit, & otio abutitur ſuo, Lectoriſque patientia. Alterum autem illud, non minus abſonum, cui perſuadebit? Librarios nimirum jam a ter mille annis, poſt Moſem & Davidem deſcribendo ſacros Codices ne latum quidem pilum ab ipſis ſacrorum autographis diſceſſiſſe, ne in minimo quidem apiculo, Hirec, puta, Holem, Schurec, vel Sceva, nunquam brevem pro longa, vel longam pro brevi, Patach pro Cametz, vel Tſere pro Segol, &c. ſcripſiſſe? Siquidem ex variarum S. Bibliorum editionum, MSS. Codicum, veterumque Translationum Græcarum & Latinarum, & Chaldaicarum Paraphraſeon collatione cum hodierno textu Hebræo, infinitis exemplis variarum lectionum meridiana luce clarius demonſtrari poteſt, Librarios ſæpius diſſenſiſſe, & ab autographis infinitis in locis diſceſſiſſe: quid enim aliud ſunt variæ illæ lectiones, quam totidem ab autographis variationes? Quare everſo gemino hoc fuudamento, quo tota nova hæc Metrica nititur, quidquid illi a Viro magno ſuperſtruitur ruere ac concidere omnino neceſſe eſt. Sed prius ſunt conſiderandi & expendendi novæ hujus Metricæ Canones.



ANI-

ANIMADVERSIONES
AD CAPUT PRIMUM.
LYRÆ DAVIDICÆ FRANCISCI GOMARI.

CANON TERTIUS, QUARTUS, QUINTUS, & OCTAVUS, sic se habent.

3. *Brevis syllaba est quæ habet brevem, hoc est, simplicis temporis vocalem.*
4. *Vocales Breves per se quidem sunt quinque per accidens vero tres Brevissimæ, quas Raptas vocant.*
5. *Harum brevium omnium in Poesi par est potestas.*
8. *Longa syllaba est, quæ habet longam, seu duplicis temporis vocalem, quales sunt quinque tantum.*

AD hos Canones observandum, Quod Punctationis autores Masorethæ unicuique genuinæ ac naturali vocali, A, E, I, O, V, geminam assignarunt figuram, (unde postmodum orta est vocalium a subsequentibus Grammaticis in duas, Longarum & Brevium, classes, divisio) non eo pertinet, ut duplici illa figura docerent syllabarum quantitatem, uti fuse probatum est a nobis in Arcano Punctationis, parte prima, capite decimotertio sed alio omnino spectat, uti isthic indicatum est Paragrapho vigesimoquinto & seqquent. nimirum (docente ipso Buxtorfio in Epitome Grammaticæ suæ capite quarto) Longas in syllabis simplicibus, Breves in compositis, initio & medio vocum (nisi interveniat Accentus) semper adhibuerunt, ut sic indoctum atque imperitum linguæ Hebraicæ lectorem in literarum cum vocalibus combinatione juvarent, ipsoque vocalium aspectu docerent, quomodo hæc inter se combinari debeant, quod aliis in linguis vulgaribus, nonnisi longo usu, & a linguæ ipsius peritis, addisci potest. Ad tria autem puncta Rapta quod attinet, ־ׂ, ׃ׂ & ׃ׂ, si qua forte Hebræis est longarum & brevium vocalium distinctio, non sine causa censeri merito posset, puncta illa ad longarum potius, quam ad brevium classem esse revocanda: cujus ratio non omnino contemnenda hæc adferri potest, quod nimirum adhibentur hæc puncta sub literis gutturalibus ad juvandam earum pronuntiationem, ex se alioqui paulo difficiliorem, quia in imo gutture formantur hæ litteræ, facilis autem & expedita reddi potest earum pronunciatio per sonum vocalis longæ magis quam brevis juvatur enim temporis mora atque tractu potius quam correptione atque contractione. Quamquam non nescio a recentioribus Judæis, qui ab annis circiter sexcentis carmine Hebraice aliquid scribunt, puncta illa tria (ut & Sceva simplex mobile) haberi pro brevibus vocalibus, reliquas vero decem pro longis, a quorum sententia auctor hujus Metricæ longe hac in parte discedit, quum decem illas in quinque breves, totidemque longas dividit.

CANON SEXTUS.

Sceva vero non vocalis est, sed illius, sub consonante mobili absentiæ nota.

SCHEVA simplex geminum est, alterum Mutum seu Quiescens, alterum Mobile dicitur. De muto quidem verus omnino videtur hic Canon; ideo enim *Mutum* dicitur & censetur hoc Sceva, quia nullum edit sonnm, sed auditur tantum sonus litteræ cui subscribitur, quæ nulla alia ad sui prolationem vocali indiget præter eam quæ antecedunti litteræ subjicitur, cum qua illius interventu atque vinculo in eadem syllaba connectitur, uti planum est in voce ישמור in qua Jod & Schin copulantur vinculo τ8 Hirec, Sceva autem subscriptum τῶ Schin est nota absentiæ vocalis, hoc est, notat τῶ Schin nullam esse subscribendam vocalem, siquidem Schin, ad antecedentem vocalem trahitur, & cum ea in eadem Syllaba connectitur. Verum τ8 Sceva mobilis longe diversa est ratio. Nam ideo

Mo-

Mobile vocatur quia eſt vocale, ſonumque vocalis edit, *moveri* enim apud Hebræorum Grammaticos eſt enuntiari, proferri ſonum edere; *quieſcere* contra apud eoſdem eſt nullum edere ſonum: unde litteræ להוי *Ehevi* ideo *quieſcentes* dicuntur quia non raro contigit ut omnino obmuteſcant, nullumque omnino edant ſonum, reliquæ Mobiles vocantur, quia ſonum ſuum nunquam amittunt, ſed perpetuo retinent. Sic Sceva *quieſcens*, ſive *mutum* illud dicitur quod nullum edit ſonum, *Mobile* vero illud vocatur, quod effertur ſonumque edit, ac proinde *vocale* eſt: alioquin nullum eſſet diſcrimen inter *Mutum* & *Mobile*. Sane omnes omnino Grammatici, tam Judæi quam Chriſtiani, agnoſcunt *Sceva* mobile eſſe vocale: qui enim recentem, ſeu hodiernam Judæorum proſodiam docent, quique aliquid carmine Hebraice ſcribunt, ad unum omnes *Sceva* mobile ſimplex (ut & Sceva compoſitum triplex, ‑ֲ, ‑ֱ, & ‑ֳ) habent pro vocali brevi, reliquas decem (uti jam dictum) pro longis. Et ipſe ſane doctus Buxtorfius (qui in Grammaticæ ſuæ Epitome eandem ſequitur, cum auctore hujus Lyræ, de Sceva mobili ſententiam) quum in Theſauro ſuo Grammatico rationem Proſodiæ docet, tradit *Sceva* mobile eſſe vocalem brevem, atque ex eo cum vocali longa juncto conſtitui vel Jambum, vel Trochæum, qua in re non ſatis conſentanea, ne dicam pugnantia, tradere videtur.

Certe ſi *Sceva* mobile non eſſet vocale, ſi nullum ederet ſonum, ſi nulla ejus haberetur in Carminis dimenſione & ſtructura ratio, evaderet linguæ Hebraicæ pronuntiatio non impedita modo atque perplexa, ſed horrida & barbara plane, quæque duritia & aſperitate ſua, ob frequentem multarum corronarum concurſum atque alliſionem, linguas maxime barbaras, adeoque vel ipſam Sarmaticam, longe ſuperaret. Quod ſi *Sceva* mobile occurreret duntaxat ſub conſonis mutis ante liquidas, ut in קליפה, ברית, פרי, aliiſque ejuſmodi, vel ſub illis quæ Latinis Semivocales, aut Sibilantes dici ſolent, ante mutas, ut in שתיה, שמכים, שפלח, סנלה, ספנים, &c. ferri poſſet Canoniſte de *Sceva* mobili, quia ſcilicet ejuſmodi conſonæ ante alias efferri poſſunt nulla intercedente vocali, ut planum eſt in vocibus Latinis, clamor, crocus, prætor, primus, prope, brevis, gratia, gloria, &c., & Græcis Βράχὺς, πρῶτος, κράζω, κειτὴς, κλύζω, πλέον, &c. Item in his Latinis, ſtudium, ſtadium, ſpiritus, ſpero, ſperno, ſcribo &c. & Græcis ϛρατιώτης, ϛρυθὸς, ϛιγμὴ, σπουδὴ, σθένος, σκίμποις, σχίζω, σποδὸς, &c. Verum cum occurrat paſſim & indiſcriminatim ſub quibuſcumque conſonis ante quoslibet promiſcue alios, fieret hoc pacto mirus & plane durus, prorſuſque barbarus & inconditus litterarum concurſus, & colliſio, quæ linguæ hujus pronuntiationem redderet prorſus horridam atque barbaram, nec δύσφθογγον modo, ſed plane ἄφθογγον. Nam qui quæſo (exempli gratia) efferre poſſit duas labiales litteras nulla intercedente vocali, in his atque aliis ſimilibus ſexcentis vocibus במלים, במורח, בבא, בבירח, בפי, זושתי, וולד, ווים, בוים, item in his מפקר מברך, מבוא, ממלא. Vel quis efferre poſſit labiales litteras ante pleraſque mutas, quales ſunt כ, ג, ק, ח, ג, ד, ח, ט, ut in his, exempli gratia, vocibus & ſimilibus בנולה, בטיט, ברברי, בנה, בני, בנלעד, בקרבך, בחבל, בכסף, בחמי, &c. Mem pariter quis efferat ante eaſdem litteras, nulla intercedente vocali, in his & ſimilibus vocibus מקרש, מכפר, מטורף, מחפש, מרבר, מגדו, מחקן, &c. item, Vau copulativum ante eaſdem litteras in his, & ſimilibus vocibus, ודברי, וכבר, וננש, ונטר, וקדוש, ותכלה, והבי, ונימר, וטמן, וכסא. Sed neque efferri poteſt Vau illud copulativum ante litteras ſibilantes, ſi ejus *Sceva* vocale non eſt, uti liquet in his & ſimilibus vocibus, ושיר, ושמחה, וספר, והרעו, והכרוז, והמרה, ושנים. Non magis efferri poteſt littera Phe ante eaſdem Mutas (exceptis Nun, Teth, & Thau) in vocibus פצירה, פקח, פקוד, פחרה פרוה, פנרים, פרדה. Nam Phe ante litteras Teth, Thau, & Nun, efferri poteſt, nulla intercedente vocali, uti liquet ex Græcis vocibus πνεῦμα, πτῶμαπτύοσω, &c. Eadem eſt ratio aliarum litterarum, quæ ſunt ejuſdem organi, non enim poſſunt, niſi dare admodum, efferri ante ſeipſas. Attamen ſi verus eſt iſte Canon de *Sceva* mobili, promiſcue & paſſim, infinitis in locis, erunt pronuntiandæ litteræ illæ ante ſeipſas, aliaſque ejuſdem organi, nulla intercedente vocali. Nam Jod ſervile, quod in Futuro Pihel notatur cum *Sceva* mobili, quoties occurrit, poteſtque occurrere, ante aliud Jod, & ante Gimel, Caph, & Coph, in his & ſimilibus vocibus יגלה, יישר, יישב, יכפל, יכלה, יקבל, יכפר, ינדל, &c.? Caph item ſervile, cujus proprium punctum eſt *Sceva* mobile, quoties occurrit ante aliud Caph, & ante litteras Gi-

Gimel & Coph, ut כנבור, כנפרית, ככלב, ככלה, כננב, כקול, כקום, כקיטור, &c. Idem est judicium de litteris דטלנת, quæ linguales dicuntur, non enim possunt efferri ante seipsas, vel socias suas. Attamen in lingua saltem, Syriaca & Chaldaica, Daleth servile, quod respondet τῷ ש Hebræorum passim occurrit præfixum quibuslibet promiscue litteris, etiam alteri Daleth, in vocibus דדילי *quod meum est*, דדולך *quod tuum est* דדילהון *quod est eorum*. In Hebraicis vero videre est passim litteras לנרת (quæ serviles sunt, quarumque hoc respectu, proprium punctum est *Sceva* mobile) ante vel seipsas, vel suos socias in his atque aliis similibus vocibus, לנפשי, לחימן, לרבר, לרברי, לדויד, לטמאה, לטעם, ללא, ללסר, Sic Nun in his & similibus, כרבר, נטהר. Sic & Thau, in his aliisque sexcentis, (Chald. חרירא) חטמא, תרבר, חנכר, חפלה, חחנה, חחפש, &c.

Ad literas sibilantes quod attinet ש & ס quia simplicis sunt soni, ac respondent τῷ Σ Græcorum & S Latinorum, quæ literæ sunt semivocales, possuntque efferri ante quaslibet fere consonas, etiam mutas, de illis nihil dico. Verum ad ז & צ quod spectat, quia duplicis sunt soni, hoc est, continent in se sonum duarum literarum, nempe צ valet T & S, & ז valet D, & S, duram admodum necesse est esse earum pronuntiationem, si efferrantur ante alias Mutas sine interventu vocalis. Occurrunt tamen infinitæ voces Hebraicæ in quibus literæ istæ notantur cum *Sceva* mobili ante consonas mutas, & ante ר Resch, in his puta & similibus, צבי, צבאות, צוחה, צחוק, צלח, צלמים, צמח, צפרדע, צרפתנו, צריח, צפוני, צפונה, צרקה, צפירה, צנומות, &c. Sic & ז in vocibus istis זרמתנו, זרק, זרוע, זרונים, זמירה, זבוב, זכהים, זקנים, זנום, זמן, זכור, זנחתנו, זער, & Chald. זורים. Sic etiam Resch occurrit, vel potest occurrere, cum *Sceva* mobili ante mutas consonas, ut רננה, רמחים, רכב, רחובות, רקב, רצה, רפאני, רבית, רוחה, רדה, רגלים, רחמים, רחלים, רטב, רתת, &c.

Ex his aliisque infinitis, exemplis similibus, quæ congeri possent, planum est quam verus sit Grammaticorum de *Sceva* Canon, nempe, *Initio dictionis Sceva esse mobile*, proindeque vocale, ac cum suprascripta consona syllabam constituere, quod ni ita esset, si quis supra positarum & consimilium vocum, ex novæ istius Metricæ Canone de *Sceva*, pronuntiationem conari atque tentare velit, nescio an si vel medius crepet, possit eas efferre. Eadem est τȣ̃ *Sceva* mobilis in media voce ratio; sive præcedat, sive non præcedat *Sceva* mutum; necesse nempe est, ut cum consona sua syllabam constituat, ni vellimus linguam Hebraicam Sarmatica, atque alia qualibet barbara, reddere longe asperiorem, adeoque ubique ferme plane ἄφθογγον, &, ut ita dicam, ineffabilem.

Deinde ex hujus Metricæ novo Canone infinitæ erunt in lingua Hebræa voces διϲύλλαβοι, quæque ex hac Metrica Spondæum, vel Jambum, aut Trochæum constituunt, quas necesse est esse revera τετρασυλλάβοις, quasque etsi quis rumpat ilia, & os frangat, omni suo nisu & conatu nunquam poterit efferre διϲυλλάβως. Exemplo sit illa ipsa vox quam vir ille doctus, in Grammaticæ suæ compendio, adducit, ut ostendat *Sceva* mobile syllabam non constituere, nempe יברכו, quam ille vult esse disyllabam, quæque juxta novam istam Poeticam Spondæum facit. At quis quæso vel Sarmata, vel Tartarus, ore ferreo vocem istam toto pulmone connitendo, & si guttur frangat, & medius crepet, efferre possit διϲυλλάβως, quæ revera non potest nisi τετρασυλλάβος, efferri, sicque ab omnibus carmine Hebraice scribentibus effertur?

Est & alius verissimus ac certissimus de *Sceva* mobili Grammaticorum Canon, quocum novæ istius Metricæ de *Sceva* Canon pugnat, nempe, *Sceva sub litera daghessata est mobile*, hoc est vocale, ut in פקרו & similibus, ubi necesse est *Sceva* cum suprapositа consona constituere syllabam, alioqui litera Coph per Dages non poterit geminari. Si, inquam, ex novæ hujus Metricæ placitis, vox illa Jambum facit, Coph non geminabitur, nam ne Tartarus quidem, aut Turca, etsi gulam & ilia rumpat, unquam poterit vocem illam διϲυλλάβως efferre, & Coph simul geminare. Itaque ex novo isto de *Sceva* Canone, Dages forte de omnibus omnino literis Scevatis una litura, in toto sacro textu, erit expungendum.

Ad *Sceva* geminum quod attinet, in fine quidem vocis ex Grammaticorum omnium sententia, utrumque est mutum: quod ego sane nolim temere sollicitare, etsi sic non raro reddatur pronuntiatio paulo durior, ut in ירד, יכך, פקרת, קושט, &c. Verum in media voce (ut in יפקרו & similibus) prius quidem *Sceva* est mutum, posterius vero est necessario mobile atque vocale, iisdem de causis propter quas novum istius Metricæ Canonem impugnamus. Sic novà

istà

ista Metrica funditus evertitur tota pene, de ratione legendi Hebraica, constans omnium Grammaticorum sententia, atque ars est disciplina, redditurque hujus linguæ pronuntiatio non modo dura, ingrata, injucunda, barbara, difficilis & impedita, verum etiam prorsus ἄφθογγος & muta.

Jam non disputo an veteres Hebræi, quum lingua Hebraica erat illis vernacula, agnoverint *Sceva* istud vocale, hoc est, an iis in locis in quibus jam ex hodierna punctatione occurrit, certum, atque ab aliis vocalibus distinctum, sonum assignaverint literæ illi quæ jam notatur per *Sceva* istud, necne. Certum est LXX. Interp. quum nomina propria Hebraica exprimunt literis Græcis, nulla certa vocali expressisse *Sceva* istud vocale, sed promiscue omnibus, modo hac, modo ista, uti planum est in his aliisque infinitis nominibus מתושלח *μαθούσαλα*, כנען, *χαναάν*, סבא & שבא *σαβά*, unde *Sabæi* dicti נתנאל *ναθαναήλ*, &c. Item נריה *νηρίας*, יבוסי *ἰεβουσαῖος*, שרוג *σερούχ*, מררי *μεραρί*, לבנון *λιβανός*, unde *λιβανωτὸς thus*, שלמה *σολομῶν*, *Salomon* רחבות *ῥοωβώθ*, רמליה *ῥομέλια*, פלישתים *φιλιςιείμ*, פלשת, Latin. *Palestinæ*, *παλαιςίνη*. Denique נעריה *νωαδίας*, 1. Chron. capit. 4. ubi legerunt נעדיה per Daleth, loco Resch. Idem videre est in Vulgata Latin. Sanct. Hieronym. quum Hebraica nomina exprimit Latinis literis, nulla certa vocali reddit *Sceva*, sed modo hac, modo illa. Certum etiam est, linguam Arabicam, quæ Hebrææ affinis admodum est, omnino non agnoscere *Sceva* vocale, hoc est, nullam habere propriam & definitam vocalem quæ illi respondeat, sed promiscue ejus loco modo hanc, modo illam usurpare vocalem. Certum est etiam secundum Eliam Levitam, Judæorum Grammaticum doctissimum, & regulas ab eo de *Sceva* traditas, multiplicem esse illius sonum, atque varium, adeoque totuplicem, quot sunt ex hodierna punctatione vocalium notæ. Cujus sententiæ etsi non facile accedo, videtur tamen proxime accedere ad id quod modo observavimus ex LXX. Interppret. & Vulgat. Latin. Sancti Hieronymi Translatione: eos nimirum nulla certa & definita vocali, sed omnibus ferme indiscriminatim & promiscue vocalibus, expressisse *Sceva* mobile. Quod si illud in usu fuit veteribus Hebræis, facessat necesse est nova hæc Viri Clarissim. Metrica, ejusque de *Sceva* mobili Canon longe absurdissimus. Sed (uti dixi) jam non inquiro penitus an ita se res habuerit apud veteres Hebræos, quibus hæc lingua fuit vernacula. Dato jam, etsi forte non concesso, τὸ *Sceva* istius mobilis sonum esse, certum atque definitum, a reliquarum vocalium sono distinctum, uti volunt omnes hodierni Grammatici, planum est ex superioribus *Sceva* istud cum suprascripta consona syllabam per se, & separatam constituere, non vero adjungi sequenti syllabæ, & in ea veluti absorberi, proindeque ὕθλον esse πολὺν id quod nova ista Metrica tradit de *Sceva* mobili, illud nimirum *non esse vocalem*, *sed notam absentiæ illius*.

CANON SEPTIMUS.

Syllaba brevis, positione non fit longa. Cujus origo est ad Hebrææ linguæ a Græcis & Latinis discrepante genio: quod longa vocalis (nisi accentus intercedat) ante duas consonas positione mutetur in brevem, non vero brevis in longam. Atque ita huic Canoni respondet alter Vatabli, *Hebræis nulla est positio*.

Canon iste vix minus est quam præcedens contra rectam rationem. Ubi nulla est longarum & brevium vocalium & syllabarum distinctio (ut in hodiernis, Europeis linguis vernaculis plerisque, Gallica, Italica, Hispana, Anglica, Germanica, Belgica &c.) ibi nulla etiam positionis ratio in scribendis carminibus habetur, uti nec Canonis, *Vocalis ante vocalem brevis est*. Verum ubi longarum & brevium syllabarum ratio agnoscitur & observatur in carmine, isthic etiam locum habet, & habere debet, Positio (ut in Græca & Latina lingua) quæ vocalis natura sua brevis producitur. Cujus manifestissima atque certissima ratio hæc reddi potest, quod nimirum vocalis præcedentis pronuntiatio duarum vel plurium sequentium consonarum interventu atque occursu retardatur, sicque producitur syllaba, hoc est, plus temporis insumitur in ea efferenda, propter intervenientes consonas, quam si nulla, vel una dumtaxat intercederet. In humano sermone soni, quibus ille cônstat, nulli sunt qui clarius, apertius, distinctius, & expeditius efferantur, quam Vocalium soni, qui solo veluti flatu atque spiritu constant atque formantur. Consonarum sonus penes mutus est, ac vix, nisi vocalium subsidio, & interventu, audiri ac percipi potest diversorumque, in hore humano a natura positorum organorum motus paulo tardior est. Ex proprio autem uniuscujusque linguæ genio,

genio, aut vero forte ex hominum ipsorum arbitrio, est quod vocales omnes ubique non æquali temporis spatio pronuntiantur, sed modo tardius, modo celerius, in diversis vocibus, vel etiam in eodem voce, sed in diversis illius syllabis. Unde est, quod nonnullæ linguæ (Græca puta & Latina) longarum & brevium vocalium, atque ex vocalibus syllabarum, distinctionem in carminibus agnoscunt, aliæ vero distinctionem illam ignorant. Verum ubi distinctio illa obtinuit, locumque habet, non amplius arbitrarium, sed necessarium est ut isthic locum habeat Positio, qua brevis alioquin vocalis fit longa, occursu nimirum intervenientium consonarum (quæ organorum paulo tardiore motu efferuntur) non parum retardatur præceps alioquin & facilis vocalis prolatio, cujus sonus & quantitas hoc modo producitur. Contra, *Vocalis ante vocalem brevis est*, quia nullo intervenientium consonarum occursu retardatur velox & præceps vocalis pronuntiatio, nihil loquentem inhibet aut remoratur, quominus ab una vocali ad aliam statim transeat. Hanc naturalem distinctionis vocalium in longas & breves causam & rationem evertit novæ istius Metricæ Canon. Qui quam sit absurdus vide quæso in his vocibus הלך ברכי יהוה, quam apte, concinne & eleganter constare possit (ex nova ista Metrica) Dactylus ex voce הלך & priore vocis ברכי syllaba. Nam juxta hujus Poeticæ Canonem, ברך unicam constituit syllabam, eamque brevem, similiter לך brevem etiam facit syllabam, in qua tamen inter Patach, quod est sub Lamed in voce הלך & alterum Patach, quod est sub Daleth in voce כררכי intercedunt tres consonæ mutæ, quæ nulla ratione efferri possunt nisi interventu alicujus vocalis. Certe si quis est cui persuaderi possit hunc esse verum Dactylum, si יברכו Spondæus est, si יצרקו & יצפנו Jambi sunt, si canoram atque gratam, & amœnam esse poesim, ex hujusmodi pedibus constantem, potest aliquis sibi persuadere; eidem pari ratione persuadere posse opinor nullam esse in Horatii Odis Anacreonticis versibus, & Sapphicis carminibus, elegantiam, leporem, artem, & suavitatem, sed meram barbariem, & inconditos plane sonos. Eadem est ratio reliquorum pedum hujus novæ Poeticæ: nam in ושוא חשוערת ארם (ex Psalm. 10. 13.) ejus auctor vult esse Spondæum in duabus primis syllabis, nempe חשו ושוא כמוהם secundum ipsum est Trochæus, לנגרי & לנפשך sunt Jambi, לנגרכם autem est Pyrrichius. Nescio an quisquam sit qui concoquere ista valeat; mihi certe nullo modo fiunt verisimilia. Nec puto quemquam esse tam patientis auris, & obtusi sensus, quique ratione utatur, quem ejusmodi Poetica juvare & delectare possit.

Tam novi paradoxi reddenda erat aliqua ratio, & color aliquis illinendus, ut aliqua se specie commendaret, non erat sic simpliciter sine probatione asserendum, & contra omnem rationem nude affirmandum. Potest sane diversus esse, & Latinæ, Hebraicæ linguæ genius, at non debet is statui qui rationi & naturæ ipsi repugnet, uti Canonem istum istis adversari ostendimus. Quod autem, ut diversum illum linguæ Hebraicæ genium probet, addit hujus Metricæ autor, *quod longa vocalis (nisi accentus intercedat) ante duas consonas positione mutetur in brevem*, videtur respicere ad id quod Holem ante Maccaph, & propter accentum ab ultima ad penultimam syllabam retractum, vertitur in Cametz chatuph, ut כל mutatur in – כל, & יקם ponitur pro יקום. Verum in his & similibus exemplis fallitur autor hujus Metricæ. Non enim proprie loquendo corripitur longa vocalis Holem in brevem Cametz chatuph, ratione quantitatis, seu temporis longi vel brevis, sed alia est hujus mutationis ratio. Nempe (uti in Arcano Punctationis demonstravi, nec abnuit ipse doctissimus Buxtorfius Epitomes suæ Grammaticæ capite quarto.) distinctio vocalium in duas classes, (quæ longæ & breves postmodum dictæ sunt) non est excogitata ad designandam temporis in pronuntiando differentiam, sed ad syllabarum in simplices & compositas distinctionem. Syllabis nempe simplicibus adhibitæ sunt a punctorum inventoribus vocales quæ longæ, compositis vero quæ breves dicuntur, (simplex autem syllaba est ea quæ una duntaxat vocali, & una consona constat, composita in qua plures consonæ una vocali connectuntur) idque constanter ab illis est observatum initio & medio vocis, nisi ubi intervenit accentus Grammaticus. Quum enim contingit ut accentus occupet penultimam vocis syllabam compositam, retinetur illic ea vocalis longa quæ fuit in voce unde ista est formata, exempli gratia פקורנה fit ex פקור addendo simpliciter syllabam נה, ideo retinetur Holem quod fuit in פקור, nec mutatur in Cametz chatuph, licet vocales, quæ breves dicuntur, adhiberi alias soleant in syllabis compositis, initio & medio dictio-

ctionis, quod ideo hic non ſit, ut notetur vocem פקודנה, fieri a פקוד. Eadem eſt ratio ultimæ perſonæ Futuri תפקדנה, quæ fit ab ultima Imperativi פקדנה. Sic in Imperat. Niphal הפקדנה retinetur Tſere, nec mutatur in Segol (licet ſyllaba ſit compoſita) quia illud venit ab הפקד. Ita & in ultima Futuri תפקדנה. Eadem eſt ratio ſimilium Perſonarum in Imper. & Futura conjugationum Pihel, Hiphil & Hithpahel, in omnibus verbis, eadem de cauſa. Sic quia in Verbis defectivis in ſecunda radicali, סבו & סבי fiunt a סוב, quod cum Holem ſcribitur, retinetur illud Holem (non mutatur in Cametz chatuph) quamvis ſyllaba ſit compoſita. Idem fit in Futuro יסבו, תסבו & תסבי, & in Hiphil תסבי & יסבו, תסבו. Verum ubi accentus removetur, & rejicitur in præcedentem ſyllabam, tum adhibetur vocalis brevis quæ ſolet in ſyllabis compoſitis uſurpari, ut קבינה, & תסבינה & in Hiph. תסבינה. In ultimis autem vocum ſyllabis compoſitis Maſſorethæ punctationis auctores, diverſam ſecuti ſunt in ſignandis vocalibus rationem, nam in iſtis paſſim & promiſcue videre eſt modo longas, modo breves vocales, quamvis ultimæ illæ ſyllabæ ſint compoſitæ. Rationes cur modo has, modo illas adhibuerint, varias habuerunt, quas longum eſſet recenſere, nec id eſt hujus loci. Porro quia naturalis & genuina accentus ſedes eſt ut plurimum in ultimis hujuſmodi vocum ſyllabis compoſitis, & vocales, quæ longæ dicuntur, adhibuerunt illi ut plurimum in ſyllabis accentu notatis, ideo quotieſcunque vel per Maccaph accentus tollitur, vel ad vitandum duorum accentuum concurſum, prior ab ultima ad penultimam trajicitur, toties longam vocalem Holem in brevem Cametz chatuph, & Tſere in Segol mutare ſolent, non quod ſic brevietur proprie ſyllaba, ſed quia eſt compoſita accentu deſtituta.

Porro cum magna ſit ad ſyllabarum quantitatem definiendam Accentus vis atque poteſtas, uti in lingua Latina palam eſt, in qua penultima accentu producitur, vel ſi eo deſtituitur, accentu in antepenultima collocato, corripitur, mirum eſt nihil de accentus vi, hac in parte, tradi in hac Metrica. Cæterum an ulla ſit longarum & brevium ſyllabarum apud Hebreos distinctio, & ſi ſit, quænam ſint revera longæ quæ breves, incertum jam eſt, in Arcano Punctationis olim a nobis demonſtratum eſt, adeoque ex ſuperioribus videre eſt eas ſyllabas dicendas potius eſſe longas quæ breves in hac Metrica cenſentur, ſiquidem pene omnes vel Accentu, vel Poſitione producuntur, Accentu ut in בגר & פקדת, Poſitione vero ut in פקדתם & ſimilibus. Neque contrarium probat hæc Metrica, quæ pro confeſſo ſumit, ac ponit tantum, non vero demonſtrat, eas eſſe longas quæ longe a Grammaticis vulgo dicuntur, & breves quæ ſic dici ſolent.

CANON NONUS.

Communis ſyllaba nulla eſt, prout neque vocalis.

SI incertum eſt (uti ex ſuperioribus conſtat) an ullæ ſint Hebræis longæ & breves ſyllabæ, vel quænam tales ſint (ſi quæ forte ſunt) pariter incertum eſt an ſit, vel non ſit, ulla communis ſyllaba, ut temere hic ſine probatione affirmetur nullam eſſe communem.

CANON DECIMUS.

Ultima tamen cujuſque verſus libera eſt, ut ſine diſcrimine brevis eſſe poſſit, vel longa.

SI Metricæ iſtius autor oſtendere nobis poſſet certam, coſtantem & definitam eſſe ſacrorum carminum menſuram, hoc eſt, certum eſſe in illis pedum vel ſyllabarum, ejuſdem menſuræ vel temporis, perpetuo vel ſubinde, certo & conſtanti ordine, alternis ſpatiis recurrentium, numerum, (uti id videre eſt in Græcis & Latinis verſibus Jambicis, Sapphicis, Phaleuciis aliiſque) tum ſane deprehendi & definiri poſſet ſyllabarum quantitas, & an ultima cujuſque verſus ſyllaba libera ſit, necne. Verum, cum ne vix quidem ſemel duos continuos verſus oſtendere poſſit, nec unquam plures, certo, eodemque ſemper ordine recurrentis, (uti iſte poſtmodum capite decimoquarto fatetur) cumque vaga ſit & plane incerta eorum menſura, nullo certo eodemque ſemper pedum aut ſyllabarum numero conſtans, fruſtra in illis quærit, aut rimatur, definitam ſyllabarum quantitatem, fruſtra item & temere affirmat, ultimam cujuſque verſus ſyllabam eſſe liberam.

Ex his abunde liquet, quam vanum & caſſum ſit id quod ſtatim ſubjicit de certa & non ancipiti ſyllabarum apud Hebræos quantitate, deque hujus linguæ ſupra Græcam & Latinam, hac in parte,

te, præstantia. Hoc enim aliud nihil est quam veluti Corollarium & πόρισμα, quod ipse deducit ex iis quæ supra posuit duntaxat, non vero probavit Metricæ hujus autor, quæque nos falsa, vana, & absona esse ostendimus.

AD CAP. II. & III.

Idem de toto capite secundo & tertio dicimus, quod modo a nobis de ultimo præcedentis capitis Canone dictum est. Nempe quæ hic de pedum & carminum variis generibus tradit, admitteremus facile atque ultro, si certam & eandem plurium versuum constanti ordine perpetuo recurrentium, seriem, eodem numero pedum, certo ordine dispositorum constantem in sacris carminibus ostendere posset hujus Poeticæ autor: quod cum non faciat, frustra omnino est in iis quæ hic de pedum & carminum variis generibus tradit atque disputat. Nec eum hic juvant, aut sententiam ejus confirmant παράλληλοι Pindari & Sophoclis versus, quos hic cum Hebraicis componit. Etenim ex Græcis carminibus, quæ certo & semper eodem pedum ac syllabarum numero constant, atque alternis, iisdem semper recurrentibus spatiis, versibus composita sunt, certo constat de syllabarum apud Græcos quantitate, indeque etiam de variis pedum & carminum generibus certa tradi potest ars atque ratio. Deinde, & hoc longe maximum discrimen est inter Pindaricos & sacros versus, quod Pindari Strophæ & Antistrophæ ita sunt constitutæ, ut quot sunt in Stropha versus, & quo pedum genere, syllabarumque numero illi constant, totidem sunt, iisdemque pedibus & numero syllabarum constant, Antistrophæ versus: eademque Epodorum est ratio inter se collatarum, at nihil in Hebraicis Carminibus tale occurrit. Quod si nulli alii extarent in omnibus Græcorum Poetarum carminibus versus, præterquam quales paucos hujus Metricæ autor notat (p. 98.) Sophocleos vagos & incertos, proculdubio tam frustra sudarent Græci Grammatici in redenda atque docenda tam vage Poeseos ratione, quam hic frustra sese fatigat autor noster in definiendo atque tradendo Poeseos Hebraicæ artificio. Ut ne jam repetam quod supra demonstratum est, Canones quos de syllabarum quantitate ponit esse longe absurdissimos. Otio itaque & opera sua abusus esse videtur, & Lectoris sui spem delusisse, expectationemque frustrasse, totis XXII. prioribus hujus Poeticæ capitibus. Quare iis prætermissis transimus.

AD CAPUT XXIII.

CANON PRIMUS.

Omnia sacræ Scripturæ Poemata Hebræa variis ac promiscuis Carminum generibus constant, qualia sunt Pindari omnia, & Lyrica apud Sophoclem plurima.

2. *Eadem absoluta sunt, non relata: hoc est, quæ similibus versibus, eis pari numero ac serie respondentibus, carent*, qualia ab Hephæstione (pag. 63.) μετρικὰ ἄτακτα idcirco appellantur, quod metro quidem sint scripta, nullam vero inter se habeant similitudinem, neque ἀνακύκλωσιν.

Duobus hisce prioribus capitis hujus Canonibus, una manu, unoque impetu, ipse diruit quæcunque totis 22. præcedentibus capitibus de Hebræorum Metrica tradidit Poeseos hujus autor. Si enim veri sunt hi duo Canones (uti verissimi sunt) nulla certa Prosodiæ ratio apud Hebræos ex hujusmodi carminibus exstrui potest, non certe magis quam si quis vellet certa ratione definire, certoque pedum & syllabarum numero concludere, versus illos quos Itali lingua vernacula scribunt, vocantque *Versi sciolti*, quibus respondent Metra illa quæ Hephæstion vocat ἄτακτα, aut si conaretur ex illis certam pedum mensuram & numerum extruere, aut syllabarum quantitatem in singulis versibus definire. Operam equidem ille luderet suam. Atque (uti jam modo dictum est) si nulla extarent ullibi alia carmina Græca quam cujusmodi sunt μετρικὰ ἄτακτα Pindari & Sophoclis (quæ pauca tamen sunt inter multa alia εὔτακτα) frustra in iis quæreretur quantitatis seu Prosodiæ ratio, aut ex his extrui posset certa pedum & versuum mensura, aut Carminum ratio & structura.

CANON TERTIUS.

Horum Poematum periodi, seu versiculi, non minus quam distichum, seu duos versus complectuntur.

4. *Ubi periodi sunt breviores, distichum non excedunt.*

5. *Prout vero periodi sunt longiores, ita plures versus continent, ut in paucis Psalmis, Cantico Canticorum, & Lamentationibus Jeremiæ elucet.*

TRes hos Canones non illibenter admittimus: At ex iis nunquam exsculpet Vir magnus, certam Prosodiæ & sacræ Poeseos apud Hebræos rationem. Itaque toto hoc suo opere nihil aliud promovit ejus Autor, quam ut obtineat id quod nemo illi negaverit, quodque ipse in Præfation. ex Augustino Steucho Eugubino annotavit de Hebræorum Carminibus, nimirum, *Carmen Hebraicum non idem esse atque Græcorum & Latinorum, ut neque Italicum, sive Etruscum, idem atque Latinum. Ac potius cum Italico quam Latino similitudinem habet Hebraicum: Latinum ad imitationem Græci tempora syllabarum observat, Hebraicum nulla tempora, sed numerum duntaxat* &c. Item, *Quæ Augustinus cum cæteris, de Carminibus Hebræorum testantur, noris non ipsos præcise pedes, nostrumque Carmen ab eis, sed simile quiddam designari. Itaque nec Heroicum Carmen apud Hebræos extat, neque Jambicum, aliaque genera, sed simile quiddam & quale barbari diversis ritibus canunt. Psalmi, Job, libri Salomonis & Prophetarum rationem Carminis præ se ferunt, sed neque Latini, neque Græci. Numerosum quiddam, & ab oratione soluta parumper recedens, sermonis genere figurisque Poeticis, verbisque minus usitatis obscuriores phrases.*

Quod autem ad secundum Canonem subjicit, *a Dei, sacrorum Carminum autoris, & sacrorum Scriptorum arbitrio, non vero a repugnante linguæ Hebrææ genio esse quod Poemata sacra vario tantum, non autem eodem Carminum genere sunt concinnata*, non ego invitus ex parte admiserim. Nempe quomodo Deus in sacris suis Scriptis suam habet eloquentiam, suam Rhetoricam, suos Tropos & Figuras, at non tamen eandem prorsus & per omnia similem humanæ eloquentiæ atque arti; nimirum non est illa tam sollicita, tam anxia, tot legibus adstricta & coarctata, sed liberior & solutior, graviorque, quæque majestatem ejus divinam, ac sublime dicendi genus magis deceat, ubi non anxie artis minutiæ quæruntur. Sic habet etiam suam Poeticam linguæ genio accommodatam, sed liberiorem & solutiorem, non coactam, & anxie tot pedum & carminum variis generibus, certoque longarum & brevium syllabarum discrimine coarctatam & veluti illigatam, (uti in Græca & Latina lingua fit) sed ad formam propemodum (uti dictum) versuum quos Itali vocant *Sciolti* & Græci μετρικὰ ἄτακτα, in quibus nec longarum & brevium vocalium aut syllabarum discrimen, nec certus & constans pedum aut syllabarum numerus, perpetuo & eodem semper ordine recurrens, observatur. Quæ Poeticæ ratio videtur simplicior, & linguæ genio magis accommodata, quæ non facile admitteret anxiam & sollicitam Græcorum atque Latinorum Carminum artem & rationem, quin plurimum de sensus plenitudine, deque sermonis gratia naturali & jucunda concinnitate decedat.

CANON SEXTUS.

Etsi in sacris litteris ejusdem generis Carminum poemata nulla extent, conscribi tamen possunt, nec solum mixta, sed etiam pura.

HUic Canoni subjicit Autor duo specimina versuum ad formam Græcorum Jambicorum a se conformata, in quibus eam Prosodiæ, seu quantitatis syllabarum rationem sequitur atque observat, quam superioribus hujus Metricæ Canonibus tradidit, quibus vult effici posse eam esse Prosodiæ apud Hebræos rationem, quam ipse in hac Metrica tradit, atque juxta eam carmine scribi posse Hebraica, plane ad Formam Græcorum & Latinorum Jambicorum purorum.

Sed primo, quos vult esse Jambicos, meliori jure dici possent Trochaici, quia (uti supra monuimus) syllabæ quas vult esse breves, longæ potius sunt per positionem, & quas vult esse longas, breve potius (comparate saltem ad alias) dici debent.

Secundo, Versus in quibus nullum occurrit *Sceva* mobile, sunt utcunque tolerabiles, & qualitercunque canori, at in quibus *Sceva* illud occurrit, horrida in pronuntiando asperitas, si, uti vult Vir magnus, *Sceva* illud veluti absorbeatur in sequenti syllaba, omnem plane abstergit ab illis amœnitatem, numerosamque elegantiam, miramque in illis parit inconcinnitatem, & ingratam plane versuum illorum pronuntiationem atque scansionem, seu syllabas & pedes dinumerandi rationem, uti experienti, pe-

periculumque facere volenti, planum erit, in speciminis secundi versibus 2. 4. 6. 8. 10. 12. 14. 15. &c. Ut ergo versus Hebraici juxta hujus Metricæ prosodiam sint utcumque canori, atque grati & tolerabiles, nullum in illis oportet esse *Sceva* mobile, aut si occurrit, non opportet absorberi (uti vult hujus Metricæ autor) sed brevem debet constituere syllabam, reliquæ vero decem vocales longam, uti faciunt Judæi in Carminibus suis Hebraicis. Tertio, si Carmina multa in sacris litteris extarent, quæ juxta hanc Prosodiæ rationem constarent versibus multis Trochaicis, Jambicis, Dactylicis, Anapæsticis, puris (non mixtis, non anomalis) eodem ordine sæpe, vel semper, recurrentibus, & pedibus, in singulis versibus, certo & constanti ordine & numero dispositis, etiamsi non ubique, & in omnibus Carminibus, certus ille ordo, & pedum syllabarumque numerus servaretur, specie non careret nova hæc Viri hujus Poetica, sed neque etiam tamdiu delituisset hactenus ignota, facile enim fuisset artificium hoc deprehendere. At cum ordo & numerus nullibi sit constans & certus, sed ubique & perpetuo vagus & incertus quis sanus unquam ex tam vaga, incerta, & libera scribendi ratione, certas, definitas, & constantes Prosodiæ leges colligat atque definiat? Quarto, Judæi in Carminibus, quæ ipsi hodie, ab annis circiter sexcentis, vario versuum genere scribunt, longe diversam Prosodiæ ac quantitatis syllabarum rationem sequuntur, ab ea quæ in hac Metrica traditur, & quidem rationi longe magis consentaneam, uti ex superioribus, quæ hactenus a nobis disputata sunt, planum esse potest. Si quis inde adversus hunc nostrum Metricæ hujus autorem colligeret, non eam esse Prosodiæ apud Hebræos rationem, quam ille tradit, sed eam quam ipsi sequuntur, quandoquidem lingua Hebræa ipsorum Prosodiæ sese accommodat, ac juxta eam versus Hebraici scribi possunt & reipsa ab eis scribuntur, an ille ultro & libens id concederet? Non magis certe ferendus videtur quum sic colligit, Carmina Hebræo sermone pangi possunt ad formam versuum Latinorum & Græcorum Sapphicorum, Jambicorum, Hexametrorum, &c. servata ea quantitatis syllabarum ratione quæ in hac Metrica servatur. Ergo veteres Hebræi in suis Carminibus illam Prosodiæ rationem, & versuum mensuram eandem cum Græcis & Latinis secuti sunt. Nonnulli sunt in Gallia qui Gallico sermone versus & Carmina composuerunt, in quibus longarum & brevium syllabarum discrimen a se confictum observarunt, certumque pedum (eodem & constanti ordine dispositorum, & ad illam Prosodiæ rationem, recens ab ipsis excogitatam, constitutorum) numerum, ad formam Latinorum versuum Hexametrorum, Jambicorum, &c. An propterea sanus aliquis inde colligat, Gallicam poesim similem esse Latinæ & Græcæ, atque in ea Græcorum & Latinorum more, observari, esseque adeo observandam, diversam longarum & brevium vocalium mensuram. Quum ante annos sexcentes barbaries, & purioris Latinitatis oblivio, orbem Christianum in Europa occupavit, fuerunt qui novam cudendorum Carminum Latinorum rationem excogitarunt, qui Leonini versus dicti sunt, in quibus nullam, aut pene nullam, discriminis longarum & brevium syllabarum, sed earum duntaxat numeri & rythmi rationem habuerunt, ad formam versuum hodiernorum Italicorum, Gallicorum, &c. An propterea inde quis colligat, veterum Latinorum Carmina eo modo fuisse conscripta, nec ullam esse, in scribendis Latinis versibus, habendam quantitatis syllabarum rationem, ideo quia novæ huic formæ Carminum lingua Latina utcumque sese accommodat? Nemo puto qui sapit, id dixerit.

Ad posteriorem Lyræ Davidis partem, quæ est, Analysis Artis Poeticæ.

JAm vero ad posteriorem novæ hujus Poeticæ partem quod attinet, in qua autor, juxta Canones a se de syllabarum quantitate, de pedum & Carminum vario genere & mensura, traditos, sacrorum Canonum Analysim instituit, hoc dicam breviter, eum hic frustra esse, nam si sic licet ἀναλύειν, omnia versus fient, etiam ea quæ maxime videntur esse a ratione Carminis aliena. Libri, inquam, omnes sacri, historici, & quotquot non sunt, neque ab ullo censentur esse carmine conscripti juxta hanc methodum, & Analyseos rationem, invenientur carmine scripti. Constant enim variis, multisque Periodis; Periodi distinguuntur in Cola, Colon in commata, unum vel plura: Commata autem omnia, juxta hanc Analysim, erunt totidem versus, quorum alii dici poterunt Jambici, alii Trochaici, quidam Sapphici, alii Dactylici, vel Anapæstici, Choriambici, Jonici, Pæonici, Antispastici, iique erunt vel puri, vel mixti, & mixti erunt vel analogi, vel anomali: sicque carmina invenientur vel Perfecta,

vel

vel Imperfecta, idque vel in excessu, vel indefectu, atque ita erunt vel Integra, vel ὑπέρμετρα, eaque vel καταληκτικά, vel ἀκατάληκτικα, vel ὑπερκαταλήκτικα, &c. Eorumque alia erunt Monometra, alia Dimetra, Trimetra, Tetrametra, Pentametra, vel Hexametra. Juxta hanc resolvendi & dinumerandi viam atque rationem, quam tradit hujus Poeticæ autor, nihil non erit versus. Omnia invenientur carmine scripta, etiam Ciceronis Epist. & Demosthenis Orationes: sic Titi Livii libri, & Cæsaris commentarii resolvi poterunt, juxta hanc methodum, in versus & carmina variorum generum vaga & incerta, qualia vult esse sacra carmina vir magnus. Quod quam sit absurdum omni cordato Lectori æstimandum ac judicandum relinquo.

Sic, puto, plano fecimus novam istam Metricam nihili esse, frustraque a tanto Viro per tot annos fuisse meditatam atque animo conceptam. Memini enim cum ante annos 26. Theol. Professorem hic ageret, jam tum sententiam illam animo versasse, mihique, paulo ante ad linguæ Hebraicæ professionem admisso, significasse sibi in animo esse eam publico aliquo Scripto evulgare: meque adeo tum quid de ea mihi videretur ei libere aperuisse, eum nempe frustra ea in re, quantum judicare tum poteram, futurum. Video jam sic monitum nihilominus in sententia perseverasse, neque Arcano nostro Punctationis (aliquot post annis edito) dimotum atque deterritum ab ea fuisse; Sed quam feliciter res ei successerit, id, hujus nostri Examinis, & brevium Animadversionum Lectori, æquo, candido, & cordato, judicandum relinquo.